



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines


Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>



Alch. 5^m



<36613354340017

<36613354340017

Bayer. Staatsbibliothek

Lower leaflets with glandular surface.

• *Alch.* 5th

Gratarolus

VERÆ ALCHEMIÆ

ARTISQVE METALLICAE, CITRA
AENIGMATA, DOCTRINA, CERTVSQVE MO-
dus, scriptis tum nouis tum ueteribus nunc primùm & fideliter
maiori ex parte editis, comprehensus: quorum elen-
chum à Præfatione reperiēs.

*Habes, amice Lector, admiranda utilissimāq; multa, quæ hactenus occultata, & ueluti
sepulta iacuerunt: quorum editionis rationem in Præfatione ad phi-
losophos Chémistas paucis intelligēs.*

B A S I L E A E ▶
M. D. L X I.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

ILLVSTRISSIMO COMITI AC DOMINO,
DOMINO FERDINANDO COMITI IN OR-
tenburg, Baroni in Freyenstein & Karlsbach, Domino in Reicurt & Lill, Rom. Cæsareæ Maie-
statis, &c. Consiliario, Domino suo gratiosissimo & obseruandissimo Guliel-
mus Gratarolus Medicus & Philosophus S. D. P.



V M iam plures annos, generosissime Comes, in Italia & Germania neq; laboribus neq; sumptui parcens, ut Physices, ac potissimum rei Medicę, integram pro uirili cognitionem assequeretur, inter alia, multorum ueterum ac recentiorum nō uulgata neq; uulgaria scripta conquiescerem, contulerim, à tineisq; & scribarum erroribus uendicarem, quo citra ullam ambiguitatē possent aliquādo multis prodesse: id ut tandem fieret, iam pridem cœpi nonnulla, typographis median-
tibus, in lucem dare. Nunc erat præ manibus non exiguum, nec for-
tasse ulli ea in facultate postponendum uolumē, ex uarijs doctorum
hominum & expertorum scriptis, de secretiori Physices parte, non
sine iudicio à me concinnatum: quod quum doctis aliquibus & ami-
cis uiris ostendissem aut indicassem, eorum hortatu & propria mea
cōscientia sum impulsus, ut antequā ad aliam uitam à Domino Deo
uocer, quæ possum emittam: ne (quod faciliē fieret) me hac mortali
uita functo, labores isti perpetuò delitescerent in alicuius auari ac in-
uidi manibus, aut perderentur. Cæterum, cogitanti mihi pro ue-
tusto ac recepto more, cui patrono ac heroi hæc hætenus secretissi-
ma scripta nuncuparem ac consecrarem, profectò non alius (ex his
quos hætenus noui) magis arrisit, quā tua illustriss. Dominatio.
Nam quum superiori iam elapso biennio Augustæ essem, nō solum
ex aliquorum fida relatione, sed ipse corā noui aliqua ex parte ua-
riam Illustrissimæ T. D. eruditionem, & non solum præcipuarū lin-
guarum integram cognitionem, sed etiam rerum naturalium & uti-
lium experientiam, & iudicium non uulgare: mirabar ego assidens
(pro tuæ Illustriss. D. benignitate ac mansuetudine) suæ mensæ, sere-
nam admodū faciem, & caput regio diademate dignū, ingenij prom-
ptitudinem, moderationem, quāq; doctē ornatissimorum conui-
uarum colloquijs responderet: ut iure merito sapientissima Cæsarea
Maiestas talem uirū & heroa sibi à consilijs ut esset, uoluerit. Omit-
to, ne longior sim, loqui de fortunæ bonis paternis, auitis & proauit-
tis, quibus præ multis alijs summus Deus luculentissimè tuam illu-
striss. D. ornauit, quibus, inquam, in suæ nobilissimæ familiæ & ho-
nestæ aulæ sustentationem, in ipsius Dei patris ac Domini nostri I E
S V CHRISTI honorem, & proximi, præcipuè piorum & studio-
rum commodum, uteretur, ueluti Dei optimi œconomus. Possem

EPIST. NVNCVPATORIA.

ac deberem laudum tuarum aliquam partem describere, nisi uererer apud ignaros adulatoris nomen incurrere: à quo quantum alienus semper fuerim, sciunt omnes qui me norunt. Adhæc, mea cōuersatio ferè semper fuit non in Rhetorum & Oratorum, sed in Physicorum ac Medicorum scholis, libris, & exercitijs. Humillimè igitur supplico illustrissimæ D. T. ut animi mei erga se amorem ac candorē suscipiat, non minus quàm egregium Opus istud sibi dedicatū; non idcirco quia putem illustiss. D. T. illo indigere, quāuis eo possit aliquando delectari, ac iuuari: sed ut sub celeberrimi sui nominis clypeo exiens, possit multis prodesse: de qua re quia in sequenti ad Lectores præfatione dicam, non ulterius illust. D. T. detinebo. Faxit autem omnipotens & optimus Deus, ut tandem uel illust. D. T. uel illi nō dissimilem honestum Mecœnatem reperiam, quo possim aliquādo caput exerere, & multis mortalibus uarijs modis, si quis alius, Dei gratia, prodesse. Dominus Deus & pater cælestis in CHRISTO filio illustrissimam Dominationem tuam suis donis augeat & tueatur: Amen. Basileæ, Calend.

Martij, M. D. LXI.

SECRET

SECRETIORIS PHYSICAE STUDIO SIS OMNIBVS,
eruditissq; ac pijs Alchemistis, gratiam & patientie prouentum à Deo patre optimo per
 IESVM CHRISTVM precatur Gulielmus Gratarolus
 Bergomas, Physimedicus.



Voniâ non modò ex sapientissimi Solomonis sententia, Thesauri absconditi nulla est utilitas: uerumetiam bonorum hominum consensu, rerum in se bonarum scientia, non premenda, sed per manus tradenda est. Quum scirem uerò iuxta doctissimi Galeni uerba, eos qui præclaros imitari student, non solum ea in meditum adducere quæ notissima sunt, sed quæ paucis nota: uolui, Lectores charissimi, nullius in oculo dentem reformidans, optima quædam & uerusta abstrusioris Physicæ & secretioris artis scripta, typis antea non uulgata, sincerè & integrè, ut ad me Dei uoluntate peruenerunt, longè tamen correctiora, uobis communia facere: quo tandem certum uix ducem, & ænigmatum enodationem haberetis. Neq; enim sum nescius quot & quales hætenus, quos uidere licuerit, editi sint in hac secreta facultate libri. quorû, etsi quidam satis in se boni sint, licet obscuro, aliqui tamen malè cohærentes centones sunt, aut fragmentosi: nonnulli tam breues, uel ænigmatibus ac parabolis pleni, ut Oedipo sit opus, quo intelligantur: quos nominatim perstringere nunc meum non est. His manuscriptis adieci-mus Arnaldi Villanouani, summi ea in arte uiri, scripta lógè correctiora quàm quæ antea impressa: præsertim illud Perfecti magisterij opusculum, quod Lumen luminum, & flos florum nominatur: quod equidè ex antiquo exemplari manuscripto ita emendatum est, ut uulgatis multo clarius ac certius sit. Neque cuiquam labori peperci, ut, quantum fieri per me potuit, omnia huius artis studiosis peruia forent. Porro mihi aliquis, animum meum ex communi philautia metiens, obiiciet, Si quid boni & certi in his scriptis habeam, unde ditescendi sit spes, non credere se ut in publicum dem. Certè (ut paucis respondeam) nisi mundo stultus essem propter Christum, neq; hoc, neq; (pro mea tenuitate) non minima quædam alia fecissem. Sed uerò alia etiam subest causa, cur alijs, quæ secretò quidam sibi ipsi seruant, ego libenter protrudam: neq; enim uni dat cuncta Deus, qui eam mihi, pro paterna eius prouidentia, crucem dedit, ut tum aliàs, tum præsertim iam annos decè & amplius, nescio quo alio fato, nisi ueritatis ergò, impeditus sim ac uexatus ab hypocritarû, æmulatorum, antichristianorûq; malitia, inuidia, superbia, avaritia, multorumq; aliorum (præsertim aliquot potentium) ingratitudine: ita ut uix per uocationem meam rei familiari mediocriter consulere, nedum negotiosam & perdifficilem hanc artem còmodè tractare, ualuerim. quo factû est, ut hætenus potentia quidem, nò adeò longinqua, diues, actu autem, ferè pauper fuerim. Idcirco ne diutius quod alios mortales iuuare certò potest, apud me otiosè latèret, in lucè pleraq; dedi: neq; de spero quin aliquando futurû sit, ut bonus ac uerè Christianus aliquis à Deo fiat, qui, cum illi hæc diuinæ artis scripta profuerint, quæ ipsi per artem typographicam communicauim, me quoq; si non portunculæ lapidis illius philosophorum, saltem frusti auri uel argenti participem faciat, aliorumq; ingratitudinem corrigat. Cæterum non est quòd aliquis huiusce doctrinæ filius ægrè ferat, hæc etiam prauis & auaris hominibus còmunica esse: cum fieri uix possit, ut nisi quis uerè pius sit, & scientiæ huius alumnus, optimum hac in re finem assequatur. imò ex his libellis nò pauci suos errores ac deuia cognoscentes, bonas horas ac sumptus melius collocabunt: nisi inani suarum quarundam receptarum (ut uocant) spe occæcati, amplius stultescere uelint, & sua perdere. Alij titulotenus librorum studiosi, lecto titulo, librum reiicient non sine sannis ac diſterijs: ea enim est hoc tempore librorum omnis ferè generis copia, ut etiam optimarum rerum satietas homines capiat, aut saltem libros emere, ac ijs studere negligant. Ita fit, ut soli doctè philoponi & Deo amati, fructum immensum hinc capiant & proferant. Sunt autem hoc in nostro uolumine tot rerum naturalium & artium cognitiones, quæ mineralia ferè omnia & lapides, gemmas, cryſtallum ac uitrum spectant, ut non pauci multa quæ arrideant & prosint inuenturi sint: de quibus amplius dicere desino, cum res præstò sit. Neque ego nunc in subsannatores ueræ *χρημίσ* apologiam texam, cum ne sophisticam potius (ad quam potissimùm eorum tendunt obiecta) tueri uelle uidear, tum quoniam præfatio doctissimi cuiusdam uiri in Geberum ante annos decem edita, sub Chryſogoni nomine (quem Osiandrum fuisse non dubito) his egregiè respondeat: fusius autem ac ualidissimis argumentis Ianus Lacinius in Opere suo paucos ante annos edito: ut alios recentiores aut uetustiores omittam, qui huius profundæ artis studiosis faciliè persuadeant. At uerò qui scire nequeunt, aut nolunt, nesciant: cui Deus fauere uult, faueat: quem toto corde precor, ut in ultimis hisce temporibus optatum exitum huius perdifficilis & ra-

AD STUDIOſOS ALCHEMIAE.

riſſimæ ſcientiæ aliquibus pijs uiris concedat, ut inde pauperes Eccleſiæ ſanctæ ſuæ iuuari poſſint, in Dei patris & Domini noſtri I E S V C H R I S T I gloriam, in Eccleſiæ ſanctæ catholicæ & Apoſtolicæ ædificationem, & confuſionem omnis Antichriſti ſuorumque membrorum: in quos fines non ſolummodò ſcripta mea omnia & facultates, ſed uitam ipſam, Dei gratia, dare paratus ſum. Bene ualete, mei etiam memores, neque iuſtis laboribus parcite: ſiquidem ſcitis, non fieri magna ſine magno labore, uel intenſiuo, uel extenſiuo, uel utroque ſimul. Baſileæ, anno à Chriſto nato

M. D. L X L

BREVIS

B R E V I S C A T A L O G V S C O N T E N -
torum in hoc uolumine.

<i>Artis huius secretissima & certiff. defensio, & Prolegomena. primo Ternione.</i>	
<i>Dialogus Ioannis Braceschi, cui titulus est Lignum uite, in quo etiam Gebri Philosophi expositio succin-</i> <i>cta continetur.</i>	3
<i>In eundem Braceschum Gebri interpretem, animaduersio, authore Ioanne Tauladano</i>	49
<i>Gebri Opera cum alijs postremo illi additis.</i>	112
<i>Liber de magni Lapidis compositione & operatione, authore incerto & doctiss. Pag. 1. secundi alphabeti.</i>	
<i>Sententia Ioannis Baptiste Montani, Medici & Philosophi clariss. de sublimatione.</i>	35
<i>Rosarius Philosophorum Arnaldi de Villanoua, correctus, &c.</i>	ibid.
<i>Nouum lumen eiusdem uel alterius.</i>	60
<i>Epistola Arnaldi de Villanoua super Alchymiam, ad regem Neapolitanum.</i>	65
<i>Liber Perfecti magisterij, qui Lumen luminum, &c. dicitur, Arnaldi, ex manuscripto.</i>	67
<i>Eiusdem Arnaldi practica, ad quendam Papam.</i>	73
<i>Alberti Magni Ratissponensis episcopi de Alchymia liber integerrimus.</i>	78
<i>Scriptum Alberti super Arborem Aristotelis.</i>	102
<i>Apertorium Raymundi Lullij de ueri Lapidis compositione.</i>	104
<i>Ars intellectiua eiusdem super Lapidem Philosophorum.</i>	112
<i>Practica eiusdem.</i>	127
<i>Idem de intentione Alchymistarum, & totum continens.</i>	139
<i>Summaria Lapidis consideratio, & eius abbreviationes.</i>	156
<i>Libellus utilissimus de Mercurio solo.</i>	163
<i>Libellus, uel Caput optimum, experimentorum Rasis.</i>	174
<i>Pulcherrimum Opus de Metallorum transmutatione aliqua.</i>	175
<i>Capitulum ualde magnum in albedine, ex libro qui dicitur Philosophus mirabilis.</i>	180
<i>Liber Mercuriorum Raymundi Lullij.</i>	183
<i>Intentio summaria seu repertorium ualde utile ad intelligentiam testamenti, codicilli, & aliorum librorum</i> <i>Raymundi Lullij.</i>	185
<i>Aristotelis de Perfecto magisterio exquisitum & integerrimum opus, &c.</i>	188
<i>Libellus duodecim Aquarum, ex libro Emanuelis.</i>	209
<i>Aque rubee Auicenne ad tingendum quatuor spiritus sublimatos albos.</i>	211
<i>Elixiriorum uaria compositio & modus.</i>	210
<i>Ioannis de Rupefissa liber de confectiione ueri Lapidis Philosophorum, clarè, &c.</i>	226
<i>De Lapide Philosophorum secundum uerum modum formando EFFERARI monachi.</i>	233
<i>Thesaurus Philosophia.</i>	237
<i>Praxis uniuersalis magni Operis, ex Raymundo.</i>	248
<i>De Lapidis Philosophorum formatione epilogus.</i>	ibid.
<i>Practica magistri Odomari ad discipulum.</i>	249
<i>Arcanum Philosophorum ut ex Saturno facias aurum perfectum.</i>	250
<i>Perfecta Salis communis preparatio.</i>	ibid.
<i>Historiola antiqua de Argento in aurum uerso.</i>	252
<i>Tractatus de Marchasita, ex qua fit Elixir ad album uerissimum.</i>	254
<i>Caput de sale Alchali.</i>	258
<i>Questio an Lapis philosophicus ualeat contra pestem.</i>	259
<i>Vetus epistola doctiss. de Metallorum materia, & artis imitatione.</i>	263
<i>Practica Carauantis Hispani.</i>	264
<i>Io. Aurelij Augurelli Chrysopoeia libri III.</i>	269



Ropriū artis uocabulū uero nomine à Græcis dicitur *χημεία*, id est fusoria, eo quod metalla & illis affinia, sales scilicet, alumina, & atramēta, quæ in igne fluūt, & i hac arte potissimū tractantur, *ἐπεὶ τοῦ χημικοῦ χημεία*, id est fusilia dicuntur. Arabes autē (instar *Egyptiorum* artē hanc callentes) hoc nomē à Græcis mutuati, suo more articulum præposuerūt, & Alchemiam dixerunt: alij barbarius, Alchimiam, Alcumisticam, uel Archimiam. Habet etiam hæc ars, ut reliquæ oēs, sua quædā peculiaria uerba & uocabula, vulgo non satis nota: ut Aludel, Alembicus, Botus barbatus, Elixir, &c. quæ hoc priori libro, & alibi declarantur: partim ab usua quædā, ut imbibere pro irrigare, figere & fixare, pro efficere ne materia in igne corrumpatur, & euaporet: ac similia. Sed ob dictionis impuritatem, non sunt isti spernendi thesauri: ingeniosissimi enim illo æuo homines rerum insignem cognitionem scrutantes ex philosophiæ principijs ac experiētijs eloquentiam minus curarunt: id quod in Auicenna, Rasi, cæterisq; Arabibus & Latinis eos sequutis, uidere licet. Archimia (inquit Panthæus Venerus) ab archos & mia Græcis particulis, quæ unitatis & unius ueri consilij princeps. Sed vulgaris Archimiæ maior est promissio, quàm operis executio. de illa, inquā, sophistica, in Ioannis 22. Papæ Extrauagante, sic habetur: Spondēt quas non exhibent diuitias, pauperes Alchimiſtæ. Contra tales est pars seu lex consilij x. Venetorum 1488. 17. Septembris cum additione, ut uocant, incipitq; Tollenda sunt de medio, &c. non autem contra Voarchadumiam, quæ (inquit Panthæus) Hebraicè significat aurum duarum rubearum, hoc est duarum cementationum perfectarum.

Vocabula multa ad artem pertinentia idem declarat charta 54. & inde, sui operis.

Cæterum, fermentum apud Alchemistas dupliciter dici uidetur: unomodo ipse lapis ex suis elemētis compositus & completus, in comparatione ad metalla: alio modo & propriè, illud quod est perficiens lapidem & ipsum complens. & sicut se habet fermentum pastæ ad aliam pastam, sic fermentum primo modo ad metalla. Neq; fermentū fieri potest ex imperfectis, nec uera transmutatio. Neq; generant res nisi sibi similia. Lapis philosophorum generatur à natura, ministrante arte, & diuina potentia uolente manifestare. Componitur autē lapis siue Elyxir ex sulphure, arsenico, & argento uiuo Philosophicis, extractis omnibus ab una sola petra seu terra metallica. Quæ uerò illa sit num ferri fex præsertim uiridis, aut ferrum, aut terra quædam alba, seu arg. uiuum & Sol & Luna, uel aliud, ex sequentibus probè lectis intelliges. Arnaldus inquit totum opus consistere in quatuor uerbis: ea sunt, Sulphur, dictum Mars & Marchasita: Arsenicum, dictum Magnesia: Sal præparatum, dictum Argentū uiuū: & Fumus albus, dictus Tutia. Ignorans naturæ principia, non adhæreat huic arti, quoniam potius erit appellandus Sophista, quàm Alchemista: nam qui principia ignorant, finē non inueniunt. Lapidem uocat Alchymistæ omne illud quod non euaporat ab igne, & idē uocant corpus & substantiam: & lapis unicus est & solus, tam ad album quàm ad rubetū, omnia metalla perficiens in aurum, ut rota clamat Alchemia. fufius quid sit, cū alibi uidebis, tū proximi libri capite 18. Modi uerò & ordo agendi Elyxir & lapidem, sunt, Calcinatio, sublimatio, descensio, solutio, destillatio, coagulatio, fixatio, & ceratio. Preparare autem, est su persua demere, & absentia supplere, sicq; notam in eis mittere perfectionem. his nō indigēt Sol & Luna, sed reliqua. Quæcunq; corpora tardè funduntur, citò coagulantur, & è conuerso. Quoties sublimabis aliquod corpus cū cōmitione sublimati spiritus, toties lucraberis in proiectione mille partes. In spiritibus sunt corpora in potentia, & in corporibus sunt spiritus in potentia. Tantum facit forte agens in breui tempore, quantum debile agens in longo: & ars accelerat ac festinat opus naturæ. Ex his igitur, multoq; magis ex sequentibus, responsiones patebunt ad obiecta quorundam, qui generalibus quibusdam rationibus nituntur secretam hanc autem conuellere, cum uel nihil ipsi tentare sint ausi, uel uulgare aliquid, et erroneum aggressi, spe frustrati sunt. Vanum, inquit Aristoteles, est omittere sensum propter rationes, cum experientia, teste Galeno, rerum sit magistra: quæ tamen suis etiam rationibus, tanquā altero pede, nititur. Porro hæc scientia certior est (cum se ipsa nitatur) & paucioribus nota quàm Iudeorum Cabala: neq; sua uetustate suisq; post Deum, authoribus caret: quauis aliquorum principum tyrannide & avaritia, artificumq; ignoratia & impostura, pessum multoties ierit, uel adeò malè audierit, ut iā omnis generis homines pudeat in Chymistarum albo censerī. Et noui ego aliquos aliās doctos, qui domi ac priuatim pro uiribus huic arti incumbunt, publicè autem uoce aut scripto, ne scilicet stulti mūdo uideantur, eam scommatibus, ac fannīs uel apertis contumelijs, quantum in eis est, irrident ac uituperant. Sed abundet quisq; in sensu suo: modò etiam me huius practicæ scientiæ studiosis laboratoribus prodesse pro uiribus haud agrè ferant: utq; uice cotis fungar, acutum reddere quæ ferū ualet exors ipsa secandi. Sed iā in huius etiam cōmendationem legat & sequentia q. uelit.

Scimus

PROLEGOMENA.

Scimus lapides esse qui metalla firma tingūt tinctura. Si enim Tutia æri bullienti sit iniecta, ex rubore in citrinitatē uertit: Auripigmentū uerò in albedinē, licet aliquantulū corrum pat: quā corruptionē meditari uitando, sapiētis est. Parū etiā stanni multa æris frustra in albedinē mutat, licet nimīū deficcet. Capilli uerò humani argentū citrinant: cortex mali granati ferrū congelat in chalybē: & hæc experientib. apparent. Si ergo ista sine subtilitate & cōmitione id operantur, nō est dubiū quin sit propinqua potētia, quæ ea & istis melioratis & alijs cōmistis, perficiat. Ad hæc, nō rarō experiētia ipsā rem esse possibīlē & certā ostēdit, licet qui faciāt, ijdē pro posse rem occultent. Atq; ut ex antiquis nōnihil adducā, auctor est Suidas, itē Orosius lib. 7. cap. 16. & Paulus Diaconus in uita Diocletiani Cæsaris, postq̃ Achillem Aegyptiorū ducē octo menses in Alexandria Aegypti obsessum profligasset, eum omnes Chymicę artis libros diligēti studio requisitos cōflagasse, ne, reparatis opibus, Romanis repugnaret. Ita sanē χμεία quæ metalla cruda aut adusta in meliora transformant, adeo nō est ars noua, aut incerta, ut ignarū uulgus putat. de cuius origine & utilitate uide etiā Præfationē Euonymi Philiatrī in suum Thelaurū. & sequentia quoq; satis testabuntur eius certitudinem.

De Chymia, uel Alchymia, sic scribit Robertus Constantinus in suo Nomenclatore insignium Scriptorum Parisijs edito 1555.

De hac arte, sicut & de Cabala diximus, qui aliquid memoriæ prodiderit, nullus antiquus author inuenitur, siue id inuidencia factū sit, siue ignoratione. Non desunt tamen qui illud famosum apud poetas Iasonis χρυσόμαλλον δέρας, id est uellus aureū, librum fuisse interpretētur in uellere, uel macrocolo conscriptū, qui ipsam artē, id est auri argentiq; conficiendi rationē contineret. Fabulas interpretes utroq; trahūt: & licet unicuiq; pro animi arbitratu affingere. Quantū ad me attinet, uerū sit necne, susq; deq; habeo. Certū est historia tamen, & rerum gestarū annalibus, Diocletianū principem huiusce artis cōquisitos libros omnes curiosē, exussisse, δὴ τὰ πρὸς τὴν Αἰγύπτῳ, πρὸς τὸ μὴ παύσειν τοὺς ἐκ τῆς τοιαύτης προσηγορίας. τίχης. Hoc artificium luxato uerbo, Alchymiam uocat, uel Archymia, quasi dicas ἀρχὴν χημείας: alij vocant χημεία, uel χημεία, alij χρυσοποιία. Qui uerò de hac aliquid scripserunt, hi sunt:

Arnoldus de Villanoua.

Auicenna ad Assem Philosophum.

Blemidas πρὸς χρυσοποιίαν, liber Græcus, manuscriptus in regia Galliæ bibliotheca.

Geberus Arabs, cuius expositor Ioannes Braceschus Vrceanus.

Ioan. Augustinus Pantherus (uel Panthæus) scripsit Arsetheoriam transmutationum metallicarum cum Voarchadumia.

Isaac monachus scripsit ἀρχὴν μέθοδον πρὸς διδασκαλίαν τῆς αἰνιγματικῆς μὴ γινώσκουσιν, in regia Galliæ bibliotheca, manuscriptus, Græcè.

Morienius cuiusdam Alchymisticus liber circumfertur, non impressus.

Philippus Vlstadius edidit Cælum Philosophorum: qui tamen ad rem medicā spectat.

Raymundus Lullius scripsit (præter cætera multa) de Secretis naturæ, siue quinta essentia. Hunc ego inquirendo cōperio, apud Anglos re quidem uera præstitisse, quod suis libris pollicetur: & in arce Londini, iussu Regis probatissimū aurum cōfecisse, mihiq; genus numi ostensum est, quod adhuc appellant Nobile Raymūdi, auri uidelicet puri, & obrizi, summeq; indicaturæ. Ipse in libro, quod Testamētum uocat, fatetur se hanc artem ex Arnoldo de Villanoua coru suo didicisse. Quē Ioan. And. in tit. de Crimine falsi attestatur, laminas aureas excudisse, quæ ex auro ex arrugia quæsito, aurifodinisq; extracto, bonitate nō cederent. Scripserunt etiam alij multi de hac arte, quorum libri nondum impressi sunt: inter quos est Rosinus Philosophus, & Rogerius Bacho, cuius legi Alchymia speculum.

Zosimus author Græcus asseruatur in bibliotheca Regia: scripsit de Sacra arte, de Cōpositione aquarum ad χρυσοποιίαν, de instrumentis & caminis. Sunt & alij huius artis præceptores, ut Christianus, Heliodorus, Theophrastus, Archelaus, Pelagius, Ostanes, Olympiodorus, Democritus, Dioscurus, Synesius, & Stephanus, cuius est liber de Magna & sacra scientia. Omnes hi Græci sub nominibus antiquis, mihi tamen recentes uidentur. Est etiam liber Chymisticus, comitis Treuisini. Hactenus Robertus. Cæteros qui nosse cupit, legat in fine Geberi ultimō à Ioan. Petreo editi, uel Bernæ impressæ eius sumptu: item Euonymū Philiatrum, Tigurinū: Ioannis Langij epistolam 53. & ultimum folium capitis 18. libri secundi de

Abditis rerum causis Ioannis Fernelij, medici & philosophi doctissimi & præ-

stantissimi: atq; alios recentiores, ut Ianum Lacinium

nulli spernendum.

* 5

CHRYSORRHOAS, SIVE.

DE ARTE CHYMICA DIALOGVS.

Chrysophilus. Theophrastus.

χρυσ.



Perpetuam illam ac cōmunem hominum miseriam deplorare nō satis possum quum uideam omnia ea, in quibus bonorum uix etiam umbræ uersantur, tam esse difficilia ac intricata, ut nancisci illa nedum millesimus quisq; possit: nacta tandem, tā celeri nos pede fugiant. At ea rursus, quæ cum atrocitate, periculis, omni deniq; malōrum aceruo coniuncta sunt, ita nobis constanter imminuant, ut conspirasse in humanam perniciem iudicari possint. Momento enim pessum imus, miseria, paupertate, infirmitate, doloribus obruimur: ut autem felices simus, ut ditemur, ut sa nemur, multis annis opus est: ut non indigeamus, uix ullo seculo nobis contingit. Etenim quantum res meas attinet, in ea planē conditione uersor. Nam cum à uitæ meæ quasi exordio, nihil prius (quod fateri tamen palām erubescō) in optatis habuerim, quā ut admodū ditescerem: atq; ipsius auri sitis me totum corripuerit, absolutam tamen id consequendi methodum, nondū sum consequutus. Desperans licet uoti me futurū compotem, extrema tamē quæq; experiri lubet ipsamq; artem, quam Alchemisticā uulgus dicit, iam aliquandū intermissam, fauente Mercurio, rursus aggrediar. Sed uideo obambulantem illic Theophrastū ab Hohenheim, hominem, si quē Germania unquā tulit, huius artis absolutum artificem, quē si eam in sententiā perducere possum, ut mihi in hoc natatu adiumento sit, futurus sum proculdubio hominū felicissimus. Ipsum primò, magnificis promissis, post etiam minis aggrediar. Salue amicorum precipue Theophraste. Theophrastus. Saluus sis & tu ò lepidum caput. Sed quid solus huc oberras? quid negotij est, quod ita anxie tecū obmurmuras? aspiciēbam te iandudum, non sine magno risu, iactantem brachia & caput, micantem digitis, calcitrantem pedibus. Bacchico te correptum furore existimabam. χρυσ. Non Bacchico ò bone, sed Pluti enthusiasmate sum percitus. Theophrastus. Quid Plutum murmurās? nos Plutum illum irrequietum prorsus dæmonem, ad Plutonis cancellos relegatum cupimus, & uitæ potius tranquillæ dabimus operam. χρυσ. Te quidē authore sperarem, me eam posse tranquillitatem consequi. Tua in manu mea salus est: qui si mihi adiumento esse uelis, effecturum me id scio, ut breui simus ambo hominum primarij. Theo. Ego quidem ò Chrysophile, quantum in me est, omni meo consilio, & auxilio, (modò id cum manifesto meo periculo coniunctū nō sit) adesse tibi non refragabor. Verū quid rei sit, breuiter expone. χρυσ. Non dubito quin ad aures tuas peruenerit, quantum ego non opum tantum & pecuniarū, sed (quod est preciosius) temporis iacturæ, circa eam scientiæ persuasionem, quā Chymicam eruditiores nominant, fecerim: pudetq; fateri, quod negare non possum, quā ego à nequissimo illo hominum genere, qui se Alchemistas & Philosophorū discipulos scilicet, iactitant, sim miserè delusus: quodq; est grauissimum, quantum ego meæ ualitudini, ob fortidas fuligines, halitusq; terribilissimos, quos in cauernis Troglodytarum more delitescens, pertuli, nocuerim, quorum omnium iactura tam ingens est, ut etiā illa quæ inde cōmoda, re omni absoluta, colligi potuissent, nullius momenti æstimanda sint. Theo. Ha ha hæ: dispeream, nisi ego, (quanuis rerū omnium essem inscius) id ipsum subolui. Quum enim mense præterito, hortensem illam tuā domunculam præterirem, tam fœdum quendā fumum, atq; atrum ex subterranea illa fornice erumpentē animaduerti, ut Auernaleis ibi fauces esse crediderim: in quibus Canidia suis lemuribus dapes decoxisset. Verūm ne sinistram de tua prudentia opinionem conciperē, obstabant in primis tua autoritas, deinde quod summo loco natus es: postea maturior ætas coniuncta cum rerum experientia, postremò tot manifestissima exempla, quibus alieno saltē periculo cautiorem te redditum nunquam dubitassem. Persuadere itaq; mihi non poteram, te illis rebus quæ manifesto cum detrimento sunt coniuncta, multo minus scelestissimis sy-cophantis, ac ipsius ueræ artis calumniatoribus, animū potuisse aduertere. χρυσ. Ego uerò cautus in hac re fui quantum debui. Verūm, næ ego intentatum relinquerē id, quod tot authorum cōmuni calculo indubitatum redditur: præsertim, quum omnia quæ ad hoc negociū pertinent, à tam multis antiquis & recentioribus magni nominis Philosophis, diligentissime sint perscripta: postremò quum mihi nec ingeniū, nec opes, nec ocium, alicui rei bene gerendæ occasiones deessent. Sed quid de exemplis? quum tu solus, (quem finem huius artis assecutum, obq; id omnes felicem prædicant) multorum mihi instar satisfacias. Qui si rebus meis desolatis opem ferre, & meam classē in medijs undis cum procellis luctantem, in portum deducere uelis, faciam ut statim intelligas quantum tibi ornamenti, ex mea amicitia, auctoritate,

thoritate, potētia, immineat. Theo. Agnosce crocodili lacrimas. *χρυσ.* Quid dicebas? Theo. Dixi, me tuam agnoscere beneuolentiam: attamē ex illo tuo sermone intelligo me, (quē tibi ad consulendum elegisti,) hac in re minimē satisfacturum. Te nanq; posse fieri uoti compotem, ut uitæ atq; adeo animi trāquillitatem ex eo quod mente tua uersas, nancisci possis, tam est honestati, imō ipsi rationi consentaneum, quā si Vestales Ithyphallica celebrent. Atq; ut hæc ipsa luce clarius intelligas, efficiam: si de artis Chymicæ ui ac natura (quantum ad meā quidem cognitionem peruenit) quædam altius repetere liceat. *χρυσ.* Id uerō iandudum expeto: refer. Theo. In primis existimes oportet: Artem Chymicam, esse scientiarum omniū ut ingeniosissimam, sic humano generi maximē utilem, imō necessariam, ita ut (quemadmodum postea intelliges) non sit indigna, ut totam aliquis circa eam ætatem infumat: Ea tamē latius, quā credebas, patet. Vniuersam itaq; tum eam quæ circa metalla, tum eam quæ circa metallica uersatur, duplici constitutā differentia existimabimus: Altera Physicis orta principijs: & ex ipsius sympathiæ & antipathiæ rationibus emanans, summa cum laude & admiratione est coniuncta. Altera talis quidem esse uidetur. Videri itaq; quā esse mauult, Ergo Sophistica est: Cuius euentus cum fallax sit, à nemine sapientum unquam, ab illis uerō, qui cum uulgo sentiunt, ferē omnibus, recepta est. Prior illa, ex naturæ secretis (ut dixi) admirandos, pulcherrimos, salutares etiam, ne dicā diuinos effectus, solet proferre ex illa: quædam ab ingeniosis hominibus eruta sunt atque inuenta, sed ita uulgata, ut artes, amplius dici non mereantur. Quædam huius scientiæ uires, nondum quidem inuentæ: quæ maiori in numero esse creduntur. Et sic arcana meritō nominanda sunt. Tertiō: Quædam inuēta quidem sunt, sed ea paucissimis atque ferē nemini (nisi cui summus naturæ moderator id demonstrauit) tot seculis constiterunt. Ex quibus omnibus unum illud præcipuum, totius artis Chymicæ scopus, ac uera finis, mirō certē artificio, altoq; silentio semper absconditum: ut inter arcana illa, adhuc cōnumerari debeat. Quo factum est ut pleriq; hominum, id non esse in rerum natura, constanter magis quā uerē, affirmare audeant. Ad hunc scopum pertingendū, cum tot ingenia frustra laborauerint, toto (quod aiunt) aberrantes cælo, ut tamen aliquid egisse uulgo uideantur, humanæ sapientiæ inhærentes, ad alteram illam quam Sophisticā dixi, ut confugerent, consultum esse duxerunt: atq; sic aureo hamo (ut postea dicam) piscati sunt. *χρυσ.* Expone hæc exactius. Nescio enim, quæ inuenta huius artis, quæ nondum inuēta dicas. Theo. Chymica inuenta (ut præcipua persequar) sunt partim circa metalla ipsa, partim circa metallica. Circa metalla hæc ferē possunt constitui. Quædam ex metallis permiscere simul ut aliquid aliud esse appareant, exempla cuius satis sunt uulgata. Quædam etiā immutare, solidiora reddere, colorē in plerisq; mutare, ponderi adijcere, aut (quod facilius) detrahare, molliora quædam, alia duriora efficere: Omnia tamen hæc absq; ullo fallendi studio. Alia circa metallica uersantur, cum metallis nihilominus connectenda: ut sunt deaurationes, deargentationes, (lubet enim nunc uerbis uti insolentioribus) ipsæ separationes, in quem usum aquæ illæ potentissimæ paratæ sunt. Ex quibus indagatæ sunt metallicorū uires admirandæ. Illinc deprehensæ metallicorū cum metallis amicitia atq; odium, quod sympathiā rectē dicimus: Vt antimonij, hydrargyrij, sulphuris, caphuræ, chrysocolle, plumbi cinerij, plumbi candidioris, & si qua sunt alia, cum auro, argēto, orichalco. His succedit pulueris pyrici inuentum, admiranda sua ui, tonitrus imitans ac fulgetra, eoulsq; nunc progressum, ut absq; strepitu eūdem ferē impetum retineat. Huc pertinet scientia, qua uitrum in longissimas lineas deducitur. Item conficiendi specula, in primis uerō quæ ex electo exquisitissima sunt: Quauis alia quæ comburentia nominantur, ex optica disciplina, ab Archimede primū inuenta, prodierint. Bractearum itidem, quæ gemmis supponuntur, compositio. Omitto, ut ea, quæ ad uaria remedia pertinent cōmemorem: cum nullum ferē medicamentū ab his immune sit. Nōne exhalationes uniuersæ, quas distillationes nominant, (quarum extremū, Quinta essentia à recentioribus dicta) arti Chymicæ sunt obnoxia? Nōne colorum præcipuæ compositiones? Nōne nobilissimi illi ac saluberrimi suffitus, & odores admodū preciosi? Ne de reductionibus omnium ferē simplicium, in tenuissimos spiritus dicam. Neque silentio præterire decet fusiones metallicas, quibus uix quidquam est ingeniosius, accuratius. Postremō & illud inuentum meritō referendum, quo mappæ & mantilia, item & mensæ fiunt, quæ non aqua sed ignibus eluuntur nec tamen uitiantur. Quæ omnia præclarissimæ Chymicæ artis beneficio, ad nostram cognitionem, iandudum peruenerunt. *χρυσ.* Intelligo quæ dicis adamussim omnia. Quæ autem ea sunt quæ nondum inuenta dicis? Theo. Quasi uerō de ijs uerba facere liceat, quæ in rerum natura nondum sunt. Inueniri tamen multo plura posse, non dubito: ueluti uitrorum absque igne mollietates, electri compositio, lapidum durissimorum fabrefactio, aquarum tenuissimarum, quibus miranda peragi possent, excoctio: & quæ huius generis adhuc latent. *χρυσ.* Superest ut iam ea, quæ inuenta quidem artis Chymicæ dixisti, sed paucissimis constare, nunc nobis recenseas.

Theo. Ea sunt: Vitrum in adamantinam duriciem perducere: Morbis desperatis ex metallicis præstantissima, subitaq; remedia exhibere: Imò quod omnem excedit admirationem, hominis naturam, ab imminetibus morbis immunem conseruare: & sic quasi dicas senectam excludere. Adde & illud contra omnia uenena, uenenatorumq; uim, antidotū exquisitissimum certissimumq;, quale nuper à Miseno quodam rustico, seu fossore metallico, casu potius quàm consilio, ex re (ut audio) neglectissima confectum: quod sui ipsius experientia multoties ipse author comprobauit. Postremò quod eorum omnium quæ hætenus enu-meraui uim atq; efficaciam longè excedit: id est, Certa ac compendiosa methodus, qua subtilissimi atq; tenuissimi spiritus parantur, quibus absoluta metalla, & multiplici proportionem auctiora, & absolutiora, (nulla prorsus tentata fallaci metamorphosi, siue substantiæ immutatione) redigi possunt. *χρυσ.* Euge Theophraste, hoc iandudum, ut proferres, expectabam: dimissis itaque cæteris, quæ dixisti, omnibus hoc solum diligentius examinabimus. Huius ego ob experimenti indagandi fiduciam, tot expensarū pertuli, tot libros, à uarijs orbis partibus ad me perlatos, perlegi: Eos interpretandos tot eruditissimè cōmisi. Verum (quod est miserrimum) frustratus spe omni in medijs procellis, ut prius dicebam, hæreo. In quibus etiam mihi, tanquam ad Sirenios scopulos, consensendum, admodum timeo. Te itaq; solum ex multis, quorum consilio usus sum, habeo reliquum, qui mihi & illam methodum indicare, & quæcunque ad hoc negocium pertinent, explicare potes. Theo. Vt ex illis tuis libris, cuiuscunq; tandem gentis dicantur, possis, id quod ultimo à me loco dictum est, comprehendere, non minus operosum est, quàm ex Tantali hortis fructus decerpere. Vt autem illi tui consultores, quiue suam tibi in hac re operam pollicentur, id præstare possint, tam est facile, quàm ebur atramento candidum reddere: quum ij ferè uniuersi impostores sint, aut stulti, qui sibi ipsi tum alijs persuadere audent, se ea intelligere quæ nesciunt. In libris autem quasi omnibus mera continentur ænigmata, meræ ambages & tenebræ, nulli etiam Oedipodi extricabilia. *χρυσ.* Quare igitur (si hæc ita sunt) tantundem operis, illi scriptores *μαθηματικοὶ* circa hoc negocium adhibuerunt? cur tam audacter absolutam hominibus scientiam atque institutionem pollicentur? Theo. Hoc quidem, uti refers, factum ab omnibus ferè, ut non negarim, ita mihi quatuor potissimum rationibus, quo id cōmitterent, uidentur esse inducti. Primò ut exercebant ingenia hominum ociosorum. Secundò, ut ansam præberent ingeniosis, pleraq; celeberrima simul & utilissima, quæ inde manarunt, indagandi. Tertiò, ut curiosos homines, item auaros, quicq; adeò aurum sitiunt, miserè (ut par erat) vexarent, eorumq; opera & laboribus (non sine illorum magna delectatione atq; risu) abuterentur. Nonne hoc toties factum ab eis intelligis, quum eidem rei, plura nomina passim indiderint, quàm ipso Ioui olim cognomina fuerunt ab idolorum cultoribus imposita? Postremò ut testatum potestis relinquerent, se naturæ secreta ipsasq; actiones physicas intellexisse. *χρυσ.* Cur ergo nō tacere potius, quàm uerbosissimis cōmentarijs, ea, quæ nemo unquam intelligit, maluerunt perscribere? quibus diligentius inspectis in eam ducor sententiā: meras esse nugas, rerumq; umbras, ab ipsis impostoribus aut dæmone potius quodam Plutonico, ad euerrendum plerosq;, confictas. Theo. Ne hoc uniuersaliter affirmes oportet à Chrysoph. Verum tacere illis, mea quidē pace, licuisset quasi omnibus. Quòd autem præter figmenta in aliquorū libris nihil esse dicis: facis tu more illorum, qui de re non intellecta, nec uisa unquam, iudicant, ac quemadmodum cæci de coloribus. Fateor librorum magnū esse acervum, quantum ad meā quidē cognitionem peruenit, oēs circa hoc negocium impeditos, quorum magna pars indigni sunt, ut ab homine ingenioso inspiciantur: & tamē Hermetis, Auicennæ, Auerrois, & similibus nomine circūferuntur: quum illinothi sint, & ab Europæis hominib. iisdemq; barbaris, compilati, ueluti, ut paucos referam, à Richardo Anglico, Gilgilide, Christoph. Parisiensi, Morieno, Rosino, Stephano, q se omnes philosophos (si dijs placet) nominare audēt: Huc pertinent libelli, qui Mariæ sororis Moyssi titulum mentiuntur. Rursum aliorum extant cōmentaria, si cum iudicio legantur, ferenda quidem, nec lectu indigna: ex quibus tamen ut te expedias, Thesei filo opus est. Quorum ex antiquioribus primū locum Gebri scripta obtineant & Simplicij. Recētiore sunt Io. de Rupefissa, Rogerius Baccho ferè & Aloisius Marlianus. Nullus tamen sanioris fuisse mentis deprehenditur, quàm Io. Augustinus Augurell. *χρυσ.* Deus bone, cur ego non tantū ante annos plures intellexi? Verum tu reb. desperatis ferè remedium. The. Quasi uerò me possis uti consultore, qui ab omnium illorum, quos unquā hac de re uerba fecisse intellexisti, *ἰνδικμήτρου* (quòd aiunt) opinione dissideam, non quidē quantum ad ea pertinet, quæ huius artis beneficio inuēta & uulgata sunt. Illa enim uera esse, methodica experientia comprobauit. Quòd si circa illa uelis uersari, poteris non magno dispendio occupatione honesta, non sine uaria iucunditate ætatem transigere. Exempli loco sint metallicæ fusiones, quib. nō animalcula solū & solidiora, sed & herbæ, flores, imò minutissimæ quæq;, possunt acuratissimè exprimi. Itē distillationes, ut nominant, quarū beneficio nō herbæ

herbæ, & succus tantum, sed & lacrimæ arborum, imò lapides & ipsi silices, in olea, in aquas, in spiritus, deduci possunt. In his & similibus, (si expetis) tibi gratificari non grauabor. *χρυσ.* Quid tu mihi de fusionibus, & distillationibus narras? Ego longe mihi maiora de te sum pollicitus. Intelligis quid uelim. Et ut uno uerbo dicam: Id imprimis scire cupio: An permutari metalla, & quibus medijs possint, an ignobiliora in nobiliora, inq; aurum purissimum. Quod si id fieri posse dixeris: superest ut, qui illi spiritus aut principia sint quibus huiusmodi transubstantiatio (ut illi uocant) fiat, exponas, Nam esse hæc tibi perspecta non potes ire inficias. Theo. Absurdum est te ea à me discere uelle, quæ ego nunquam scire me sum confessus quarum rerum ego ipse experientiam nunquam feci. Te uerò inanè insumpsisse hætenus operam & insumpturum deinceps, imperitia physicarum rerum quâ satis manifestas, te prodit. Hæc enim recepta sunt à physicis axiomata: Ex nihilo, nihil posse generari. Generationis autem cuiusq; principia (ut sine uerborum ambiguitate dicam) cum eo quod generare nituntur, non dissideant oportet, sed quod plurimum (ut infra dicam) cum eo participant. Ita nec ex ouo fit metallum, nec ex metallico crocodilus, cum uice uersa alterutrum fieri possit. Et tamen longè absurdiora peragere conatus es. Vtq; ad tua interrogata aptius respondeam: Permutari metalla, præsertim illa quæ pondere & tenuitate dissident, non possunt. Aurum autem grauitate & soliditate sui à cæteris dissidet: Ergo, de alijs quæ in prædictis uix dissident, non dicam: neq; id ad tua interrogata pertinet. *χρυσ.* Attamen nec ipsi Arabes antiquiores non negant, quod tu pro falso soles asserere. Theo. Imò tu illorum dicta non es assecutus. Cur non illud dictum, quod oraculi illis loco esse solet, diligentius examinasti? dū aiunt: **GENERATVM DEBERE AD SVA PRINCIPIA** reduci. Inunc & tuas ambages profer & somnia, Veluti trāssubstantiationem, aut generationem rerum artificialem, siue ex nihilo per artem: quæ absurda sunt à naturæ legib. in quibus sympathia nulla. Huc pertinent ea quæ toties repetita, ac ueluti in triuijs recantata sunt, ut referre denuo pœniteat, dum dicūt: Rerum omnium esse materiam quandam primam quam Hylen nominant: & ex ea generationem perpetuam. Illa autem materia prima, ad generationem comparata, potentia est: in seipsa uerò actus: & è contrario: Quarum respectu potentia non est, eas nunquam suscipiet (ut in superiori exemplo patet.) Complexa uerò à forma cui tūc subiacer, actum consequitur: Et, quod etiam huc pertinet, Ipsam materiam primam non temerariò quæcunq; peragere, sed certam in se retinere quantitatem, quam indefinitam dixere. Atque hæc quidem quū sint manifestissima, tu tamen unā cum tuis sycophantis insanire maluisti. Et quæ naturalis ratio Materię primæ conuenire statuit: tu incendijs atq; ustionibus subijcis: quū negare non possis, te omnem generationis persuasionem ex ignibus petere: quum ignis nec elementum sit statuendum, nec generare possit, sed exterius omnia reuocare: quum materia generans intus omnia reuocet. *χρυσ.* Assentiri tibi non possum, quū id pernegas quod etiam ipsi Arabibus est receptissimum: quod non metalla solum, sed ipsa metallica ignibus tam multifariam subijciant. Theo. Eadem semper chorda oberras. Iam nō de metallicis operationibus amplius loquor: sed de reductione generatorum ad sua principia. Arabes equidem, ut mecum non dissentiant, à Zoroastre didicerunt, ignis naturam esse ut omnia consumat, consumptisq; omnibus, ut unā pereat. Cælestis quidem calor propriū est generare, non ignei. *χρυσ.* At ijdem Arabes dicunt, Generationem omnium metallorum constare his principijs, hydrargyrio scilicet & sulphure. Ergo ex hydrargyrio & sulphure aurum confici potest. Theo. Si cinnabarim dixisses, fortassis assentirer: Verūm an non uides aliud esse cōficere, aliud generare? Exemplo fiet res dilucidior, idq; crassa, ut aiunt, Mineruæ proponam. Si grana tritici decem quis tibi obtulerit, & dicat panem posse ex ijs infinita proportionem confici, quum idipsum tu intelligas, facile credis, & generationem, quæ ad hoc requiritur, ipsamq; moram, quū non ager sed tempus, (ut in prouerbio est) spicas ptoferat, subintelligis. Quod si hominem, aut ex remotissimis Indis, aut Islandia oriundum, edocere hæc uelis, qui neq; sementa, neq; messem unquam uidit: tuq; nolis cum illo apertè agere, sed mera ænigmata præscribas, ueluti terram primò calcinandam, terendam, grana soluenda, de fodienda, sublimanda, postea coagulanda (agnoscis opinor tuas uoces) & excoquenda: Ille nifallor, intelligit, terram aratro sulcandam, uertendas iterum glebas, sementa iacienda certo ordine & quantitate, expectandam eorum quæ nascuntur maturitatem, demesso iam multiplici frumento, non sine opera transmutanda in panem. Et illa tamen ænigmata quæ tuis libris continentur, magis sunt inexplicabilia. *χρυσ.* Verissima quidem narras, uerūm ad id, unde digressus es, redi. Dicebas generata ad sua initia reduci debere, idque naturæ esse consentaneum. Atqui hoc mihi uidetur esse impossibile. Theo. Imò mihi (quanuis experientiam non fecerim) admodum facile: tamen *ὁν τὸν θεόν*. Exempli loco sit. Qui absynthitè uinum artificiosius conficere uolunt, hoc uti possunt compendio. Si in tenuissimum spiritum ipsam herbam perducant: cui tanta uis inesse potest, ut unicum mystrum toto quadrantali infusum, id totum in sui naturam rapiat, saporem & odorem absynthij exprimens:

Cur non simile quiddā, circa mettalla quoq; euenire possit, non uideo. *χρυσ.* Eiusmodi sunt quæ refert ut fieri nō possit, quin totius negotij experimenta feceris, aut quoties lubet, experiri possis: quamuis constanter id dissimules. Nihil igitur aliud iam expecto, quā ut calamo arrepto, rem totam mihi perscribas. Theo. Sed quorsum est hoc à me exigere? Si enim hæc exactè scirem, iam nosti mysteriorum eam esse legem inuiolabilem: Secreta quæ dicuntur nō debere esse manifesta. Deinde si quid tale tentassem aut experiri uoluissē, idq; faterer apertius, Sequeretur, ut aut negotium non successerit: tum merendum omnibus præbeo: & similis tuis illis erroribus existimandus. Si uerò successisse dixerō, & hoc pleriq; intelligerēt: Iam intelligis id non esse posse absq; manifesto meo periculo. Cum ut ingenuè dicam, hoc tale sit negotium, cuius actiones, nulli ferè priuato homini unquam sine detrimento, ipsis autem regibus, sæpe exitio fuere. Ergo nec sapienti quidem optandum, nisi adeò absoluto, ut etiam omnium opum affluentiam spernere possit, & nullius rei indigere. Iamq; (ni fallor) intelligis quā fiat, quod huius sciētiae archana ad paucissimos tot seculis deuenerint. *χρυσ.* Ego uerò existimo, nullis omnino scriptis & libris hæc arcana unquam commissa, sed quemadmodum de Hebræorum Cabala dicitur, traditione solū posteritati constituisse. Theo. Et si hæc sint uerisimilia, attamen est uerissimum, hanc scientiam olim fuisse etiam absq; omni fuco & obscuritate, sed apertissimè libris commissam: & ab Asiaticis ad Græcos Europæos deuolutam. *χρυσ.* Quasi uerò potuisset à Græcis hominibus uanissimis tanta caligine sopita, latuisse, quam uix apud Cimmericos in densissimis tenebris occultam esse licuit. Theo. Rectè tu quidem de Cimmericis: sed difficile est custodire quod omnes petunt. Quod uerum esse in thesauris deprehendis, qui tanto periculo effodiuntur. Item in absolutæ formæ fœminis, quæ tot habent insidiantes. Verum legistine de Argonautarum apud Poetas in Colchum expeditione? *χρυσ.* Imò illorum ad paratum & profectionem ex Apollonio Rhodio didici. Theo. Animaduertistine, in illa totam latere de artis Chymicæ inuentis, historiam? *χρυσ.* Minime. Theo. Idipsum suboluisse Aloisium Marlianum arbitror, qui suos de hac arte commetarios, Vellus aureum nominat: Magnum enim quiddam fuisse credendum est, ob quod tantum itineris & molestiarum, tentato primū pelago Græciæ proceres, duce Iasone, insumerent. Arietem itaq; uelleris aurei nihil potius fuisse credendum est, quā pelles & libros quod pergamenum postea dixerunt, aureis conscriptos literis quibus uniuersa huius artis arcana continebantur. Suspensum uerò in Aetæ Colchorum regis penetralibus, & in ipso templo, non sine perpetua hominum custodia. Quo ineffabili thesauro, à Medea filia, amoris insania percita, hospitibus ostenso, non infinitas tantū habuisse diuitias, sed & alia miranda peregrisse credendum est. Præsertim cum exiguo negotio, quod nullis alijs medicaminibus fieri potest, Aesonem socerum decrepitum firmiori ualitudini & quasi iuuentæ restituerit. Neq; nerò hæc tanquam fabulosa penitus rideas: cum senectus nihil aliud sit quā naturalis calor is imminutio. Imminuitur autē, cum motu prohibetur: ergo quod uires illius conseruare potest, imminutionem potest cohibere. Expende an non ipse Apollonius metallorum passim in suo poemate mentionem faciat. *χρυσ.* Dij boni Næ tu teipsum argute mihi prodis? Ex his tuis dictis certior factus sum, te in ipsis absolutæ sciētiae penetralib. uersari. Nonne & tu idem multoties prestitisti? Iam uerò id pernegas? Nonne tu deploratissimis morbis tulisti supetias? cum medicorum scholas nunquam sis ingressus: sed solis illis tuis æthereis qualitatibus & abstractis, medicandi facultate omnes Europæ medicos anteueras, illiq; palmam iam dudum tibi porrigunt. Tergiuersari ergo illud diutius sine graui mea offensa non poteris. Theo. Etiam si hæc pro ueris agnoscerem, nosti tamen à sapientibus esse dictum: Quod occultum esse uis, nemini dixeris. Fateor me quidem ex metallorum, tum metallicorum energia atque efficacia, multa, ipsius Physices auxilio deprehendisse, quorum praxis ad utilitatem publicam, ipsamq; medendi artem plurimum confert. Me uerò tentasse quidquam priuati mei emolumenti ergo, nemini usquam potest esse perspectum, cum intelligam id regibus ipsoq; Iasoni fuisse exitio: qui à propria coniuge, fortè quia incautius hoc mysterium tractasset, unā cum liberis funditus euersus, liberi autem, cum aula regia exusti. Expende iam, obsecro, an tale quidpiam homini sapienti optandum sit: Quantumq; tu hodie mihi, ut sapere incipias, pro meis monitis sis obligatus, præsertim cum luce clarius perspectum tibi sit, quā miserè in ipsius Chymicæ sophismatis, sis uersatus, & pisces aureo hamo ceperis. Cumq; infinitis (quantum ego quidem scio) idem acciderit, ut deiecti tum ualitudine, tū bonis omnibus: id postremo sunt moliti, ut malint uideri quā esse huius artis periti, potiusq; esse credant aurum ementiri, quā aurum possidere, cum miseris omnibus, id habentes solatij, ut pœnarum socios habeant quoscunq; possunt, eosq; circūueniant, in manifestissima discrimina perducentes. *χρυσ.* Tanta usus es argumentorum uehementia, ut animum meum ab ijs, quibus addictus erat, omnino diuerterint. Itaq; nec uerbum quidem amplius de hac re faciam, si unica de re saltem fuero per te admonitus. Rogo itaq; ut apertè indicare

dicare mihi uelis, quo iudicio, ego non libros tantum sophisticos atq; nothos sed & ipsos sy-
cophantas, artisq; calumniatores, prima fronte dignoscere possim. Theo. Id ego in tui gra-
tiam breuissimis exponam. Ac quantum ad libros spectat, nihil pestilentius, in hoc negotio
irrepsisse scias, quam aliquot illorum nugæ, qui se exposituros antiquorū scripta pollicentur,
& interpretes se iactant. Quo nomine (ironicè) Lullus strenuè se exercuit. Qui ut plerasq;
scientias, ita & hanc artem fœdè conspurcauit: cumq; omnes artes docere nititur, ipse uerò
ne unam nouit: eò dementiæ peruenit, ut prius docere uelit, quam discere: ita huius etiam
Sophisticæ & imposturæ antesignanus esse uoluit. Huius farinæ libellus ille est, cuius initiū,
Omnis sapientia à Deo, &c. in quo nugator ille (ut suis uerbis dicam) omnia Philosophorū
ænigmata enodare: offendicula & errores ostendere, de tenebris in lucem se reducturū pol-
licetur: tandem ubi barbarica loquacitate multum est præfatus, in intricatioribus Labyrinthos
lectorem dimittit, quamuis illum suum librum seinitam directam nominat. Res profectò
risu digna, persuadere sibi eorū scientiam, quæ nunquam didicit, exultimans uniuersum mor-
taliū genus tam esse stupidum, quam ipse est, donec propriam ignorantiam cum summa
ignominia eruditiorib. manifestat. Hæc prolixius refutare uisum mihi fuit, ut illum homun-
culum, qui se Philosophum nominat & sapientiam sibi à Deo tributam, insipientiæ argueret.
De antiquorum scriptis tantum periculi nō est. Secundò, ex sermonibus protinus imposto-
rem cognoscet: Cum statim à primò congressu, Hermetis lapidem, lapidē (inquam) philoso-
phicum, lapidem sanctum, tonat. Hoc enim primum insanix argumentum est: Si deinde ali-
quot annorum expensas perferendas dicat: si de specubus subterraneis, furnellis, rectis, in-
curuis, apertis, occultis, obliquis, penditibus uerba fecerit, si de uisionibus igneq; perpe-
tuo aut saltem diuturno, si de carbonibus uallium, montium, si de uitris arboreis, si de exerci-
tio maioris & minoris operis, si de Mercurio philosophico, de rege antimonij, de luto sapien-
tiæ, de duodecim aquis ad id pertinentibus. Sed quis omnem stultitiam breuibus compre-
hendet? Eum itaq; qui huiusmodi sonat, dicatq; esse ad hoc institutum necessaria, aut insa-
num iudica, aut impostorem, aut utrumq;. Quòd si tentare aliquid cum eo petrexeris, intel-
liges breui quod cum Græcis exclamare tibi liceat *ὁ δὲ παλαιὸς ὁ σοφιστὴς τί φησιν*. Illum hominem,
in tuam hortulanam protinus cryptam detrude, & ad hydrargyrij decoctionem & arsenici
compelle: Ut ita celerem sibi interitum, in exercitio humano usui necessario, stipendij loco,
consciscat. Quòd si in aliquem cui omnia huius artis arcana possent esse perspecta (qua-
lem nullibi esse crediderim) incidere, mihi nunquam fiet uerisimile illum, te uera artis my-
steria edoctrum: Cum satis manifestum sit, quid potentiores satrapæ in illos, à quibus re-
conditas scientias addiscunt, tandem moliantur, ac quam ipsi mercedem pro immensis labo-
rib. referant, nisi malint magnificè esse miseri, & in aureis cōpedibus per omnē ætatē degere.
Id non negarim posse peritorum conuersationibus quantū ad omnes præclaras scientias spe-
ctat, mentis tenebras discutere. Quod & ipse Socrates, nulli scilicet, se unquam scientiam ad-
ministrasse, fatetur: sed quemadmodum medicus, non quidem uisum præstat, uerū deterfa
caligine, aciem in obiectum dirigit, ita & circa scientias contingit. Maximè uerò in absoluta
Chymicæ nostræ cognitione locum id habere, sapientibus est perspectum, quibus equidem,
(si modò uelint) ditescere, ut est facillimum, ita insipientibus (qui nihil prius in optatis ha-
bent) maximè arduum. Sapientiæ autem præmia ipsas diuitias esse, quæ cum mira uarie-
tate ærumnarum coniunctæ, & ipsius fortunæ ludibrio expositæ sunt, nemo unquam sanæ
mentis fatebitur. Igitur nec optandæ. Cumq; hæc ita sese habeant, intemperantia tamen ho-
minum, & sapientiæ inopia, cum affectuum pertinacia coniuncta, ipsiq; (ut Sophocles di-
cebat) cupidatum furentes equi, ita multos agunt præcipites, ut miseram hanc atq; precariā
uitam, eiufq; cōmoda, pluris, quam omneis ueræ felicitatis rationes, faciant. Quibus
euenire necessum est, ut priusquam sapere incipiant, extremum infortu-
nium, & ipsa A., illo miserando casu fœdèq; interitu
deijciat atq; pessundet.

F I N I S.

1

NOBILI, PIO, ET ERVDITO DOMINO
LVDOVICO VVOLFGANGO AB HASPVRG, DO-
MINO SVO COLENDISSIMO, GVILHELMVS
GRATAROLVS MEDICVS ET PHI-
LOSOPHVS, S. D. P.



INERALIVM scientia & secretior ars ab antiquis Philosophis ob reuerentiam uocata Secreta Philosophia, magnifice uir, nostris ferè temporibus ad talem, ut plurimum deuenit contemptum ob ignaram hominum auaritiam, ut à claris hominum intellectibus derelicta, nihil aliud ex se reliquerit quàm tenebras & uanitatem, uel sophistica quædam. Sed prouida Natura, uel ipsius potius naturæ author prouidentissimus Deus, qui non cessat à rerum ab sua omnipotenti bonitate creaturarum conseruatione, diuersis ætatibus, cum uidet opus esse, producit purum aliquem intellectum, à quo bonarum scientiarum preciosi thesauri, temporum inuidia, uel superiorum causarum ira ferè amissi restaurentur, ac in lucem prodeant: unde mundus earum rerum amissione nudus & pauper factus, rursus ornetur & clarescat. Sic (ut reliquas scientias omittam, de quibus alij) hac in secretiori Philosophiæ parte, uarijs temporibus aliquos excitauit, qui suis lucubrationibus clarescunt. Meo tempore inter alios, fuit Ioānes Braceschus Brixianus, quem iam septuagenarium familiarissimè noui: qui suam ferè integram ætatem in his studijs ueterum libros perlustrans, consumpsit. Is mihi ante annos decem, quum in Italia essem, Dialogum à se compositum & scriptum dono dedit. Quum autè hoc anno quidā typographi Basilienses huius scientiæ & raræ artis egregium uolumen cudere pararent (quod huic est à nobis adiunctum) rogarunt me, ut ex Italico in quo scriptus erat, in Latinum sermonem illum uerterem: id quod nō illibenter & candidè præstiti, agnoscens authorem non parum in hac scientia & cognitione profecisse, ita ut posset eis qui in tenebris hac in facultate ambulant, aliquod lumen, Dei gratia, ostendere: Claruere hac etiam in scientia præcipui ac famosissimi uiri Philosophi, Hermes, Pythagoras, Plato, Aristoteles, & plerique alij Philosophi, licet eorum scripta ad paucos peruenerint: inter cæteros uisus est melius, amplius, & doctius scripsisse Geber Arabs Princeps, uel Rex, sed tam obscurè, ut uix longissimo studio continuisque laboribus ueritas ex illo erui possit: id quod magna ex parte præstitit huius author Dialogi, quem sub umbra & nomine tuæ illustris dominationis nunc demum emitto: Quid uerò me mouerit, ut hos meos qua-

lescunque labores T. D. dedicarim, non aliud inter reliqua nunc
dicam, quàm quòd talem in omni Philosophia & rerum cognitio-
ne, adiuncta in primis sincera pietate & humanitate T. Ill. D. noue-
rim, quæ possit de his ac maioribus rebus iudicium ferre. Talis uti-
nam foret omnis nobilitas, piè uidelicet literata, & Christianis mo-
ribus ornata. nihil hîc dico de Adamo T. D. filio haudquaquam de-
genere futuro, si Deus illi uitam non breuiorem quàm patri dederit;
id quod pro sua æterna & paterna charitate præstet per Christū Ie-
sum æternum eius filium & unicum seruatorem nostrum. Op-
timè ualeat T. D. illustris, cui simul ac filio me pro uiri-
bus obsequi paratum offero & commendo.

Basileæ Calen. Februarijs.

M. D. LXI.

**DIALOGVS CVI TITVLVS EST LI-
GNVM VITAE, IN QVO ETIAM GEBERI PHI-
LOSOPHI EXPOSITIO SVCCINCTA CONTINE-**

*tur, & licet compositus ab experto & docto sene Ioanne Bracesco Brixiano, nunc primum ue-
rò ab eius authographo in Latinum uersus à G. Gratarolo Physico.*

Interlocutores, Discipulus artis, & Raimundus.



A L V E Magister Raimunde. **R A I.** Bene veneris, dic mihi, qui nam es, & quorsum venis? **D I S.** Tuæ sapientiæ fama, operaq; tua præferunt te omnium scientiarum cognitione præditum esse: quandoquidem verò innatus sit omnibus hominibus appetitus, & potissimum senibus, vt diutius viuant: ideo licet annorum grauis, ex Longobardia discessi, & huc Maioricam in Insulam veni ad te, solummodò vt ex te remediũ addiscam, quo etiã annos aliquot citra morbum me contra mortem tueri possim.

R A I. An nescis Deum vitæ nostræ terminum posuisse, quem præterire haud liceat? **D I S.** Non peto auxilium vltra terminum illum à creatore nobis impositum, sed contra multas infirmitates & debilitationem radicalis humidi & innati caloris: Nam & antiqui Patres, qui plus annis quingentis vitam protrahabant, aliquam possidebant medicinam, qua diu sine aliqua infirmitate ipsorum vitam sustentabant. **R A I.** Primi Patres ita viuebant, quia sic erat Dei optimi voluntas, vt ex longa illa hominum vita citò humanum genus multiplicaretur. **D I S.** Cur ergo non omnes tandiu viuebant?

R A I. Plus viuebant qui primis parentibus proximiores erant, eo quòd primi à Deo immediatè creati fuerint optimæ temperaturæ, simulque longioris vitæ: quæ temperaturæ bonitas proximioribus magis communicata est, quàm remotis. **D I S.** Igitur primi omnes illi diutius viuere debuissent, quum nihilominus Scriptura sacra paucorum mentionem faciat: & aliqui, licet non ex illis primis, annos quingentos excessere.

R A I. Primi anni non tam longi erant & duodecim mensium, vt nunc sunt. **D I S.** Non assero fuisse duodecim mensium, sed tamen longos. Nam quum Moses in ducem à Domino Deo ascitus est, vt Hebræum populum ex Aegypto educeret, tunc primum annos quadraginta numerabat: atque ideo si anni illi non æquè ac nostri longi erant, parum certè aberant: & propterea doctores nostri rimantur eorum longæ vitæ causam. **R A I.** Terræ fructus meliores erant, & aptiores humanæ vitæ sustentationi ante diluuium, quàm post. **D I S.** Omnes ergo diu vixisse debuerunt: quod tamen verum non est. **R A I.** Non omnes æquè fortè complexionem erant præditi: nec omnes, iam natura in Adam corrupta, temperatè viuebant: ideo pauci annorum centum ætatem superabant.

D I S. Possibile ne est, tot inter homines non plures viginti aut viginti quinque extitisse, qui robore complexionis pollerent? haud equidem credo: & præterea multi Deo amici temperatè viuebant, qui tamen centum annos minime viderunt. **R A I.** Primi Lignum vitæ habebant, quod eos à morte tuebatur. **D I S.** Quàmprimum à terrestri Paradiso expulsi fuerunt, eo ligno priuati sunt. **R A I.** Adam plenus scientiæ fuit creatus, & naturalium rerum omnium cognitionem habuit: & cognouit res, quæ humanam vitam protrahere poterant, & eas aliquos successores docuit, & illi alios aliquos. Et ideo primi non omnes diu vixerunt, quòd non omnibus secretum hoc reuelatum fue-

rit. **DIS.** Tu ergo, in quo scientiæ omnes sunt infusæ, doce me hanc medicinam, quam Adamus aliquot descendentes docuit, qua noningentos annos vitam degebant. **RAI.** Conseruantia medicamina & admodum durabilia esse debent, & à corruptione remota: nam quum humanum corpus à corruptione seruare debeant, ea in primis durabilia sint oportet: secus magis corrumpent: quàm seruarent. Ideo volentes in iuuenibus humidum radicale ac calidum innatum seruare, & in sensibus amissum restaurare, & eos veluti ad iuuentutem reducere, quo ad vires, opus est incorruptibiliorem substantiam sub Lunari globo reperibilem eligere, ipsamque in medicinam, & cibum suauissimum præparare, ita vt per os assumpta quasi statim per totum humanum corpus penetret, illudque quasi incorruptibile reddat.

DIS. Salua reuerentia, mihi videtur impossibile quod nuper dixisti, & rationem addam. **RAI.** Dic, quia libenter audiam. **DISCIP.** Res omnes corporeæ à Deo in humanum vsum creatæ, aut sunt elementa, vel ex elementis, & contrarijs genita, ideoque corruptibilia: vbi ergo erit medicina hæc tam incorruptibilis? Videmus etiam omne genitum, à suo simili generari, & à suo contrario corrumpi, vt inquit Philosophus septimo Metaphysicorum.

Quod ergo deperditum est ex humana carne corruptibili, regenerari debet, & acquiri per aliam corruptibilem rem, vt videmus in cibus corruptibilibus, qui virtute caloris naturalis corrumpuntur, & transmutantur in stomacho, in hepate, & membris: & nutritiua potentia vi, humanam in carnem conuertuntur. Si ergo medicina incorruptibilis est, haud poterit sic in carnem humanam verti: sicut cælorum materia transmutari non potest in materiam elementalem. **RAIMVND.** Doctè locutus es: at putas ne in rebus elementatis aliud non inesse, quàm corruptibilia elementa?

DISCIP. Ex quanam ergo re simul cum elementis elementata sunt composita? **RAIM.** Ex subtili substantia, seu radicali humiditate, ac intrinseca, diffusaque per partes elementales, quæ simplex est, & admodum incorruptibilis: quæ diu in suo vigore conseruat res ipsas: & sapiens natura istud ordinauit, quia diutius in indiuiduis conseruari satagit, & perpetuò in speciebus. Et quanuis in generatione vniuoca animalium omne animal sibi simile generet in specie: nihilominus in generatione cessabili, quæ per corruptionem generantis fit, genitum differt à generante in specie vel genere: vt videmus in cibus, ex quibus illud generatur quod ex humana carne deficit vi caloris intrinseci, & extrinseci. Neque propterea dico hanc medicinam prorsus incorruptibilem esse vt cælum: sed quia genita est ex materia super alias, seu aliarum respectu incorruptibili, & facta est simplex ex separatione omnium corruptibilium elementorum: quæ si debite conseruaretur, duraret annorum decem milia sine corruptione: & per os sumpta corpus humanum diu seruaret incorruptum. Hac ratione periti medici semper nos hortantur, vt cibus minus corruptibilibus vtamur. **DISCIP.** Mihi videtur hæc opinio similis illi quorundam Philosophorum, qui dicebant, Salamandram solo igne viuere, & Alecem sola aqua, Talpam terra, & Chamæleontē solo aere: quæ opinio falsa est, quia nulla res elementata viuit è simplici elemento, sed ex his viuit, ex quibus etiam componitur, vt inquit Philosophus. Homo ergo non posset viuere ex sola illa humiditate radicali, simplici, & adeò incorruptibili.

RAIMVND. Non dico hominem ex ea sola medicina posse viuere, sed ea vtens cum aliorum ciborum moderatione posset ad veterum Patrum ætatem accedere, qui in paradiso terrestri, non solum vitæ Ligno vti essent, sed etiam alijs fructibus, **DISCIPVLVS.** Vtebantur primi Patres hac medicina?

RAI.

RAIMVNDVS. Hac vti debebant ad producendam vitam. DISCIPVL. Poterant ne vti re meliori qua se tuerentur à morte? RAIM. Naturaliter loquendo nulla erat in toto mundo hac melior medicina: nam iuxta Philosophi sententiam decimo Metaphysic. In omni genere vnum quoddam est, quod primum in eo genere gradum tenet: Et quia medicina hæc genita est ex incorruptibili & efficaciori materia (vt intelliges) quæ sub cælo sit, ideo primum tenet gradum in ordine medicinarum conseruatorum. DISCIP. Ergo aliud esse nequit quam Lignum vitæ. RAI. Iam tibi dixi, secundum Mosis Scripturam eos fuisse priuatos ligno illo. DIS. Fortassis Moses, qui sua in iuuentute instructus fuit in omni Aegyptiorum scientia, & nouit hanc diuinam scientiam (vt Vincentius ait in suo Naturali libro septimo) loquutus est cum aliqua obcuritate, vt & cæteri Philosophi. RAI. Nolo plus vel minus quam deceat credere. DISC. Fortassis est herba illa, qua Medea Iasonem ad iuuentutem reduxit, & qua quum AEsculapius suscitabat ferè mortuos. RAIMVN. Ea est quidem medicina, sed ne dicas herbam. DISC. Dicunt Poetæ herbam fuisse. RAIM. Antiqui sub fabulis poeticis hanc scientiam occultarunt, & parabolicè loquuti sunt. DISC. Qualis est hæc similitudo? RAI. Quum hæc medicina paratur, semel fit viridis vt herba: ideo rem vegetabilem nominarunt & herbam. Hac de causa Metuendus Hermetis discipulus, de hac materia loquens, dicebat, O quam similis est vegetabilibus ob viridem colorem. DISC. Cur herba esse non posset, quum herbæ tot virtutibus scateant, & viribus? RAIM. Medicina hæc haud fieri posset ex rebus vegetabilibus aut animalibus, neque ex re aliqua ab eis manante. DIS. Quæ est ratio? RAI. Cum ea super omnem elementatam rem incorruptibilis esse debeat, necesse est vt trahatur à materia super omnes à corruptione aliena. DISC. Tu tamen in libro Secretorum naturæ dixisti, vt eam à vino rubeo extrahamus. Idem affirmat Ioannes de Rupescissa. Alij dicunt à Chælidonia herba: alij à sanguine humano. RAI. Ne decipiaris, neque simplici literæ Philosophorum in hac scientia credas: quia vbi apertius loquuti sunt, ibi oscurius, id est ænigmatice, aut per similitudines. DISCIP. Qua similitudine hoc in loco vsi sunt? RAI. Senior philosophus dicit: Hæc res cenuertit ex colore in colorem, de sapore in saporem, & ex natura in naturam: ideo multiplicata sunt eius nomina. Mirerius philosophus dicit, Cur factus est rubeus, antequam foret albus? Respondet, bis fit niger, bis citrinus, & bis rubeus. Quoniam igitur bis fit rubeus vt vinum rubeum, & sanguis humanus, nempe post putrefactionem, & in ipsa distillatione, ideo Antiqui per similitudinem loquentes nominarunt vinum rubeum, sanguinem humanum, & similia. DISC. Crederem animalia plus virium medicinabilium habere, quum etiam sint quacunque alia re inanimata nobiliora. RAI. Animalium excellentia non versatur aut existit circa proportionem & commistionem elementorum, sed in anima consistit. Et quia supradicta medicina fit ex substantia corporea & materiali, ideo meliora sunt quædam mineralia, quorum compositio durissima est, & fortior animalibus: quorum compositio quo ad corpus, debilis est & facilis corruptionis, paucaque virtutis. Videmus animalia occupata circa res altas & sublimes, priuata esse vilibus & infimis: Ideo mineralia quædam, quæ nullam habent operationem intellectualem aut sensitiuam, maiorem habent vim corpoream cæteris animalibus. DISC. Si medicina hæc confici non potest ex vegetabilibus, neque ex animalibus, posset ne elici ex medijs mineralibus: vt sunt sales, alumina, atramenta, marchasita, antimonium, sulfura, & argentum viuum communia? RAI. Neque etiam ex his. DIS.

Sunt tamen admodum durabilia. RAIM. Non sunt super omnia efficaciora, & incorruptilia. DISC. Quis hæc corrumpit? RAIM. Ignis magnus. DIS. Ignis omnia corrumpit & dissipat. RAI. Non corrumpit humidum radicale elementorum, neque eorum calidum innatum & radicale. DIS. Quā obrem? RAI. Ob illorum homogeneitatem, & durissimam, ac fortissimam compositionem & colligationem, & ob vaporosam mitionem & longissimā & temperatissimam decoctionem in minera. DIS. Concludere ergo vis hæc medicinam fieri debere ex humido & calido radicalibus metallorum. RAIM. Videmus metalla quæ mille annos defossa iacuerunt sub terra in Romanis antiquitatibus, adhuc incorrupta esse, & nullum detrimentum ferè sensisse: cogita ergo quantum duraret eorum humidum radicale purificatum, distillatum, & à quacunque corruptibili & elemē tali parte separatum. Hac de causa Geb. lib. 2. cap. 12. dicit, Videmus rem distillatam fieri magis puram, & melius custodiri à putrefactione. DIS. Vnde vis metalla tantam habere vim supra omnia elementata? RAI. A cælo. DISCIP. Res duræ non recipiunt vim cælestem, quia cælis non obediunt: Videmus sigillum non imprimere suam figuram in duro lapide, sed in molli cera. RAI. Corporum cælestium radij in nullo elementorum tanta vi & potestate vniuntur, quantum in terra: quoniam ipsa est proprium & firmum retinaculum virtutum cælestium, & centrum eius sphaerarum: & propterea ipsa est productiua rerum mirabilium, nempe vegetabilium, animalium, & mineralium. Hermes dicebat, genitricem metalli esse terram, quæ fert ipsum metallum in ventre suo: & terram esse metallorum matrem, & cælum patrem: ex eoq; terram in montibus concipere syluestribus & planis, & aquis, & omnibus alijs, in locis: Verum est tamen, quod dum terra in sua permanet duritie, nil potest producere, quoniam non obedit mouentibus: sed quia continuus motus cælestis, & Solis aliorūq; planetarum virtus, terram ipsam continuè excoquit, ideo alteratur & subtiliat: & subtiliores partes virtute Solis eleuantur in fumū. Ideo vires cælestes quæ continuè à cælo fluūt & in terrā penetrant, inuenientes materiam simplicē, subtilissimā, spiritualē incorruptibilē, lucidam, perspicuā, & naturæ ingenio preparatā & aptam ad recipiendū influxus cælestes, ob similitudinē quam inuicē habent, nobiliter infunduntur in ipsum duplicē fumum metallicum radicalē. Cumq; materia ipsa spiritualis diutissime fuerit in ea spiritualitate & cælesti obediētia: qm substantia metallicorum principiorū vniformis est ac homogenia, quæ longissimo tēpore & in mille annis induratur, vt dicit Geb. lib. 1. cap. 7. Ideo cæli in illā infuderunt plures ac plures mirabiles virtutes, quā in quacuncq; alia re, quia in ea plus operati sunt. Et hæc est causa maximæ metallorū virtutis super omnē aliā rem elementatā. Illud aut verum est, qd cum post diuturnū tempus hic duplex fumus & spiritualis vapor venerit ad duritiē metallicā, quis cælestes retineat vires, nihilosecius impeditus & suffocatus à terreatate & duritiē, eas vires præ se ferre non potest. Sed volentes nos eas vires cælicas in lucem producere, remouemus terreatatē & densitatē metalli, & illud ad primā simplicitatē reducimus, quæ sufficienter decocta, tantā ostendit vim, vt quasi subito humana corpora immutet, & ea reducat ad verā sanitatem. DIS. Quod nunc dixisti, perplacet: sed an nō melius foret ex gēmis, q̃ ex metallis, supradictā medicinā parare? RAI. Quamobrē, DIS. Quia incorruptibiles admodum sunt, & valde medicinales, & pluribus pollēt cælicis virtutibus q̃ metalla. Ideo Hermes & eius affecle dicebāt, omnes rerum inferiorum virtutes, primitus esse in stellis, & imaginibus cælestibus: easq; vires aiebant descendere in res naturales, nobiliter & ignobiliter: nobiliter quādo materiæ ipsas cælestes vires suscipiētes sunt

sunt similes corporibus cælestibus in lumine ac claritate, ignobiliter, cum materiæ sunt confusæ ac fœculentæ: in quibus veluti opprimitur virtus cælestis. quia igitur gēma in substantia, lumine, perspicuitate, ac colore, similiores sunt corporibus cælestibus q̃ metallis, quæ de re ab aliquibus Philosophis nominantur elementales stellæ, idcirco nobilius vires cælestes recipiunt quàm metallis & meliores esse deberent ad faciendū hanc medicinam tam incorruptibilem & virtuosam. R A I. Fateor si totam substantiam in medicinam conuerteremus meliores essent aliquæ gēma quàm metallis: quorū virtus hac terreatate opprimitur, quæ radicali superuenit materiæ, in qua locantur vires cælestes: Sed quia vt superius dixi neque metallis neque lapides recipiunt cælestes quando sunt in metallorum forma, vel lapidum, sed quando sunt in forma vaporum, donec durecant: Et quia vapores e quibus fiunt metallis plus moræ trahunt in ea spiritualitate ac similitudine cælesti, quàm vapores e quibus gemma fiunt, ideo metallis plus virium habent cælestium quàm gemma. D I S. Quomodo possumus huiusce rei certiores fieri? R A I. Gemma in substantia propinqua sunt elementis: & earum prima materia, primæq̃ elementales qualitates parum sunt alteratæ aut permutatæ à sua prima natura: Et natura paucò artificio coagulauit & indurauit illas cum ea trāsparentia & claritate, quam habebant in ipsarum prima fumosa materia. Et idcirco quanuis duræ sint, & earum virtus aliquantisper ligata, nihilominus exerunt etiam vim aliquam cælestem: quod non ita accidit metallis. Nam antea quàm introducatur forma metallica, opus est multa & longissima transmutatione, & elementorum contemperantia, & purgatione & transmutatione sulfuris & argenti viui, salium, & aluminum: & harum rerum longissima decoctione. Quod si gemma admodum durant, non hoc euenit ob multam humiditatis radicalis & viscosi quantitatem, quod arcte simul partes colliget, quia illius parū sunt participes, & sūt facili triturationis: Sed ideo fit, quia coagulata sunt à frigore: & in hoc natura parum laborauit. Quoniam autem frigus coagulando, poros claudit, & intus natium calidum continet, ideo aeris calor aperire ac corrumpere non potest: Sed ignis calor vehemens: qui, quanuis aliqua metallis corrumpat, eorum tamen humidum radicale corrumpere non potest, quod sit cum sicco terrestri fortissimè commistum & concoctum, vt in auro: His igitur duobus, nempe, cum hoc humido & calido radicalibus, fit supra dicta medicina super omnes incorruptibilis & virtuosa. D I S. Tot rationibus & efficacibus persuasionibus cogor id quod dixisti credere: Sed velim scire, num hæc medicina fiat ex vno aut ex pluribus metallis. R A I. Morienus Romanus dicit, Scitote quod totum hoc non aliud est quàm res vna sola, quæ patrem & matrem habet: & pater & mater eā crearunt & nutriuerunt: & ipsa est sui ipsius pater & mater. D I S. Hunc loquēdi modum non assequor. R A I. In metallorum generatione, sulfur est velut semen paternum, & argentū viuum vt materia foetus foemine. D I S. Ergo medicina hæc (vt dicere videris) fit ex vna sola re. R A I. M V N D. Omnes Philosophi dicunt hanc medicinam fieri ex vnica re, quæ in se habeat quidquid ei opus est ad eius perfectionem, nimirum ex corporibus, sole, aqua, spiritibus, animabus & tincturis. Et quanuis in præparatione diuidatur in plures, nihilominus ad vnā redit post præparationem partium separatarum. D I S C I P. Si medicina hæc fieri debet ex vnico metallo, ergo aliud esse non potest quàm aurum. R A I. M. Quare aurum? D I S C I P. Quoniam virtuosius est, perfectius, medicinalius, purius, incorruptibilius, & incōbustibilius alijs: nam eius partes fuere subtilissimæ, homogeniæ, ac puræ: igitur ex conuenienti præparatione, reductum ad puritatem, subtilitatem, & simplicitatem,

multo erit incorruptibilius & efficacius: & conuersum in medicinā suauissimā diutissime poterit à corruptione humana corpora seruare & propterea medici eo vtuntur contra multas infirmitates, & præcipue contra melancholiam & cordis tremorem. Et Geber quoq; lib. 1. cap. 17. dicit aurum esse medicinā quæ corpus in iuuentute lætificat. Et antiqui Poetæ hac de causa finxerunt Phœbum seu Apollinem fuisse inuentorem medicinæ, & omnium virtutum herbarum. R A I. Concedo aurum in sui natura cæteris metallis perfectius esse: Sed nos non preparabimus in medicinam totam metallicam substantiam, sed solum primam materiam radicalem, quæ vna & eadem est in omnibus metallis (vt asserunt omnes philosophi, & præsertim Philadelphus, & Albertus in 2. tract. tertij lib. de Mineralibus cap. 6.) & non est differentia inter ea, nisi ex accidentibus superuenientibus, & in maiori vel minori decoctione. Et idcirco dicere non debemus aurum in hoc opere cæteris præstare, quanuis in se perfectius sit, & minus accidentium habeat: Nanque (vt dicit Geber libro primo capite octauo) in depurando alia metalla per artificium reducuntur in puram & nobiliorem substantiam breui tempore. Et hoc inde euenit, quod in se omnes causas habeant corruptionis & calcinationis, quas Geber scribit libro tertio capite sexto, & facile reducuntur ad materiam primam suam, & separantur accidentiæ quæ superuenerant: id quod auro non contingit (vt affirmant Geber lib. 1. cap. 8. & Alb. 2. tract. lib. 3. de Min. cap. 5. & 4. lib. cap. 7.) ratio est, quod non solum habuerit fortissimam compositionem, sed quia prima mineralis materia est sal, aut vitriolum (vt aliàs intelliges). Et quia metalla debite in sal verti non possunt nisi mediante conuenienti calcinatione (vt dicit Geber in toto Testamento) quæ calcinatio auro euenire non potest: quoniam debita metallorum calcinatio fieri debet sine vlla alterius rei mistione, sed cum proprio sulfure interno & adustibili (vt dicit Geber lib. 1. cap. 13. & lib. 2. cap. 13. & 14. & lib. 3. cap. 6.) quod sulfur adustibile non est in auro: ergo debite calcinari & ad primam materiam reduci non potest: Et hoc confirmat Geber libro tertio capite quarto dicens, Aurum habere densam substantiam & sine sulfureitate comburente, manifestum est ex eius omni operatione in igne, quoniam neque diminuitur, neque inflammatur: Et quicumque illud calcinaret cum sulfure extrinseco, aut cum sale, aut cum aqua vitæ, aut aqua forti, aut Mercurio, aut odore plumbi, & similibus alijs externis rebus, amitteret tempus & expensas. Ideo Geber libro primo capite decimoseptimo loquens de auro dicebat, Calcinatur & soluitur sine vtilitate. Et hoc fatetur Agrippa se esse expertum. Et ratio est, quia iuxta veterum opinionem, solum aurum est metallorum forma, & est species deducta ad vltimam perfectionem: nam neque natura neque arte posset melius fieri. D I S. Iuxta Gebri sententiam libro tertio capite septimo, Artificium vincit opus naturæ in hac arte: & hoc etiam affirmant alij Philosophi. R A I M V N D V S. Intelligunt de metallis imperfectis, in quibus facile separari queunt accidentia superinducta radicali materiæ, & ea magisterij auxilio reduci ad vltimam perfectionem: Et hoc Geber confirmat in lib. Inuestigationis, cap. de Præparatione aceti acerrimi. Ideo Albertus in quinto de Mineralibus capite primo dicit, Omnium metallorum esse peculiare (scilicet imperfectorum) vt videantur esse incompleta in specie, ideo conuertibilia sunt in omnia. Sed vt idem Albertus libro tertio capite septimo dicit, Ars nō permutat aurum: quoniam cum peruenerit iam ad vltimam sui perfectionem, quanuis paucula accidentia separares quæ eius radicali materiæ superuenerunt, non tamen eam efficeres meliorem, quandoquidem (vt dixi) ad vltimam perfectionē peruenerit illi possibilem. Ideo Mar
filius

filii Ficinus dicit, Omnino falsum est credere auri materiam ingredi humanum corpus, aut in substantiam potabilem conuerti: quoniam oportet ipsum conuerti prius in sanguinem, & postea in carnem: quod impossibile est, propter eius duritiem. Ideo vanus est multorum labor, qui medicinas cum auro faciunt, aut eas inaurant ut delicatioribus placeant. Quod si veteres Medici philosophi, & Poetae aurum laudarunt, non intellexerunt de communi auro. **DIS.** Est ne fortasse aliud aurum quam commune? **RAI.** Quando vi ignis humiditas radicalis distillatur, simul cum ea distillatur suus naturalis calor in colore auri: & illud est aurum Philosophorum. Et de his duobus vaporibus loquebatur Alb. in 3. Met. dicens, Vapor humidus includens, & vapor siccus inclusus in illius ventre simul eleuantur: & hoc fit vi caloris utrunque vaporem eleuantis, quoniam semper commiscet, & facit ut vnius essentia moueatur in alterius essentia. Ipse etiam Alb. in 4. Met. tract. 3. cap. 18. de his vaporibus dicebat, Ex natura misti, siccum retinet humidum ut sine ipso non euaporet: & humidum confert sicco quandam subtilitatem, ut cum eo euolare possit. Iste igitur vapor siccus radicalis, quoniam est aurei coloris, ideo antiqui nominauerunt aurum, & animam. Hermes de hac anima loquens quae per distillationem portatur in ventre illius vaporis albi, dicebat: Portauit eam ventus in ventre suo. hoc totum occultarunt Poetae sub Iouis & Ganymedis fabula. Hoc idem significare voluerunt dicentes, Iouem esse conuersum in auri pluuiam.

Et quoniam Virgilius huius scientiae notitiam habuit, ut asserunt aliqui philosophi, & multis in locis obscure de illa locutus est: idcirco volo ut aliqua eius carmina declarem huic scientiae pertinentia, & huic loco admodum conuenientia. Dicit igitur in sexto Aeneid. auri ramum intra opacam arborem abscondi. Superius dixi hac in scientia partem vegetabilem esse scilicet, quod interdum viride est ut herba, & quod in eo erat occultus Philosophorum Sol seu aurum. Et arbor illa vocatur obscura & opaca ob suam terrestritatem, quae nondum est separata: Ideo vocatur Saturnus. Et aurum istud nominatur ramus, quia ex hoc vegetabili sale participat: & totum ostendit aureum colore. Quia vero superius dixi quod in manifesto seu extrinseco ad rubedinem vergat, & est lentus ac debilis is ramus: Ideo Geb. in secunda discessionis causa vocat corpus debile. Sacer est Proserpinae inferorum Dea: per Proserpinam intelligit aquam mercurialem aliter etiam lunonem dictam, quae inferni Dea fertur, quoniam ipsa omnia tenet ligata in centro terrae Martis: & ea separata, omnis pars soluta est. In distillatione trahit secum aurum istud (ut superius diximus) ideo dicitur illi dicatum, aurum istud cinctum est a clausis umbris & obscuris vallibus: per quas significantur ferri terrae partes. Nemini ergo conceditur terrae viscera ingredi, id est terram a praedicto sale separare, nisi prius per distillationem non separetur dictum aurum, quod (ut ait Geber lib. 2. cap. 7.) nunquam separari posset a praedicta terra & facibus nisi per sublimationem. Et quoniam praedictum aurum Philosophorum in distillatione non confertim descendit (ut ait Geber in secunda descensus causa) sed paulatim, guttatimque ut ait Senior philosophus, ideo Virgilius dicit, Vno euulso, non deficit alter aureus. Quandoquidem vero huius scientiae notitia est admodum profunda: & ut inquit Geber, Seruatur in Dei potentia: ideo Poeta dicit omni studio quaerendam esse: Nam si Deus & Caeli te in hoc negotium deducunt, facile poteris euellere seu rapere dictum aurum, quoniam facile est. Sed si fortunatus non es, ut hanc scientiam eiusque materiam veram non calleas, nunquam posses praedictum aurum capere neque cum duro ferro id est a duro ferro, & hac loquendi phrasi vtuntur etiam Philosophi.

Mirerius philosophus dicit, Coquas quovisq; humiditas eleuetur in alembi cum: quoniam ipsa est sudor similis auro. In Caelo philosophorum scriptum est, Exaltetur ignis vsq; ad quartum gradum per spacium horae, & exibit aqua in colore auri. Senior philosophus ait, Aurum huius lapidis, est aurum philosophorum, & est tinctura quae est anima, cum qua ascendit spiritus. Dicit etiam, Nominat Hermes aquam albam illorum, aurum: quoniam anima tingens est abscondita in eorum alba aqua. Razes in Lumine luminum dicit, Oleum quod capit rubeum colorem est sulfur: & illud etiam est es: & Solicomparatur & auro. In Philosophorum Turba scriptum est, Numus noster dum rubeus est, vocatur aurum. Dicit rursus Senior philosophus, Aquam nominarunt animam, quam Hermes vocauit aurum, quando dicit Seminate aurum in terra foliata. D I S. Quid est haec terra foliata, in qua hoc philosophorum aurum seminare debemus? R A I. Est mercurius praeparatus, cum quo vnire debemus suum sulfur: quamuis intelligi posset in alio modo. D I S. differe mihi hunc alium modum. R A I. Secundum Geberi sententiam in 3. lib. cap. 7. in corporibus metallicis sunt duae sulfureitates: quarum vna conclusa est in profundo argenti viui in suae commistionis initio: & haec vocatur aurum, aes, venus, numus, arsenicum, auripigmentum, vitrum, vitriolum, anima, ignis, aqua viridis, leo viridis, vinum, sanguis humanus, sanguis draconis, aqua permanens, ad differentiam aquae mercurialis, quae non est permanens: quoniam illa est fixationis impedimentum. Alia corporum sulfureitas est superueniens, & fixa: & haec vocatur sulfur, mars, vitrum, vitriolum, vinum & sanguis. Et quia haec sulfureitas sublimat ut folia auri vel argenti & multorum aliorum colorum significatorum per Argi oculos in pavonis caudam conuersos. Supradictum vero sulfur dictum aurum, venus, & compar, vniri debet cum hoc alio sulfure marte appellato (ut ait Geber lib. 1. cap. 13.) & hoc fieri debet mediante aqua mercuriali, quae (ut dicit Geber lib. 1. cap. 15.) est medium coniungendi tincturas: & significata est per subtilissimum Vulcani rete, cum quo simul Martem Veneremq; ligauit. Ideo Hermes dixit, Seminate aurum in terra foliata. Arnaldus dixit, Aqua est medium quo iunguntur tincturae id est sulfura: quae (ut dicit Geber ut supra cap. 13.) sunt lumen & tinctura omnium corporum. D I S. Ne mihi amplius de hoc auro differas, quia certus sum aurum philosophorum non esse aurum commune, neq; ab auro communi elicitur, sed bene credo ab argento communi debere accipi. R A I. Quis tibi hoc persuadet? D I S. Quoniam Luna in suo profundo est aurum (ut inquit Geber in Testamento) & tu superius dixisti, ut acciperemus illud philosophorum aurum, quod in metallorum iacet profundo. Et videtur etiam argentum esse perfectius alijs, & in igne incorruptibilius: Et multi medici eo vtuntur in aliquibus medicinis. R A I. Possem ea omnia quae ferè de auro dixi respondere, quamuis inter ea sit multa differentia: Nam si praeparaturi essemus omnem substantiam metallicam, melius foret argentum quam alia: Sed quia non est quod aliud capiamus quam radicalem partem, & illud aliud sulfur supradictum quae in omnibus sunt, ergo dicere non potes argentum in hoc opere melius futurum quamuis in se perfectius sit. Imò quia perfectius est, ideo difficilius potest conuenienter ad primam & proximam materiam naturae metallicae, nempe in salem aut vitriolum: quoniam in se habet parum sulfuris adustibilis, & difficulter calcinatur: quoniam (ut dicit Geber lib. 3. cap. 9.) corpora paucae terreitatis sunt difficilius calcinationis. Ideo idem lib. 1. cap. 18. in fine, dicit, Argentum calcinari & solui similiter cum maximo labore & nulla vtilitate. Et quia Arnaldus in libro perfecti Magisterij dicit, Metalli ad primam materiam reductionem esse facilem, ergo non intelligit de auro vel de argento. D I S. Dixisti durtiem metalli

metalli, causam esse quo minus radicalis substantia possit suas vires ostendere: ergo si illud in aqua soluero, poterit statim eas caelestes vires ostendere, & inde vtilitatem consequar: quod si vtilitatem non referrem, stans solummodo in calcinatione ac solutione, vterius procedam ad coagulationem. **RAI.** Indebite ac cum extraneis rebus radicale simul cum accidentali solues, & propterea non valebit, quanuis coagules: cum liber non sit a terrestreitate & alijs accidentibus: Sed dico tibi, quod neque aurum, neque argentum, vere solui possunt, quia (vt dicit Geb. lib. 2. cap. 15.) Solummodo res quae salis naturam habent vel aluminum, sunt solubiles. **DIS.** Conuertam eos in sales. **RAI.** Indebite conuerteres in sales, cum in se causam calcinationis non habeant: Ideo erunt sine vtilitate. Quod si Medici & Philosophi dixerunt vt praeparemus in medicinam, & quod in suo profundo sit aurum, intellexerunt de argento Philosophorum. **DIS.** Quale est hoc Philosophorum argentum? **RAI.** Sicut prima materia mineralis metallorum est vnum sal (vt dixi & dicemus) ita etiam volentes naturam imitari, conuertimus metallum nostrum in salem album vt argentum, & a Philosophis nominatur arg. & in suo profundo tenet occultum vaporem illum rubeum, sulfureum, dictum aurum: et de hoc argento loquuntur Philosophi. Ideo non oportet fundamentum aliquod (in hac scientia) iacere super aurum, aut super argentum communia: quoniam omnes Philosophi dicunt, hanc medicinam fieri debere ex re vilissima. Morienus Romanus dicit, Ego tibi praecipio, vt in pondere materialium pro hoc opere nihil expendas villo modo. Alphidius Philosophus dicit: Hoc secretum non emitur, & inuenitur in via profectum, vt quiuis pauper habere possit. **DISCIPVLVS.** Tu cerebrum inuolueres non solum mihi, sed Solomoni: dixisti nos debere hanc medicinam facere ex metallis imperfectis, & nunc dicis fieri eam ex re vilissima: non sunt tamen vilissima metalla imperfecta, neque in vias proiciuntur, sed emuntur. **RAIMVNDVS.** Quanuis imperfecta metalla in se vilissima non sint: est tamen eorum calx vilissima apud ignaros: nam eam proiciunt in angulos semitarum, & ex ea tam pauperes quam diuites gratis habere possunt. Geber in libro Radicum dicit: Cum vidissemus corpora imperfecta, nostra experientia & ingenio praeparata & ab omni superflua corruptione mundata, nos ea inuenimus maioris claritatis & splendoris, quam ipsa corpora naturaliter perfecta. **DISCIPVLVS.** In primo fundamento dixisti, oportere, si fiat haec medicina, vt fieret ex incorruptibiliori substantia quae foret inter mista ex elementis. Qui ergo fieri potest ex imperfectis metallis, quae sunt corruptibilia? **RAIMVND.** Superius dixi metalla imperfecta quo ad primam formam substantialem esse ab igne corruptibilia: sed quo ad radicalement substantiam esse super alias elementatas res, incorruptibilia. Philadelphus Philosophus dicit, humidum radicale metallorum in ipsorum calcinatione ob homogeneitatem & fortem metallorum unionem non consumi, ne separari, quemadmodum consumitur & separatur humidum lapideum, volatile & fugiens ab igne, sed metallorum humidum fixum est & permanens in igne. Albertus in 3. Miner. cap. 2. dicit, Videmus omnia metalla etiam in magnis ignibus retinere ipsorum humiditatem, de qua radicali humiditate loquens Geb. in 2. lib. cap. 19. dicit, quod supra omnem humiditatem expectat ignis calorem. **DIS.** Dixisti metalla imperfecta quo ad formam substantialem esse incorruptibilia: certum est partem radicalem esse per totam substantiam metallicam dispersam, ergo dum corrumpitur prima forma substantialis, simul cum ea corrumpetur substantia radicalis. **RAIM.** Dicit Alb. in 4. Meteor. tract. 2. cap. 9. calorem vehementem congregare partes homogeneas, & separare heterogeneas: nam

ignis soluit humidū & separat illud à terreo crasso ea à seinuicem separando: cum verò humidum detineatur à terreo sicco, non potest taliter separari, & ideo distillare incipit cum terreo subtili, & ob ignem fortissimum funditur in vitrum: & tunc terreum crassum quod fortiter eum tenebat, in squamas vritur. DISCIP. Responsio hæc admodum placet: Sed nōne vis calcinare ac soluere tuum metallum? RAIM. Spiritus fixus, sulfureus & quasi extrinsecus, dictus Mars, non soluitur: quia, ut dicit Geber libro primo capite tertio decimo, non habet partes salugineas, sed subtiliatur cum aqua mercuriali significata per omnes acutas aquas, ut dicit Geber libro secundo capite quinto decimo, Pars Mercurialis simul cum sulfure suo intrinseco dicto Venere soluntur, quia salis naturam habent: Et hoc modo carmina illa intelliguntur:

*Soluere qui nescit, uel subtiliare metallum, Corpus non tangat, Mercuriumque sinat:
Nam soluere nequit fixum uolatiuū probè tenere, Dictorum alterutrum facere si nescias.*

DISCIPVL. In alio carmine dicunt, Omnibus hoc dico liquate corpora in aquā etc.

Quid per corpora intelligunt? RAIMVM DV. Quauis inter-
dum de humanis corporibus, tamen Philosophorum corpora sunt duosul-
fura supradicta: vnum dictum Mars & sulfur: aliud dictum Venus & arseni-
cum. Geber libro 2. cap. 17. dicit, Omnia corpora sunt sulfur aut arsenicum: &
hæc sunt medicina quæ coagulat argentum viuum. Hæc igitur corpora solui
ac subtiliari debent, ut antea dixi, ut per minima vniri possint: Ideo dicunt, Ex
duabus aquis vnam capite, quæ vobis magis placet, & facite quod dico: date
illum potui vestro illi inimico. DIS. Iam diu optauī hæc carmina Italica intelli-
gere, ideo mihi gratum erit tuam expositionem intelligere. RAI. Ex his dua-
bus aquis sulfureis, cape illam quæ aurum vocatur, & coniūge cum ea quæ fer-
rum vocatur, significatum per inimicum nostrum: & hæc coniunctio fit me-
diante aqua Mercuriali ut superius dixi. DIS. Quauis hæc non intelligam nī
si praxim videam, nihilominus verbis tuis credo, hoc tamen pacto ut quæ vi-
dentur mihi dicenda dicam. RAI. Quoniam & ipse libenter hisce de rebus lo-
quor, idcirco dic quod tibi placet: eritq; mihi gratum omne. RAI. Quo modo
poteris ex aquis metallicis facere medicinā corporū humanorū, cum illæ sint
foetidissimæ, horribiles, corrosiuæ, & tam acutæ, ut Philosophi dicant illas es-
se venenum pessimum: Nam Morienus Romanus de illo odore loquens in-
quit, Iste est odor qui assimilatur odori sepulchrorū, in quibus mortui sepeliun-
tur. Videmus thermarum aquas aliquam habere horribilitatem, quia dum per
loca subterranea & mineralia præsertim sulfurea & bituminosa transeunt, tra-
hunt secum partem aliquam mineralem & odorem metallicum vel sulfureum:
ergo eo magis erit horribilis ea substantia metallica in aquam conuersa. RAI.
Quemadmodum fructus in æstatis initio sunt acerbi & austeri, quia sufficien-
tem concoctionem & maturationem non sunt assequuti: & dum subinde à ter-
ra nouū humorem trahunt, non possunt sufficienter maturari & dulcescere, id
quod fit longo æstatis calore, in quo dū concoquuntur et eorū humor matura-
tur, fiūt dulces & odorati: ita euenit nostræ medicinæ extractæ à terra metallo-
rum: nam ante sufficientem concoctionem & digestionē ea est foetida & horri-
bilis: & dū eius vapores in decoctione saliant & ascendunt, non potest suffi-
cienter dulcescere: Sed his vaporibus coagulatis, & sufficienter concoctis, ac-
quirit mirabilem suauitatē & dulcedinem. Ideo Arnaldus in Rosario dicit, Dul-
cifica amarum, & totum habebis magisterium. DIS. Superius dixisti iuxta
Marfilij Ficini sententiam, aurum non habere cum humana carne conuenien-
tiam vel symbolū aliquod, nec in eam posse cōverti: ergo metalla imperfecta
minorem

minorem cum humano corpore affinitatem habebunt, & ex illis medicina fieri non poterit quæ per os sumatur. RAI. Verum est metalla dum in metallorū substantiam perstant, quanuis cū aqua vitæ subtiliarentur, non haberent affinitatē aut cōuenientiam aliquā proximā cum humana carne: sed corrupta forma prima durissima, & deducta ad ipsorum primam materiā sufficienter purificaram, concoctam, & dulcificatam, tunc haberent eam affinitatem & cōuenientiam cū humano corpore quam habent alij cibi aut medicinz conseruatiua, quanuis hæc foret multo alijs efficacior. DIS. Hæc tam efficax medicina possetne omnes curabiles infirmitates sanare? RAI. Dixi iuxta philosophi sententiam 10. Metaphys. In omni genere vnum esse quod primum gradum teneat in eo genere: & quia diuersi gradus reperiuntur in medicinis: & aliquæ plus vel minus operantur in curatione diuersarum infirmitatum & in humano corpore à corruptione seruando, ergo necessarium est medicinam reperiari, quæ super omnes virtuosa sit & potens ad sanandas omnes infirmitates, & ad tuendum corpus à corruptione. Et hæc est nostra medicina, quia genita est ex efficaciore & incorruptibiliore substantia quæ sub cælo sit. Scimus etiam, appetitum naturalem non posse vbique & in omni parte, suo priuari effectu (vt ait philosophus) Et quia omnis res naturaliter perfici desiderat, quantum suæ naturæ possibile est: Ideo hic appetitus naturalis qui est in medicinis vt perfectissimæ sint, & vt possint omnes morbos curare, oportet vt in aliqua adimpleatur: & hæc erit nostra medicina. Videmus etiam substantiam subtilem & formalem in quantitate materiæ submersam, non posse suas vires exerere: Sed quo magis spiritualis est & formalis atque à materia separata & à quantitate, eò magis suas vires extendit in multos effectus. Quoniam autem medicina nostra composita est ex spiritibus subtilibus & materiæ simplicis & quasi sine materia elementalī, ideo sine vilo impedimento extendi potest ad omnes infirmitates curabiles. Cognoscimus etiam omne agens habere virtutem operandi iuxta propinquitatem & similitudinem, quæ cum primo agente participat: Primum verò & vniuersale agens corporeum & simplex, est corpus cæleste: quod veluti vniuersalis causa ad omnes inferiores res res extenditur: Et quia medicina nostra ob suam subtilitatem, puritatem & incorruptibilitatem, super omnes substantias corporeas maximam propinquitatem & similitudinem habet cum cælestibus corporibus, ideo super res omnes corporeas inferiores poterit omnes curabiles infirmitates sanare, non solum physico medico, sed etiam chirurgo pertinentes. Dicunt præterea medici, Hieram picram compositam singulari pollere virtute vt à capite, collo, pectoreque humores trahat: & non ab alijs inferioribus membris: quoniam genita sit virtute stellarum quæ super caput, collum, & pectus influunt: vt sunt astra dicta Aries, Taurus, & Gemelli. Similiter de alijs medicinis dicere poterimus, quæ humores trahunt à cruribus, genubus, & pedibus: quoniam specialem influxum receperunt & virtutem à stellis Capricorno, Aquario, & Piscibus: Et quia omnia metalla recipiunt esse, nomen, numerum, colores, vires, & proprietates ab omnibus planetis, & planetæ influunt super totum corpus humanum. Certum est autem (penes veterum philosophorum sententiam) omnia metalla iuxta similitudinem, virtutem, nomina, colores, & proprietates, esse in quolibet metallo (vt dicemus) ergo medicina nostra quanuis ab vno solo imperfecto metallo, nihilominus in se habet omnem virtutem metallorum & planetarum: & in eius compositione veniunt omnia illa metalla: ideo vim habet supra totum corpus humanum vt sanet omnes curabiles infirmitates. Et quia illa humiditas radicalis à nostro metallo distillata

b

per similitudinem à philosophis nominatur aqua vitæ & aqua ardens, ideo Ioannes de Rupescissa loquens de illa dicit, Aquam ardentem bonam habere in se virtutem omnium metallorum: Sed vt dicit prædictus philosophus, Aqua nostra non est aqua vitis, sed aqua vitæ. Similiter loquens de sulfure subtili supradicto nominato, auro, sanguine, & vino: dicit, Scito vino non modò auri proprietates retinere, sed multò magis omnium metallorum. **D I S.** Quauis iam dictæ rationes sapienter sint dictæ, attamen videtur mihi impossibile vnā medicinā solā posse omnes infirmitates sanare, at causā dicam: morbi contrarij (vt dicunt medici) curantur contrarijs medicamentis: quoniam verò contrariæ qualitates in eodem subiecto esse non possunt, ideo non mihi videtur possibile vt vnā medicina possit omnes infirmitates curare. Dicunt ad hæc omnes philosophi, ab vnā re vnum solum effectum produci, ergo vnā medicina sola non potest plus quā vnum morbum curare. **R A I.** Vnā & simplex res, multos & contrarios effectus producit iuxta naturā & diuersā dispositionem recipientium. Videmus enim solis calorem contrarias operationes facere: nam lutum desiccatur, & ceram liquefacit: nihilominus est eadem operatio, & in se contrarietatem non habet: Et quauis medicina nostra vnā sit, & forsā vnā solā & propriā operationem habeat, nihilominus si considerare volumus illā inquantum pro magna similitudine quā habet cum omnibus causis cælestibus quæ multæ sunt, ipsa est susceptiua multarum virtutum cælestium: & hoc modo dicimus medicinā nostrā in virtute multiplicem esse, & posse causare multos & varios effectus iuxta recipientium dispositionem. **D I S.** Sinamus tandem sermones hos: nondum mihi declarasti ex quo imperfecto metallo fiat hæc medicina. **R A I.** Gratum mihi erit sententiā tuā intelligere. **D I S.** Mihi videretur vt ex plumbo fieret, aut ex stāno: Nam Pithagoras dicit hoc totum secretum esse in plumbo: Hermes quoq; ait, in Saturno esse naturasq; coniunctas cum cōplemento, id est terrā, aquā, aerem, & ignem: & cum eo portæ aperiantur scientiarum. De stanno loquens Geber libro primo capite vigesimo dicit, stannum esse perfectius inter corpora imperfecta: & libro quarto capite decimo octauo etiam dicit, Considerauimus ob examen huius magisterij, louem approximari maximæ perfectioni in ordine maioris operis. **R A I.** Plumbum & stannum communia (iuxta Gebri sententiā libro tertio capite duodecimo) sunt immunda in radice & in principio ipsorum creationis, quia habent substantiā mundā sulfuris & argenti viui. Et quia impurum simul cum puro facta sunt vnā substantiā & vnā essentia, ideo dicit, non esse possibile vllā industria per medicinā primī ordinis id est per præparationē aliquā remouere talem terreitatem immundā & impurā, nequeunt nos remouere essentiam: Et inquit Geber se multum temporis fuisse sub vmbraculo desperationis cum non posset hæc corpora præparare cum complemento splendoris sui lucidi: Sed in se reuersus, animaduertit hæc corpora in profundo esse naturæ suæ immunda. Hac de causā libro secundo capite septimo dixit, Si sublimaueris id est si eximeris argentum viuum à plumbo aut à stanno communibus, post sublimationem videbis illud nigredine infectum: & quarto libro capite octauo in principio dicit, Solū in mollibus corporibus ingenio huius artificij non possumus remouere festinantiam liquefactionis, neque impuritatem in radice innatā suorum principiorum. alia ratio, quia ista duo metalla mundari non possunt, est, quia vt dicit Geber libro secundo capite secundo, Si sulfur & arsenicum nostra naturaliter & per minima non sint consumpta cum facibus alicuius rei fixæ, necessarium esset vt illa in sublimatione ascende-

ascenderent cum tota substantia non mundata. Quia igitur plumbum & stannum communia non habent substantiam fixam id est duram, terream & permanentem in vehementi igne, sed cum tota substantia refugiant, ideo spiritus, qui ab eis sublimarentur, secum ferrent immundiciem. Ideo Geber in fine libri primi dicit, Quod metalla illa quæ in radice participant maiorem liuiditatis infectionem, inueniuntur longioris laboris, & minoris perfectionis: & hæc est plumbum & stannum communia. D I S. Fortasse credis me quoque non studuisse Gebero? quanuis non intelligam, quia profundissimè locutus est. R A I. Credo te audum esse huius scientiæ, & interdum legisse Geberum, sed rursus credo (vt dixisti) neque te, neque multos alios intelligere: Nam in fine summæ dixit, talem doctrinam se scripsisse cum modo loquendi quem solus Deus intelligere possit, aut is cui Deus suam gratiam infuderit, aut ipsemet qui scripsit. Et eodem in loco dicit, solummodò artificem & doctrinæ filios posse hanc scientiam intelligere. Sed quod inferre volebas? D I S. Volebam dicere, mihi videri in Geberi sententijs contrarietatem: Nam libro tertio capite octauo dicit, Considerauimus corrupentia in stanno, non esse coniuncta in radice, sed superuenisse. Et quia in prima missione non multum sunt illi coniuncta, ideo facile separari possunt. Et capite decimo dixit, Iouem esse mundum, sed Saturnum immundum. Et in libro Inuestigationis, capite de Præparatione aceti acerrimi, loquens de corporibus imperfectis, dicit, omnia quæ superuenere accidentia posse remoueri, & quod integrè præparari possunt ac mundari. R A I. Certè mihi videtur quod ei studueris, sed æquiocationem non intelligis. Nam quando Pithagoras, Hermes, & alij philosophi dicunt, in Saturno totum secretum consistere, & illum esse immundum, sed stannum mundum, & alijs perfectius, & quod in radice sit mundum, & accidentia superinducta posse ab illo & ab alijs remoueri: & quod in ordine maiori id est in multiplicatione approximet perfectioni maximæ: tunc intelligunt de metallis quæ occulta sunt in nostro metallo puro & mundo in radice. Intelligunt tunc de communibus. D I S. Responso, Hæc mihi videtur fuga esse, sed tamen iudicium ferre non possum, quia notitiam non habeo horum metallorum intrinsicorum tuo metallo: ideo scire verè velim quæ sint hæc metalla Philosophorum intrinseca tuo metallo. R A I. Quanuis superius de auro & arg. viuo tibi declarauerim, volēs tamen ampliorē tibi dare intelligentiam, de alijs etiam differā. Sed operæ precium erit, vt tibi prius metallorum origines declarem, & modum generationis illorum, vt cognoscas quod in occulto habeant aut teneant. D I S. Et hoc mihi erit gratissimum. R A I. Imo vtile ac necessarium: nam Geber libro primo capite nono dicit, Quod cum locutus esset de principijs quæ sunt de naturæ intentione, loquetur etiam de illis in quantum sunt principia huius nostri magisterij. Principia ergo naturalia metallorum, sunt etiam principia huius magisterij. Ideo ipse Geber in proœmio primi libri dicit, Quod qui nescierit principia naturalia, remotus erit & longinquus ab arte nostra, quia veram radicem non habet, super quam fundet suas intentiones. Et tertio capite eiusdem libri dixit, Qui magno naturali ingenio præditus non fuerit, & animo subtiliter rimante principia naturalia & naturæ fundamenta, non inueniet radicem huius preciosissimæ scientiæ. Scire igitur debes principia naturalia metallorum in tres secari differentias: Aliqua enim remotissima sunt, alia sunt media mineralia, alia immediata. D I S. Ordine igitur hæc principia omnia explica & naturalem ordinem generationis metallorum. R A I. Quanuis (iuxta Hermetis opinionem) principia metallorum remotissima sint quatuor elementa, nihilomi-

nus quia denominatio fit à prædominante, ideo dico quia secundum communem opinionem, terra cum aqua mixta, est principalis radix & fundamentum omnium mineralium. Aristoteles quarto Meteororum inquit, Ex terra & aqua sunt metalla & quaecunque igne liquefunt. Et idem ibidem atque Auic. de Mineralibus inquit, metallorum materiam esse aqueam substantiam terreæ substantiæ mixtam forti mixture. **DIS.** Dic quomodo in metallum conuertantur. **RAI.** Stellæ omnes & planetæ ex lumine à Sole recepto, & ob illorum continuum & uniformem motum circularem & radiorum reuerberationem, atque etiam propter tenuissimam & potentem virtutem penetratiuam, continuè terram calefaciunt in centro ac superficie, intus ac foris. Quoniam verò res omnis decocta & alterata, immutatur tandem & corrumpitur: ideo terra mixta cum aqua diutissimè cocta & vsta, conuertitur in aliam naturam terream, vt videmus in lignis vstis, & lapidibus in calcem conuersis. **DIS.** Terra ita transmutata, quam in terram vertitur? **RAI.** Conuertitur in quoddam terreæ genus adusta, quæ in se aliquam salis substantiam continet vel aluminis: vt experientia videmus calcem, cineres, sudorem, vrinam, sputum, maris aquam, à sole decoctam, in se continere aliquos sales. Et ideo Geber in principio Testamenti dicit, ab omni re combusta fieri sal posse. **DIS.** Vulgò hic sal quo nomine indicatur, qui in ea terra occultatur adusta quæ est metallorum principium remotissimum? **RAI.** Vulgò nominatur vitriolum: & illud est medium minerale, & proprium semen generandi omnia metalla. **DIS.** Ey: ergo ex vitriolo generantur cuncta metalla: quomodo huius rei certior fiam? **RAI.** Ratio & experientia te docebunt: nam res omnis in id resoluitur ex quo est cõposita. Si metalla soluere scies in eorum primam materiam & proximam naturam metallicam, videbis ea in vitriolum resolui: ex eo igitur constant. Et hoc confirmat Geber in libro Inuestigationis, capite de Vitriolo dicens, Certum est (vt aliàs considerauimus) à corporibus imperfectis elici diuersa genera vitrioli nobis necessarij. Idem confirmat libro tertio cap. septimo **DIS.** Si omnia metalla generantur ex vnica materia cum sulfure, cur ergo ait Geber trahi diuersa vitrioli genera? Et cur dicit à metallis imperfectis potius quàm à perfectis? **RAI.** Per vitriolum in hac scientia intelligitur non solum illud sal vel alumen supra dictum, sed etiam sulfur: & hæc arti nostræ necessaria debent à metallis imperfectis educi ob iam supra narratas rationes. **DIS.** Quare magis ex vitriolo generantur metalla quàm ex alio alumine aut sale? **RAI.** Quoniam illud est magis sulfureum & naturæ metallorum propinquius ac in se vim mineralem continet, & est proprium semen & prima materia aut medium minerale ex quo generantur omnia metalla. Et quando Philosophi dicunt non fieri metallorum transmutationem nisi prius ad primam reducantur materiam, intelligitur ad naturam vitrioli. Et ideo vana est eorum opera qui vegetabilibus vtuntur aut animalibus, aut alijs rebus quæ non sint metallorum naturalia principia & arti propinqua. **DIS.** omnes Philosophi dicunt, sulfur & argentum viuum esse principia naturalia metallorum. **RAI.** Vitriolum componitur aut generatur ex aqua & terra simul digestis & decoctis: ex qua decoctione terreum subtile vinctuosum conuertitur in sulfur, & humidum aqueum radicale cum terreo subtili, fit viscosum & est materia argenti viui: ob hanc causam inquit Philosophi metalla generari ex sulfure & argento viuo: Sed non sunt sulfur neque argentum viuum cõmunia (vt probat Geber lib. 1. cap. 12.) **DIS.** In prædicto loco ait Geber, hunc esse metallorum generationis modum, nempe quòd eorum quoduis prius in terream substantiam conuertitur: & ex his durabus terreis naturis emanat duplex fumus subtilissimus à calore

lore multiplicatus in terræ visceribus: Et hic duplex fumus (sufficienter concoctus) est immediata materia metallorum. Antea igitur quam in terram conuertantur, erant sulfur & argentum viuum communia: & hoc modo possumus dicere illa esse principia metallorum. R A I. Non bene capis Geberi sermonem: nam sibi dicit, ea non esse principia naturalia in natura sua, id est communia: Sed aliud quod sequitur ob eorum substantiæ alterationem in naturæ radice ad terream substantiam. D I S. Non te assequor. R A I. An non tibi dixi radicem & naturale fundamentum omnium mineralium, tam sulfuris & argenti viui communium quam metallorum esse terram cum aqua mistam? D I S. Sequere. R A I. Ergo duorum horum alteratio ad substantiam terream non fit in ipsa substantia & essentia argenti viui & sulfuris communium, sed in eorum radice, id est in terra cum aqua mista, quæ ob calorem mineralem & cælestem decoquuntur & transmutantur in vitriolum. Et quia vt dicit Geber lib. 2. cap. 15. Ex operibus naturæ possumus probare, solummodò res quæ salium & aluminis naturam habent ac similia, esse solubiles: Ideò prædictum vitriolum opere subterranei caloris & diametralis reuerberationis Solaris ac stellarum, soluitur: & ab eo eleuatur aut manat duplex fumus: nam calor semper miscet, & subtilissimè ac fortissimè simul vnit subtile terreum & humidum aqueum simul concocta. Hæ igitur duæ exhalationes à calore cælesti tractæ, si terrestrem locum reperiant aut apertum & porosum, per quem exhalare possint, trahuntur in aerem, & ibi in cometas vertuntur, aut in stellas (vt vocant) cadentes, & circulos apparentes circa Solem & Lunam, aut in eum arcum cælestem, seu iridem, in ventos, tonitrua, fulmina, nubes, nebulas, grandines, niues, pruinas, rores, & similia in aere apparentia. Quòd si clausum montem aut locum fortiantur & lapide munitum seu circumdatum, ita, vt neque calor mineralis, neque illæ duæ exhalationes vaporosæ possint effugere, tunc ille duplex fumus sublimando crasse fieri incipit & multiplicari, & cadens atque excolans per saxum & locum mineralem, prout meatum & viam inuenit penetratu faciliorem per eum locum, vt distillationibus videmus. Quòd si eo in loco virtutem mineralem non inuenit, non potest indurari ac in metallum conuerteri, sed varijs coloribus eos lapides maculat, aut in commune argentum viuum conuertitur. Si autem duplex ille fumus lapidem inueniat in quo sit vis mineralis induratiua & fixatiua, mediante conuenienti calore conuertitur in metallum. D I S. Non intelligo quæ sit virtus illa mineralis induratiua & fixatiua. R A I. Est sulfur quoddam lucidum ac lotum & ex parte fixum, & inuenitur in excisis lapidibus atque in arenis, lucet vt argentum: Et sine hoc sulfure nunquam possent generari metalla: de hoc sulfure loto loquitur Albertus in mineralibus libro tertio capite primo & secundo & tractatu secundo capite quinto. Ideo (vt ismet ait lib. 4. Min. cap. 1.) natura abundat hoc sulfure vbicumque locus est generationis metallorum. Et propterea metallum quod plus abundat sulfure, illud est locus generationis metallorum Philosophorum. Et per artificium educi potest & lauari. Et ideo Auic. in Mineralibus obscure loquens de his sulfuribus metallicis per artificium genitis, in quibus est virtus mineralis induratiua & fixatiua, dicit, Atramenta, id est sulfura metallica per similitudinem dicta atramenta, quia sicut vitriolum comune est pannorum tinctura, ita sulfura sunt tinctura metallorū, composita sunt ex sale, sulfure, ac lapidibus. Superius dixi in corporibus metallicis esse duo sulfura: Sulfur illud subtile dictum aurum, intrinsecum sali, & compositum ex sale ac sulfure. Aliud sulfur crassius dictum Mars, & ferè sali extrinsecum, quia genitum est ex lapidibus vi caloris: Ideo compositum est ex sulfure ac lapidibus, & non funditur, quia proprie-

tates habet Martis, vt superius dixi: & in his sulfuribus metallicis est virtus mineralis perficiendi in metallum argentum viuum. Nec soluitur sulfur dictum Mars quia non participat de falsedine: Sed per distillationem soluitur falsedo simul cum suo illo sulfure intrinseco, & postea in igne coagulatur, & illud sulfur metallicum iam virtutem mineralem adeptum est in aliquibus corporibus metallicis. Illud ergo sulfur quasi extrinsecum quia cepit vim & proprietatem ferri, ideo nominatur ferrum, & post metalli putrefactionem est rubeum vel croceum, & per lauationem fit album: Sed illud sulfur illi soli intinsecum quia cepit virtutes & proprietates aeris, ideo vocatur aes: & in suo sale est viride vt vitriolum commune. Et haec duo sulfura per artificium extrahi possunt a metallis. DISCIP. Putabam solum Geberum obscure locutum esse, sed mihi videtur Auicennam profunde admodum locutum esse. RAI. Res omnes huius scientiae pertinentes, vt artifici clarae sunt & manifestae, ita his qui doctrinae filij non sunt, obscurissimae videntur, ita vt vix quicquam intelligant nisi praxim viderint. DIS. Velim causam & modum scire, quomodo sulfur illud lauetur. RAI. Morienus Romanus dicit: Ignis & Azoth id est argentum viuum, conuersum in salem Latonem lauant, id est sulfur nostrum metallicum, & ab eo obscuritatem remouent id est adustiuam sulfureitatem. Idem dicit, Quauis nostrum Laton, id est sulfur, primo sit rubeum, nihilominus inutile est, nisi post rubedinem conuertatur in album: & hoc fit igne mediante & suo sale atque aceto distillato. Ideo Geber in libro Inuestigationis capite de Iouis praeparatione dicit, Ignis separat & consumit omnem fugitiuam substantiam & inflammabilem, id est cum sale communi mundato & cum alumine ac cum aceto purificato & acerrimo multum lauando. DIS. Eo in loco Geber loquitur de Iouis praeparatione, non vero sulfuris: RAI. Dixi tibi post putrefactionem omnia Philosophorum metalla simul esse, & omnia salis naturam participare, excepto sulfure dicto Marte: quod licet tunc rubeum fiat, tamen rubedo illa non est utilis, imò nocua, quia vinctuosa est & inflammabilis: Sed dum cum suo sale omnibus metallis communi & cum aceto distillato (leuiter in balneo bulliendo) istud praeparas, simul etiam ex parte praeparas alia Philosophorum metalla. Et ideo Geber libro quarto, capite tertio dicit, Rubificationem cum splendoris apparatione non euenire Veneri vel Marti cum medicina primi ordinis, id est ex prima praeparatione, quia immunda sunt ob adustibilem vinctuositatem. Et hac ratione fixari non possunt nisi prius mudentur: & propterea Geber libro secundo capite decimo octauo dicit, Sulfur & arsenicum fixari non possunt, nisi prius eorum partes inflammabiles subtilissimae artificio subtilis diuisionis ab eis separentur. Et libro primo capite quartodecimo dicit, Sulfur est tinctura rubedinis facile, sed albedinis difficile. idem confirmat capite vigesimo secundo libri primi dicēs, Mars est tinctura rubedinis facile sed bonae rubedinis difficile. & illa facilis rubedo non est utilis: & hic habes quomodo sulfur vocatur Mars. De huius sulfuris praeparatione loquitur Geber multis in locis, potissimè libro primo capite decimo & tertiodecimo, & libro tertio capite primo & in lib. Inuest. vbi de Metallorum praeparatione agit. De hac lauatione loquitur etiam Albertus libro tertio Mineralium cap. 1. & 2. & in 2. tractatu. cap. 5. In libro Vaporum scriptum est, Arsenicum vel auripigmentum duas habet vinctuositates, & sulfur similiter: nam quando sublimare volumus auripigmentum vel sulfur, his adimimus vinctuositatem per lauationem in vrina & lixiuio, & aceto & lacte caprino, quae lauationes sunt acutae, & ab eo remouent vinctuositatem: quae si remaneret, auripigmentum sublimari

blimari non posset, nam subito accenderetur, & fieret flamma, quoniam ea vinctuositas habilis est calori suscipiendo. Et talia corpora sublimari non possent: per arsenicum & auripigmentum intelligit quod supra nominauimus Venerem: Et per illas acutas lotiones intelligit acetum distillatum cum illo sale. Auicenna in epistola ad Harssem Philosophum dicit: Satagamus vt à sulfure, & arsenico separemus, quicquid in eis est, quod argentum denigrat. Sed quum sulfur melius sit cæteris mineralibus, inuenimus illi viam, quæ est vt coquamus cum lento igne, vt in eo vis ignea non aduratur, sed eximatur, neque comburatur ex sulfuris substantia & virtute ignea, sed de vinctuositate. Razes in libro Diuinitatis, loquens de signis, quæ accidunt in præparatione huius sulfuris, dicit, Cape oleum cum spongia quod ascendit, donec nil amplius eleuetur nigri: & superius eleuabitur nubes rotunda, & sinas vt compleatur, & sublimatio firmetur: Postea cape nebulam, & adde aquam bullientem, quando deficiet aqua: postea cape aliam nebulam & aliam: & ita fac, quoad nebulæ consumuntur: nam illæ sunt oleum sulfuris. DIS. Fateor me nescire cum spongia eas nebulas eleuare. RAI. Tu perpetuò credis simplici Philosophorum scripturæ. Volunt autem dicere, quòd quando superius eleuata erit pellicula & firmata, vt tu leuiter vas mouendo facias vt in fundum cadat, & ita successiuè de alijs facias: & istud voluit Geber significare libro secundo, capite octauo dicens, Sine ignitione sublimetur illius sulfur, semper remouendo quod ab ea sublimatur sæpissime: & loquitur de nostro metallo sub nomine marchasitæ.

Razes etiam in Lumine luminum dicit, Omne oleum congregatur supra suam aquam. Et hoc intelligi potest, non solum in putrefactione materiæ, & sulfuris præparatione, sed etiam in vltima decoctione: nam sulfur dictum arsenicum totum vt oleum eleuatur super suam aquam, & suum Mercurium. Ideo Ioannes de Rupe scissa dicit, Dixi quòd posita calce, mediante calore, eleuabitur quædam pellicula in modum olei. Hæ pelliculæ significatæ sunt per vela nigra, & per nauim, qua Theseus Athenas reuertebatur: & per nauim qua Pyrrha & Deucalion à diluuiò saluati sunt: nam superius tibi dixi, arsenicum esse hermaphroditum, quum sit ex sulfure & argento viuo compositum. In Arca etiam Noe saluati sunt masculi & foeminae. Forma vasis huius præparationis sulfuris debet in fundo plana esse, vt dicit Geber lib. 2. cap. 10. & cap. 8. de hoc loquens sub nomine marchasitæ, dicit, Primam sublimationem marchasitæ debere fieri in vase sublimationis sulfuris, donec sulfur discesserit.

Sulfur autem discessisse fertur, quando rubedo illa, vel vinctuositas illius, causa rubedinis remota fuerit: & hoc fit vt supra dixi. Inter alias laudes quas Geber dat huic sulfurì præparato, libro primo, capite decimo quarto, dicit, Quòd qui in præparatione sciet vnire & amicare corporibus, sciet vnum ex maximis naturæ secretis, & vnam viam perfectionis, quum sint multæ viæ ad vnum effectum & intentum. DISCIP. Amabò, rogo te vt mihi sententiam hanc particulatim narres, quoniam multi est momenti. RAI. Videtur tibi admodum difficilis & obscura, tamen facilis est intellectu. Nam qui sulfur præparare nouit nostri metalli, & illud ad albedinem & mollitem argenti deducere (vt inquit Geber in Testamento, loquens de Marte) tunc ille scit amicare & vnire cum corporibus metallicis communibus, quia cum illis affinitatem habet & conuenientiam: non alterat tamen & transmutat illa, quia nondum est alteratum aut transmutatū ipsum. Et ideo Geber in vltimo cap. primi libri de hoc sulfure loquendo sub nomine Martis inquit: Quando coniungitur non alteratum, non mutat coniuncti colorem, sed illum in quanto auget

Et quia dictum sulfur præparatum non est fixum vltima illa fixatione, ideo coniunctum separari potest, vt inquit Geber, vt supra: & hoc etiam in libro tertio, capite primo, loquens de sulfure & arsenico præparatis confirmat, dicens, Mediocris eorum substantia non est perfectionis causa in corporibus, vel argento viuo, nisi fixetur: quæ quia fixa non est vltima fixatione, quantum illius impressio non facile remoueat, nihilominus non perpetuatur stabiliter. Et libro tertio, capite octauo, loquens de hoc sulfure, & arsenico præparatis sub nomine Martis & Veneris dicit: Fixio harum duarum substantiarum approximatur firmæ fixationi, sed non est firma & perpetua.

Tria ergo sunt naturæ maxima secreta: nempe, sulfur præparatum, arsenicum, & argentum viuum præparata: & eorum præparationes sunt tres viæ ad vnum effectum: nam sulfur præparatur vno modo, arsenicum alio, & argentum viuum alio modo: quantum interdum vnum adiuuet in alterius præparatione.

Qui ergo scit hoc sulfur præparatum, scit vnum naturæ secretum, quia etiam ipsa natura illud lauat (vt superius dixi.) Ideo Geber libro primo, capite decimo septimo in fine ait, Vltimum est Mars, id est sulfur: Et hoc est vnum de naturæ secretis. Idem etiam confirmat libro supradicto, capite decimo quinto, & libro tertio, capite nono: cum illo igitur sulfure præparato, & ex parte fixo vniuntur spiritus, id est arsenicum, & argentum viuum præparata, & per illum fixantur cum maximo ingenio. Quod non peruenit ad artificem duræ ceruicis, vt ait Geber libro primo, capite decimo septimo in fine. De hoc sulfure loquens Albertus libro quarto Mineralium, capite primo dicit, Debemus istud obseruare, quod fumus illius (ante præparationem) ostendit substantiam terrestream illius admodum ignibilem esse, & cremabilem, & foetor illius ostendit illam esse admodum inconcoctam, & non terminatam, sed magis per calorem corruptentem, esse corporis indigesti, quam per digestionem completam. Et hæc eius intemperies facit vt illud esse possit materia vniuersalis omnium metallorum: nam si ipsum esset completum, & vnius determinatæ complexionis, tunc certe non esset ad alia conuertibile, nisi prius illa remoueretur: sed pro sua discrasia est in omnia conuertibile: & semina & alia ex quibus res in natura generantur.

Et ideo sagax natura abundat sulfure, vbicumque est locus generationis metallorum: Et quia calidum est, ideo aperitiuum est, & humidi terminatiuum, id est argenti viui, quod eum tangit. Et quia calidum est & siccum, ideo acutum est, & ideo vires habet sigillantis, & formantis, & non recipientis. Qua de re Hermes Trismegistus dicit esse patris & masculi semen. DISCIP. Iam certior sum hanc nostram medicinam fieri non debere ex auro, quia finitum & terminatum est. RAIMVND. Ad illud quod aliqui dicunt, Omne simile generare suum simile: superius respondi. Et præterea dico, in metallo nostro imperfecto esse Solem & Lunam in virtute, ac potentia propinqua, vt etiam dicit Arnoldus in Epistola ad Regem Neapolitanum.

Ad illud quod dicunt de fermento, intelligunt de medicina finita, & perfecta: nam illa est fermentum in multiplicatione, & illa generat simile sibi. Sulfura etiam dicta aurum & argentum sunt fermentum sui argenti viui.

DISCIPVLVS. Te die noctuque audirem, tam me delectant istæ expositiones: sed velim tandem concluderes, quæ sint principia immediata metallorum. RAIMVNDVS. Iam dixi, duplicem illum fumum per saxa penetrantem, si inueniat sulfur illud lotum & quasi fixum, ob multam affinitatem & conuenientiam vniuntur ad minima, & duplex ille fumus incipit aliquantulum incrassari & firmari, & ex virtute caloris mineralis subtilissimæ partes

res aqueæ exhalant aut consumuntur, & mixtio illa indurari simul cum saxo incipit: & virtute caloris qui semper commistivus est, prædicta talem simul unionem faciunt, quam ignis separare non potest. Et quia videmus per experimentiam, quod ex aliquibus metallis ad ignem positis exhalant aliqui vapores sulfurei, qui etiam odore sentiuntur: & videmus etiam substantiam aqueam fortissimè unitam cum substantia terrea in forma argenti viui, perseverare in igne.

Scimus etiam ex terra non generari sulfur sine calore: neque aqua tam fortiter unitur terræ, nec terra aquæ, nisi per causam dictam. Calor ergo est causa efficiens metallorum, qui transmutat terreum subtile in sulfur & humidum aqueum unitum cum terreo subtili in substantiam argenti viui. Et hæc sunt principia proxima & immediata metallorum. Et hoc modo verificari potest quod dicunt Philosophi, scilicet quod sulfur & argentum viuum sunt metallorum principia: tamen non sunt sulfur vel argentum viuum communia.

DISCIPVLVS. Si omnia metalla genita sunt ex vna substantia sulfuris & vitrioli simul unitorum, vnde provenit ergo tanta inter metalla diversitas? **RAIMVND.** Ex diuersa illius sulfuris lotionem, & ex diuersa quantitate pura vel impura, & à loco minerali diuerso, atque ab accidentibus diuersis, quæ superuenerunt & à diuerso calore, qui variè digerit materiam metallicā. Verum est tamen quod omnia accidentia, quæ superuenerunt, materiæ radicali, artificio remoueri possunt, & partes inconcoctæ concoqui possunt.

DISCIPVL. Vnum abs te velim intelligere, nempe, quomodo ars possit naturam imitari. **RAIMVND.** Omnes generationes & transmutationes, quas natura facit mediante aliquo semine, illas etiam eo mediante semine potest ars facere: & sine illo solus Deus naturæ creator rem talem creare posset; aut etiam generare, vt est, ex lapidibus, potest panem facere, & ex costa viri facere mulierem.

Quum igitur natura in metallorum generatione proprium ac determinatū semen habeat, quod potentiam & virtutem propinquam habeat, vt in naturam metallicam conuertatur: ergo sine illo semine omne humanum opus vanum foret: & hac ratione infiniti errores excluduntur: Verum est autem artem non posse naturam imitari in remotis principiis, sed oportet ea principia ex metallis elicere, in quibus insunt iam decocta, & ex parte fixa, & arti propinqua. Et hoc totum confirmat Thomas Aquinas in fine tertij Meteororum. Et in principio quarti dicit, Quod metalla inuicem transmutari possunt, quia naturalia sunt, & eorum materia est eadem. Ideo Hermes ponebat circulationem in metallis, vt in elementis: nam vnum sua corruptione conuertitur in aliud. **DISC.** Declara tandem quomodo quodlibet metallum sit in quolibet metallo. **RAI.** Dicit Rasis in libro Diuinitatis: Scias res naturæ subtili artificio ita simul esse colligatas, quod in qualibet re est res qualibet in potentia, quantum actu non videatur. Quæ res melius comprehenditur in rebus liquefactiuis, quam in alijs: Nam auri interiora sunt argentea: & argenti interiora sunt aurea: quia elicium est aurum ab argento, & argentum ab auro: & in ære adest potentia aurum & argentum, sed non visibiliter: & in illis ferrum plumbum & stannum, & in his aurum & argentum. Hoc idem scribit Albertus à lib. de Min. cap. 8. dicens, Hermes, Gilgîl, Empedocles, & quasi omnis illa Philosophorum turba dicunt, in quocunque metallo esse plures species, & naturas metallorum: & aliam esse occultam, aliam manifestam: aliam intus, aliam foris: aliam in fundo, aliam in superficie (vt qui formarum latentiam dixere) & omnia in omnibus esse dixerunt, vt Anazagoræ placuit, sed intus in plum-

bo dixerunt esse aurum, & exterius esse plumbum: Et aurum in superficie esse aurum, & intus atque in profundo esse plumbum. Et idem eodem modo esse inter æs & argentum, & ferè in omni metallo erga aliud metallum.

Et dicunt, ne nomines aut voces intus & foris vel alias differentias iuxta partium situm in toto, sed secundum proprietates, & naturas dominantis, aut non dominantis: nam dominans claudit in se & occultat illud, cui dominatur. Et hoc modo isti rectè dicunt Anazagoræ sententiam, id est omnia metalla in omnibus esse: & dominationem fieri à prædominante. DIS.

Mihi videtur, Albertum in superiori loco hanc opinionem improbare.

RAI. Ipse Albertus adducit eas rationes pro his, qui non aliorum, quam communium metallorum notitiam habent, atque ut alijs metallorum Philosophorum notitiam non daret: Sed bene cognoscebat esse rationes debiles, quòdque cum equiuocatione facile poterat omne dubium solui. DIS. Obsecro te ergo mihi distinctè de his philosophorum metallis declara, & quomodo in plumbo sint omnia metalla. RAI. Per calcinationem, & putrefactionem reducimus nostrum commune metallum in album salem, & illud vocatur Saturnus. Et quia hoc sal fortiter est commistum cum partibus sulfureis: ideo dum dissolvitur istud, & in aceto sublimatur, trahit secum partes sulfureas, atque in ijs sale & sulfure, sunt omnia philosophorum metalla. Et ideo Geber libro quarto, capite decimo quarto, loquens de hoc Saturno dicit, Citius alijs cedit, id est soluitur, quia naturam habet salis, & citius à commisto trahit secum omnia imperfecta. Et in Testamento in capite de Ioue, dicit, Calcinationem corporum esse breuiorem viam ad perfectionem: quoniam calx facile in salem resolvitur, & facile corpus calcinatum mundatur & præparatur.

Dicit ergo Razes in loco præallegato, Saturnum in suo profundo frigidum & siccum esse, id est plumbum & argentum, nigrum, molle, terreum, melancholicum, acerbum, foetidum, foemineum: Sed est plumbum in actu, & argentum potentia. In suo profundo, est calidum & humidum, id est aurum, aereum, sanguineum, croceum, dulce, odoriferum, masculinum. In vno latere est frigidum & humidum, id est stannum & argentum viuum, aqueum, phlegmaticum, album, insipidum, remissum, foemineum. In alio latere est calidum & siccum, id est ferrum & æs, igneum, cholericum, rubeum, amarum, acutum, masculinum. Ecce ergo, quomodo in vno solo communi metallo, & in vno philosophorum metallo sunt omnia philosophorum metalla. Et hoc de omnibus suo modo dicere poterimus.

Etiuxta prædictas proprietates & qualitates, Antiqui hisce rebus posuerunt omnia nomina mundi. Ideo multi errant, quum capiant eam rem communem per illa nomina significatam. DIS. Interdum & ego eum in errorem cecidi, sed multo magis in hisce rebus caderem, quum mihi videantur admodum obscuræ & intricatæ. RAI. Secundum Razis sententiam, in omni corpore sunt tres dimensiones, nempe, altitudo, profunditas, & latitudo. Altitudo est in manifesto, profunditas est in occulto, latitudo in medio occulto & manifesti: Et hæc latitudo habet duo latera, & eorum quodlibet participat de manifesto, & occulto. Istud ergo philosophorum plumbum, quoniam in suo manifesto est album, ideo dicitur esse frigidum, quoniam albedo est frigiditatis signum. Et quoniam illud habet multam terretatem intrinsicam, ideo dicitur esse naturæ siccae, nigrae, ac melancholicæ: Nam, ut inquit Geber libro primo capite quintodecimo, Quauis habeat humiditatem visco-

scosam, tamen non adheret sulfuri dictum Mars, præterquam artificio, id est præparando illa propter siccitatem, id est illius terreitatem, qui contemperat eius viscositatem, & non sinit eum adherere: Et de hoc sale dicto Saturno intelligit Geber libro secundo capite septimo: & alibi quum loquitur de mercurij præparatione, & quomodo ab eo separetur terra & aqueitas superflua: Et quia illud est de natura vitrioli indigesta, ideo acerbum est, & propter albedinem & frigiditatem dicitur foemineum, foetidūq; vocatum est propter sulfureitatem adustibilē, indigestamq;: Et quia manifestū semper est occulto contrarium, & e converso (vt ait Razes) ideo profundum seu occultum istius plumbi, per distillationem fit manifestum & calidum, quoniam est sulfur rubeum: Et quia in huius rubei sulfuris compositione interuenit arg. viu. ideo dicitur esse humidum: & de hoc loquens Albertus in 4. Mineral. capite primo dicit, Obseruare debemus esse calidum quoddam & siccum humido frigido coniunctum in vna complexione quæ hermaphrodita est, vt in plantis videre est, quæ ab omni parte sunt impregnata & impregnant. Dicitur ergo hoc aurum quod etiam nominatur Venus, fore hermaphroditum: quia hermaphroditum nomen est compositum e duobus, significans Mercurium & Venerē. Ideo Geber libro primo, cap. vigesimo primo, loquens de hac Venere coniuncta cum Mercurio, dicit illam esse mediam inter Solem & Lunam, id est sulfuris & argenti viui, quoniam ex vtroque participat: Aereum nominatur, quia est spiritus subtilis, & sublimatur simul cum aqua mercuriali dicta aere: sanguineum, quia rubeum, & ob hoc vocatur sanguis & vinum rubeum: citrinum, quia compositum est ex argento viuo albo & sulfure rubeo: nam vt dicit Geber libro tertio, capite tertio, Citrinitas non est aliud quam determinata proportio rubei & albi: & libro prædicto capite nono loquens de distillatione huius Saturni dicit, Non separatur ab illo in fumum quantitas notabilis, quæ non sit citrini coloris multæ citrinitatis: & parum infra dicit, Quando fumus exit ab eo, necessariò exit cum sulfure non comburente: cuius proprietas est creandi citrinitatem. De his duobus fumis & vaporibus, de quæ hoc auro satis dixi superius. Dulce & odoriferum dicitur ob suam rubedinem, caliditatem & bonam concoctionem: masculinum, quia calidum & veluti paternum semen simul cum sulfure in metallorum generatione. De hoc inquam occulto auro scriptum est in libro Trium verborum, Oportet vt sciamus facere de manifesto occultum, & de occulto manifestum: Et istud occultum est de natura Solis & ignis, & est preciosissimum oleum omnium occultorum, & tinctura viua, & aqua permanens,

De hoc oleo Geber libro secundo, capite duodecimo, dicit, Causa inquisitionis olei fuit, vt haberetur color qui permixtus est cum substantia illius: nam istud operi nostro auxiliari potest. Etiam ipse Saturnus in vno latere ipsius latitudinis, id est in parte manifesti, & parte occulti: est naturæ frigida & humida, id est Iupiter & arg. viu. præparatum: quod quia est album, ideo dicitur frigidum: & quia illud habet quandā aqueitatē admodum vnitā, & homogeniā, ob quam difficulter coagulari potest (vt dicit Geb. lib. 2. cap. 16) ideo humidū est. Et istud accidit post lauationem facum vstarū, quod affirmat Geber lib. 1. cap. 19. dicens, Plumbum habet multum substantiæ terreæ: ideo lauatur, & ob lauacrum conuertitur in stannum. De hoc plumbo dicto mercurio nō præparato Geber in lib. 3. cap. 12. dicit, Per leue artificium videmus ab illo exire terram nigram & faculentā per lauationem. Morienus Romanus dicit, Corpus immundū secundum philosophos dicitur plumbum: sed corpus mundum est stannum. Quia ergo stannū istud & arg. viu. præparatum est albū vt cera alba

vel butyrum, & facilis fusionis, & multū de humiditate participat, ideo dicitur esse naturæ frigida & humida, phlegmaticæ: insipidū & remissum dicitur ob remotionē aquæ acutæ ac vaporis calidi & sicci, id est ferri & æris: Quāvis (vt dicit Razes) Veneris siccitas sit minor Martis siccitate, quia participat de arg. viuo, quod suam siccitatem contemperat: Et nota, quod (vt ait Geb. lib. 1. cap. 12: & lib. 3 cap. 7.) in corporibus metallicis cōmunibus sunt duo sulfura necessaria nostræ arti, quæ in manifesto tendunt ad rubedinem, sed in occulto sunt alba, rubea, & nigra. Quod Venus dicitur, intrinsecum est prædicto Saturno: aliud quia est naturæ terreæ quasi fixum, & sine fusione, id est solutione, est dictum Mars. Et istud à cōmixto separatur Saturno: quia (vt dicit Geb. lib. 4. ca. 14.) ea metalla quæ participant minori quantitate arg. viui, facilius separantur à cōmixto: & rationem adducit in sequenti capite, videlicet quia in substantia diuersificantur, ideo resultat diuersa fusio, & spissitudo & raritas, quæ sunt causa separationis. Loquendo igitur de hoc sulfure dicto Marte, dico esse calidum & siccum: Ideo Razes in Lumine luminum, dicit, Mars exterius habet calorem & siccitatem: & intus habet frigus & humidum: intus per propriam naturam habet arg. viu. purum: quod per administrationem extractum, tandem finit se conuerti in speciem puri auri. Dicitur etiam istum Martem esse igneum ante lauationem, quia sulfur est & facile inflamabile ob adustibile vinctuositatem: cholericum ob multam caliditatem atque amarum & acutum, masculinum ob suā caliditatem, & quia est vt semen paternū in generatione metallorum. Ecce ergo quomodo in vno cōmuni metallo, & in vno philosophorū metallo sunt omnia metalla philosophorū: idem dicere poterimus de alijs. Sed nota quod sulfur istud dictum Mars, quia est quasi extrinsecum dicto Saturno, & non habet salis naturam, ideo separatur & non soluitur, sed subtiliatur: sed alia omnia, quia salis naturam retinent, ideo soluuntur: & hoc innuebat Geber lib. 1. cap. 15. loquens de mercurio, id est de isto sale dicto Saturno, Soluuntur Iupiter & Saturnus, Luna & Venus ab illo, id est per illius naturam: nam omnia simul habent naturam salis. Nam solæ res quæ habent naturā salis & aluminis solubiles sunt, vt sæpius dixi. Et supradicta philosophorum metalla nominantur nominibus planetarum & deorum antiquorum: & sub his, & alijs nominibus Geber occultauit suam scientiā. Idē fecere alij fere omnes philosophi. Ideo Razes in Lumine luminum dicit: Antiquis placuit occultare harum rerum significatū cum tot nominibus, vt vix nemo amplius reperire possit noua vocabula. Morienus Romanus dicit, Nulla res includit huius artis magistros in errore magis quā nominum multitudo. Sed qui inueniet hæc nomina non aliud esse quā colores apparentes in cōmitione, nō errabit in via huius operationis. Antiqui ergo vt hanc scientiam occultarent, multis vsi sunt nominibus, similitudinibus, & ænigmatibus, & potissimum fabulis poeticis.

D I S. Superius volui tibi dicere, me multū mirari homines sapientissimos occultasse hanc scientiā tam diuinam sub velo illarum fictionū & chimerarū: Sed si me huius rei capacem reddes, perpetuō tibi deuinctus ero: nam neminē vnquam inueni qui eas exposuerit præterquā moraliter. **R A I.** Antiqui sapientes publicē operibus & verbis moralia docebant, ideo qui notitiā huius scientiæ non habet, non potest ea scire, quæ significare voluerunt per tot deorum nomina, eorumq; genealogiam, amores, metamorphosesq;. Et nisi credas hæc fabulas hunc sensum habuisse, vide Albert. in 1. Min. Tract. 2. cap. 8. qui eas exponit in hunc sensum. **D I S.** Quid dicit Albertus? **R A I.** Is dicit Gorgonis fabulam habere, ipsum in lapides conuertisse quotquot eum respiciebant: Vim fortem mineralium nominarunt Gorgonem: eius aspectum aiunt esse humorū

humorum corporum dispositionem ad vim lapidificatiuā: ecce igitur quomodo antiquorum nonnulli exponebant vt dixi. D I S. Nondum ista intelligo. R A I. Superius dixi, in sulfuribus esse vim fortem mineralem induratiuā & fixatiuam per Gorgonē significatā: illius respectus est humorum, id est vaporū metallicorū ad hanc virtutem lapidificatiuā: Nam quando fumī salient per lōgum bociæ collum, & postea pluries descendunt, tandē vniuntur cum prædictis sulfuribus, & conuertuntur in lapidē admodum preciosum. Scribunt etiā Poetæ, Græcos serpentē vidisse super arborem salientē, in cuius summitate inuenit matrem cum filijs, quos omnes comedit: sed ipse inclinans caput cōuersus est in lapidē. Vapor & humiditas radicalis metallorū est serpens: nam ante decoctionē est admodum venenosa, & nominatur nominibus serpentū, draconum, leonum, vrsorū & basiliscorum ob eorum ferocitatē & venenositatē. Iste igitur vapor ascendit per distillationem in bociā, & ibi reperit filios, id est illa duo sulfura, cum matre, id est cum arg. viu. foeminino, à quo prædicta sulfura soluta sunt, & omnes comedit, quia illa sulfura soluit, & ad se trahit. Sed ille vapor quia salit, & postea descendit per collum bociæ, ac simul cum illis sulfuribus fixatur, ideo conuertitur in lapidē. Sacra etiā Scriptura dicit, Vxorē Lot ignem fugientem, quia contra Dei mandatum respexit retro, cōuersam fuisse in statram salis. Alph. dicit, Antequam opereris, volo tibi describere bonā medicinam: oportet vt sit humida, & quando coquitur, vt coaguletur & inspissetur vt sal, nix, grando: & sit dulcis saporis, ventris nigri, coloris albi. D I S. Quid sibi vult ventris nigri? R A I. Vult dicere, quod quanuis illa materia in decoctionis initio sit alba, tamē in suo occulto habet in se nigredinē: quæ procedit ab adustura vnctuositate, quæ totaliter separata non est. Ideo primum signum apparens in coagulatione, est nigredo, quam vocant caput corui: & post coagulationem durat 40 dies: postea iterū fit alba, prout illa humiditas consumitur: Fingunt etiam q̄ cum Iupiter iratus esset contra patrem suū Saturnum, abscidit illi genitalia cum acura falce, quæ in mare ceciderunt: & ex eo sanguine simul cum maris spuma genita est Venus: per Saturnū intelīgunt salem illū ante separationem suarum terrarum: nam dicitur Iouis pater, quia ex illo generatur Iupiter, separatis terris. Cum ergo hic sal positus est in bociā super ignē, Iupiter iratus, & alteratus ob ignem, soluitur in aquam subtilem significatā per falcem acutā, cum qua incidit, separat, & secum trahit partes masculinas, nēpe sulfur illius salis dicti Saturni, & simul in bociam descendunt: ideo dicitur eos in mare cecidisse, id est in eam aquā salis amari: Ex quo sale ac sulfure genita est Venus, vt superius dixi. Aqua illa amara est Phaetontis currus, dictus Eridanus, quia in illa defertur Sol & spiritus foetens dictus æs & Venus. Scribunt Dedalū simul cum filio Icaro inclusos in labyrintho fecisse alas ex pennis, easq̄ cum cera sibi appendisse ac filio, cum hisq̄ volasse extra labyrinthum per aerē sed Icarus nimis altē volans, cecidit in mare in quo submersus est, quoniā Sol ceram liquauit, sed cum ab vndis maris in litus esset proiectus, pater eum sepe liuit in arena. D I S. Huius expositio mihi magnopere grata erit. R A I. Non possum quæ tibi dico probare longiori serie, quia brevis esse cupio: per Dedalum patrem Icarī, volunt significare sulfur illud dictum Martem: & per Icarum notant aliud sulfur vocatum arsenicū: nam secundum Geb. lib. 1. cap. 14. Arsenicum est de materia subtili & cum sulfure simili. Et 4. lib. cap. 5. dicit, Medicinam specialem Martis fusiua esse arsenicū: nam est sulfuris dicti Martis subtilissima pars, quæ quia salis naturam habet, ideo fusiua est & solubilis: Per labyrinthū in quo sunt inclusi, significatur metalli nostri calx, in qua sunt dicta sulfura: alæ quibus euolant & sublimantur, eg sunt de quibus Geb. lib. 2. cap. 10

dicēns, Corpora quæ administratione rei subleuantis indigent, sunt Venus & Mars propter eorum fusionis tarditatem. Venus indiget tutia, & Mars arsenico: & cum illis facili sublimantur, quia multū cum eis conueniunt. D I S. Credo locum hunc ex illis esse, quos Geber & tu solus intelligitis. R A I. Superius dixi, multoties per corpora intelligi sulfura illa dicta Martem & Venerem, quæ sunt tardæ fusionis & solutionis, quia Mars non habet partes salvas, & Venus his parum participat: ideo distillatur cum ignis expressione & ignitione aludel, vt dicit Geber lib. 2. cap. 2. & 8. Venus ergo suæ sublimationi tutia indiget ideo fumo aut aqua supradicta: nam vt dicit Geb. lib. 3. cap. 3. Tutia est fumus corporum alborum, id est eius salis dicti plumbū, stannum & Luna: & cum his alis sublimat extra dictum Saturnum extractum à dicta calce metallica. Alæ, quibus Mars in putrefactione sublimat extra suam calcem, est arsenicum: nam humiditas & acuitas aceti (mediante fimi calore) agens in corpore calcinato dissoluit & trahit ad se salis substantiam, cum quo etiam trahit subtile sulfur dictum arsenicum clausum in profunditate salis ipsius. Et quia sulfur illud subtile est de substantia illius sulfuris dicti Martis, ideo illud subtile dictū arsenicū simul cū sale trahit ad se, & eleuare facit ac sublimare illud crassius dictū Mars quoniam tunc sunt insimul coniuncta omnia, & vnum non potest sine alio eleuari. Cera qua glutinabantur alæ, est supradictum sal viscosum vt cera alba: Et quoniam sulfur illud subtile significatum per Icarum, per distillationē altē volat, id est in caput alembici portatū à prædicta aqua significata per Iouis aquilam, ideo cadit in mare, quoniam calor dissoluit illum salem in aquam, & in eā cadit sulfur dictum, & ibi moritur, quia fit nigrum: sed à supradicta aqua proiectum ad litus, id est ad superficiem in ea pellicula, & nauicula prædicta, quia pars oleaginosa semper supernatat, ideo desiccata aqua, ipsum arsenicum fuit sepultum in arena, id est in eo sulfure dicto Marte subtiliato in modum subtilissimæ arenæ ac lucidæ. D I S. Non sum harum expositionum capax, sed verbis tuis credo, quia magister es hac in arte. R A I. Quando praxim videbis, hæc tibi erunt manifesta. Dicunt etiam Poetæ, quum Io amaretur à Ioue, eam fugientem Iupiter circumdedit nube spissa & obscura, ita vt à cursu firmaretur Per Iouē significatur prædicta aqua mercurialis, quæ à Ioue amatur, quia sunt eiusdem substantiæ: sed hæc duo posita in vase ad ignem, dicta aqua subtilissima fugit per longum collum vasis, ac reuertitur, & Iupiter illud sulfur circumponit subtile in modum spissæ nubis ac nigræ, ob quam coagulatur, ac firmatur. Illæ nigræ pellicule (vt superius dixi) sunt nigræ velæ, quibus Theseus reuertebatur Athenas: quod AEgeus pater illius videns, ac putans Theseum esse mortuum, desperans proiecit se in mare, in quo suffocatus est. Per Theseum ergo significatur sulfur illud subtile quod in ea pellicula latet, aut oleo per nauem significato. Et tunc AEgeus, id est sulfur dictum Mars, qui est pater huius subtilis sulfuris proficitur in mare, id est in eam aquā salis, & hic soluitur ac moritur, quia iterum fit nigrum. Scribunt etiam post diluuiū & aquarum desiccationem, terram animalia producentem, quendam etiam serpentē produxisse Pythonem appellatum, quē Phœbus suis sagittis interfecit. In materia nostræ distillatione, primò lento igne diluuiū venit, id est quædam aqueitas, de qua loquitur Geber lib. 2. cap. 2. & 7. & remota illa aqueitate, & aucto igne, terra, id est materia nostra, quæ multa terreatate participat, producens animalia, id est sulfur, illud subtile dictum sulfur & sulfura, quia paulatim distillat, vt dicit Senior: & vocatur animal & animalia: quia vt scriptum est in Philosophorum Turba, Nostrum æs est vt homo qui habet animā, corpus, & spiritum: produxit etiam serpentem dictum Pythonem, id est aquam illam fortidam

dam, quam Phoebus, id est Sol noster interfecit, id est coagulauit & nigrescit. Ferunt quoque Apollinem philocaptum Daphnes, eam fugientem secutus. Apollo est Sol noster, qui in distillatione sequitur aquam mercurialem per Daphnem significatam. Finxerunt quoque Phoebum & Bacchum fuisse Iouis filios: per Phoebum ac Bacchum intelligunt sulfur superius dictum Solē & vinū: quod quia distillatum est ab illo Ioue, & illius partem retinet, ideo dicitur esse Iouis filius. Scribunt etiam Minervam Iouis fuisse filiam: Nam cum Iupiter caput suū percussisset, exiit armata Minerva à suo cerebro. Per Minervā intelligunt aquam mercurialem, quia minuit & subtiliat nervos, id est sulfura: Iupiter ergo feriens caput suū igne, id est sal illud dictum Saturnum, in quo est illud sal subtile, album, molle & humidum significatum per cerebrum, per distillationem ab eo exit Minerva armata & induta partē illam subtilissimam & fusiūam Martis. Describunt etiam Vulcanum admodum Mineruæ amore captum, omnibus viribus illam sequebatur: at ipsa illum fugiebat & contemnebat: cum verò illi Vulcanus fortē approximaret, arripiens eā vestimentis semen suū in terrā præ libidine fudit, ex quo semine scilicet natus est filius, & illa dimissa est in pace. Per Vulcanum intelligunt illud sulfur dictū ignem & Martem, qui multū hanc mercurialem aquam diligit significatam per Minervam, quia simul in suo metallo fuerunt: sed quia facile separantur, quia diuersas habeant naturas, ideo dicitur Minervā eum fugere: at sulfur ipsum illi appropinquans, eamque cōprehēdens, antequam separaretur, suum semen relinquit, id est partem illā sulfuream, subtilissimam dictam arsenicum in terra ipsius salis dicti Saturni: & per distillationem nascitur puer, quem supra nominaui, Ganymedē, Apollinē & Phoebum: & ipsa aqua relinquitur in pace, quia illa est fixationis impedimentū: est tamen necessaria ut diu vitam humanā sustentet. Dicunt etiam quidā Martē fuisse filium Iouis ac Iunonis, alij dicunt Iunonis sine patre. Per Iunonē quis sepe intelligant elementū aeris, id est aquā illā mercurialem, tamen hīc intelligunt elementū terræ, quando dicunt fuisse Iunonis filiū sine patre. Iupiter ergo & Iuno significata per elementū aeris, post putrefactionē sunt simul cum Marte: & quia illud separatur à ventre istorum, ideo dicitur illorū filius: sed quia filius aliqua in re solet patri similis esse ac matri, & Mars seu illud sulf. omnino est dissimile nostro Ioui, quia Mars est calidus, & siccus, rubeus, durus, sine fusionē & priuatus arg. vii. Iupiter est frigidus, & humidus, albus, mollis, fusibilis, & est arg. vi. mortificatū, ideo dicunt illū fuisse filiū solius Iunonis intelligētes elementum terræ, qm sulfur est pinguedo terræ, nam similitudinē non habet cū aqua mercuriali. DIS. Nescio quid de tuis istis expositionibus dicā: & veluti stupidus maneo, & timeo si eas alios docere voluero dicturos me insanire. RA I. Dixi iam tibi eum non posse ista intelligere, qui praxim nō viderit: ideo si primò te contemnent, postea laudabunt. Dicunt præterea Vulcanū fuisse Iouis filium ac Iunonis. Et quia erat deformis, subito natū proiectū esse in Lemnum insulam, ibique fuisse à simijs nutritū: quod superius de Marte dixi, potest etiā de Vulcano intelligi, qui quia deformis ac turpis est, id est, quia ante lauationem habet illam adustiuam vinctuositatē, & non habet partes salugineas, ideo abiectus est, quādo ab illis separatur ob diuersam naturā, fusionē, spissitudinē & raritatē, ut dicit Geb. lib. 4. cap. 14. & 15. & lib. 3. cap. 4. dicit, Arg. vii. nō aliud capere q̃ quod suæ naturæ est. Proiectus est ergo in Lēno insula, id ē in bocia vbi sagittæ cadunt, id est sulfura genita ex vaporibus calidis ac siccis: & ibi fuit nutritus, id est lotus, à simijs, id est ab his qui naturā imitantur, & fuit ad perfectū adductus. Scribunt Vulcanū duxisse Venerē in vxorē: Geb. lib. 1. cap. 10. dicit, Cōpar sulfuris esse arsenicū, quod dicitur Venus. Dicunt Apollinem fuisse

Vulcani filium: per Apollinē intelligunt Solē nostrū, qui quia est subtilissima pars ipsius sulf. dicti Martis & Vulcani, ideo dicitur eius filius. D I. Dic mihi ubi nam per lunonem intelligant elementū aeris. R A I. Dixerūt lunonē fuisse Saturni filiā, & Opīs sororis & vxoris Iouis: in parte natā ante Iouem, fuisse Deorū reginā & diuitiarū, praeuisse partub. & matrimonijs: ideo dictā fuisse lunonem, q̃ matrimoniā iungeret. Aqua mercurialis est filiā Saturni, qui ab eo distillat, & à sua terra significata per Opim, quia illa dat diuitias, id est aurum nostrum: in vna distillatione generatur Iuno, id est aqua illa mercurialis, & Iupiter id est sal occultus in faecibus cōbustis: de quibus faecibus Hermes & Metuendus eius discipulus, & Mireris Philosophus dicunt, In cineribus est quod quæris. Hermes dicit, Cape faeces quæ remanent in fundo bocie & serua illas, quoniam sunt cordis corona, & sublimā, quia sublimat alba vt sal. Idē scribitur in Diuin. libro. Geb. etiā lib. 2. cap. 2. dicit, Facum separationē esse possibīlē à salib. sublimandis ob salū solutionem: quod non euenit alijs rebus. Modus lauādi eas faeces cōbustas scribit in lib. Inuestigat. vbi dicit, Atramentū nigrum soluitur in aceto mundo aut in aqua bulliente, postea per filtrum distilletur & coaguletur, & erit prae paratum: aut prius in alembico ponatur, & tota eliciatur humiditas: Quia ergo in distillatione prima distillat ea mercurialis aqua significata per lunonem, & postea extrahitur sal prae paratus significatus per Iouē, ideo dicitur vno in partu lunonē natam ante Iouem: Et istud voluit Geber significare lib. 1. cap. 11. quando loquens de hac aqua mercuriali, dixit, Illam potius reuerti à calce sua quā Iouem ipsum: Fertur esse supra partus, quia distillando eximit à suis terris, & in lucem producit nostrū Phœbum. Præest Matrimonij quia est mediū coniungendi tincturas, vt superius dixi. Ideo Morien. dicebat, Animā, id est nostrum Solem non coniungi cum corpore sulfuris, nisi mediāte spiritu, & animam non coniungi præterq̃ cum corpore, à quo fuit extracta: & si conatus fueris illam cū alio corpore coniungere, in vanū laborabis: dicitur soror & vxor Iouis, quia eodem partu nata est (vt dixi) vxor, quia eiusdē substantiæ, regina Deorū Gentilium significatorū per nostra metalla, sulfura, & sales: nam ipsa regit illa, per eam nascuntur, soluitur, subtiliantur, separantur, coniunguntur, mortificantur, viuificantur, & fructificant: ideo dicitur Opū reginā. Fingunt etiam Venerē filiam fuisse Deionis & Iouis, & Vulcani vxorē, & fuisse amatā à Marte: per Deionem, Vulcanū, & Martem, intelligunt ipsum sulfur dictū vinū ignem & Martem: Erymologiae nominum alibi abs te reperiri poterunt: sulfur dictū Venus post distillationem videtur vinum: Et quia distillat ab eo sale dicto Saturno in quo est Luna & Iupiter, ideo dicitur illorū filius. Dicunt Amore fuisse filium Iouis & Veneris: per Amorem possumus intelligere sulfur illud subtile superius nominatū Phœbum, quia componitur ex mercurio dicto Ioue, & ex sulfure dicto Venere, ideo eorum dicitur filius. Fingunt etiā Latonā fuisse violatā à Ioue, ob quam rem Iuno Iouis vxor de cælo descendit, & eam in Delo insula proscrispsit, vbi Phœbum & Dianā peperit: Per Latonam intelligunt quod superius de Amore dixi: nam cōponitur ex Ioue & Venere. Iuno, id est aqua illa mercurialis descendit de cælo, id est à capite alembici facti in modum cæli, in quo cælo fuit etiam Ganymedes portatus, id est istud sulfur: & Iuno portat & proscrispsit ipsam Latonam in bocia: & tandiu ibi moratur, quod primò in Lunam, deinde in Solem vertitur. Hoc voluit Geber significare lib. 1. cap. 17. dicēs, Vidimus in minieris aeris, à quibus exibat aqua quæ secū spumas ducebat subtilissimas aeris, & illas continuo cursu aquæ lauat & mūdāt: postea cessato aquæ cursu, vidimus eas cū arena sicca per annos tres calore Solis fuisse decoctas: inter quas inuentus est Sol verissimus. D I S. Si superius tibi non respon

respondi, fuit in causa, quia expositiones illas fantasticas non intelligebam: sed quia nunc aperte loqueris, potero aliquid dicere. RAI. Si debile tibi est cerebrum, & non capis illas expositiones, ne saltim eas vituperes: sed quiduis dicere? DIS. Volo dicere, Geberum naturaliter loqui, quoniam interdum accidit aquas transire per mineras, ac secum trahere aliquam mineram partem, ut supra dixi: ideo dicit, ut naturam imitemur. RAI. Nimirum es credulus si putas naturam potuisse conuertere aes in aurum. DIS. Quid ergo innuebat Geber? RAI. Hic est vnus ex eis locis, ubi videtur apertius eum esse locutum, & tamen obscurius loquebatur. Nam aeris nostri minera, est illud sal dictum supra Saturnum: a quo per distillationem exit aqua mercurialis, quae secum illud sulfur ducit subtile dictum aes, quod per continuu cursum illorum vaporum aqueorum ascendentiu & descendentiu lauatur a sua vinctuosa nigredine, & fit album cessantibus dictis vaporibus. Sed post tres menses fit Sol verissimus, posita bociā in arena vel cineribus cum igne temperato: tandem volens verba truncare, expositio Geberi, harumque fabularum poeticarum ac similitum consistit in omni eo quod superius dixi de metallis intrinsecis: ideo non amplius alias fabulas pro nunc declarabo quoniam ex te ipso intelligere poteris ex his quae superius dixi, potissimum vero si nominum etymologiam & significatum consideres, quibus in fabulis vtuntur Antiqui. DIS. Omnino ingentes ago tibi gratias: sed ad nostram medicinam reuertentes, velim scire num supradicta Philosophorum metalla preparata & soluta intrent compositionem nostrae medicinae. RAI. Pluries dixi omnia ad hanc huius medicinae compositionem concurrere. Et hoc confirmat Io. de Rupe scissa dicens, Quoadmodum caeli influxus & Solis augmentatur aliarum stellarum influxu, ita etiam nostrum humidum radicale dictum caelum, non solum ornari debet ex Sole, sed etiam a stellis aut planetis, ut eius influxus augeatur & virtus: Et hoc etiam confirmat Geber in fine primi libri, dicens, Quaecumque perfectionum diuersitates parum antea fuerunt a nobis determinatae, inueniuntur in opere medij ac minoris artificij vel operis: sed in maiori omnes sunt eiusdem perfectionis. DIS. Haud credo inueniri hominem qui obscurius scripserit ipso Gebero: ideo non mirandum est, si multi ob desperationem eum lacerant. RAI. Minor ordo est preparatio, in qua multae sunt viae & medicinae imperfectae: secundus ordo est fixatio, & in hac etiam est aliqua diuersitas, quia non omnia aequaliter fixatione indigent: sed in tercio ordine, id est in multiplicatione, quia in medicina completa perueniunt omnia ad perfectionem vnam, ideo dicuntur omnia esse necessaria. Si vero certior esse vis horum trium ordinum expositionem esse iuxta Geberi mentem, lege in fine Summae suae, ubi de Sublimatione loquitur, & preparatione primi gradus, secundi & tertij, & veritatem cognosces eius quod tibi dixi. DIS. Concedo in medicina minerali ac fixa, omnia illa esse necessaria: sed in medicina quae per os accipi debeat, sum dubius: Nam sicut aqua mercurialis in minerali medicina non est permanens, quoniam illa est impedimentum fixationis, ita in medicina humanorum corporum non deberet ingredi sulfur illud tam fixatiuum dictum ferrum, quoniam non opus sit eam fixari: nam stomachus seu ventriculus ea concoquere non posset, ut superius de auro dixisti. RAI. In hoc fac quod volueris, sed tibi dico Alb. in fine 2. Meteor. ubi Avicenna sentent. adducit, dicere, in optimis aquis aurum reperiri: post has, illa est in qua ferrum est, & multum interiora corroborat, & tamen fixa non est: atque hoc cognoscere potes a signis quae videntur cum medicina est finita. DIS. Gratum erit mihi hoc intelligere. RAI. Ioannes de Rupe atque ego simul, diximus cognosci duobus signis, quando medicina haec finita sit & perfecta: primus, si vas in quo posita est haec medicina, positum in angulo domus, veluti miraculo & vinculo inuisibili ad se trahet omnes in-

trātes, & eos circa se stātes faciet, tunc cōpleta erit secundū signum, si prādictū vas positum supra turri trahet ad se omnes aues odorem medicinā sentientes & eas circa se sistet. D I S. Hāc mihi videt res magna & ferē impossibilis. R A I. Per turrim significatur fornacula posita in angulo domus, in qua fornacula vel furnulo positum est vitrū, in quo nostra medicina coquitur: per intrātes in domum, & per aues prāteruolantes significantur illi spiritus vel vapores, qui virtute caloris volant, & sursum deorsum eunt per longum boצי collū: qui cūm firmantur, nec amplius ascendunt, & materia est coagulata, dulcificata, & medicina perfecta est, & nō tamen fixa: Atq; vt dicit magister Leonellus, coagulabitur in modū oui quod tenet acumen in fundo: Superius dicta occultarunt Poetā, fingentes Orpheum ex cantus ac soni dulcedine ad se traxisse bruta animalia, homines, aues, lapides, arbores ac montes: sistitisse ventos: ita vt dicāt etiam Phœbum, arcu ac pharetra depositis, stetisse captū dulcedine cātus: ac serpentem qui continuē aureū vellus custodiebat, Orphei cantu somno corruptum fuisse. D I S. Hāc nimirū pulchra est fabula scienti verū significatū & sensum. R A I. Per Orpheum intelligo totā materiā coagulatam: & in hac medicina est pars vegetabilis, id est sal per arbores significatū & herbas: adest & pars animalis, id est anima, & aurum significatū per animalia, homines, Phœbū, & per vellus aureū: pars mineralis est illud sulfur dictū Mars, significatū per lapides, montes, ossa, resq; alias duras: adest etiā aqua mercurialis, & vapores significati per aues, ventos, serpētes, tauros, & dracones, qui aureū vellus custodiebant. Nanq; vt dicit Geber lib. 1. cap. 15. In distillatione nullū Philosophorū metallorū submergitur in mercurio, id est aqua mercuriali, Sole nostro excepto: Per Orpheum deniq; significatur nostra medicina, quā cūm sit dulcis, sistit & coagulat omnia supradicta. Sed prācipua causa coagulandi & fixandi partem mercurialem sunt supradicta sulf. prāparata & soluta: de quibus intelligebat Alb. lib. 1. Miner. cap. 8. tract. 1. dicens, Philosophi supra modum studēt, vt aquas faciant, quā habeant in virtute diuersas elementorum qualitates, & nō actū: vt per illas exiccent & coagulent id quod transmutare volunt. Et 4. Meteor. tract. 3. cap. 1. dicit, Arg. vi. in artis operibus desiccari ex multa adustione & mistione sulfuris nō omnino adurentis. D I S. Quid de his dices, qui congelant & fixant arg. viū. cum herbis? R A I. His satis est vt dicam quod Geb. scribit lib. 2. cap. 17. loquens de medicina quā coagulat arg. viū. & illi adharet in profundo, & per minima cum illo miscetur ante illius fugā: necesse est illā colligere à rebus illi conuenientibus, & sunt omnia corpora sulfur vel arsenicū: & parum infra concludit, dicēs, Quod à quacūq; re illius medicina trahatur, debet esse substantiā subtilissimā ac purissimā, ex natura illi faciliē adhārens, ac facillimā fusionis in modū aquā fixā super ignis pugna: nā istud coagulabit, & in naturā Solarem conuertet, vel Lunarem. Et lib. 4. cap. 10. inquit, Cūm nā inueniatur quod illi magis conueniat, quā id quod est suā naturā, ideo aestimauimus cūm illo medicinā illius facere, & libro secundo, capite decimo septimo dicit, Dictam medicinā facilius, propinquius, & perfectius inueniri à solo arg. viū. quia natura amplectitur amicabilius naturam propriam, & eius plusquā extraneā gaudet: Et lib. 3. cap. 4. ait, Argentum viūum non aliud capit, quā quod suā naturā est: Et cap. 7. dicit: Si poteris facere medicinā perfectā ex solo argēto viuo, eris inquisitor preciosissimā perfectionis: notare igitur debes quod, vt dicit Geber capite 16. libro 2. argentum viūum Philosophorum habet partes sulfuris naturaliter cum eo mistas, id est sulfur & arsenicum: & cum his prāparatis faciliē vnitur ob conuenientiam in natura: & hec sunt propria medicina coagulatiua & fixatiua argenti viui Philosophorum.

In li.

In lib. Vaporum scriptū est, Quod qui cito vult coquere carnē imponat aque cum carne frustū vitri: nā vitri siccitas tantū adimīt humiditatis à carne in ebullitione, vt caro citò remaneat cocta: sed citius coquitur ea caro si vitrū illud sit ex cinere foeni ac filicis, quia illud minus abūdat humiditate: nam primū vitrū aliquid habet humidū quod à plumbo contraxit, quod primum fuit in cōpositione. D I S. mihi videtur hoc esse vnū Plinij mendacium. R A I. Tuam ignorantia incuses, & noli excellētes homines vituperare, qui per similitudinē vel per allegoriam sunt locuti. D I S. Quid voluit ergo significare per illud vitrū, carnē & aquam? R A I. Dixi tibi per vitrū interdum significari sulfur: Et quia, vt pluries dixi, sunt duo sulfurum genera, quorum alterū nominatur ferrū, calidū & siccum quia participat humiditate quā cepit ab eo sale dicto plūbo, à quo ipsa Venus distillata est, ideo citius coagulatur & fixatur ipsum arg. viu. significatū per carnē mollem, si cum eo ponatur sulfur illud ex cinere foeni ac filicis, id est dictū ferrum ex nominis affinitate. Hoc Philosophi occultarunt dicentes, The seum glutinasse os Minotauro in labyrintho cum tribus pilis. Per Minotaurū & alia animalia ferocia & venenosa significatur aqua Mercurialis, quā in boēa coagulatur cum dictis sulfuribus, & cū nostro Mercurio dicto Iupiter, qui semper est plenus Apolline. Ideo hæc sunt tria poma aurea ob quæ Atlas id est aqua ista velocissima, in cursu firmata est. In hunc propositū dicebat Isidorus lib. 17. Chalcanthū id est flos eris fit in modum salis cum sole calidissimo & est virtutis adeo constrictiua, quod in leonū & vrsorum os aspersum tantā habet constringendi vim, vt mordere non possint. D I S. Quid voluit Isidorus significare in his verbis? R A I. Per florem æris voluit significare sulfur illud dictum Venerem & æs, quod est occultum in sale, & salis natura participat, & fit per calcinationem vt sal, & illud vnitum cum aqua nostra Mercuriali significata per vrsos & leones, ita inuiscat & coagulat illam vt amplius non possit sulfura soluere, quia duleis fit. D I S C I P. Mineralis medicina quandiu moratur antequam coaguletur post sulfurum & argenti viui preparatorum commissio nem? R A I. In artis Speculo scriptum est, Guberna materiam illam lento igne, donec maior pars conuertatur in terram nigram, quod erit in diebus. 21. D I S. quandiu durat nigredo? R A I. In Rosario scriptum est, Cōtinueatione 40. dierū fiat vtraq; aqua permanēs nigredine tecta: quæ nigredo si debite gubernetur, non plus dieb. 40. durabit. Aduerte nihilominus, quod vbi accedit aqua Mercurialis, plus temporis requiritur & ignis plus. Per duas aquas permanentes intelligit duo sulfura ex parte fixa. D I S. Dixit Geber lib. 2. cap. 16. quod remotio sulfuris est causa varietatis colorum medicinae post coagulationem: Putabam sulfur nō debere amoueri si sit aqua permanēs. R A I. Dixi materiā nostrā bis fieri nigram, bis albam, bisq; rubeam. Et quoniam albedo & nigredo sunt colores extremi & cōtrarij, & omnes alij colores sunt mediij: Ideo quotiescūq; ob preparationē & decoctionē paulatim consumitur humiditas vinctuosa sulfurea quæ est illius nigredinis causa, ita paulatim cōsumitur illa nigredo, & quotidie aliū apponit colorē. Ideo dicitur, sulfuris remotionem esse colorum varietatis causam: sed in sulfuris lotionē manifestiores apparent hi colores (nā illud est lumen & tinctura) q̄ faciant in coagulatione & fixationē medicinae, in qua minor est vinctuositas, & sulfur mistū est cum arsenico & arg. viuo, quæ colores imperfectos. contundūt. D I S. Tandem, age, mihi explica quo ex metallo fiat hæc medicina. R A I. Dixi hanc medicinā nō debere ex auro fieri neq; ex argento, neq; plūbo, neq; ex stanno cōmunibus: ergo ex gre fieri debet vel ferro cōmunibus: nam illa in ipsorum radice sunt munda, & accidentia facile remoueri

possunt, quia omnes corruptionis causas habent & calcinationis: Et hoc voluit Geber significare lib. 4. cap. 3. dicens, Substantiæ Veneris & Martis (communium) dealbatio pura est, & similiter Lunæ rubificatio. D I S. Hanc sententiam non intelligo. R A I. Vult dicere, dealbationem id est argentum viuum & Lunæ rubificatio, id est sulfur quod est tinctura rubedinis ipsius argenti viui dicti Lunæ, ipsa est pura & munda in eorum radice. Et hoc voluit Geber dicere lib. secundo capite septimo. Qui cum exclusisset Solem, Lunam, Iouem, & Saturnum communes, concludit postea, dicens: Melior est ergo argenti viui sublimatio ab illis corporibus quibus cum non conuenit, nempe quia munda in radice. Sed certum est argentum viuum minus conuenire in natura cum ferro & ære quam cum alijs, ergo ab illis sublimari & extrahi debent spiritus: Et quicquid dicit Geber in lib. Inuest. & alibi de præparatione corporum perfectorum & imperfectorum, intelligit de his. D I S. Quomodo de his intelligit loquens de perfectis? R A I. Dixi hanc artem non uti auro vel argento communibus, sed solum tractat de corporib. imperfectis (ut dicit Geber in proœmio lib. Inuest.) Neque dico per cōmitionem cum medicīna (nam hæc foret responsio parum sciens) sed per reductionem ad primā materiā & separationē omnium accidentium immundorum supra inductorum materiæ puræ radicali. Quando ergo in præparatione hæc metalla intrinseca sunt immunda, tunc imperfecta vocantur: sed quando sunt præparata & etiam ex colorum consideratione vocantur perfecta. Et hoc manifestè asserit Geber lib. 2. cap. 16. in fine, & cap. 7. in fine. Et hæc omnia perfecta vel imperfecta possunt à supradictis elici, vel ab vno illorum. Particularius tamē nota, quod cum Geber in lib. Inuest. dicit corpora perfecta, id est Solem & Lunam nō indigere præparatione quoad perfectionem, cum sint iam perfecta seu perfectè præparata, sed ut magis perfecta fiant, subtilientur, soluanturq̃, intelligit solum de sulfure crasso dicto Marte: quod præparatum vocatur Sol & Luna, quia in eo apparet rubedo solis & albedo Lunæ: ut dicit Geber lib. 1. cap. 14. & 22. loquens de Marte: nam eadem res albificat & rubificat. Et illud omne corpus illuminat, quia est lumen & tinctura, ut dicit Geber lib. 1. cap. 14. Et si bene consideres præparationis modum Solis & Lunæ scriptum in fine in libro Inuestigationis, inuenies eandem esse quam superius dixi de sulfuris lotionē facta cum sale & aceto, & postea subtiliatio cum sale armoniaco, id est cum sua aqua Mercuriali, & tunc corpus fixum factum est verè spirituale ac subtiliatum. Ideo Geber in libro Inuestigationis, loquens de præparatione aceti acerrimi cum quo possunt præparari corpora imperfecta vel corpus imperfectum, & ab eo extrahi suum argentum viuum & sulfur radicalia, & cum his fieri nostra medicīna, dicit, Hæc aqua composita ex duabus aquis id est ex sulfure præparato & subtiliato, & argento viuo similiter soluto, ea est nostra medicīna, & est argentum viuum præparatum ab argento viuo præparato: & sulfur præparatum à sulfure nō præparato, & factum corpus spirituale & subtiliatum & attenuatum: Et quotiescunque Geber loquitur de soluendo aut subtiliando corpus purum & præparatū cū sale armoniaco id est cum aqua nostra Mercuriali, semper intelligit de hoc sulfure, nam neque argentum viuum neque arsenicum indigent illa subtilitione: & ideo Geber lib. 2. cap. 15 loquens de hac aqua Mercuriali sub nomine multarum aquarum acutarum, acerbarum & ponticarum, dicit causam inuentionis illius fuisse subtiliationem earum rerum, id est prædicti sulfuris, quod ante præparationem non habet fugionem aut ingressum, ideo amittebatur magna utilitas ipsius fixi spiritus, & per consequens arsenici, quod de illius natura, ut dicit Geber lib. primo capite decimo quarto, ideo vocatur sulfuris compar, &

sa-pe

sepe vocatur Luna. Et vnum sine alio non esset vtile, imò (vt dixi in libro dicto Apertorio) arsenicum est medium coniungendi argentum viuum cum sulfure, quoniam vtræque natura participat: Et Arnaldus in libro Flos florum dicit, Sperma non coniungitur cum corpore nisi Luna mediantem: quoniam anima est medium inter corpus & spiritum, & illa simul coniungit. **DIS.** Quia locutus es de fixis spiritibus, velim vt mihi declares dubium quoddam: Nam iuxta tuam sententiam medicina hæc fieri debet ex spiritibus: & hoc etiam confirmat Geber lib. 2. cap. 1. & lib. 3. cap. 10. Quod si spiritus non sint fixi comburuntur aut ab igne fugiunt: si fixi sint, non funduntur, quoniam terra sunt facti, ergo ex spiritibus haud fieri potest. **RAI.** Tuæ rationis vis erat in consequente ob insufficientiam: neque enim sequela valet si à superiori ad inferius affirmatiue arguas: ac si diceres, est animal, ergo est homo: ita non valet dicere, fixum est, ergo est terreum. Nam spiritus fixantur etiam sine conuersione in naturam terream, vt dicit Geber libro tertio capite sexto. Sulfur in principio suæ præparationis cum sale suo & aceto calcinatur & ad naturam terream conuertitur: & post perfectam præparationem, coniunctum cum suo argento viuo in vltima decoctione fixatur perfecte, & non conuertitur in naturam terream: Sed argentum viuum id est nostrum sal dictum Saturnus, fixatur & in terram conuertitur ob festinationem ad illius fixationem, quæ fit per præcipitationem aut descensionem id est distillationem, in qua corpora descendunt debilia id est oleum vel aqua Mercurialis & arsenicum reducta in aquæ formam aut olei paulatim in capello seu pileo bocia, à calcibus eorum, id est ab eo sale, cuius similitudo est veræ calci similis: Vide Geberum in secunda descensus causa. Et ob hanc distillationem aut præcipitationem, citò, id est in horis tribus consumitur substantia dicti argenti viui & in terram conuertitur, id est in fæces vstas in bocia fundo. Fixatur etiam dictum argentum viuum simul cum sulfure & arsenico in vltima decoctione per successiuam spirituum sublimationem, qui per bocia collum saliant: & hæc fixio longa est & tarda, vt inquit Geber libro tertio capite sexto. **DIS.** Profecto Geber iste hac in arte admodum excellens fuit: & quia illum diligo, mihi pergratum esset illius vitam intelligere. **RAI.** Paruam illius notitiã habemus, præter quam quod nonnulli dicunt eum esse Arabem, Persarum Regem, & partis Indiæ: atque vt scribit Aldimarus Parisiensis in suo dialogo, filius fuit filie magni Maumethes: pater eius fuit Baldechitarum Princeps, vt ismet Geber scribit in quodam suo libro de Regno. Patris nomen fuit Aycius cognomento Rasis Hebechee Philosophus: aut Harem, iuxta opinionem Hali Philosophi. Tantæ verò existimationis est is Geber in Aegypto, vt magnus Aristoteles illi cedat in triplici Philosophia: illi cedit Rabbi Moses in Algorismo, Hermes Trismegistus in Magicis, & Ptolemæus in Astrologia quadriuiã, illi cedunt: sed in sua scientia omnes Philosophi deferunt illi: Et Posteriores ab illo habuerunt veritatis eius scientiam, & merito ab eis magistrorum magister vocatus est. **DISCIPVLVS.** Merito illum commendas: Sed nisi tibi essem molestus, orarem vt hæc sua opera mihi declarares capitulatim, atque vt hanc præxim multis in capitibus sparsam ordine in libellum redigeres. **RAI MVNDVS.** Rem petis quam Philosophorum nemo vnquam aggredi voluit: Sed quia in me non regnat inuidia, & amore afficior erga te, ideo si ocium dabitur vt tibi satisfiat in hoc, libenter faciam: nihilominus in præsens talem operum illius notitiã tibi dabo, vt ex teipso facere possis quod ex me quaesiuisti. **DISCIPVLVS.** Tibi perpetuò deuinctus ero: Sed ad metallorum sermonem reuertentes, dixisti superius hanc medicinam fieri debere ex

vno solo metallo, ergo duo supradicta æqualiter bona esse non possunt hoc in opere. RAI. Verum est hanc medicinam ex ære fieri posse, tamen ferrum est melius, & facilius præparari potest: ac melius purificari, & huic arti propinquius est & plures habet virtutes cælestes quàm omnia & alia metalla: & omne id ratione & autoritate intelliges. DIS. Bene loqueris si ratione probabis: Sed mihi omne contrarium videtur: nam æs ferro præstat, quia minus terreitatis habet, & plus substantiæ argenti viui, & minus adustibile est. Et Geber etiam primo libro capite 21. dicit, Venerem in suæ substantiæ profundo ostendere auri colorem & essentiam, mediumq; esse Solis ac Lunæ, ac facile conuer- ti in vtrancq; tincturam, esseq; bonæ conuersionis & pauci laboris. RAI. Si de communi ære loqui volumus, dico si deberemus integram substantiam præ- parare, melius foret quàm ferrum: Sed nos quærimus solum spiritus radicales, atq; hi à communi ære non debent extrahi: Cum verò laudat æs Geber, dico illū intelligere de spiritu sulfureo superius nominato arsenici & auri nominib. illudq; ostendit colorem & essentiam auri, malleatur, id est subtiliatur ac solui- tur, quia participat naturam salis, & funditur ignitione & ignis expressione, vt argentum & aurum, id est vt illud quod compositum est ex sale ac sulfure: nam si illud esset solum sal, faciliter solueretur: si sulfur tantummodò, nō solueretur: ideo soluitur ignitione aludel. Cape ergo secretum ab illo. Superius dixi tria esse secreta, & tres vias, nempe sulfur, arsenicum, argentum viuum, & diuersam eorum præparationem: & quia compositum est ex sulfure & argento viuo, i- deo dicitur medium esse inter Solem & Lunam: & interdum vocatur Sol & Luna simul, interdum distinctè, & ita Geber intelligit sequenti capite dicens, Mars id est sulfur est longè præparationis ac duræ ob suæ fusionis id est solu- tionis impotentiam: quod si fundatur id est si subtiliatur & spargatur in aceto per putrefactionem sine medicina quæ illius naturam mutat, quæ est argentū viuum præparatum dictum Iupiter: & hoc facit in vltima decoctione, & non facit in putrefactione, in qua sulphur coniunctum est Soli ac Lunæ, id est ar- senico dicto Veneri, quod interdum Sol vocatur, interdum Luna: & separari nequit sine magna industria, quia multam affinitatem & conuenientiam in na- tura habent, vt dicit Geber in capite de Arsenico. Et lib. 3. capite septimo dicit In corporibus metallicis communibus duas esse sulfureitates, & superuenien- tem difficile remoueri: sed si præparetur, & lauatur ipsum sulfur (vt superius di- xi) in ea præparatione inuicem separantur, & post simul iterum coniunguntur & per decoctionē simul fixantur, nō mutant tamen in parte fixa ipsius sulfu- ris loti: supradictum ergo arsenicum & Venus facile id est vnica distillatione in vtrancq; tincturam couertitur, id est fit citrinum quia participat ex albo & ru- beo, & est bonæ conuersionis & pauci laboris, quoniam participat naturam salis: Et cum illo conuenit tutia, id est fumi illi albi aut aqua Mercurialis: ideo in distillatione ascendunt simul, & dicta aqua rubea est vel citrina ob ipsam Venerem, quæ submersa est & inclusa in ventre illius aquæ, & citrinitas illa bo- na est, & in hoc opere proficua. Ideo Geber lib. 2. cap. 12. dicit, inquisitionem olei fuisse vt haberetur illius color qui cum illius aquæ substantia permistus est: & hoc nobis auxiliari potest in opere: sumus tamen ab ea aqua excusati ab induratione ac fixatione spirituum: nam quando in corporum humanorum me- dicina ponitur, non possunt nec debent fixari: cape igitur illam Venerem su- per alia corpora imperfecta id est sulfura, in opere minori id est in præparatio- ne: vult dicere q; facilius preparatur quàm sulfur: & in opere medio id est in de- coctione vltima: Et hoc intelligit in medicina pro humanis corporibus, quo- niam facile in dulcedinē conuertitur, & forte non accedit sulfur dictū Mars: sed
in me-

in medicina minerali Mars est melior, quia eius substantia fixior est & fixatiua sed in ordine maiori, id est in multiplicacione (quæ inuenta fuit vt opus abbreviaretur) neque Venus neque sulfur apponuntur: Sed cum vna parte medicinae fixæ ponitur multum argenti viui aut salis præparati dicti Iouis, & cum hoc fit multiplicatio: nam hoc soluit medicinam fixam, & medicina fixa congelat & fixat illud: ita ex terra fit aqua, & ex aqua terra. Istud voluit significare Geber lib. 4. cap. 18. dicens, Considerauimus ob examen istius magisterij, Iouē approximari maximæ perfectioni in opere maioris ordinis id est multiplicacionis: Et libro tertio capite decimo nono, dicit Iouem approximari maximæ perfectioni, id est medicinae fixæ, quia plus de perfectione participat id est de argento viuo: Et quia illud habet substantiam viscosam, ideo multum adhæret Soli ac Lunæ id est arsenico: nam vt dicit Geber lib. 1. cap. 20. Illud Soli ac Lunæ conuenit, id est arsenico dicto Soli ac Lunæ: Et non semper ab illis separabitur. Et qui sciet illi eleuare vitium fractionis corporum, id est, qui sciet remouere & consumere humiditatem aqueam, quæ frangit id est soluit corpora sulfurea, statim gaudebit vtilitate illius Iouis. D I S. Ex sufficienti diuisione mihi videtur vt velis concludere inter omnes mūdi res nō esse meliorem nec arti nostræ propinquiorem ferro communi, R A I. In hoc est occulta hæc medicina. D I S. Nunquam hoc cogitasse, imò contrarium credebam: nam Philosophi dicunt esse ex magis distantibus à veritate huius artis: & est magis vile inter omnia metalla, quia minus habeat argenti viui. Et Geber lib. 3. capite 9. dicit, corpora imperfecta quæ plus habent argenti viui, propinquiora esse perfectioni. Et libro prædicto capite septimo, dicit ea corpora quæ plus habent argenti viui, maioris esse perfectionis: & quæ minus habent, minoris esse perfectionis. Et priuatim loquens de Marte libro primo capite vltimo inquit, Mars inter corpora imperfecta in transmutatione, est tractationis aut præparationis difficillimæ, laborisq; longissimi, ob suæ fusionis impotētiam. Et hoc idem fatetur multis in locis. R A I. Quando Razes clarè locutus est de Marte, tunc locutus est de supradicto sulfure crasso, quod quia minus habet argenti viui, & magis terretum ac sine fusionem est ante præparationem: & est sine solutione, quia non habet naturam salis: Ideo magis imperfectum est omnibus alijs metallis intrinsecis: Et quia est quasi extrinsecum arg. viuo suo, ideo separatur ab illo, neq; vniri potest sine subtilissimo artificio: & eius præparatio longissima est ob multam vnctuositatem, terretatem, ac duram solutionem: hac de causa dicitur esse ex magis distantibus à veritate huius artis. D I S. Semper hoc refugium habes de metallis intrinsecis: Geber dicit se manifestasse materiā hanc pluribus in locis ac diuersis capitib. Si dices ergo materiā illā esse Martem, ac per Martē intelligam sulfur, ergo quando dicit cape Martē, capiā sulfur solum, & in errore versabor: aut materiā hāc aliter nominauit q̃ Martem, atque hoc pacto non manifestauit, sed occultauit. Quando igitur discernere potero quòd per ferrum ille de communi ferro intelligat aut de sulfure? R A I. Quando Geber & alij Philosophi dicunt Martem esse calidum & siccum, atq; rubeum, & tingere Lunam, illiq; attribuunt supradictas proprietates, & apertè de sua præparatione loquuntur, tunc sis cautus, quia de suo sulfure intelligunt. D I S. Nonne Geber scribit huius artis praxim? R A I. Scribit. D I S. Illum igitur loqui oportet de præparatione ferri communis, si in illo sit secretum. R A I. Loquitur, sed occultè, id est in capitibus generalibus quando loquitur de metallorum præparatione, marchasita, sulfure, argento viuo salibus ac similibus. D I S. quomodo ergo secretū hoc manifestauit & hāc materiā in diuersis capitibus? R A I. Plurib. in locis is dixit Philosophorū secretū

esse in Marte, quodq̃ illum accipere debeamus: & quanuis sermo ille intelligi posset de sulfure, aut videatur in aliud propositum dictum, tamen illi sufficit dixisse maximum secretum esse in Marte. & de hoc etiam allegauit aliquas rationes: quę quanuis ad aliud propositum videantur, tamen cōcludunt de Marte. **D I S.** Istud est quod summopere scire desidero: nam est conclusio eius omnis quod mihi dixisti. Incipias ergo authoritates narrare, & postea rationes adduces. Lib. 1. cap. 15. dixit, argentum viuum facile omnibus metallis adherere; sed Marti nullo modo nisi per artificium: ab isto certē seligit & capit maximū secretum: ab isto, id est à Marte. Lib. 3. cap. 9. dicit, Iouem approximari perfectio: Saturnū minus, & minus Venerem, ac multo minus Martem, à quo perfectio depēdet à quo id est à Marte depēdet huius medicinę perfectio (Quāuis alicubi textus hic sit deprauatus) & in supradicto loco dicit, causā impedimēti cuiusq̃ fusionis esse sulfur fixū: ab hoc certē colligere potes maximum secretū: ab isto, id est à sulfure fixo, per quod intelligit ferrum cōmune: nam maior illius pars est sulfur fixum & terreum, ideo non funditur. Et denominatio fit à prædominante: & hoc modo illud intelligitur quod dixit libro 3. cap. 7. loquens de sulfure fixo: nam vt dixit lib. 2. cap. 18. octauo, Corpora imperfecta fixantur per suam calcinationem, & partes subtiliantur per ignem: sed partes salis quę à corpore fixo & calcinato resoluuntur soluantur vt ait libro 3. cap. 7. Dicit etiam Geber in Testamento, Martem qui substantię sit fixę, ideo meliorem esse inter cętera corpora: & hoc intelligi potest de ferro communi, & de sulfure suo. In primo etiam libro capite decimo septimo dicit omnia metalla conuenire auro, & vltimum esse Martem: & hoc esse vnum ex naturę secretis. Et lib. 3. cap. 6. loquens de Martis essentia, in fine concludens dicit: Laudetur ergo benedictus & gloriosus Deus altissimus qui illum creauit, & illi dedit substantiam & proprietatem substantię, quę nulli rei in natura conuenit, vt in illa villo artificio perfectio hęc inueniri possit, quia in illo potentiam propinquam inuenimus: Nam ipse (sua in calce) ignem superat, & ab eo non superatur: sed admirabiliter in eo requiescit, illo gaudens (quā semper fit perfectior.) Hoc idem Arnaldus in Rosario scripsit dicens, Manifestum est corpora esse maioris perfectionis, quę plus habent Mercurij: & quę minus de illo continent, sunt minoris perfectionis. Laudetur ergo rerum omnium optifex Deus gloriosus & benedictus causator optimus & altissimus, qui ex vili preciosum creauit. **D I S.** Quid volebat significare magister Arnaldus? **R A I.** Volebat dicere quod à viliiori corpore metallico, id est à ferro communi, quod in natura sua & penes vulgum vilius est, Deus creauit hanc preciosam medicinam: & quanuis in aliud propositum exire velle videatur, nihilominus illi & Gebero satis est secretum manifestasse illorum loquendū modum intelligentibus. Rudienus Philosophus aperte manifestat secretum in Marte, dicens, Scimus omne metallum in suo occulto continere Solem & Mercurium: & nos iam extraximus à ferro argentum viuum, & ex illo postea facta est medicina, & ex illius colore bonum opus fecimus in ignium termino. dicit etiam supradictus: Dico maiorem petram esse Mercurium: & iste est qui extrahitur à lapide quem dicemus: exponemus ergo quid sit ille lapis, & modum extrahendi argentum viuum ab eo. Lapis ergo ex quo elicitur argentum viuum, ubiq̃ inuenitur, omnes habent, & homines eo indigent, nomen eius est Mars: illum ergo cape & bene contere subtiliter & lava. Senior Philosophus dicit: Loquitur ferrum & dicit, Ego durum ferrum, ego forte, conterens, contrito ex me bonum omne hac in arte est, & lux, & secretum secretorum per me generatur. Dicunt etiam Auicebron & Razes, Corpus ferri est corporibus fortius

tius, & est Indorum lapis, & eorū voluntas magis in illo est quā in aliō corpore: illud elegerunt sapientes. **DIS.** Sīnas pro nunc has sententias: si aliquam rationem habes, prome: nam ratio me magis in veritate confirmat. **RAI.** Superius dixi, quod iuxta Geberi sententiam in Testamento, Mars quia substantiam habet fixam, est inter alia corpora melius: Et quanvis per Martem intelligi possit de sulfure arsenici respectu, quod est minus fixum, tamen etiam de ferro intelligi potest communi, quoniam nullum metallum habet tantum sulfuris fixi quantum ferrū commune: in præsentiārum verò per substantiam fixā intelligo substantiam terreā: namq; vt dicit Geber lib. 3. cap. 6, Si sulfur fixum terreum mistum fuerit cum argento viuo terreo, ex his fiet ferrum commune. **DIS.** Hæc non videtur mihi ratio, sed irrationalitas, credere vt ex maiori terrestreitate sit cæteris melius in opere nostro: nam medicina nostra fit ex materia purissima & separata ab omni terreitate superflua. **RAIM.** Non dico ferri terreitates esse hoc in opere bonas, sed aio spiritus natos & nutritos in ferri terreitate meliores esse & efficaciores spiritibus alitis in pauca aliorum metallorum terreitate: & hanc ego rationem scripsi in libro Secretorum naturæ dicens, Terra ob virtutem radiorum corporum cælestium qui continuè in illam influunt, continet tres principales partes, nempe animalem, vegetabilem, & mineralem: & est productiua rerum adeò terribilium vt narrari nō possint: id quod alijs elementis non euenit: Et quanto res aliqua magis in terrestre elementum descendit, eo magis in cælesti virtute crescit: Ergo aquæ & spiritus qui sunt terrestri elemento immersi, ob similitudinē in materia naturali, imitantur & trahunt proprietates ac virtutes materiæ ac loci. **DIS.** Mihi videtur te eo in loco loquutum esse de elementis mundi maioris. **RAI.** Volentes Philosophi occultare hanc scientiam, scripserunt eam sub elementorum nomine, & nominarunt ferrum, minorem mundum: & quia plus terram participat quā alia elementa, ideò spiritus & aquæ illius sunt alijs virtuosiores, & illi sunt nominati vegetabiles, animales & minerales: & hac de causa Philosophi nostri allegant diuinam illam sententiam: Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, solum ipsum manet, si autem mortuum fuerit multum fructum affert. Alia ratio allegari potest ad probandum ferrum quātumcunq; alijs metallis terrestrius sit, tamen esse perfectius post præparationem: Nam in se habet omnes causas corruptionis, quas Geber scripsit lib. 3. cap. 6. Et facillè corrumpitur: Et quia suæ terreitates non sunt bene commistæ, & non habent affinitatem vel conuenientiam cum parte radicali, ideò melius & facilius in ferro separatur quā in alijs metallis, Ideo Albertus lib. 4. Meteor. tractatu 4. cap. 5. dicit, Ferrum est malleabile & etiam liquefactibile cum forti igne, tamen multum habet terræ, & est mirabile in sua terrestreitate: Quoniā quando aqua facilius patiatur ab igne quā terra, tamen in ferro citius à commisto soluitur terra & comburitur quā substantia magis aquea. Et huius causa est, quia terreum quod est in ferri compositione est lutulentum, non bene depuratum, nec bene commistum. Huius signum est quia facillè rubiginem cōtrahit, & quando in igne comburitur, multæ adustæ terreitates ab eo cadunt, quoniam terrestre illius porosum est, & ignis ab omni parte potest illud comburere. Idem confirmat Geber lib. 4. cap. 14. loquens de hac calcinatione ac separatione sub nomine cineritij dicens, Corpora illa imperfecta quæ plus habent terreitatis, minus in hoc examine perdurant calcinationis & separationis, quia citius calcinantur, & eorum terreitates facilius separantur: Sed quæ metalla minus habent terreitatis, plus durant in eorum præparationis examine, quia difficilius corrumpuntur: & eorum partes terreæ diffi-

culter separantur: Et manifestè ubi supra dicit, Martem & Venerem necessariò separari à commisto plus quàm omnia alia metalla: Et rationem adducit eo in loco & in sequenti capite. Quoniam eorum terræ diuersæ sunt in substantia à parte radicali: Et ob hoc resultat fusio diuersa, & spissitudo & raritas quæ sunt eorum separationis causa: Hæc ratio confirmatur ex eo quod dicit Geber libro secundo capite septimo loquens de Mercurij sublimatione. Dicimus ergo ingenium separandi terram superfluam à Mercurio id est sale, esse commitionem cum rebus, cum quibus affinitatem non habet, & multoties sublimationem seu distillationem eius à facibus reiterare: Et hæc res sunt veluti talcum, & calx corticum ouorum, & marmoris albi similiter, & vitri minutissimè triti, & omni genere salis præparati & similium: ab his enim mundatur, sed ab alijs cum quibus conuenit, non mundatur, præterquàm à corporibus perfectis, à quibus si posses eximere, mundum esset: quia munda sunt in radice. D I S. Mihi videtur in eodem capite contradictionem haberi: nam loquens de hac sublimatione Geber dicit, Quando videbis argentum viuum vt nix albissimum, & veluti mortuum adhærere lateribus alembici, tunc reitera super eum suam sublimationem sine facibus. Primò dicit eius sublimationem reiterari debere cum facibus, postea dicit sine facibus. R A I. Dicerent aliqui primam & secundam sublimationem non esse eandem, & primò deberi cum facibus sublimari, & post sine facibus: Sed illa est vnica sublimatio id est solutio: Ideo scire debes quòd quando volumus nostrum sal distillare, quod est arg. viuum mortificatum, album est, & pariter suæ terræ sunt albæ, & habent cum talco similitudinem & marmore albo, & alijs facibus supradictis cum quibus affinitatem non habet, & ideo faciliè separari possunt à sale ferri. Ideo Geber non intelligit vt artificialiter imponantur faeces illæ extraneæ: Sed vult dicere naturaliter esse coniunctas aliquas terreitates, cum quibus non habet in natura affinitatem: & ideo non impones faeces extraneas, quia vt dicit Geber lib. secundo cap. 9. Quicquid ignitione sublimari debet, debet sine facibus sublimari quia in seipso habet faeces sufficientes, imò superfluas: & huius signum est suæ sublimationis difficultas: Certum autem est in arsenici sublimatione qua terreitates à dicto sale separantur, sublimatur cum ignitione vt dicit Geb. libro secundo cap. 2. ergo non requiruntur faeces extraneæ: Et quicquid supradixi declarat Geber in loco vt supra, dicēs, Separatio facum ab ipsis salibus sublimandis est possibilis ob solutionem salium, quæ res alijs non conuenit: vt dicit Geber libro secundo capite decimoquinto & cap. 11. in tertio Descensionis causa, id est distillatione & solutione supradicti salis: & in libro Inuest. capite de præparatione aceti acerrimi, & sequenti. D I S. Vellem vt declarares aliud dubium: Geber dicit in 2. lib. cap. 2. loquens de facibus à quibus debemus spiritus sublimari, quòd debeat materia eligi cum qua magis conueniant spiritus sublimandi, & cum qua vniantur profundius & per minima: Et eo in loco rationem adducit huius: ergo istud contrarium est illi quod superius dixit, nempe quòd volentes nos sublimare argentum viuum debemus illud cum facibus vnire, cum quibus neque affinitatem habet neque conuenientiam. R A I. Superius satis huic dubio respondi: Cum enim Geber dixit, debere nos faeces eligere cum quibus conueniunt, voluit significare ne extraneas faeces acciperemus, sed vt sublimaremus cum facibus naturaliter per minima unitis & fixis id est terreis: Et hoc loquendi modo multi Philosophi vtuntur: nam dicunt, Cape talem vel talem rem & misce simul: & nihilominus nihil earum rerum apponitur: sed hoc faciunt vt indignos decipiant: & per illa verba significare volunt, in sua materia naturaliter unitam esse vnā vel alteram rem quæ

quæ cum illis similitudinem habent : Sed quando Geber dixit vt fæces caperemus cum quibus ipsum argentum viuum non habet affinitatem vel conuenientiam, voluit significare, illas terreitates argenti viui Martis non habere affinitatem vel conuenientiam cum illo (vt habent aliorum metallorum terreitates) quanuis naturaliter & per minima sint vnitæ: ex superiori ratione sequitur, spiritus à ferro sublimatos puriores esse quàm si à quocumq; alio metallo sublimarentur. Nam terreitates & alia accidentia superinducta primæ materiæ radicali, melius possunt à ferro separari cum quo affinitatem non habent neque sunt bene commista, quàm in quocunque alio metallo, cum quo maiorem symboleitatem & conuenientiam habent, atque arctè commista sunt. Aliam huius rationem adducit Geber lib. secundo capite secundo, nempe quia ferri fæces fixæ sunt id est terreæ, quæ in sublimatione aut solutione ascendere non possunt, & spirituum immunditiam secum in fundo bociæ retinent, ita vt spiritus possint puri & mundi ascendere. Ferrum quia terrestris est & crassius in natura cæteris metallis, quæ sunt magis aquea magisque subtilia in substantia, ideo melius est alijs: Nam eius Mercurius id est sal preparatus vnitur cum suo sulfure non solum vt cerationem præbeat & facilem fusionem illi, sed etiam vt seruet illud à combustionione: nam est proprietas salium præparatorum vt ante fusionem haud vrantur, & vt spiritum sulfureum commistum saluent à combustionione, vt dicit Geber lib. 2. cap. 15. Spiritus ergo Mercurialis qui post æquales præparationes seruabit magis naturam corpoream sui salis, tuebitur magis spiritus sulfureos à combustionione: Nam quo is subtilior est & solutior eo magis ad ignis naturam accedit, & tanto citius comburitur, vt dicit Geber libro 2. cap. 2. Sed certum est quod si omnes metallorum spiritus Mercuriales æqualiter præparari possent, Martis spiritus seruaret magis crassam & corpoream naturam, idcirco minus combureretur, & melius seruaretur sulfur à combustionione: & hoc probat Geber libro 3. cap. 7. dicens, Subtilior res in sui natura, si ad naturam terream reducatur, id est si calcinetur, & in salis naturam reducatur, magis subtiliatur, ergo magis soluitur. Quoniam verò metalla omnia sunt in ipsorum natura subtiliora ipso ferro, ideo æqualiter præparata magis subtiliantur & soluuntur, & facilius comburuntur: hoc totum fatetur Geber libro quarto, capite decimo quinto loquens de sulfure sub Martis nomine, dicens, Quando Mars vnitur corporibus multæ humiditatis, illa combibit ob priuationem multæ humiditatis, & ideo illis coniunctus non inflammatur neque comburitur, nisi sint inflammabilia vel combustibilia corpora cum eo commista: idem confirmat Isidorus dicens, Stannum tuetur alia metalla ab igne: & quanuis æris natura & ferri durissima sit, si fuerint sine stanno, comburentur. Per stannum, æs, & ferrum, intelligit de supradictis intrinsecis. Vincentius quoque in suo Naturali libro septimo, capite nonagesimo dicit, Sal qui cum limatura corporis in igne miscetur, in igne tuetur illam ne comburatur: per limaturam corporis, intelligit sulfur præparatum vt argenti limatura. Albertus etiam libro quinto Mineralium capite primo dicit, proprium esse omnium metallorum, id est imperfectorum, vt videantur incompleta esse in specie, & ideo sunt in omnia conuertibilia: Et restringens hanc possibilitatem solummodo ad Martem sub nomine sulfuris libro quarto, capite primo, probat illum esse inconcoctum & non terminatum: Et dicit hanc eius intemperiem facere, vt is omnium elementorum materia vniuersalis esse queat, & in omnia metalla conuertibilis: nam ipse abundat magis sulfure alijs metallis. Alibi Alber. probat à ferro debere nostram medicinam extrahi: nam illud est proprium minerale medium à natura incoctum: non tamen vt ex eo

per naturam aliud generari possit, sed quia ab eo per artificium hæc nostra medicina generari potest: Ideo libro quinto, capite primo ita dicit: Quicquid aliqua ex parte lapidum passionem participat, & ex parte metallorum proprietatem, dicimus illud esse medium minerale: nam lapidum proprium est non liquefieri, metallorum autem liquefieri in calido sicco: Et ideo lapides sunt in genere siccorum & terræ: metalla verò in genere humidorum: Quoniam autem hæ proprietates ferro conveniunt, ideo illud est verum minerale medius: Et quia multam terreitatem participat & substantiam saxeam: qua non funditur, ideo à Philosophis nominatur lapis. D I S. Albertus lib. 5. cap. 6. probat marchasitam esse hoc minerale medium, neque de ferro loquitur. R A I. Ob substantiæ convenientiam & nominis, Philosophi sub marchasitæ nomine locuti sunt de ferro communi: Et quia, ut dicit Albertus ubi supra, Medium habet naturam informem, & formatam & distinctam, extrema possident: Ideo extrema formata & distincta per artem & naturam reducuntur à medijs. Et valde considerare debemus mediolorum naturam ad metallorum transmutationem quia in illis est multa scientia eorum quæ quærimus & conamur invicem convertere. Omne id brevibus verbis ipse Alb. lib. 3. Miner. cap. 8. concludit, dicens, Ars hoc modo procedit, nempe unum metallum corrumpens illudque à specie sua removens, & cum auxilio rerum quæ sunt in ipsa specie metallica, inducens speciem alterius metalli. Multas laudes Antiqui ferro attribuere: inter quas hæc una est, Quod dicant ferrum esse propriam mineram argenti vivi Philosophorum, Razes in lib. Divinitatis dicit, Occultum ferri est arg. vivum. Ildorus lib. 16. inquit, Argentum vivum præcipue in metallis reperitur, & tantæ est virtutis, quod si ponas centenarium saxorum super sextarium (vel modicum) arg. vivi, statim resistit gravitati: quod si superponas auri scrupulum, statim eius levitatem in sinum suum recipit. D I S. Haud assequor qui possibile sit, ut argentum vivum possit tantum lapidum pondus sustinere. R A I. An non cernis Ildorum loqui de arg. vivo quod in metallis est, & maxime in ferro: nam illud sustinet multam lapidum substantiam: sed si eius Mercurium distilles, in eo distillato submergitur eius sulfur dictum aurum, ut inquit Geber lib. 1. cap. 15. Dicit Aros Philosophus: Cape sal commune, sed dico omnibus metallis commune: neque intelligas sal marinum: Et scias quia non agnosco aliud sal, neque aliud atramentum, eo excepto quod in capillis Virginis Paschalis stat. D I S. Nescio quæ sit Virgo Paschalis. R A I. Antiqui hanc scientiam occultarunt non solum scripturis, sed etiam varijs picturis, characteribus, cifferis, monstris, & animalibus: Ideo in ipsorum templis pingebant illas poeticas fabulas, in planetis, signis celestibus, monstris, animalibus, & alijs signis: neque intelligebantur præterquam ab his qui huius scientiæ notitiam habebant. Virginem Paschalem pingebant in forma mulieris, capillis post humeros sparsis, in quorum summitate erat Mercurij character, in medio erat dimidia Luna, in extrema autem parte Solis character. D I S. Quid hæc res significabant? R A I. Virgo Paschalis, herba est naturalis, quæ cum Marte similitudinem habet: Ideo Philosophus loquens per similitudinem, dicit se aliud sal aut sulfur non agnoscere, illo excepto quod in partibus subtilibus & radicalibus ferri situm est: sed Mercurius præparatus aut aqua Mercurialis, subtilior est altiusque volat sale non præparato dicto Luna: & sulfur dictum aurum ob suum colorem rubeum aut citrinum, est istis gravius. Dicit etiam Rudienus Philosophus, Huius operis initium est quando Sol erit in ariete. Et Arist. in lib. Secretum secretorum ad Alex. dicit, Ver tunc incipit quando Sol arietis signum intrat. D I S. Credo eos loqui de primo ignis gradus id est de putrefactione, qui esse debet levis, id est calidus & humidus, ut est aer tempore veris. R A I. Satis bene intelligis: sed quia aries est domus Martis, ideo

ideo dicere volunt principium materiale huius medicine esse Martem. Razes in lib. Diuinitatis dicit, Accipe petram post ingressum Solis in arietem: & ibi dem ait, Dico hanc rem esse animalium calidiorum & ceteris meliorum, id est hominis, cuius complexio sit cholerică. D I S. Superius dixisti, hanc medicinam haud fieri ex animalibus, nunc verò dicis ex homine fieri. R A I. Hic homo calidus & biliosus est ferrum: Razes dicit, Mars in profundo est calidus & siccus, igneus & cholericus, ideo homines qui sub Marte planeta nascuntur sunt bellicosi & cholericı. Ferrum vocatur homo sanus & iuuenis, quia purum est in radice, & quia durum est & forte. Vocatur homo quia habet animam, corpus, & spiritum (vt superius dixi) bonum istud metallum, quanuis genitum sit virtute omnium stellarum & planetarum, est tamen specialiter in terra genitum virtute potentissimæ & virtuosissimę polaris stellę dictę Septentriones: ideo acus posita super magnetem nauigantium, semper ad Septentrionem vertitur tanquam ad suum simile: ideo ferrum vires habet & proprietates illius stellę. Superiora occultarunt Antiqui dicentes, Demogorgonem fuisse omnium gentilium Deorum proauum, & ab omni parte circumdatum tenebris, nebulis, & caliginibus, deambulare in medijs terrę visceribus, inibiq; absconditum manere, indutum quodam pallente viridi, & neglecta humiditate, euaporare terrestrem odorem horribilem ac foetidū, non genitum ab aliquo, sed æternū, & omnium rerum patrem. D I S. Quanuis hæc mihi videatur deformis chimęra, tamen etiam tua mihi placebit interpretatio. R A I. Demogorgon Gręcę, Latine Deum terrę significat, vel Deum terribilem, & ferrum significat: proauus est omnium gentilium Deorum, quoniam ab eo cuncti deriuarunt, vt superius dixi in illarū fabularum expositione: ab omni latere circumdatus est nebulis & caligine, id est terrestri substantia: deambulat in medio viscerum terrę quia sub terra generatur ibiq; nutritur: dicunt illum æternum esse, neq; ab aliquo genitū, quoniam ante terram aliaq; elementa, nulla est res elementata: Indutus est quandā humiditatem neglectā, nempe æruginē, & quandam pallidā viriditatem, id est vitrioli terrestris & sulfurei: projicit odorem terrestrē horribilem ac foetidum id est sulfureum ad ignē positū: est rerū omnium pater, quia omnia sunt in eo secundū aliquā similitudinē: Hinc (vt inquit Boccacius lib. de Genealogia Deorū gentilium) Antiqui attribuerunt eternitatē, & chaos pro socijs: æternitas est arg. viuum præparatum, quod vt dicit Plinius lib. 33. est liquor æternus. Et istud arg. viuum Claudianus nominat serpentem, qui in coagulatione comedit & deuorat caudam suam, id est, aquam Mercurialem ab ipso arg. viuo distillatam in forma caudę serpentis & draconis: Chaos est illud sal terreum dictum Saturnus: est enim materia, in eaq; res omnis est informis, nempe Sol, Luna, stellę supradictę, quę suum lumen non dant, quatuor elementa, res vegetabiles, animales, & minerales, atq; vt ait Claudianus, cum Demogorgone habitant diuersi metalli figurę. Et ego dixi omnia Philosophorū metalla in ferro esse. Primus Demogorgonis filius fuit Litigius, id est, sulfur illud dictum Mars, quod in putrefactione tumultuatur in ventre chaos, id est illius salis, quia separari vellet, cum sit diuersę naturę ab illo: ideo aperto istius chaos ventre, id est soluto in aceto, Demogorgon extensa manu sua Litigium exemit, id est sulfur illud dictum ferrū: per Demogorgonis manum, significatur illud aliud sulfur dictum arsenicum: quia vt supra dixi, Mars eleuatur cum arsenico, & quia superius dixi per Vulcanum & Martem idem significari, & Vulcanum subito natum, quia deformis esset, fuisse in Lemnum insulam proiectū: ita dicunt hunc Litigium illico natum, quia turpis erat ob adustiam vinctuositatem, proiectum fuisse in auras id est in aquas distilla-

tas, vbi laetatur, subtiliatur, & in altum volat, nempe in illas aquas, nam non poterat inferius descendere, quia arsenicum illud quod exemerat illum, seu separauerat ab eius salis ventre, est omnibus rebus inferius: nam ipsum in terrae centro ipsius salis habitat. DIS. Longa fuit haec expositio, de qua quia iudicare non possum, ideo hac declaratione contentus ero quia tuis verbis credo. RAI. Nonne dicunt Poetae Vulcani rete chalybeum fuisse? Et vellus aureum, tauros & dracones fuisse Marti dedicatos? DIS. Dicunt. RAI. Volunt significare, aquam Mercurialem, aurum Philosophorum, & Mercurium, omnia ex ferro constare: ferrum est lapis ille qui vili venditur precio respectu aliorum metallorum. In Lilio scriptum est, Philosophi tam diuersimode hunc lapidem nominarunt, ne insipientes agnoscerent: nam si cognoscerent, non venderent vili precio ut faciunt. In Philosophorum Turba, Lapis quem quaeritis, publice ac vili precio venditur. DIS. Iamdudum volui tibi dicere, quod cum Philosophi de lapide loquuntur, aliam habent intentionem quam ut medicinam parent pro humanis corporibus. RAI. Scripsi in libro Secretorum naturae, omne fieri ex vna sola materia. DIS. Superius allegasti Morienum, ac dixisti, in materialium pondere pro hoc opere nihil expendendum esse, quia sit re vilissima: non est tamen admodum vile ferrum: Nam in Lilio scriptum est, Scitote huius artis fundamentum, pro quo multi periire, est res magis tincta, fortior, & sublimior omnibus rebus apud Philosophos: apud vero insipientes vilior est omnibus rebus. In Turba Philosophorum, Non est istud nisi ut sapientes dixerunt, id est, diuiti ac pauperi, liberali & avaro, ambulanti & sedenti, communis: nam in vias projicitur, & in sterquilinis teritur. Alpidius dicit, Secretum hoc non emitur precio, & in vijs proiectum inuenitur, ut quivis pauper habere possit. RAI. Concedo Martem reduci veluti in lapidem vilissimum, ex quo fiat haec medicina. De hoc lapide Arist. ad Alexandrum dicit, Accipe lapidem vegetabilem, animale, & mineralem: qui non est lapis, neque lapidis naturam habet. Arnaldus dicit, Lapis est in similitudine ac tactu, non in natura. Hali Philosophus ait, Sunt & non sunt lapides: sed nominamus lapides ob similitudinem quam cum eis habent. DIS. Concedo medicinam, cum finita est, habere lapidis formam viliis apud ignaros, & non esse lapidem: Et idcirco haud dicere debemus materiam, ex qua fit haec medicina, vilo modo lapidem esse, nisi dicere vellemus, omnem rem in quatuor elementa diuisibilem, aut in igne non combustibilem, nominari lapidem. RAI. Dico materiam, ex qua fit haec medicina, similitudinem vilissimi lapidis in operis initio habere, non autem in fine: Et hoc omnes Philosophi affirmant, & dicunt nos debere accipere lapidem illum vilem, & illum preparare, & projicere superfluitates & immunditias: hoc autem intelligi non potest in operis fine: nam medicina facta, si lapidis habet similitudinem vel oui, non existimatur viliis aut preciosa penes insipientes, quia illius nullam habent cognitionem, qui vero eam cognoscunt, eam super omnem rem appreciant: neque verum est, Omnem rem quae diuidi possit in quatuor elementa, aut in igne non comburitur, nominari lapidem aut lapidis similitudinem habere: sed Philosophi significare volunt, eorum materiam esse vilem lapidem, quae in igne non consumetur, & potest in quatuor elementa diuidi: illamque fundamentum esse huius artis. Hali Philosophus inquit, Lapis iste omni tempore inuenitur, & vbiq; et apud quemcumque hominem: cuius intentio non aggrauat quaerentem vbiq; sit: & est lapis vilis, niger, foetens, neque precio emitur. In Philosophorum Turba, Res ista lapis est, et non est lapis, vbiq; reperitur, res est vilis et preciosa, obscura & occulta, et omnibus cognita. Senior Philosophus inquit, Interrogatus Rex Marhos de lapidis cognitione, dixit, omnis homo illum cognoscit & qui

& qui illum lapidem non agnoscit, nihil cognoscit. D I S. Dic tandem dare qui nam sit hic lapis tam vilis, qui in igne non comburitur, & in vias projicitur. R A I. Quia (vt tibi dixi) in me non regnat inuidia, & cupio multis fidelibus Christianis prodesse, ac maxime tibi, quem tuas ob virtutes amo: ideo tibi dico, ferri excrementum seu scoriam vel calcem, Italicè loppam, quæ in igne generatur, & à fabris ferrarijs, seu ferri fusoribus in vijs projicitur. Illa, inquam, est Philosophorum vilissimus lapis, habetq; lapis similitudinem & non est lapis, solaq; omnes habet proprietates, quas Philosophi dicunt de ipsorum lapide. D I S. Quomodo hæc est vegetabilis, animalis, & mineralis? R A I. Superius dixi, nostrum metallum habere in se has res omnes: de hoc lapide loquebatur Albertus lib. 1. Min. capite 4, dicens, Empedocles satis Hermete posterior, confirmavit lapides ab ardenti calore genitos esse. D I S. Quomodo hæc esse potest virtuosissimus Philosophorum lapis, cum sit exusta terra, in qua aliquid efficax esse vix potest: nam quum tam longo tempore fuerit in magno igne, credibile haud est in ea relictam esse sulfuris substantiam & argenti viui, vel aliorum spirituum. R A I. An nō dixi tibi rem omnem in igne comburi, excepto calido & humido, radicalibus metallorum, atq; ex his medicinam parari nostram? Et quamuis arida videatur & sicca dicta calx atque humiditatis expers, tamen si experieris, inuenies omnia superius dicta. De hac calce loquebatur Geber lib. 2. cap. 7. dicens, Argenti viui sublimatio melior est à calce, quàm ab omnibus alijs mundi rebus, quia parum cum illo conuenit, neq; sulfureitatē habet. (vbi textus dicit talcum, error est.) D I S. Non nominat ferri calcem Geber. R A I. Vt tibi superius dixi, Geber concludit arg. viuum debere sublimari seu eximi ab illis metallis, cum quibus neque conuenit, neque affinitatē habet: Quoniam verò ferrum non conuenit, neq; affine est arg. viuo, ideo ab eo extrahi debet. Sed quia, vt dicit Geber in Testamento in capite de loue, corporum calcinatio est breuior ad perfectionem viā, idcirco Geber ipse dixit, fore melius extrahere argentum viuum Philosophorum à calce ferri, quàm à quacunque alia re: quia illius terreitates parum conueniunt illi, neque habet adustibilem sulfureitatem, aut immundam in radice. Quòd si leges cap. 2. lib. 2. Geberi vbi de fecibus ac calcibus metallorum loquitur, ex his quæ tibi superius narraui sine alia declaratione ex te intelliges: nam sulfur & arsenicum coniungi debent cū alicuius rei fixæ fecibus, vt sunt calces Martis, in quibus naturaliter coniunguntur supradicti spiritus, ac profundè & per minima: atq; cum illis conuenire dicuntur, quia ex natura vniuntur: ideo ipse dixit. Experientia illum scire hoc esse necessarium qui hoc vidit & cognouit: nam quando sublimauit à re extranea ab illorum natura, frustra sublimauit: quia nullo modo illos depuratos inuenit post ipsorum ascensionem. Si verò sublimauit cum calce alicuius corporis, tunc bene sublimauit, & perfectè ac cum facilitate mundare potuit. Est ergo facum intentio vt administrentur metallorum calces, nam in illis facilis est sublimationis labor, cum alijs autem rebus est difficillimus. Nihil est igitur quod earum loco stare possit. Non dicimus tñ sublimationem esse impossibilem sine corporum calcibus, sed difficillimam longissimiq; laboris & prolongationis vsque ad desperationem: Hæc sunt magistrorum magistri verba. Quid ergo dicent hoc in loco infiniti ferè homines in varijs ipsorum fantastici opinionibus & chimæris errantes? D I S. Quantum ad me iam credere incipio. R A I. Idem confirmat libro 1. cap. 14, dicens, Fixatur arsenicum vt sulfur & vtriusque sublimatio melior est à calcibus metallorum. De hac calce intelligebat Ioannes de Rupefissa, quando dixit, velle docere excantare aurum & argentum, eaque in terram & calcem reducere, vt possent publicè in manus

ferri bellorum tempore sine latronum metu. **DIS.** Quando mihi concedetur commoditas, experiar hoc opus, posteaquam pauci est sumptus. **RAI.** Vide ne erres. **DIS.** Si errauero, rursus incipiam. **RAI.** Non dico de praxi, sed circa materiam. **DIS.** Capiam eam ferri calcem quam dixisti. **RAI.** In ea dico te errare posse. **DIS.** Mihi videtur omnis eadem. **RAI.** Non omnis est vnus modi & posses minus bonam capere. **DIS.** Doceas ergo me quæ melior sit. **RAI.** Inuenies calcis speciem quæ grauis est & non frangibilis, & ista est ferrum, nec bona est. Inuenies aliam quæ frangibilis est & alba in fractura, atq; illa non admodum bona est, quia tenet adhuc ferri naturā, & posset reduci in corpus ferreum. Sed ea quam videbis ex maxima ignis vehementia conuersam esse in vitri naturā, & coloris quasi viridis vel cærulei obscuri, illa vera est efficax sapientum petra, quæ in igne generatur, & non potest amplius in corpus ferreum reduci, quia terreitates & sulfureitas ex parte sunt combustæ. **DIS.** Tibi gratias ago tantam ob liberalitatem qua vsus es erga me: tamen (bona venia) dicam quod scio de hac materia vitrificata. **RA.** Ne te vllus respectus teneat in dicenda opinione tua (vt semper fecisti) nam hoc modo veritas lucidior & manifestior fit. **DIS.** Geb. lib. 2. cap. 13. in fine, dicit, Rem omnem sua humiditate priuatam, nullam dare fusionem, excepta vitrificatoria. Ferrum ergo ex maximo ignis calore conuersum est in naturam vitri, & humiditate priuatum, & ex consequenti caret argento viuo alijsq; spiritibus. **RAI.** Iuxta Alb. sententiam libro tertio Mineral. cap. 2. & cap. 5. tract. 2. In metallis quæ sunt vnctuositates, seu humiditates vnctuosæ: quarum vna est veluti extrinseca, subtilis & inflammabilis: alia intrinseca, in radicibus metalli retenta, ne euellatur vel absorbeatur ab igne: hæc q; cremabilis non est aut combustibilis: sed certum est illud vitrū esse humidum radicale ferri, ergo erit incombustibile, neq; omnino ab humiditate priuatum, quanuis sit illius humiditatis quasi extrinsecæ expers. Ideo Albert. lib. supradicto capite 4, loquens de hoc vitro dicit, Negamus materiam, quæ vitri substantiam intrat esse cinerem, sed potius illud humidum radicale purissimum quod erat intrinsecum illi incineratæ res: quod humidum ex potentia vnus incinerantis ignis, extrahi non poterat: sed fluit ob fortissimum ignem: & hoc est humidū quod maxime à sicco passum est. Hæc est ergo liquabilium materia, & materia prima & remota vna & communis, id est huiusmodi humidū. Superius etiā dixi secundū Alb. sent. lib. 4. Meteor. tract. 2. cap. 9. Calor vehemens congregat partes homogeneas, & separat heterogeneas: nam illud soluit humidū, separatq; illud à terreo. Cumq; humidū prehensum fuerit à terreo subtili, non potest omnino separari, & ideo distillare incipit cum terreo subtili, & ab igne fortissimo funditur in vitrum: Et tunc terreum crassum quod fortiter eum tenebat, vritur in squamas. Manifestū ergo est vitrū illud esse partem radicalem ferri: Et quia terreitates quæ fusionē impediēbant combustæ sunt in squamas, ideo illud humidum est fusibile, quia reuersum est ad suā liquabilem naturam: quia verò pori sunt clausi, ideo ignis illud penetrare nequit & exterminare. Alph. dicit, Ignis intrat omnia corpora, substantias, spiritus & lapides sed lapidem illum non intrat, neq; illi dominatur, nec sulfura illū corrumpunt. **DIS.** Cū Philosophi dicunt eorum lapidem ab igne non consumi, ipsi intelligunt de completa medicina. **RAI.** Mala est ea glossa quæ textum destruit: tibi dico eos intelligere de principio & fundamentomateriali. Et hoc confirmat Roger. Bacon Anglus, dicēs, De omniū qualitate dico debere fixos esse super ignem, id est, ne ab igne fugiant neque consumerentur, nec ab eo corrumpantur: & tandem ne colorem mutant in igne: talia sunt igitur quæ huic operi initium dant.

Vita

Vincentius in suo Naturali 8. lib. de hoc lapide loquens, inquit, Dicitur lapis non lapis: lapis quia teritur, non lapis quia funditur & fluit in igne sine evaporatione, ut aurum: nec aliud est cui ea proprietas conveniat. Arnaldus in Ep. ad Regem Neap. dicit, Quo plus ille lapis in igne iacet, eo magis in virtute & bonitate augetur: quod non evenit alijs rebus: quia res omnes aliae in igne comburuntur, sed dictus lapis totus, solus, semper in igne fit melior, & bonitas eius crescit, atque ignis est eius nutrimentum. Et hoc est unum ex evidentibus signis in ipso lapide cognoscendo: Geber etiam in fine proemij libri Inuestig. & in proemio lib. 2. Summae, dicit, Vitrum esse unam ex rebus quae preparationi auxiliantur: & vult innuere, Quod si ferrum ad vitri naturam reducatur, praeparatur: quia multae cadunt terreitates: ideo Geb. lib. 3. cap. 7 dicit, Si ergo dicemus corpora ob calcinationem esse mundata, intelligas certe a substantia terrea, quae unita non est in radice. Avic. in lib. Anima dicit, Sunt nonnulli qui magisterium non concedunt, dicentes, A re cuius natura non est ut ignem sustineat, elici rem non posse quae ignem sufferat: Quibus rationem nitri obijcimus: Nam terra quidem cito ab igne remouetur: sed dum ab igne tangitur, fortis euadit, quoniam ignis vim non habet supra nitrum. D I S. Sal nitrum mihi videtur ad modum combustibile. R A I. Antiqui carmen inuenerunt, ne haec scientia posset alterari, ut quillam occultarent, non modo fabulas poeticas nacti sunt, sed etiam grammaticales figuras: Ideo Avic. per nitrum intelligit vitrum, per figuram antithesin, mutando primam litteram: ut si dicas olli pro illi: Dicit quoque Avic. in Ep. ad Arsem Philosophum, Locus Orientis, ubi gemmae inveniuntur, est Soli proximus. Ita etiam nitrum, quo magis a calore Solis tangitur, eo magis valet. Ergo lapis mineralis qui plus ignem sustinet, & alios labores, is plus valet. Alb. in 4. Meteor. tract. 3. cap. 16. inquit, Quauis aliqua sint corruptibilia ab igne, non sunt tamen combustibilia: quoniam ipsorum humor non est ignis alimentum ut sunt lapides & ferrum. Sed aliquae res, quae tales habent humores ob corporum angustiam non dant igni ingressum, & propterea rursus non ardent. Ferrum igitur in vitrum conuersum non ardet, quia pori sunt clausi, & eosdem habet humores, id est sulfura & arg. viu. radicalia, quas ferrum habet & cetera metalla. D I S. Fortasse Philosophi quando de vitro locuti sunt, intellexerunt de communi vitro. R A I. Vitrum commune non habet in se sulf. neque arg. viu. metallis conuenientia: Ideo Razes dicit, Antiqui fecerunt vitrum metallinum. Et Geber lib. 1. cap. 11. dicit, Philosophos facere vitrum ex corporibus metallicis. Razes etiam in libro Diuin. dicit, Alij dixerunt tincturam esse a vitro, & non ab alio & esse lapidem maiorem, vilem, inuentum, famosum. Idem quoque in lib. de Aluminibus dicit, Vitrum liquat ferrum & omnia corpora, & illa facit in fusione currere. D I S. Quando superius dixisti, vitrum cito facere carnem coctilem, dicebas per vitrum Philosophos sulfur intellexisse: quomodo ergo de illa calce intelligunt? R A. Verum est (ut superius dixi) Philosophos multoties equiuocatione uti. D I S. Declara igitur quando de illa calce intelligant, & quando de sulfure loquantur. R A I. Cum dicunt vitrum esse tincturam, ac omnes colores recipere ac tincturas, quodque cito ad lapideitatem reuertatur, & in illo ac sale inesse totum secretum, tunc de sulfure intelligunt ab ea calce extracto: sed cum scribunt, vitrum esse lapidem maiorem, vilem & famosum, ac facem esse vel calcem mercurij, ferrum liquefacere & alia corpora, tunc de illa calce intelligunt. Alphidius dicit, Frange vitrum, & lapidem extrahe, ac illam pone in bocia vitri, & oleum extrahe, & inuenies quod dicit Philosophus. Idem Philosophus quoque ait, Frange vitrum, & cape medicinam coagulata, illamque pone in cannam vitreatam. Per vitrum Philosophus intelligit calcem supradictam, & illa

frangitur, quia subtilissimè teri debet, & postea per putrefactionem educi debet lapis seu medicina coagulata, id est sulfur & sal. In hoc vitro est arg. viuum quod ignem superat, nec ab eo superatur, vt dicit Geber lib. 3. cap. 6. in fine. I. sidorus in hunc propositum loquens, dicebat, Arg. viuū melius seruat in vasis vitreis, nam alias materias perforat. Geb. etiam lib. 2. cap. 6 dicit, Solummodo vitrum & vitro simile, quia poros non habet, potens est spiritus retinere ne fugiant, & ab igne exterminentur: Volunt dicere, spiritus ferri semper fugere ab igne vehementi, donec in vitri naturam conuertantur coloris sapphiri, aut cærulei obscuri. Ideo Geber lib. 4. cap. 18. dicit, In corporibus præparatis debemus cælestem colorem creare, qui sit perfectus ob arg. viui bonitatem. Albertus magnus etiam in fine suorum Meteor. superiora occultè confirmat, dicēs Non est facile scire quādo mineralia suam formam specificā habeant, & quādo non: quia haud facile est scire, quando sit verus lapis aut metallum, nisi per corruptionem veniat ad multum debile, ita vt sola figura supersit, & nihil ex virtute quæ essentiam sequitur. Et huius rei similitudo est in corporibus mortuorum: nam cum illa ex paruo tempore mortua sunt, videntur parum differre a viuis: sed cum diutius in sepulchris iacuerint, tunc in illis est sola figura, & si tægantur, statim soluantur in cineres: ac tunc maxima est differentia inter viuendum & mortuorum corpora. Pariter videre est in vegetabilibus & mineralibus. nam mineralia suo modo pereunt vt animalia, sed nescitur quando proprium esse ac naturam amiserint, nisi ex maxima mutatione. Nam cum sapphirus adhuc colorem & transparentiam atq; figuram sapphiri habet, est veluti viuus, qui operationem sapphiri habet, & ideo nominatur sapphirus ac si viuus esset: sed post diuturnam eius mutationem obscuratur & discontinuatur, tuncq; agnoscitur non esse, nisi tantum similitudine sapphirus. Idem dicere debemus de auro viuo & mortuo, de argento cæterisque mineralibus. D I S. Posteaquā tam humaniter ac patienter mihi satisfacisti quibuscumque in rebus quas ex te quaesui: obsecro ne te pigeat quatuor etiam verba addere in huius longæ sententiæ declarationem, & tunc contentus abibo. R A I. Sentētia talis est, Quod quum Mars tandiu in igne fuerit, quod multum debilis ac frangibilis factus sit nec reliqua sit in eo pars aliqua naturæ vel substantiæ ferri, sed in vitri naturam sit conuersus coloris ferè sapphiri obscuri, tunc in lapidem mutatus erit. D I S. Dum viuam, tibi semper debebo. Vale.

Finis Dialogi de Ligno vitæ, & Geberi ac similibus succin-
ctæ declarationis Ioannis Braceschi Brixiani.

P R A E.

PRAESTANTISSIMO NATVRAE IN-
TERPRETI DOMINO IO. MICHAELI STER-
PINO, ROBERTVS TAVLADANVS
ex animo. S. D.



VI Apolloniꝝ Tyanei gesta scripsere, cum aiunt scientiæ gratia, & ad Brachmanes, & ad Gymnosophistas Indos penetrasse, adeoque in arcanis Naturę profecisse, vt is nunquam habuerit, vel habiturus parem sibi sit neminẽ. Platonẽ quoque diuinum legi, ad Aegyptios sacerdotes accessisse, & ab ijs complura, quæ ipse penitus ignorabat, vel subdubitabat, edoctum in Græciam suam rediisse. Idẽ me sublimiora scrutantem ardor inuasit: non tamen vt in Indiam ijs calamitosissimis temporibus me transferrẽ, sed Parisiorum Lutetiam adij: Quem in locum profectio non fuit poenitẽda profectio. Porro cùm illic locorũ essem, & in dies magis ac magis tui nominis, & Gaudentiꝝ Merulæ rumor inualesceret, destituta Lutetia in Italiam euolauit: & cùm velut de via fessus in Augusta Taurinorum substitissem, intellexi Merulam in Forolebetiorum, quod est agri Nouariensis municipium, patriã tuã esse, sed breui tamen Taurinum ad lectiones publicas salario publico conductum esse venturũ. Hac re intellecta gauissus sum non mediocriter. Interea Cherium ad te contendit. Vbi, Dii boni, boni plus inueni, quàm cogitabam, quàm quod mihi fama retulerat. Apud te igitur cùm essem, Cherij Merulã audio in Augusta Taurinorum ad suum munus venisse: Te igitur, vt scis, destituto ad hominem, quem videre & salutare exoptabam, maximẽ transcurro. Qua fronte me adolescentẽ licet, & Aquitanum, & planẽ incognitum Merula susceperit, profectò verbis explicare non possem. Cæterũ eiusdem religionis vinculũ, quo nihil est in rebus humanis tenacius, cũ illi me, & mihi illũ magis conciliaret in dies, inter ambulandũ, vt fit, ipsum interrogo quid de libello Ioannis Braceschi, quem de Chemica facultate velut Gebri interpretes edidit, sentiat, respondit, bene. Tunc ego, qui iam sciebam Merulam tã Christiani esse animi, vt etiã hostibus suis bene esse cupiat, subiunxi. An ò Merula istuc dicis ex animo? an cõmuni magis subscribis opĩnioni? Cùm hĩc paululum substitisset, respondit, Quid ego falcem in alienam messem ponam? Est hæc metallorũ scientia, extremis (quod aiunt) labris à me degustata. His ego subridens dixi. Qua ratione id fieri potest, quando libro tuorũ memorabilium (ni fallor) quanto bellissimæ huius materiæ fonteis potaturis aperueris? De eo libro rursus respondit se bene sentire. Tunc ego non sic, dixi, Senties ò Merula, vbi errores illius qui artem ipsam in contemptum, & studiosos in pauperiem trahere possunt, cõplures exposuero. Adhæc ille vultu ad risum ferẽ composito, O Tauladane, inquit, Amicus Plato, amicus Socrates, magis tamẽ amica veritas. Iccirco, tametsi Braceschus ob singularem eius virtutem, & ingenium, quibus pollet, sit mihi carissimus, lōgo tamen intervallo est mihi magis cara veritas. Pergratum igitur mihi Tauladane feceris, si ex ordine illius digestis erroribus, & huic ætati & posteritati pro viribus consulueris: & ob hæc rem fortasse non solũ tibi, sed & mihi, qui te ad hanc prouinciã excitari, posteritas debeat: qui *χρῆμα χαλκῶν* exhibueris, vt cum Homero loquar. Domũ igitur destituto Merula, cùm mihi ocij aliquid dabatur, cùm rediissem, in margine cœpi Braceschi errores annotare, & singulos suis argumẽtis meridiano Sole clarioribus arguere. Sed profectò (vt ingenuẽ fatear omnia) in hoc chemico pelago velificanti mihi tot Symplegades, tot Scyllas, tot Charybdes tot monstra denique obijci, nunquam credidissem. Huiusce enim facultatis li-

bri quot & quantis singulis ferè folijs deformètur labibibus, quot enormibus scateant antracibus, quot in locis luxi sint, elumbes, inuersi, mutilati, marchi, & redundantes vltra modum, ne mihi aliunde patronos accersam, tu es testis optimus. Testis & optimus ipse Merula, qui Petri Boni Longobardi & physis ci præstantissimi apud Duces inclytos, & de Repub. literaria bene meritos, Ferrariæ. Preciosam Margaritam Nouellam, qua nihil est preciosius, trecentis & his amplius expurgauit erroribus. Dñj boni in tam exiguo agro, quæ zizaniorum melsis excreuerat. In caussa esse arbitror, vir præstantissime, quòd huiusmodi farinæ authores primi aut Aegyptij fuerunt, vt Hermes Trismegistus Moses, eiusq; soror Maria, aut Hebraei, vt Salomon, Callis: aut Arabes, vt Geber & Rex & Mahometi, vt aliqui volunt, nepos: cui in hac arte meritò prime partes attribuuntur Rasis, & Auicenna rex & medicus celeberrimus: aut Greci, vt ille diuinus Plato in Stolicis, & in quartis, Aristoteles, Lucas, Rhodanus: alij, vt in Turba Philosophorum legere est. Ex Latinis aut inter veteres, ipse quòd sciam, hanc Philosophiæ partem attigit nemo. Annis porro abhinc quingentis, nonnulla in mediũ ingenia processere, Ricardus Anglicus, Rogerius Baccho, Mercurius vates ex Angliā: Quibus postmodum successores sunt dati, Raymundus Lullus Hispanus, & Arnoldus Villanouanus. Porro qui Arabes illos, Græcos & Aegyptios scriptores latinitate donarunt, bonarũ literarum expertes erant, vt series eorum sermonis ostendit: nec elucubrationes illorum satis fideliter ab eis sunt translatae. Superuenire postmodũ vt codices per tonsores & monachos imperitissimos exseriberet: horumq; imperitia factum est, vt ferè tot errores essent, quot versuum tractus in folijs. Aetate etiam hac nostra Geber toties impressus quot mendis scatet. Quàm igitur arbitrabar, labor mihi fuit intricator. Quid porro huic negotio lucis chemico præstiterim, id malo ab alijs dici, quàm ipse de me prædicare. Has autem ingenioli primitias mei, tibi vni dicare placuit: vt ex ijs meum erga te studiũ paulatim cognoscas, cognitum & foueas, & amplexeris. Non me fugit esse te munus indignum, sed tua tamen fretus humanitate, munere hoc non satis idoneo vti fratrem in Christo optimum cognoscere non dubitauit. Bene vale,

non solũ Italiæ, sed & huius ætatis decus immortale, Ex,

Augusta Taurinorum Cal. Aprilis,

M. D. LIII.

IN IOANNEM BRACESCHVM GE-

BRI INTERPRETEM ANIMADVERGIO, AV-
thore Roberto Tauladano Aquitano.

Y M nihil sit minus Christianum Bracesche, quam alienam famam acribus, uirulentis, & procacibus dictis proscindere & lacerare, ego ne in mordacis Momii suspensionem tibi uenire, continui me, quantum potui, ne hanc in te animaduersionem scriberem. Tandem cum uirus scriptorum tuorum in miserandum permultorum naufragium longius in dies serpere, ac grassari uiderem, non potui diuturniori silentio uti, non potui inquam mihi temperare, quin huic tuæ Hydræ, omnia (nisi quis obuiam iuerit) artis Chymicæ fundamenta intra paucos dies ferro uastaturæ, me opponerem. Quod quoniam in aliquot adhuc annos differre meditarer, ueritas huius artis, quæ ferro tuo decreto se regno spoliata, & exulem esse cõqueritur, sese mihi obtulit, tandemq; cum cæteros omnes conuiuere hoc in negotio cernerem, hanc à me in sui patrocinium Apologiam impetrauit. Qua ego, cum tu ex eorum iudicium sis numero, qui non nisi ferro uincere cupiunt, ad omnes ueritatis fautores, conscios, & æquitatis tutores prouoco, & eos quanta cum ratione hanc prouinciã susceperim, iudices constituo.

Agitur iam nonus annus, te libellum quendam in lucem emisisse, cui Interpretationis Gebri titulum imposuisti. In quo Demogorgonem inducis cum Gebro differentem: Demogorgonem, inquam, tanquam Chrysopœiæ cognitionem sciscitantem, Gebrum autem ueluti sui ipsius & reliquorum philosophorum interpretem. Et ita inducis Gebrum, aut (ut uerius loquar) sub nomine Gebri Braceschum, huius artis mysteria pandentem, ut tandem colligas medicinæ, ad uiliora metalla in aurum, seu argentum uertenda componendæ formam, neque ex aurò, neq; ex argento, sed ex solo ferro, aut ex uisui eius excremento, depromendam esse. In cuius opinionis confirmationem, magnorum aliquot philosophorum, & potissimum Gebri autoritates quasdam adeò uersurè detorsisti, ut multorum (sed tamen in hac parte philosophiæ parum aut nihil instructorum) animos ad amplexandam opinionem tuam pellexeris. Itaq; cum hæc tua lucubratio (me apud Vascones degente) in manus meas uenisset, amaui ego certè ingenium tuum: nūquam tamen mihi persuadere poteram, te in eam hæresim lapsum esse, ut crederes formam auri effectricem ex Marte, aut abiectione eius stercore petendam esse. Ideoq; te Sphingem agere, & ænigmatico sermone hanc artem scripsisse arbitrabar. Proinde ut mentem tuam planè assequerer, & exploratam haberem, ex ulteriore Vasconia in Italiam perrexi, nec unquam ab incepto itinere destiti, donec Vrceos nouos peruenissem. ubi quoniam à fratre tuo intellexissem, te apud Turrin illustriissimi Alberti Palauicini degere, statim me illuc contuli, & succincta oratione causam itineris mei tibi indicaui. Qua audita, bene me sperare iussisti, nec me prius discessurum asseuerasti, quam plenam & integrã Chrysopœiæ cognitionem abs te accepissem. Cœpisti itaq; paulopost mentem tuam familiarissimè mihi interpretari, quam ut mihi commendatorem redderes, hos uersus (abs te, ut suspicor elaboratos) mihi proposuisti exponendos:

Artus est hominis, qui constat sex elementis

Cui P. si addas, et in M. mutare si noscas,

Hoc est es nostrum, lapisq; philosophorum.

Quo ænigmate audito, quum me Tauladanum esse, non OEdipum respondissem, utpote qui hanc tuam Sphingem ex tempore soluere non possem, tu his uerbis usus es. Non miror, si tu ex abrupto hoc ænigma soluere non possis, ad quod enodandum per decennium ego sudauit. Et tandem eorum uersuum inter-

pretationem sic auspicatus es. Artus, membrum est, Hominis, id est, Martis, qui à philosophis homo billosus nominatur. Qui constat sex elementis, id est, cuius nomen, in his uersibus inclusum, sex literis absoluitur. Cui P. si addas, Cui, subaudi, uocabulo artus si addas P. fiet partus. Et in M. mutare si noscas, hoc est, si mutaueris P. in M. nascetur hoc uocabulum Martus, quod sicut Mauors poetis, ita nobis Marrem significat. Hoc est æs nostrum, lapisq; philosophorum, hoc, id est Martus, siue Mars, est æs, seu metallum nostrum, ex quo formatur lapis philosophorum. Quibus interpretandis quum finem fecisses, narraſti iterum mihi, te in uolumine quodam annoſo ſequentem ſententiam ſcriptam legiſſe:

Virgo Paſchalis eſt dicata arti M.

Quam ſic interpretatus es. Virgo paſchalis herba eſt, quæ per ſimilitudinem lapidem philoſophorum ſignificat. Si Virgo paſchalis herba eſt, arti Medicæ dicatam eſſe interpretandum eſt. Hæc igitur ea ratione, qua hunc lapidem ſignificat, eſt dicata arti M, id eſt Marti, quod legetur, ſi M, quod obſcurandæ rei gratia (ut tu ais) præpoſterè locatum fuit, anteponatur. Vnde etiam colligebas lapidis philoſophici formam, ex Marte, hoc eſt ex ferro, cui philoſophi Martis nomen accommodauerunt, mutuandam eſſe. Quibus ut maiorem fidem faceres, citabas nonnullas philoſophorum authoritates, quæ eo, quo abſte citabantur, modò, lippientes, obtuſos, & cæcudentes oculos primo ſuo fulgore fallere & perſtringere non mediocriter poſſent. Tandem, ut me unico uerbo beares, in aurem mihi inſufurraſti, excrementum hoc ferreum, unde forma auri & argenti effectrix (ut tu uiſ) expiſcanda eſt, duplicis generis inueniri, idq; ſolum eligendum, quod uehementi ignis aſperitate, forma ſpoliatum metallica, in naturam ultri, cæruleum colorem præ ſe ferentis rediſſet. Poſtero die quum ego te ſeriò agentem, & extra non tuam, ſed omnium philoſophorum mentem poſtume eſſe planè cernerem, certandum mihi tecum eſſe duxi aliquot rationibus, è uiuis philoſophorum, imò & ipſius naturæ fontibus exhaustis, quibus te premerem, formam metallorum in aurum & argentum uertendorum, non à ferro, cui nihil ineſt, niſi uiliſſimum, ignobile & ferreum, ſed ab auro & argento, quibus ſolis ingeniſta eſt, hauriendam eſſe. Quibus quum te oppugnari, urgeri, & uehementer opprimi ſentires, confugiebas ad ſacroſanctum hoc aſylum, ſcilicet non eſſe fidendum philoſophis, quorum uerba aliud indicant, quàm ſonare uideantur. Quo ſubterfugio, & ſophiſmate, quum te omnes ſapientum authoritates eludere poſſe animaduerteterem, abſte diſceſſi. Nunquam tamen poſt nitebit me Braceſche, hoc iter feciſſe, cum ex eo preſoſiſſimum fructum retulerim, & doctior in Galliam redierim. Contemplatus enim ſum in te, uelut in ſpeculo, admirabilem & ſuſpiciendam diuinæ Maieſtatis ſapientiam, quæ abſolutam huius arcani cognitionem, aliquando mediocris doctrinæ uiris confert, interdum autem uiros, quantunuiſ profundæ eruditionis, in explorandis & inueſtigandis naturæ myſterijs adeò delirare, hallucinari, & cæcutire facit, ut ſaſcinati, ebrii, & à Circe aliqua dementati eſſe uideantur. Quod nullam aliam ob cauſam agit Dominus, niſi ut terrenos iſtos Argos, qui ſe, neglecto numine Diuino, ingenij ſui acumine non ſolùm hanc inferiorem naturam, ſed ipſum etiam cælum penetrare poſſe glorientur, eludat, domet, & ex ſummo arrogantis ſuæ Olympo ad inferos uſq; retrudat: ut qui ſe aliquid ſcire nouerunt, non in ſua cæca ſapientia, ſed in Domino totius ſapientis fonte & authore, id ſibi contigiſſe glorientur: ut diſcant, inquam, omnes Adæ poſteri, ſe nihil aliud eſſe, quàm meras tenebras: deniq; ut hi, quibus noticia huius arcani continget, intelligant, diuinam Maieſtatem eam eſſe, citra cuius liberalitatem & beneficentiam nemini mortalium ad huius ſublimes arcani cognitionem patuit aditus, neque patebit unquam. Sed ut eò, unde digreſſa eſt, redeat oratio, poſtquam ego ab Italia in Galliam rediſſi, qui notam habebant itineris mei cauſam,

à me

à me quæsierunt, num te uidissem, conuenissem, & quid de te sentirem. Apud quos ego (quanuis te hac in parte hallucinari expertus essem) laudibus te ad cælum usq; extuli; & ita extuli, Bracesche, ut hinc seriò agere existimantes, tanta tui uidendi cupiditate incenderentur, ut parùm abfuerit, quin iter in Italiam fecerint. Ego itaque hucusq; errorem tuum tuli, & tegi, & lubens in posterum tegissem, nisi cum in singularem ueritatis contumeliam, & deplorandam multorū perniciem plus æquo uiguisse, & adhuc uigere sensissem. Quod quum animaduertērem, non potui (ignosce quæso) mihi diutius imperare, quin perniciosum hunc errorē detegerem, saltē, ut minus cauti metallicæ sophiæ res sibi ab hac opinione non minus cauendum esse intelligant, quàm nautis à uoracissima Charybdi, nī laboris iacturam, & bonorum suorum naufragium facere malint. His enim omnibus, qui opinioni huic ferreæ fidem dederint, continget, ut lapidem philosophicum conficere molientes, & suam & alienam dilapident pecuniā. Et quoniam tu Gebrum, tanquam singularem opinionis istius uindictam, patronum, & assertiorem in medium producis, idcirco extorquenda tibi ē manibus primo impetu esse duxi, hæc arma Arabica, ut his spoliatus intelligas, reliquas omnes authoritates philosophicas, abs te uiolenter contortas, & perperam fuisse interpretatas. Argumenta autem ē Gebro à te desumpta, quibus te inuictum putas, hæc sunt:

CAPVT I.

Primum argumentum est hoc.

Scriptit Geber, cap. 30. suæ Summæ, hæc uerba:

Argentum uiuum adhæret tribus mineralibus de facili, uidelicet Saturno, Ioui & Soli; Lunæ autem magis difficulter, Veneri autem difficilior, quàm Lunæ, Marti autem nullo modo, nisi per artificium. postea sequitur:

Ex hoc itaque maximum elicias secretum. Quam ultimam partem tu sic exponis. Ex quo, scilicet Marte elicias maximum secretum, hoc est Elixir.

Secundum argumentum quo uteris, est hoc.

Scriptit Geber cap. 66. suæ Summæ, Iouem perfectio magis propinquum esse, Saturnum uerò minus, minus adhuc Venerem, minime uerò omnium Martem. postea sequitur: Ex quo perfectio dependet. Quæ ultima uerba tu sic interpretaris. Ex quo scilicet Marte, perfectio (subaudi metallorum) dependet, hoc est Elixir. Quanuis in nonnullis (als) exemplaribus legatur, Eo ex quo perfectio dependet, quam lectionem tibi summopere exosam, & ingrata esse indicas, quia sentis (licet id subdiceas) eam interpretationi tuæ inimicam esse.

Tertium est hoc.

Scriptit Geber, cap. 32. suæ Summæ, hæc uerba: Ultimo uerò Mars. Et hoc est unum de secretis naturæ. Quod tu sic interpretaris. Et hoc, id est, Mars, est unum de secretis naturæ, id est Elixir.

Quartum est hoc.

Scriptit Geber cap. 66. suæ Summæ, hæc quæ sequuntur. Causa impedimenti fusionis cuiuscunq; est sulfur fixum. Per hoc itaq; maximum poteris elicere secretum: Quod tu sic interpretaris. Per hoc subaudi sulfur fixum, siue ex hoc sulfure fixo (per quod uis ferrum indicari, eo quòd maior pars ferri sit sulfur fixum) poteris maximum elicere secretum, id est Elixir.

Quintum est hoc.

Scriptit Geber, cap. 88. suæ Summæ, postquam de Marte egisset, hæc uerba: Per hoc igitur artificis dilatatur industria ad ueram cuiusq; corporis rectificationem. Quod tu sic interpretaris. per hoc, id est per Martem dilatatur artificis industria ad ueram, rectificationem cuiuscunq; corporis.

Sextum quo te inuictum credis, est hoc.

Geber cap. 63. suæ Summæ, postquam de essentia Martis pluribus egisset, tan-

dem hoc eplogo usus est. Laudetur igitur benedictus & gloriosus Altissimus, qui creauit illud, deditque illi substantiam, & substantię proprietates, quas nō contingit, ullam aliam rem in natura possidere, ut in illa possit inueniri hęc perfectio per artificium aliquod, quam in illo inuenimus propinqua potentia. Ipsum enim est, quod ignē superat, & non superatur: sed in illo amicabiliter requiescit, eo gaudens. Quę omnia de Marte, seu de Martis excremento dicta esse interpretaris. Septimum, quo ueluti trophæum canis, & te plena potitum credis uictoria, est hoc.

Scriptit Geber cap. 32, suę Summę, ubi ait de auro, hęc uerba. Calcinatur autem aurum, & soluitur sine aliqua utilitate. Scriptit etiam hęc cap. 33. Calcinatur similiter argentum, & soluitur cum magno labore, & sine aliqua utilitate. Quibus uerbis tu rem tuam sic agis. Omnium Philosophorum consensu & suffragio metallum illud, ex quo formatur Elixir, calcinandum est, & ubi in calcem redierit, in liquorem est reuocandum. Atqui Gebri testimonio ex auro & argento calcinatis & solutis, nullus redit ad nos fructus, nulla inde promanat utilitas, fieri itaque non potest, ut ex auro aut argento nascatur ditissimum illud Elixir.

Hęc est legio illa Arabica, Bracesche, hęc claua illa Herculea, hic est, inquam ferreus ille exercitus, quo duce in aciem cum Mauorte tuo progredieris. Quę omnia, ut intelligas, quām sint parui ponderis ad roborandam opinionē tuam, armabo te libenter altera Gebri autoritate, quam demiror abs te prætermisissam, quum hęc sola opinionem tuam omnino ferream efficere posse uideatur.

Geber cap. 9. libri de Inuestigatione scripti, postquām methodum ferri in liquorem reducendi docuit, sic ait: Martem solum honora, aquam uidelicet sulfuris fixi colorem Elixiris mirabiliter augmentantem. Num huius autoritatis accessione uires tuas duplatas esse sentis, Bracesche? at nisi has omnes copias tuas (fauentem mihi Diuina maiestate) profligauero, fudero & penitus prostrauero, ignaum, & imbellem, me iudices uelim. Conferam itaque signa mea cum tuis, & tentabo, quantum ualeant uires tuę, & primo impetu aggrediar primam & antesignanam illam auctoritatē, quam ex 30. cap. Summę Gebri deprōpsisti.

CAPVT II.

Quo in loco quid sibi Geber uelit, ut lectores facillius assequantur, ego caput integrum legendum subiiciam, tum demum mentem de hac re non meam, sed ipsius authoris & fidelissimorum Gebri interpretum afferam.

Sequitur cap. 30. Summę Gebri, argento uiuo, seu mercurio dicatum.

GEBER.

Argentum autem uiuum, quod etiam Mercurius appellatur antiquorum usu, est aqua uiscosa, in uisceribus terrę, substantię subtili terrę albę per calorē temperatissimum unita per minima, unione tali, donec humidum a sicco, & siccum ab humido æqualiter contemperetur. Ideoq; fugit superficiem planam de facili, propter suę aquę humiditatem: non autem adhæret, uiscosam licet habeat humiditatem, propter siccitatem illius, quę eam contemperat, & adhærere non permittit. Est etiam (ut quidam dicunt) materia metallorum cum sulfure. Adhæret quoque tribus mineralibus de facili, uidelicet Saturno, Ioui & Soli: Luna autem magis difficulter, Veneri uerò difficilior, quām Lunę, Marti autem nullo modo, nisi per artificium. Ex hoc itaque maximum elicias secretum. Est enim amicabile, & placabile metallis suę naturę. Est etiam medium coniungendi tincturas, & non submergitur aliquid in argento uiuo, nisi Sol. Soluuntur tamen Iupiter & Saturnus, Luna & Venus ab eo, & cōmiscentur, & sine ipso aliquid metallorum deaurari non potest. Figitur & est tinctura rubedinis exuberantissimę refectionis, & fulgidi splendoris, & non recedit a cōmixto. Non est tamen medicina nostra, donec est in natura sua: sed iuuare quandoque similiter potest in casu. Hactenus Geber.

TAVL.

TAVLADANVS.

Ego nunc quid de hoc loco sentiam, imò quid ipse uoluerit Geber, & quid fidelissimi eius interpretes, Petrus Bonus Ferrariensis, & Arnoldus Villanouanus de hac re senserint, explicabo.

Geber Arabum philosophorum facile princeps, cum tractandam & describendam sibi proposuisset metallorum naturam, ut faciliorem uiam lectoribus ad id faceret, indicandum sibi prius esse duxit, quæ & quot essent, iuxta ueterum opinionem, propinquam metallorum principia. Quæ cum superius docuisset esse tria, scilicet, arsenicum, sulfur, & argentum uiuum, & expressisset duobus capitibus proximè antecedentibus, quæ nam esset sulfuris & quæ arsenici natura, consequens erat, priusquam metalla attingeret, (quæ sunt tanquam soboles horum principiorum) ut caput unum nature tertij principij, hoc est, argenti uiui exprimendæ dicaret. Qua motus ratione hoc 30. cap. mercurio consecrauit. In quo primo docet, quid sit mercurius, his uerbis.

GEBER.

Argentum uiuum, quod etiam Mercurius appellatur antiquorum usu, est aqua uiscosa, in uisceribus terre, substantiæ subtili terre albæ, per calorem temperatissimum unita per minima, tali unione, donec humidum à sicco, & siccum ab humido equaliter contemperetur. Ideoque fugit superficiem planam de facili, propter suæ aque humiditatem. Non autem adheret, uiscosam licet habeat humiditatem, propter siccitatem illius, quæ illam contemperat, & adherere non permittit.

TAVLADANVS.

Quæ sibi nihil aliud uolunt, quam argentum uiuum ex aqua uiscosa, & terra candida, tenui, & sulfurea oriundum esse, quæ duo, aqua scilicet uiscosa & terra sulfurea, ea lance à natura librata fuerunt, ut quauis aquæ proprium sit, rem in eam demersam madefacere, & licet uiscosi conditio sit, tangenti adherere, neutrum tamen aqua uiscosa in argento uiuo existens, queat præstare, ob terram sulfuream sibi unitam, quæ sua siccitate uiscosam, & humidam illius conditionem ita frangit, & temperat, ut neque adherere, neque madefacere ualeat. Vnde ueteres philosophi argentum uiuum aquam siccam nominauerunt. Sed quoniam hæc ex se clariora sunt, quam ut egeant interprete, idcirco prosequamur reliqua, & qui sit eorum usus, penitissimè exploremus.

GEBER.

Est etiam (ut quidam dicunt) materia metallorum cum sulfure.

TAVLADANVS.

Hoc est, sunt ex ueteribus philosophis nonnulli (ut dixit cap. 25. sup. Summæ) qui uelint argentum uiuum, & sulfur, esse principia illa, quæ à natura ad generationem metallorum assumuntur. Cui ille opinioni non suffragatur, motus rationibus, quæ ab eo 26. cap. Summæ adferuntur. Ideoque addidit, Vt quidam uolunt.

GEBER.

Adheret quoque tribus mineralibus de facili, uidelicet Saturno, Ioui, & Soli; Lunæ autem magis difficulter, Veneri autem difficilior quam Lunæ, Marti uero nullo modo nisi per artificium.

TAVLADANVS.

Hoc est argentum uiuum libentius & maiori quadam cum aueritate uorat, sorbet & deglutit aurum, plumbum & stannum, quam reliqua metalla. post hæc tria auidius argentum complectitur, quam 25. cum ære autem facilius in init foedus, quam cum ferro. Ferro enim adeo ægre cōmiscetur, ut non nisi inuitum, & arte coactum, ac superatum cum eo coire uelit. Cuius rei nulla alia est ratio, quam rebus omnibus hanc à natura uim ingentem esse, ut res homogeneas, & eas, quibus cum aliquo affinitatis uinculo cōiunctæ sunt, tacita quadam beneuolentia complectan-

tur, & eas sibi copulari gaudeat, & latentur: cum heterogeneis aut, & his, quibus cum nullam habent affinitatem, antipathiam exerceant. Vnde fit, ut arg. uiuum libentius coeat cum metallis, quibus cum maiorem habet affinitatem. Ea aut sunt illi magis affinia, quæ naturā ipsius magis sapiunt. At naturam ipsius magis sapiunt ea metalla, quæ maiori abundant arg. uiui copia. Et quoniā ferrū est inops arg. uiui præ ceteris metallis, distissimū autem sulfuris cremabilis, argentum uiuum sentiens se in eo minimum iuris habere, sentiens, inquam, sulfur adustibile (quo in natura nihil est mercurio magis inimicum) maiorem ferri partem occupasse, & gerrimè pro consanguineo Martem tuum agnoscere potest ô Bracesche.

G E B E R.

Ex hoc itaq; maximum elicias secretum. Est enim amicabile (mercurius subaudi) & placabilis metallis suæ naturæ.

TAVLADANVS.

Nunc quod sit hoc arcanū, quod Geber docet hinc esse eliciendum, expendamus. Quod licet me tacente sese omnibus spectandum prodar, faciam tamen, ut clarius elucescat. Hæc est igitur mens Gebri. Ex eo quod uidemus arg. uiuum alijs metallis amicum magis, alijs aut minus: ex eo, inquam, maximum colligere debemus arcanū. Quod nō immeritō maximum dixit, cum ex huius cognitione totius artis pendeat, & colligi possit mysterium, ut ex sequentibus notissimū fiet. Sed quod erit tandem hoc arcanum? Adeste quæso animo ô uos omnes ueritatis conscij & fautores, & intelligetis, me Gebri mentem fidelissimè & uisacissimè exprimere. Ex eo igitur quod argentum uiuum alijs metallis magis, alijs autem minus amicū & familiare esse uidemus, ex eo, inquam, si perspicaces naturæ exploratores essemus, maximū arcanum assequeremur. Intelligere enim inde possumus, metalla ea naturæ argenti uiui magis uicina, quibus cum argentum uiuum familiarius commiscetur. Nam, ut Geber docet cap. 61. suæ Summæ, argentum uiuum id solum suscipit, quod suæ naturæ esse sentit, quod cap. 64. confirmauit his uerbis: Argentum uiuum retinet, quod suæ naturæ est, alienum uerò respuit. Et cap. 53. his uerbis: Quoniā natura propriam naturā amicabilius amplectitur, & gaudet ea, magis quàm extranea. At ubi cognouerimus quæ metalla sint argento uiuo uiciniora, & magis affinia, inde faciliè colligi potest, quænam sint perfectiora. Cum enim argentum uiuum sit causa metallicæ perfectionis, ea metalla meritō dicentur, & habenda erunt perfectiora, quæ argento uiuo sunt affiniora. Quod autem argentum uiuum sit causa perfectionis metallorū, & illud, in quo sita est & recōdita tota huius artis perfectio, id testatur Geber cap. 38. his uerbis: Consideratio rei, quæ perficit (in hac arte subaudi) est consideratio electionis puræ substantiæ argenti uiui. Item cap. 59. his uerbis, Ideoq; relinquitur argentum uiuum esse perfectiū, & adustionis saluatium, quod est perfectionis ultimum. Item cap. 74. his uerbis, Ideoq; cum in cæteris rebus exquisitè, non inuenerimus inuentione nostra rem aliquam magis, quàm arg. uiuū corporum naturis amicari, per hoc opus nostrū in illo impendentes, reperimus ipsum esse uerā alterabilium medicinā in cōplemento, cum alteratione uera & non modicè peculiosa. Item cap. 81. his uerbis, Probauius aut ex nostris sermonibus, sulfur cuiuscūq; generis, esse perfectionis corruptiū, arg. autem uiuū esse perfectiū in operibus naturæ, cōpletis eius regiminibus. Igitur & naturam minimè mutantes, sed imitantes (in his scilicet operibus, in quibus eam imitari possumus) arg. uiuū similiter in huius operis magisterio assumimus, in cuiusq; perfectionis medicina, solari scilicet & lunari, eam quidem imperfectorū, quàm ipsius arg. uiui coagulabilis. Ex his Gebri locis satis patet arg. uiuū esse causam perfectionis huius artis. Quod ne in dubiū uocari posset, id Geber potētissima ratione probauit cap. 69. suæ Summæ, his uerbis, Ideoq; per hoc inuenimus aliquid in corporibus imperfectis diminutū fuisse, quod compleri necessariō oporteat, per medicinam illis

illis conuenientem, & diminutum cōplentem. Est autem diminutum in illis, paucitas scilicet argē. uiui, & non recta inspissatio eiusdem. Igitur cōplementum in illis erit, arg. uiui multiplicatio, & inspissatio bona & fixio permanens. Hoc autem per medicinam ex illo (subaudi arg. uiuo) creatam efficitur. hzc enim quum ex arg. uiuo fuerit in esse deducta, per beneficiū luciditatis, & splendoris ipsius, illorum fuscēdinem palliando celabit, teget, splendorem inducet, & in fulgorem cōuertet. Quum enim arg. uiuū in medicina per nostrum magisterium preparatum, ac mundatū fuerit, & in substantiam purissimam, & fixam reductum, proiectum super diminuta à perfectione, illustrabit ea, & sua fixatione perficiet.

Hzc est ratio illa, qua Geber contendit argē. uiuum esse causam perfectionis huius artis, quæ certē est ualida. Nam si paucitas arg. uiui, & non recta inspissatio eiusdem, est causa imperfectionis metallorū, necessariō colligendum est, causam perfectionis eorūdem esse copiam & ubertatem arg. uiui & rectam ipsius inspissationem. Quod autē inopia, seu paucitas, arg. uiui, & non recta inspissatio, sit causa imperfectionis metallorum, hinc cōstat. Oppositorū effectuum oppositas necessariō oportet esse causas effectrices. Sed causa perfectionis metallorum (quæ perfectio est effectus imperfectioni oppositus) est abundans copia arg. uiui ritē inspissati. igitur causa imperfectionis eorum, quæ imperfecta sunt, erit opposita scilicet inopia arg. uiui, & non recta inspissatio eiusdem. Quod autē abundans copia argenti uiui, ritē inspissati, sit causa perfectionis metallorum, hinc colligitur. Si abundans copia mercurij ritē inspissati non esset causa effectrix perfectionis metallorum, id metallum nō esset reliquis omnibus preferendū, in quo maior est mercurij ritē inspissati copia. Atqui aurū, quod uberius abundat mercurio ritē inspissato, (ut testatur solius auri demersio in mercurio) præfertur ceteris omnibus metallis, & solum est inter metalla, numeris omnibus absolutū. Igitur necessariō colligendū est, maiore copiam mercurij ritē inspissati, esse causam effectricē perfectionis metallorū. Quod si ita est, igitur inopia mercurij ritē inspissati erit causa imperfectionis metallorū. Quod si paucitas mercurij ritē inspissati est in causa: quominus Saturnus, Iupiter, Mars & Venus ad perfectionem uenerint, ergo multiplicatio mercurij, & recta eiusdē inspissatio præstabit, ut euadant perfecta. Sed sola medicina, ex purissima, & ritē inspissata, mercurij substantia cōstituta, hāc mercurij ritē inspissati multiplicationē eis conferre potest. Igitur arg. uiuū, ut superius testatus est Geber, erit causa perfectionis in hac arte, cum id solum instaurer, & sarciat in metallis imperfectis, quod eis à natura fuerat denegatū, cum ipsa etiā perfecta, eam, quā habent perfectionē, illi debeant, & acceptā ferant. Cum itaq; arg. uiuum sit causa perfectionis in hac arte, profectō ex facili uel difficili ipsius cū metallis cōgressu colligere possumus, quæ metalla sint perfectiora, quæ minus perfecta, & quæ sint à perfectione aliena. Nam si arg. uiuum est causa perfectionis metallorū, ea metalla meritō cēsenda erūt perfectiora, quæ arg. uiuo sunt magis affinia. Ea uerō sunt illi magis affinia, cum quibus ipsum arg. uiuū familiarius cōgreditur. Cum ijs autē familiarius cōgreditur, quæ naturā suā magis sapiūt. Sed ea metalla arg. uiui naturā magis sapiūt, quæ sunt foecūdiōra arg. uiui. Ea igitur erunt habēda pfectiora. Qd Geber cap. 64. apertē docuit his uerbis: Ex hoc itaq; manifestū est corpora illa esse maioris pfectionis, quæ plus arg. uiui sunt cōtinētia, quæ uerō minus, minoris pfectionis. pbatio uerō eius, qd ea, quæ maioris arg. uiui quantitatis sunt cōtinētia, maioris sint perfectiōis, est facilis susceptio arg. uiui. Itē cap. 98. his uerbis, itā igitur uobis paruit ueridicē, maximā arg. uiui quantitātē cōtinētia, pfectionis existere corpora, & ideo arg. ui. maximē amīcari. Quāobrē amandū est, corpora ea perfectioni magis approximare, quæ magis amīcabīliter arg. uiuū cōbibēt. Et huius signū est, arg. uiui facilis susceptio à Solaris aut Lunaris pfectionis corpore. Ob huius igitur rationis causam, quodcūq; corpus in sui substantiā arg. uiuū facile nō admisserit, à pfectionis cōplemento maximē di-

stare necesse est. Quæ omnia hactenus à nobis in huius primæ authoritatis interpretationem dicta, ut familiarius intelligantur, ego ea in pauca hic reducam.

Ea metalla argenti uiui naturam magis sapiunt, & sunt ipsi affinia, cū quibus ipsum argentum uiuum libentius cōmiscetur. Atqui argentum uiuum miscetur libentius cum metallis, quæ maiorem cōtinent copiam argenti uiui. Ergo metalla, quæ maiorem continent copiam argenti uiui, magis sapiunt naturam argenti uiui, & sunt illi affinia. Sed metalla argento uiuo magis affinia, sunt perfectiora. Igitur metalla, quæ maiorem continent copiam argenti uiui, erunt perfectiora: siquidem hæc sunt argento uiuo uiciniora. Quod autem ea sint perfectiora, quæ argento uiuo sunt magis affinia, sic colligitur. Id quod causæ perfectionem efficientis magis particeps est, iure optimo perfectius iudicandum est. Sed argentum uiuum (ut superius docuimus) est causa perfectionis metallorum tam eorum, quæ perfecta sunt, quàm eorum, quæ ad perfectionem sunt promouenda. Proinde metalla, quæ magis sapiunt, & obtinent naturam argenti uiui, erunt cæteris perfectiora. Atqui ea metalla magis obtinent naturam argenti uiui, quæ maiori abundant copia argenti uiui. Igitur ipsa erunt perfectiora. Quod si ea metalla sunt perfectiora, quæ maiori abundant argenti uiui copia, profectò (cum contrariorum contraria sit ratio habenda) ea metalla erunt à perfectione alienissima, quæ maxima laborant argenti uiui paucitate & inopia. Atqui in Marte est maior penuria argenti uiui, quàm in aliquo alio metallo, ut testatur illibentissimus & difficillimus argenti uiui cum eo congressus. Collectio igitur hæc erit, Bracesche, Martem tuum, (quem tu uis non solum perfectioni finitimum, sed esse ipsam perfectionis effectricem causam) omnium metallorum à perfectione remotissimum & alienissimum esse. Quod si Mars eo nomine à perfectione alienissimus esse censetur, quod inops sit argenti uiui, iudica tu ipse Bracesche, qui fieri possit, ut fæx illa ferrea, in naturam uitream redacta, sit causa perfectionis in hac arte effectrix, cum in ea nihil sit penitus argenti uiui, imò tota, quanta est, sit sulfur terreum, nimia ignis inclementia argento uiuo natiuo spoliatum. Nam si ignis argentum uiuum ei non extorlisset, posset beneficio argenti uiui (utpote liquationem metallicam efficientis) iterum in metallum scilicet in ferrum redire, & reuocari. At cum experientia testetur, fæcem illam ferream in uitrum ceruleum redactam, (quam tu scripsisti eligendam) liquatione metallica exhaustam, & priuatam omnino esse, profectò absentia effectus, hoc est liquationis metallicæ, fidem indubitam facit sublatæ, & absentis causæ, liquationem metallicam efficiētis, id est, argenti uiui. Quæ sublata factum est, ut metallica esse desierit, & in naturam uitream, à metallica alienam abierit. Quod si hoc Martis excrementum argento uiuo penitus exhaustum est, quomodo uis, Bracesche, metallorum ignobilium in melius mutandorum medicinam ex eo cōfici, cum eam testetur Geber ex argento uiuo (utpote inopiam metallorum sarciente) conficiendam esse? Hoc igitur erat arcana ex hac Gebri authoritate eruendum, Bracesche, scilicet (cum argentum uiuum sit causa perfectionis metallorum) ea metalla esse perfectiora, cum quibus argentū uiuum libentius coit, & familiarius congregitur, & per consequens Martem esse omnium metallorum à perfectione remotissimū, & alienissimum, cum argentum uiuū, adeò exosum habeat eius coitum, & illibentissimè atq; ægerrimè cum eo copuletur. Et cum solius perfecti propriū sit, perfectionē nondum perfectis conferre, imperfectorū autē, eam à perfectis mutuari & accipere, profectò uis conferendæ perfectionis, reliquis omnibus metallis prius inerit, quàm tuo Marti, à perfectione adeò distracto. Et inter metalla perfectionis integrè expertia, maximè & primò conueniret Ioui, utpote ad naturā causæ perficientis propinquius accedenti. Hanc tamen perfectionis conferendæ facultatē, neq; Ioui, neq; Saturno, neq; Veneri, neq; Marti ingentitam esse docuit nos Geber cap. 69. his uerbis.

Redeuntes

Redeuntes tamen in nos ipsos, & torquentes nos immensis meditationis afflictionibus, tandem respeximus, corpora à perfectione diminuta in profundo suæ naturæ sœda existere, & nihil in eis fulgidum inueniri, cum in eis secundum naturam non insit. Non enim inuenitur in re, quod in illa non est. Cum igitur in illis nihil perfecti reperitur, &c. Audi Braceſche in metallis à perfectione diminutis nihil perfecti (& per consequens nihil perfectionis) reperiri. Quòd si neq; in Ioue, neque in Saturno, neque in Venere perfectionis quicquam reperitur (quæ tamen Marte tuo longè sunt perfectioni uiciniora) uide quæſo quid perfectionis excremento tuo, patre suo, hoc est Marte ignobiliori, relinquatur. Quòd si nulli eorum perfecti quicquam inest, ac solus perfecti proprium est, nondum perfectis perfectionem conferre, hinc Sole clarius constat, causam perfectionis effectricem in nullo imperfectorum quærendam esse. Non enim inuenitur in re, (ut ait Geber) quod in illa non est. Sed quoniam superius ex Gebro, docui argentum uiuum esse causam perfectionis in hac arte effectricem, uidendum superest, num id de argento uiuo crudo & uulgari sit interpretandum.

Ego itaque ne pugnantia loqui, & mihi constare non uidear, assero certè causam perfectionis in solo argento uiuo sitam, & repositam esse, nec aliunde esse promendam, non tamen in argento uiuo in natura sua cruda sumpto. Id enim testatur Geber cap. trigesimo his uerbis. Non est tamen argentum uiuum medicina nostra in natura sua. Item cap. 3. his uerbis. Consideratio rei quæ perficit, est consideratio electionis puræ substantiæ argenti uiui, & est medicina, quæ ex materia illius assumpsit originem & ex illa creata est. Non est autem ista materia argentum uiuum in sua natura. Item cap. quinquagesimonono his uerbis. Ex iam dictis similiter pater argentum uiuum non esse perfectum in natura sua.

Proinde cum argentum uiuum in natura sua sumptum non sit causa perfectionis, quale tandem erit illud argentum uiuum, quod superius cum Gebro asseruimus esse causam perfectionis in hac arte effectricem? facile intelligemus, quale sit hoc argentum uiuum, si quæ in hanc rem à Gebro scripta fuere, in memoriam reuocemus. Dixit Geber cap. nonagesimonono, summam totius operis Chymici hæc esse, ut sumatur lapis in capitulis notus (hoc est Mercurius) deinde cum operis instantia assidue super illo opus sublimationis primi gradus, & per hoc mundetur à corrumpente impuritate. Hæc enim est sublimationis perfectio: Et cum ea subtilietur lapis, donec in ultimam puritatem deueniat, &c. Dixit præterea cap. octuagesimo secundo, artem medicinæ componendæ hanc esse, ut præparetur argētum uiuum cum modis suis iam dictis, cum diuturni laboris instantia, quousque omnis illius subtilis substantia purissima, alba quidem in Luna, citrina uero intensè in Sole, habeatur perfectè. dehinc uerò cum hac purissima arg. uiui substantia perficiatur, cum huius magisterij ingenijs medicina, quæ illi adhæreat, & fundatur facillimè, & illud coagulet. Dixit etiam cap. 75. Et cum inuenerimus ipsum (subaudi argentum uiuum) sine administratione alterationis naturæ illius, non mutare, inuenimus similiter ipsum præparari debere necessariò, cum non permisceatur in profundo, absque illius præparationis modo. Et est scilicet, ut talis fiat illius substantia, quòd permisceatur usque ad profundum corporis alterabilis, sine separatione in æternum. Hoc autem non fit, nisi subtilietur ualde cum præparatione certa, determinata in cap. sublimationis. Et non permanet eius impressio, nisi figatur, nec illustrat, nisi fulgidissima ex eo eliciatur substantia. Cum itaq; arg. uiuū, metalla imperfecta illustrare, & decorare non possit, nisi purissima & splendidissima ex eo eliciatur substantia (quod citra sublimationem fieri non potest) & cum eius impressio non sit constans, imò nisi figatur, euanescat, ideo cap. 59. sic ait, In argen. uiuo necesse est superflua demere. habet enim corruptionis causas, uidelicet terram, & adustibilem absq; inflammatione aqueitatis substantiam. Putauerunt tamen aliqui, illud terram

non habere superfluam, uel immundiciam. Sed unum est, quod ab eis cogitatur. uidemus enim ipsum multæ liuiditatis, & non puræ albedinis. & similiter per leue artificium uidemus ex illo terram nigram, & fæculentam emanare, uidelicet per lauationem, cuius modum narrabimus. Sed quia duplicem ex illo perfectionem elicere oportet, scilicet medicinam ex eo facere, & illud perficere, ideo necesse est ipsum duplici mūdationis gradu preparare. Propterea duæ mundationes mercurij sunt necessariae, una per sublimationem ad medicinam, (ex eo subconficiendam) & hæc hic innuitur, alia per lauacrum, ad ipsius coagulationē, & ista innuetur. Si enim uolumus medicinam ex eo creare, tunc necesse est, ipsum a fæculentia suæ terreitatis mundare, ne in proiectione creet liuidum colorem, & ipsius fugitiuam aqueitatem delere, ne totam medicinam in proiectione fugitiuam reddat, & mediocrem illius substantiam saluare pro medicina, de cuius proprietate est non aduri, & ab adustione defendere, & quæ non fugit, & fixa (ubi subaudi fixata fuit) facit. Ex his Gebri locis amplissimè constat, quale sit argentum illud uiuū, quod est causa perfectionis in hac arte, scilicet argentum uiuum defæcatissimum & fixum. Quibus qualitatibus cum argentū uiuum crudum non sit præditum, idcirco in natura sua sumptum non est causa perfectionis, nec esse potest, donec mundissima eius substantia per sublimationem a fæcibus separata, & exonerata fuerit, & postea fixa, & constantis in igne conditio- niseuaserit. Quam ob causam Geber caput unum de Sublimatione mercurij scripsit, & alterum de Fixatione mercurij, per sublimationem mundati.

At quemadmodum Geber docet cap. 46, marchasitam, mercurio extincto, mediocriter preparato, & ad fixationem aliquo modo inclinante præditam esse, cuius mercurij extincti, in marchasita existentis beneficio, immunes simus a laboribus extinctionis mercurij crudi: eadem ratione colligere possumus, nos a laboribus extinctionis, absterisionis, & fixationis argenti uiui crudi immunes fore, si mercurium non solum extinctum, sed abstersum, mundum, defæcatissimum, & ad plenam fixationem ab ipsa natura deductum inuenerimus. Itaq; cum ipsa natura mercurium his omnibus dotibus præditum, in Sole & Luna, nobis liberalissimè offerat, non est profectò, quod nos torqueamus in argento uiuo extinguendo, abstergendo, per sublimationem defæcando, & ad fixationem deducendo. Imò frustra huiusmodi laborem subiremus, cum argentū uiuum crudum merderi non possit metallis ignobilitate laborantibus, quin prius metallicam formam induat, & metallum euadat, & ipsa natura metalla nobis cuiusuis generis exhibuerit. Quod autem argentum uiuum metallis ignobilibus perfectorum nobilitatem conferre non possit, quin prius efficiatur metallum, hinc constat.

Si à mollitie argenti uiui, non patet aditus ad duritiem metallorum (teste Gebro cap. 26. suæ Summæ) nisi per dispositionem, quæ medium tenet inter molli- tiem, & duritiem illorum: eodem argumento colligendum est, argentum uiuum, metallorum ignobilitate laboratium, medicinam euadere non posse, quin prius formas inter formam Elixiris, & suam interiectas experiatur, & subeat. Non patet enim accessus ab extremo ad extremum, nisi per interiecta media. Atqui inter has duas extremas formas Elixiris, scilicet & argenti uiui, formæ metallorum fa- cent media. Proinde argentum uiuum, nisi prius metallum euaserit, ad formam Elixiris promoueri non poterit. Quod autem metalla medium teneant inter ar- genti uiui & Elixiris formam, huius rei fidelissimus testis mihi erit Arnoldus Villauouanus cap. decimo sui Rosarij minoris, cuius hæc sunt uerba:

Hic igitur est lapis noster formosus, quia non fit transitus de extremo ad ex- tremum, nisi per medium. Extrema autem nostri lapidis in primo latere est argentum uiuum, in secundo uerò est Elixir completum: media autem ho- rum duorum extremorum sunt metalla. Huius etiam rei testis est Lullus, in suo primo Testamento, his uerbis. Natura habet in suo opere, quatenus ad creanda

creanda metalla spectat, extrema duo, & unum medium, extrema sunt argētum uiuum, & sulfur ex una parte & metalla ex alia, medium uerò est quoddam tertium, in quo sunt ista duo nempe mercurius & sulfur. Aliqui dicunt hoc medium esse uitriolum, alij arsenicum, alij alia media mineralia. Ex quo medio natura extrahit duos fumos, qui sunt mercurius & sulfur, ex quibus conficit metalla. Ars cum sit naturæ imitatrix, & cum sint eadem principia naturæ & artis, habebit ipsa ars duo extrema, & unum medium. Extrema artis erunt argentum uiuum & sulfur ex una parte, lapis ex alia, medium autem erunt ipsa metalla, ex quo medio ars extrahit sulfur & mercurium, ingenio naturæ depurata & fixata, ex quibus postea lapidem conficiet.

Cum itaq; metalla media sint, inter formam Elixiris, & argenti uiui, & nullus fiat progressus ab extremo ad extremum, nisi per interiectum medium, profectò argentum uiuum Elixiris formam contingere non poterit, nisi primò gradum faciat ad formam metalli intuendam. Quòd si argentum uiuum, priusquam transeat in Elixir, ad formam metalli promouendum est, ergo aut plumbi, aut stanni, aut æris, aut ferri, aut argenti, aut saltem auri formam induat, necesse est.

Quòd si optamus scire, ad cuius tandem metalli formam promoueri debeat, antequam ex eo, Elixir confici queat, id ex uerbis Gebri uenandum est, docet enim Geber, mundissimam substantiam ex eo per sublimationem depromendam, eamq; ad fixationem ducendam. Itaq; cum mundissima eius substantia sit assumenda, immudum & sordidum ex ea non poterit generari metallum, munda enim illius substantia (ut testatur Geber cap. 53.) mundum, & sordium expers, producit metallum; immunda uerò, pollutum & sordidum. Necesse est igitur ut ex mundissima & defæcatissima argenti uiui substantia (quam Geber solum asserit colligendam) mundissimum, & defæcatissimum nascatur metallum. Quòd si mundum & sordium expers, ergo aut Solem aut Lunam ex ea mercurij substantia oriri necessariò oportebit. Reliqua enim metalla immunda sunt, nec extrema tantum, sed etiam intestina, & penitus inossata laborant spurcitiæ.

Quòd si argentum uiuum, ut ex eo fieri possit Elixir, per sublimationem & fixationem in metallum nobile, tersum & mundum reuocandum est, & natura nobis metalla mundissima, tam alba, quam citrina produxerit, profectò quemadmodum beneficio mercurij in marchasita existentis, utpote extincti, medio critter præparati, & ad fixationem suscipiendam dispositi, immunes sumus à laboribus extinctionis, & sublimationis argenti uiui crudi: eadem ratione colligere debemus, beneficio metallorum nobilium, & mundorum, hoc est auri & argenti mineralis, nos ab immensis illis laboribus subleuari, qui subeundi nobis essent, si argentum uiuum per extinctionem, sublimationem, & fixationem in metallum nobile & mundum permutandum esset. Quorsum enim tot nos frangamus laboribus, cum natura hoc ante uidens, & nostri miserta, nobis hac in parte insudauerit, & hæc nobilia metalla porrexerit, ut ex eis substantiam illam mercurij mundissimam, & iam ad fixationem deductam effoderemus, eamq; ad sublimiorem Elixiris formam promoueremus.

Quod perspicacissimus, & fidelissimus Gebri interpret, Ademar, persentens, scripsit, tacitam & per uaria Summæ capita dispersam Gebri mentem hanc fuisse, ut in his duobus metallis, utpote à Natura iam elaboratis, sublimatis, & ad fixationem deductis, opus lapidis inchoaretur. Quam rem Geber ipse satis indicauerat cum electionem mundæ substantiæ mercurij, ad fixationem deductæ, causam perfectionis esse promulgasset, eamq; sæpius his duobus metallis inesse scripsisset. Quò tamen facilius id assequeremur, scripsit capite trigésimo secundo, Aurum esse preciosissimum metallorum & tincturā rubedinis, quia tingit, ac transformat omne corpus. Item cap. trigésimo tertio scripsit Lunam esse tincturam albedinis. Quorum etiamsi nihil scripsisset, id nobis satis

esse debebat, quod cap. 31. scripserat his uerbis. Habent autem magnam affinitatem metalla adinuicem, non tamen perfectum perficit imperfectum per solam commistionem, si enim aurum cum plumbo liquefactione misceatur, non fit ex hoc plumbo aurum: sed euanescit à commistione plumbum, & adurit, aurum autem in examinatione remanet. & idem in reliquis cōtingit. Secundum uerò nostrum magisterium, perfectum iuuat & perficit imperfectum. Et paulopost.

Et per Deum se inuicem perficiunt, & perficiuntur, & se inuicem alterant, & alterantur, non tamen per se tantum unumquodq; (imperfectorū subaudi) perficitur, sine alterius (subaudi perfecti) adminiculo. Quæ sola autoritas satis erat ad indicandum Elixiris confectionem à Sole & Luna (quæ sola perfectione sunt dotata) ordiendam esse. His tamen minimè cōtensus Geber, hanc rem, cap. 19. libri Fornacum, apertissimam fecit his uerbis.

Quæ autem sint medicinz, & quales secundi & tertij ordinis, sufficienter demonstratum est in libro nostro perfecti Magisterij, ubi demonstrauimus demonstratione competenti & uera lapidem nostrum de arg. uiui substantia esse procreandum. Et hoc sufficienter ut theoreticus speculatiuus: hic uerò practicam manifestè reserabimus. Et est, ut Solem & Lunam resolvere studeas, &c.

Quibus uerbis Geber palam & publicè testatur, se in Summa per argen. illud uiuum, ex quo mundato & fixo Elixir conficiendum docuit, nihil aliud, quam Solem & Lunam uoluisse. Quocirca in calce eiusdem cap. (ubi de solutione horum duorum metallorum egit) sic loquitur. Et hoc est (inquit) nostrum argen. uiuum, de arg. uiuo extractum, quod uolumus pro fermento. Quod non immeritò uiuum appellauit, cum hoc solum reliquis metallis causa uitæ, hoc est perfectionis, sit. Nunc itaq; satis patet, quodnam sit illud arg. uiuum, quod Geber in Summa indicabat esse eligendum, scilicet munda & fixa Mercurij substantia in Sole & Luna inclusa. Itaq; Bracesche cum apud Gebrum toties legisses, causam perfectionis huius artis in solo argen. uiuo reconditam esse, debebas tu inde colligere, ea metalla perfectiora esse, quæ naturæ arg. uiui magis essent conformia. Quæ autem naturæ arg. uiui essent magis conformia, docuit te Geber cap. 59. his uerbis. Videmus arg. uiuum arg. uiuo magis adhærere, & eidem magis ammicari, post illud uerò aurum, & post hæc argentum, ideo ex hoc relinquitur ipsa esse suæ naturæ magis. Alia uerò corpora uidemus ad illud tantam conformitatem non habere, & ideo ipsa ueridicè inuenimus minus de illius natura participare. Quæcunq; enim plus ab adustione saluari uidemus, illa iudicamus arg. uiui naturam magis possidere, quia arg. uiuum (inquit) est adustionis saluatuum. Quod si arg. uiuum est causa incremabilitatis metallorum, poteras tu inde colligere, ea arg. uiuo conformia magis esse, & naturam illius magis sapere, quæ minus sunt cremabilia. Et cum Martem cæteris omnibus metallis magis cremabilem esse sentires (cum argen. uiui incremabilitatem efficiētis, minus obtineat) debebas tu inde ratiocinari, Martem minimam cum arg. uiuo habere conformitatem. Et cum arg. uiuum causam perfectionis metallorum, tam perfectorum, quàm ad perfectionem reuocandorum esse, à Gebro audiuiſſes, nonne poteras inde colligere ea metalla à perfectione conferenda aliena esse, quæ paruam aut nullam haberent cum arg. uiuo conformitatem? Et cum reliqua omnia metalla argen. uiuo cerneret magis conformia, quàm Martem tuam (quod ægerimus & illibentissimus arg. uiui cum eo testatur coitus) poteras tuò iudicare, Martem omnium metallorum à conferenda perfectione (cuius est maximè inops) alienissimum esse, eamq; cæteris omnibus metallis potius, quàm Marti uendicandam. Et hoc erat arcanum illud à Gebro tacitè in hac prima autoritate indicatum, sed longè malus inde colligi poterat arcanum. Nam cum in eodem cap. dixisset argen. uiuum (ex quo ubiq; prædicat Elixir componendum) in natura sua sumptum, perfectionem conferre non posse: & alibi docuisset, mundissimā eius substantiam per

per sublimationem efficiendam esse, eamq; postea ad fixationē ducendam, debas perfectō colligere, fieri non posse, quin arg. uiuū hac methodo in mundum, & nobile rediret metallum: præsertim cum Geber ipse cap. 63. monuisset arg. uiuum per successiuam illius sublimationem eò peruenire, ut metallica sit prædictum liquatione, & cap. 53. docuisset, ex munda illius substantia mundum generari oportere metallum. Et cum nullum metallum, præter aurum & argentū, mundum esse cerneret, poterat sentire Bracesche, hanc mundam & fixā mercurij substantiam (cum reliquis non in sit) ex his duobus tantum effodiendam, eamq; ut Geber docet, ad sublimem Elixiris formam esse promouendam. Ex quibus postremo colligendum erat, hanc Mercurij substantiam, neq; ex Marte, neq; ex Venere, neq; ex Saturno, neq; ex Ioue, promi posse, quin prius ista auream, uel argenteam induissent naturam & conditionem. Iudica nunc quæso Bracesche, iudica, inquam, tu ipse, quantum à recta Gebri interpretatione deflexeris. Quod si adhuc in opinione tua ferrea perstas, & interpretationem meam, tot illustratam testimonijs, tot uallatam rationibus, in dubium uocare audes, prodeat in mediū Arnoldus Villanouanus, fidelissimus Gebri interpres, & hanc nostram cōtroversiam dirimat, terminet, & rescindat. Quo iudice si hac causa cecidero, lubens palinodiam canam Bracesche, opinionem ferreā amplectar, & Marti tuo libentissimè subscribam.

Hæc igitur sunt, quæ ab Arnoldo in huius loci diffinitionē scripta fuere ca. 4. sui Rosarij minoris. Sed arg. uiuum in omnibus suis operibus manifestè est perfectiuum: quoniam adustionis est saluatium, & fusionis effectiuū. Et cum figuratur est tinctura rubedinis, exuberantissimæ refectionis, & fulgidi splendoris, & non recedit à cōmixto. Est enim amicabile ac placabile metallis, ac medium coniungendi tincturas: quoniam miscetur per minima cum ipsis, & in profundo naturaliter adhæret eis, quia est de natura ipsorum. Veruntamen cum Sole & Luna miscetur facilius, eo quod ipsa naturā illius magis participant, attamen non submergitur aliquod metallorum in arg. uiuo nisi Sol.

Ex hoc itaq; maximum elicias arcanū: quoniam Mercurius in se recipit, quod suæ naturæ est, alienū uerò respuit, eo quod sua natura magis gaudet, quam aliena. Ex hoc igitur manifestè relinquitur, corpora maioris esse perfectionis, quæ plus Mercurij sunt continentia, & quæ minus, minoris. Laudetur ergo omnium opifex Deus, gloriosus & benedictus, creator optimus & altissimus, qui ex uili creauit preciosum, ut cum mineralibus maximum teneat in natura solum, & dedit illi substantiam, & substantiæ proprietatem, quam non contingit ullam aliam rem in natura possidere: quoniam ipsum solum est, quod ignē superat, & ab igne nō superatur, sed in eo amicabiliter cōquiescit, eo gaudens. ipsum namq; solum (quum sit metallum) continet in se totum, quo indigemus ad nostrum magisterium: quoniam alia omnia, cum sint cōbustibilia, igni cedūt, & in fauillam transeunt. Hoc solum Arnoldi testimonium satis erat Bracesche: etiamsi ego nihil aliud attulissem, ad subuertendam interpretationem tuam ferream. Ex his enim Arnoldi uerbis manifestè uides, arcanum illud, ex facili uel difficili Mercurij cum metallis congressu eliciendum, nihil aliud esse, quàm ea metalla arg. uiuo affiniora esse, quibus cum arg. uiuum libentius cōmiscetur. Cuius rei hanc esse ait rationem, quod arg. uiuum libenter amplectatur id, quod suæ naturæ esse sentit, alienum autem à natura sua respuat, & exosum habeat. Et cum ab ipso Arnoldo audias, arg. uiuum esse in hac arte perfectiuum, facile intelligere potes, ea metalla esse perfectiora, quæ maiorem habent cum arg. uiuo cōformitatem, qualia ipse testatur esse aurum & argentum, cum quibus argentum uiuum libentius miscetur, inquit, quia hæc duo metalla arg. uiui naturam magis sapiunt, quod si aurum & argentū eo nomine perfectiora censentur, quod maiorem habeāt cum argento uiuo affinitatem, facile erat tibi inde colligere ea metalla à perfectione

longius esse distracta, quæ argento uiuo minus essent conformia. Itaque cum ex illibenti argenti uiui cum Marte coitu intelligeres, Martem à natura argenti uiui alienissimum esse, non possum non admirari Bracesche, quomodo non intellexeris, Martem longiori interuallo à perfectione distractum esse, quam reliqua metalla, & per consequens, perfectionem (à qua adeò alienus est) prius conferre non posse, quam eam adeptus fuerit, & in perfectum metallum euaserit. Audis præterea Arnoldum testantem, argentum uiuum, ubi uersum fuerit in metallum, id totum in se continere, quo hac in arte egemus. Ex quibus iudicare potes, quam uerè superius à me dictum fuerit, argentum uiuum in natura sua sumptum, non esse perfectiuium, sed ut tale euadat, ad naturam metallicam prius esse promouendum, & postremò ad formam Elixiris. Cum itaque in metallum uertendum sit, antequam Elixir effici possit, poteris ex uerbis Gebri ratio cinari, in quod tandem metallum esset mutandum. Nam si munda illius substantia mundum creat metallum, & hæc sola Gebri testimonio est assumenda, debebas cum Ademaro colligere, argentum uiuum, antequam metallis ignobilitate laborantibus mederi posset, in aurum seu argentum esse uertendum, cum hæc sola sint munda, & in his solis mundissima argenti uiui substantia reperiatur. At cum natura artis miserta hac in parte nobis insudauerit, poteris iudicare Gebrum tacitè lectori indicare, mundissimam mercurij substantiam ex Luna ad Lunam, ex Sole ad Solem esse promendam, & ex ea ignobilium metallorum in aurum, uel argentum mutandorum, medicinam esse conficiendam. Ex hoc Arnoldi testimonio satis patet, illam, quæ à me superius allata fuit, interpretatiorem non esse meam, sed ipsius Arnoldi, imò nec Arnoldi, sed ipsius Gebri, cum eam ex Gebro collegerit Arnoldus. Corruit itaque prima & antesignana ratio tua Bracesche, & ita corruit, ut reliquæ ferme omnes illius ruina attonitæ per se iam corruant, & nullo impellente collabantur. Ea enim arte instructa erat hæc acies tua, ut hac prima cohorte stante, reliquæ futuræ essent inuictæ: hac autem expugnata, reliquæ corruerent.

CAPVT III.

Sed quoniam nondum sentis, quantam cladem acceperis, ideoque uictoriæ adhuc promittere tibi audes, prodi, quæso, in mediū cum illa secunda auctoritate ex cap. 66, Summæ Gebri à te desumpta, qua faciam ut intelligas, quantum abutaris, & quam grauiter tibi imponas. Et quia tu duas ex eo cap. auctoritates promiss, ego ambas adferam, ut uno & eodem ictu utranque rescindam. Quod ut rectius fiat, paulò altius Gebri uerba resumam, ut ex antecedentibus quid sibi uelint consequentia, familiarius percipiatur, quod tu consultò prætermisisti, ne mens Gebri innotesceret, & interpretationi tuæ fides derogaretur. Verba igitur Gebri hæc sunt:

Et ideo in hoc nobis aperta est uia inuestigationis causæ huius operis, per quod in calcinatione mutatur Iupiter facilius in durum, quam Saturnus, non autem in tarditatem liquefactionis uelocius, quam Saturnus. Et illud ideo, quoniam causa duriciæ naturæ, est sulfur, & argentum uiuum fixum. Causa uerò liquefactionis est duplex, argentum uiuum scilicet, & sulfur combustibile: quorum alterum, quoad fusionis perfectionem sufficit in unoquoque gradu eius, scilicet cum ignitione & sine ignitione, scilicet argentum uiuum. Quia igitur in Ioue est multa argenti uiui quantitas non uerè fixi, remanet in illo multa liquefactionis uelocitas, & non remouetur ab illo facilius. Causa uerò mollificationis est duplex, argentum scilicet uiuum, & sulfur combustibile. Quia igitur remouetur sulfureitas comburens ex Ioue facilius, quam ex Saturno, ideo ex eo altera molliciei causa remota, necesse est illud indurari calcinatum. Saturnus uerò, quia utranque molliciei causam fortiter habet coniunctam, non faciliè induratur. Est tamen diuersitas in molliciei per argentum uiuum, & per sulfur, quia mollicies,

mollicies, quæ fit per sulfur, est celsiua, mollicies autem quæ fit per argentum uiuum, est extensiua. Et hoc necessariò probatur per hoc, quòd uideamus corpora multi argenti uiui, multæ extensionis esse: corpora uerò pauci, pauca. Et ideò Iupiter facilius & subtilius extenditur, quàm Saturnus, Saturnus facilius quàm Venus, Venus quàm Mars, Luna subtilius quàm Iupiter, Sol uerò quàm Luna subtilius. Patet igitur, quòd causa indurationis est argentum uiuum fixum, aut sulfur fixum. Causa uerò molliciei est opposita. Causa uerò fusionis est duplex, sulfur non fixum, & argentum uiuum cuiuscunque generis: sed sulfur non fixum necessariò est causa fusionis sine ignitione. Et manifestè uides huius rei experientiam, per projectionem arsenici super corpora difficilis fusionis: facit enim ea faciliis fusionis, & sine ignitione. Causa uerò fusionis faciliis, est similiter argentum uiuum. Causa uerò fusionis cum ignitione, est argentum uiuum fixum. Causa igitur impediementi fusionis cuiuscunque, est sulfur fixum. Per hoc itaque maximum poteris elicere secretum, quòd cum plurimæ argenti uiui quantitatis corpora maximæ perfectionis sint inuenta, pluris utique quantitatis argenti uiui corpora à perfectione diminuta, perfectio magis approximare necesse est. Itaque & multa sulfureitatis corpora, plurimæ corruptionis esse cõtingit. Quamobrem etiam dictis patet, Iouem maximè perfectio approximare, (cum perfectionis plus participet) Saturnum uerò minus, minus adhuc Venerem, minimè uerò Martem, eo ex quo perfectio dependet. Hactenus Geber. Nunc quis sit eorum sensus, ordine expendamus, & singulas partes seriatim examinemus.

G E B E R.

Et ideo in hoc nobis aperta est uia inuestigationis causæ huius operis, per quod in calcinatione mutatur Iupiter facilius in durum, quàm Saturnus: non autem in tarditatem liquefactionis uelocius, quàm Saturnus. Et illud ideo quoniam causa duritiei naturæ, est sulfur & argentum uiuum fixum. Causa uerò liquefactionis est duplex, argentum uiuum scilicet & sulfur combustibile: quorum alterum, scilicet argentum uiuum, ad fusionis effectum sufficit in unoquoque gradu eius, scilicet cum ignitione, & sine ignitione. Quia igitur in Ioue est multa argenti uiui quantitas non uerè fixa, remanet in illo multa liquefactionis uelocitas, & non remouetur ab illo faciliter.

T A V L A D A N V S.

Geber in hoc cap. confert naturam Iouis & Saturni adinuicem. Vnde hic ait, Iouem calcinationis beneficio citius indurari, quàm Saturnum: at Saturnum promptius liquefactionis celeritatem deponere, quàm Iouem. Causam igitur, propter quam Iupiter non æque citò liquefactionis uelocitatem deponat, ac Saturnus, hanc esse ait. Causa liquefactionis plus quàm par sit uelocis, hoc est ignitionem non ferentis, est partim argentum uiuum minimè fixum, partim sulfur cremabile, & ab igne fugiens. Quod ne in dubium uocari possit, hac ratione uerissimum esse constabit. Oppositorum effectuum, oppositas necesse est causas esse effectrices. Atqui liquefactio ignitionem ferens, est effectus liquefactioni, ignitionem non sustinenti oppositus. Igitur horum duorum effectuum oppositæ habendæ sunt causæ. Sed liquefactionis ignitionem sustinentis causa est argentum uiuum fixum. Igitur argentum uiuum minimè fixum, erit causa liquationis ignitionem non ferentis. Quòd autem argentum uiuum fixum sit causa liquationis ignitionem sustinentis, id constat ex metallis ignitionem sustinentibus. In quibus cum præter argentum uiuum & sulfur maiori ex parte fixa nihil sit, oportet huiusmodi liquationis ignitionem ferentis causam esse, aut argentum uiuum fixum, aut sulfur fixum, aut utrumque. Atqui tantum abest, ut sulfur fixum liquationem efficere possit, ut eam penitus tollat, (siquidem liquationis causa est humidum, quo humido sulfur fixum, cum sit aridissimum, est omnino exhaustum, & per consequens illiquabile.) Cum itaque sulfur fixum liquationis

causa esse non possit, profectò liquationis ignitionem sustinentis causa esse minus poterit. Quòd si sulfur fixum liquefactionis, ignitionem sustinentis causa non est, id certè argento uiuo in metallis ignitionem ferentibus existenti, acceptum ferendum est. Et si argentum uiuum fixum est causa liquationis ignitionem sustinentis, consequens est, ut argentum uiuum minimè fixum dissimilem pariat effectum, & sit causa liquationis ignitionem non ferentis: siquidem oppositorum effectuum oppositæ sunt causæ, & oppositarum causarum oppositi effectus. Ex his notissimum est, argētum uiuum minimè fixum, esse causam liquationis ignitionem non ferentis. Sed quoniam Geber duplicem in hoc caput ait esse causam huiusmodi liquationis, argentum scilicet uiuum minimè fixum, & sulfur cremabile, atque ab igne fugiens, id num de sulfure cremabili, & minimè fixo uerum sit, exploremus: Quod hac ratione facillè innotescet. Sulfuris fixi, & sulfuris minimè fixi natura penitus dissimilis est, & extremè opposita. Igitur horum duorum effectus, erunt penitus dissimiles, & extremè oppositi. Atqui sulfuris fixi effectus, est extrema retardatio liquationis. (eam enim quantum in se est, remouetur & prohibet, ut patet in ferro.) Igitur sulfuris minimè fixi effectus, erit extrema liquationis acceleratio. Atqui summa, & immoderata liquationis acceleratio, secum adfert liquationem, ignitionem non expectantem. Proinde sulfur cremabile, & minimè fixum erit altera liquationis sine ignitione causa. Ex his itaque constat & sulfur ab igne fugiens, & argentum uiuum minimè fixum, causam esse liquationis uelocioris quàm par sit, id est, ignitionem non ferentis. Et quoniam ambæ istæ causæ plus abundant in Ioue quàm in Saturno, hinc fit, ut hanc immoderatam liquationis celeritatem, non æquè citò deponat Iupiter, ac Saturnus.

G E B E R.

Causa uerò mollificationis est duplex, argentum scilicet uiuum & sulfur combustibile. Quia igitur remouetur sulfureitas comburens ex Ioue facilius, quàm ex Saturno, ideo altera molliciei causa ex eo remota, necesse est illud indurari calcinatum. Saturnus uerò, quia utranq; molliciei causam fortiter habet coniunctam, non facillè induratur.

TAVLADANVS.

Quemadmodum superius docuit, Saturnum Ioue promptiorem esse, ad deponendam & exuendam nimiam liquationis celeritatem, ita hic docet, Saturnum à Ioue superari, quòd Iupiter promptius citius, & facilius calcinationis beneficio induretur, quàm Saturnus. Et huius rei affert has rationes. Causa duriciem in metallis efficiens (ut superius dixit) est partim sulfur fixum, partim argentum uiuum fixum, ut patet in omnibus duris corporibus, & potissimum in ferro omnium metallorum durissimo. Itaq; cum hæc sit duritiei causa in metallis, & oppositorum effectuum oppositæ sint causæ, profectò causa efficiens molliem in metallis (quæ ex diametro cum duritie pugnat) erit partim sulfur ab igne fugiens, partim argentum uiuum minimè fixum. Et quoniam remissa causa efficiente, illius effectum remitti, & sublata, penitus tolli oportet: Idcirco in quocunque horum duorum metallorum causæ mollietiei ambæ, seu altera tantum uelocius remittetur, aut citius tolletur, in eodem effectum illius causæ citius tolli, aut saltem remitti necesse est. Atqui altera mollietiei causa, sulfur scilicet non fixum, facilius, promptius & citius per calcinationem à Ioue separatur, quàm à Saturno (quia scilicet tenacius adhæsit, & arctius foedus iniit cum argento uiuo Saturni, quàm Iouis.) Itaq; sublata promptius à Ioue, quàm à Saturno, altera mollietiei causa, molliem in Ioue citius remitti iudicandum est. Quòd si mollietis in Ioue citius, quàm in Saturno supprimitur, qualitatem mollietiei oppositam, hoc est duritiem, Ioui citius, quàm Saturno contingere necesse est: cum hæc sit lex & conditio qualitatum inimicarum, & inter se pugnantium, ut altera repulsam patiente,

tiente, & explosa, altera admittatur, succedat, & in locum primæ substituatur, & una enervata, alterius vires intendantur, inualescant, & corroborentur.

GEBER.

Est tamen diuersitas in mollitie per argentum uiuum, & per sulfur, quia molli- ties per sulfur est celsiua, mollietates uero per argentum uiuum est extensiua. Et hoc necessario probatur per hoc, quod uidemus corpora multi argenti uiui, mul- ta extensionis esse, corpora uero pauci, pauca. Et ideo iupiter facilius & subti- lius extenditur, quam Saturnus, Saturnus facilius quam Venus, Venus quam Mars, Luna facilius quam iupiter, Sol uero quam Luna subtilius.

TAVLADANVS.

Docuit superius Geber, duplicem esse mollietati metallorum causam, scilicet argentum uiuum minime fixum, & sulfur cremabile, atque ab igne fugiens. Nunc docet, quod sit discrimen, inter mollietatem quam efficit sulfur cremabile, & eam, quam parturit argentum uiuum non fixum. Mollietates (inquit) quam parit sulfur est celsiua, illa uero quam efficit argenti uiuum est extensiua, hoc est sulfur per mollietatem quam inducit, facit, ut metallum urgenti malleo cedat, argenti autem uiuum facit, non solum ut cedat metallum, sed etiam ut facile extendatur, & in te- nues bracteas ictu mallei duci possit. Quod autem argentum uiuum, & non sul- fur, sit causa extensionis, & ductilitatis metallorum, hinc constat. Ea metalla, in quibus maior est argenti uiui copia, facilius & tenuius sub malleo extenduntur, & ea, in quibus minor est argenti uiui copia, non æque facile aut tenuiter ducuntur. Igitur colligendum est necessario, argentum uiuum esse causam extensionis & ductilitatis metallorum. Quod autem metalla & facilius & tenuius sub malleo du- cantur, quæ maiori abundant argenti uiui copia, hinc patet. iupiter facilius & te- nuus extenditur, quam Saturnus, Saturnus facilius quam Venus, Venus quam Mars, Luna subtilius quam iupiter, Sol uero quam Luna subtilius. Atqui iupiter argenti uiui copia superat Saturnum, Saturnus Venerem, Venus Martem, Luna Iouem, & Sol ipsam Lunam. Igitur ea metalla facilius & tenuius sub malleo du- cuntur, quæ maiori abundant argenti uiui copia, & quæ minori, minus sunt ducti- lia. Proinde argentum uiuum est causa extensionis, & ductilitatis metallorum.

GEBER.

Patet igitur, quod causa indurationis est argentum uiuum fixum, & sulfur fi- xum, causa uero mollietati est opposita.

TAVLADANVS.

Geber quid ex superioribus colligendum sit, docet, & ueluti in compendium redigit. Primo igitur colligit duplicem esse causam duritiei metallorum, scilicet argentum uiuum fixum, & sulfur eadem conditione præditum. Causa uero mol- lietati metallorum (inquit) est opposita. Nam cum mollietates sit effectus duritiei oppositus, horum duorum effectuum oppositas necessario esse oportet causas effectrices. Proinde cum partim sulfur fixum, partim arg. uiuum fixum sit causa duritiei metallorum, & sulfur non fixum sulfur fixo, & argentum uiuum mini- me fixum, argento uiuo fixo opponatur, profecto mollietates metallorum partim sulfur non fixo, partim arg. uiuo minime fixo adscribenda erit.

GEBER.

Causa uero fusionis est duplex, sulfur non fixum, & arg. uiuum cuiuscunque ge- neris. Sed sulfur non fixum, necessario est causa fusionis sine ignitione. Et mani- feste uides huius rei experientiam, per projectionem arsenici super corpora diffi- cilis fusionis: facit enim ea faciliis fusionis, & sine ignitione.

TAVLADANVS.

Id est, causa efficiens liquationem in metallis, est partim sulfur non fixum, par- tim arg. uiuum, cuiuscunque fuerit conditionis, hoc est, siue sit fixum, siue expers fixationis. Sed arg. uiuum à sulfure non fixo hac ratione distinguitur, quod sulfur fixum perpetuo sit causa liquationis, ignitione carentis, arg. aut uiuum non sem-

f 3

per. Arg. enim uiuum, fixatione præditum, (ut proxime docebit) est causa liquationis ignitionem sustinentis. Quod autem sulfur non fixum, sit causa liquationis, ignitionem non ferentis, inquit, hinc patet. Arsenicum est sulfur non fixum. Atqui arsenicum eius est conditionis, ut metallis non solum ignitionem sustinentibus, sed ægerrime etiam atque difficillime liquefcentibus copiosius adhibitur, tantam inducat liquefcenti celeritatem, ut postea nullo modo se iniuri patiatur. Proinde necessario colligendum est, sulfur fixationis expers causam esse liquationis, ignitionem non ferentis.

GEBER.

Causa uero fusionis facilis est, similiter argentum uiuum : causa uero fusionis cum ignitione, est argentum uiuum fixum.

TAVLADANVS.

Docuit superius sulfur non fixum, esse causam facilis liquationis: hic etiam fatetur arg. uiuum facilem conferre liquationem. Sed quoniam arg. uiuum duplicis est conditionis, scilicet fixationis expers, & fixatione præditum, id arg. uiuum, quod fixatione præditum est, hac ratione differt ab argento uiuo non fixo, & a sulfure fixationis experto, quod argentum uiuum fixatione præditum, semper præstat liquationem, ignitioni coniunctam, argentum autem uiuum fixationis expers, & sulfur non fixum, liquationem inducunt ignitionem præeuntem.

GEBER.

Causa uero impediendi fusionis, est sulfur fixum.

TAVLADANVS.

Dixerat superius, sulfur fixationis expers, esse causam facillime, & celerrime liquationis, hic uero docet, oppositam penitus esse sulfuris fixationem prædicti naturam: cuius hæc est conditio, ut liquationem metalli, in quo abundat, impediatur, remoretur, & quantum in se est, prohibeat. Cuius rei amplissimam fidem facit ferrum, quod ob multam sulfuris fixi copiam ægerrime, & summa cum difficultate liquatur: Quod Geber aperte testatur cap. 63, his uerbis. Si uero fuerit sulfur fixum, terreum, arg. uiuo fixo, terreo commistum, & hæc ambo non puræ, sed liuidæ albedinis fuerint, & longè maior sit sulfuris fixi, quam mercurij quantitas, sit ex his ferrum: quoniam superans copia sulfuris fixi fusionem prohibet. Ideoque ex hoc relinquitur sulfur uelocius liquefactionis festinantiam per opus fixationis perdere, quam arg. uiuum: sulfur uero non fixum, uidemus citius quam arg. uiuum liquefcere. Ex his uero manifestatur causa uelocitatis fusionis, & tarditatis in uno quoque metallorum. Nam quod de fixo plus habet sulfure, tardius, quod uero plus de adurete, facilius & citius fusionem suscipit. Quod satis aperte relinquitur a nobis demonstrandum. Quod uero ipsum fixum tardiores faciat fusionem, manifestatur per hoc, quod ipsum nunquam, nisi calcinetur, figitur, & calcinatum nullam dat fusionem. Ergo in omnibus illam impedire debet. Cum itaque sulfur fixum sit causa liquationem impediens, & prohibens, merito Geber sulfure fixationis experto, ad facilitatem liquefcenti ferro conferendam utitur: & cum sulfur fixationis expers nimis liquationem acceleret, ut patet in Ioue, & Saturno, merito Geber, ad retardandam in Ioue & Saturno nimiam liquefcenti celeritatem, talcho, quod sulfuris fixi species est, utitur. Contraria enim, contrariis curantur, & oppositarum causarum, oppositi sunt effectus.

GEBER.

Per hoc itaque maximum poteris elicere secretum, quod cum plurimæ arg. uiui quantitatis corpora maximæ perfectionis sint inuenta, pluris utique arg. uiui quantitatis corpora à perfectione diminuta, perfecto magis approximare necesse est. Itaque & multæ sulfureitatis corpora, plurimæ corruptionis esse contingit.

TAVLADANVS.

Quod tu sic interpretaris, Bracesche, per hoc, id est, ex hoc sulfure fixo, subaudi (per quod tu uis à Gebro ferrum intelligi, eo quod maior pars ferri sulfur fixum sit) poteris elicere maximum secretum, hoc est Elixir. Quæ interpretatio quam sit insulsa, Bracesche, non meum, sed periti cuiuslibet lectoris sit iudicium. Nam
si hic

si hic locus de Marte, ut tu uis, interpretandus esset, & Elixir formam auri uel argenti impertiens, ex Marte cōficiendum esset, corrueret necessariò hic Gebri locus, ex quo Geber tandem colligit, Martem omnium metallorū à perfectione tam sibi cōparanda, quàm reliquis impertienda, alienissimū esse. Quòd si tua locum haberet interpretatio, tantum abesset, ut Mars à perfectione alienus cēsendus sit, ut etiam colligendum sit, Martē perfectioni uicinissimū, imò & omnium metallorum absolutissimū esse. Et ita hæc Gebri autoritas penitus subuerteretur. Nos itaq; quis sit germanus huius loci sensus, fauente diuino numine, fidelissimè interpretabimur. Geber hoc in loco apertissimè promulgat, quodnam sit illud arcanū, quod ex prima illa autoritate, à nobis superius interpretata, indicabat esse eliciendum, scilicet ea metalla esse perfecta (& per consequens perficiendi uim ex eis promendam esse) quæ maxima abundant arg. uiui copia, & parū sapiūt naturam sulfuris, ut sunt aurum & argentū: Et inter cætera metalla ea esse perfectioni uiciniora, quæ horum duorū nobilium conditionem uiuacius exprimūt, & magis imitantur, hoc est, quæ maiori prædita sunt arg. uiui quàm sulfuris copia: Ea uerò à perfectione alienissima esse, quæ multo maiorem obtinent sulfuris, quàm arg. uiui copiā: Quod etiam testatur cap. 64. sup. Summæ his uerbis. Ex hoc itaque manifestū est, corpora illa maioris esse perfectionis, quæ plus arg. uiui sunt contentia, quæ uerò minus, minoris perfectionis. Studeas igitur, ut in omnibus operibus tuis, argē. uiuū in cōmitione superet (subaudi sulfur). Itē cap. 61. his uerbis. Ex præcedentibus igitur patet, quòd multa quātitas arg. uiui, est causa perfectionis, multa uerò sulfuris, est causa corruptionis. Ratio autē, propter quā ea metalla sunt perfectioni uiciniora, quæ maiorē arg. uiui quàm sulfuris obtinēt copiā, hæc est. Id quod causæ perfectionē efficiētis magis particeps est, perfectius censendū est. Atqui arg. uiuū est causa efficiēs perfectionē in metallis. Igitur ea metalla, quæ arg. uiui naturā magis sapiūt, & maiori prædita erunt arg. uiui copia, perfectiora erūt habēda. Et quæadmodū ea metalla nobiliora cēsentur, quæ arg. uiui sunt ditiora, ita ea ignobiliora meritò cēsebuntur, quæ arg. uiui magis erūt inopia. Atqui ea metalla quæ maiori laborāt arg. uiui inopia & sterilitate, sunt fecundiora sulfuris. Igitur metalla quæ magis abūdant sulfure, sunt habēda ignobiliora. Quod si ita est, profectò arg. uiuū nobilitatis, sulfur uerò ignobilitatis metallorū causam esse necessariò colligendū est. Quod ut uerissimū esse cōstet, ego sic agā. Si metallū illud, in quo est maxima quātitas arg. uiui, minima uerò sulfuris, esset omnium metallorum nobilissimū, & illud, in quo est maxima quātitas sulfuris, minima uerò arg. uiui, omnium ignobilissimū haberetur, negari nō posset, quin arg. uiuū sit causa nobilitatis metallorū, sulfur uerò ignobilitatis. Atqui in auro, quod sine cōtrouersia est nobilissimū metallorū, & absolutū opus naturæ inter metalla, est maxima arg. uiui copia, minima uerò sulfuris: & in ferro, quod est ignobilissimū metallorū, est maxima quātitas sulfuris, minima uerò arg. uiui. Proinde necessariò colligendū est, arg. uiuū esse causam nobilitatis metallorū, sulfur uerò ignobilitatis. Quod autē in auro res ita habeat, hac ratione cōstabit. Quicquid est in rerū natura libētius propriā & sibi cōformem naturā amplectitur, quā alienam & dissimilē. Atqui arg. uiuū libētius aurū cōplectitur, quàm cætera metalla. Quocirca necesse est, aurū magis sapere naturā arg. uiui, & per cōsequens arg. uiuo abundantius præditum esse, quàm cætera metalla. Quod autē arg. uiuū libentius aurū cōplectatur, id fidem facit, quia nullū metallū præter aurū in arg. uiuo submergitur. Quod nullam aliā ob causam fit, teste Arnoldo Villanouano, & Petro Bono, nisi quia arg. uiuum in se recipit, id quod naturam suam sapit, alienum autem à natura sua respuit. Et quoniā reliqua metalla non habent tantam cum arg. uiuo conformitatem, quantam aurum: hinc fit, ut nullum metallorum, auro excepto, in arg. uiuo submergatur. Proinde audivas illa, qua argentum uiuum rapit, uorat, & deglutit aurum, certissimum indicium est, aurum magis sapere naturam argenti uiui, &

per consequens maiori præditum esse argenti uiui copia quam reliqua metalla. Quod si ita non esset, non adeò libenter cum eo coiret. Vnde fit, ut cum in nullo aliorum sit tanta argenti uiui copia, quanta in auro, non adeò libenter cum alijs coalescat, imò nullum aliud in intimas sui partes admittat. Præterea hoc argumento constabit maiorem esse argenti uiui in auro copiam, quam in reliquis metallis. Causa extensionis & ductilitatis metallorum, teste Gebro, est argentum uiuum. Igitur quæcunque magis abundant argento uiuo subtilius extendentur, & in tenuiores bracteas ducentur: & quæcunque subtilius extendentur, maiori prædita esse oportebit argenti uiui copia. Atqui Gebri testimonio, imò teste ipsa experientia, aureum subtilius extenditur, & in tenuiores bracteas ducitur, quam aliud quod aliud metallum. igitur maior erit in eo arg. uiui, quam in alijs copia. Quod si maior argenti uiui, igitur minor sulfuris. Præterea illa metalla, teste Gebro cap. 90. facilius in cemento cremantur, quæ maiorem sulfuris continent copiam, quæ uerò minorem, difficilius cremantur. Sed inter metalla solum aurum ex cemento illæsum redit, & incrematum. Igitur in auro minor erit sulfuris quantitas, quam in aliquo alio metallo. Quod si minor sulfuris, igitur maior argenti uiui. Maius enim & minus in eorum numero sunt, quæ cum aliquo conferuntur. Ea autem, quæ huius generis sunt, talia dici non possunt (teste Aristotele) nisi collatione ad aliud facta. Itaque cum omne minus sit aliquo maiori, cum quo cõfertur, minus, & omne maius aliquo minori maius, si minor est sulfuris in auro quantitas profectò aliqua alia re in auro existente, minor sit necesse est. At cum in auro præter sulfur & argentum uiuum nihil sit, minor sit oportet, ad quantitatem argenti uiui, in eo existentis comparata: Et per consequens maior erit in auro arg. uiui copia. Ex quibus abundè constat, in auro omnium metallorum nobilissimo minorem esse sulfuris, maiorem uerò arg. uiui copiam, quam in alio quopiam metallo. At quoniam superius diximus, in Marte omnium metallorum ignobilissimo, maiorem esse sulfuris, minorem uerò argenti uiui, quam in alijs metallis quantitatem: id nunc probandum superest. Quod ut fiat, sic agemus. Ea metalla maiori censentur esse prædita argenti uiui copia, minori uerò sulfuris, quibus cum argentum uiuum libentius congregitur, ut patet ex auro, quod solum in argento uiuo submergitur. Quocirca cum contrariorum contraria sit ratio habenda, ea metalla merito censebuntur, maiori sulfuris, minori uerò argenti uiui copia prædita, quibus cum argentum uiuum illibentius copulatur. Atqui, teste Gebro, imò ipsa experientia, nullum est metallum, cum quo argentum uiuum adeò ægrè & illibenter coeat, atque cum Marte. Proinde necessariò iudicandum est, Martem inter metalla ueracissimum esse sulfuris, infœcundissimum uerò argenti uiui.

Proinde cum metallum illud, in quo maior est arg. uiui, minor uerò sulfuris copia, quam in aliquo alio metallo, sit omnium metallorum nobilissimū, id autem, in quo opposita est, tam arg. uiui quam sulfuris portio, sit omnium ignobilissimū, id certissimum argumentum est, causam nobilitatis metallorum esse arg. uiuum, ignobilitatis autē sulfur. Quod cum multis in locis, tum 81. cap. suæ Summæ Geber apertè pronunciauit, his uerbis. Probauimus autem iam ex nostris sermonibus sulfur cuiuscunque generis, esse corruptiuum perfectionis, solum autem argentum uiuum esse perfectiuum. Itaque cum argentum uiuum sit causa nobilitatis metallorum, sulfur uerò ignobilitatis, merito dixit Geber, ea metalla nobilia & perfecta æstimanda esse, quæ maximam continent arg. uiui copiam, minimam uerò sulfuris, qualia sunt aurū & argentum. Et inter reliqua metalla, ea censenda esse perfectioni uiciniora, quæ perfectiorū, & nobilium metallorum naturam & conditionem magis redolent, hoc est, quæ maiori abundant arg. uiui, quam sulfuris copia: ea uerò à perfectione magis aliena esse, quæ minorem arg. uiui quam sulfuris obtinent quantitatem. Et hoc est arcanum illud, quod hic docet. Ex quo hæc, quæ proxime sequuntur, colligit.

GEBER

GEBER.

Quamobrem etiam dictis patet, Iouem perfectio maximè approximare, cum perfectionis plus participet, Saturnum uerò minus, minus uerò adhuc Venere; minimè uerò omnium Martem, eo ex quo perfectio dependet.

TAVLADANVS

Hoc est ex ijs, quæ superius dicta fuere (hoc est ea metalla perfectissima, nobilissima, & numeris omnibus absoluta esse, quæ maxima prædita sunt argenti uiui, minima uerò sulfuris copia, ut sunt aurum & argentum) ex ijs, inquam, patet, inter reliqua metalla ea perfectioni esse uiciniora censenda, quæ maiori abundat argenti uiui, quàm sulfuris copia. Atqui post aurum & argentum (quæ sola sunt perfecta) stannum magis redolet causam nobilitatis metallorum, hoc est, copiosius abundat argento uiuo, quàm plumbum, & plumbum copiosius quàm æs, & æs copiosius quàm ferrum. Igitur inter metalla, quæ ad perfectionem auri & argenti non perueniunt, stannum propinquius ad perfectionem accedit, quàm plumbum, & plumbum quàm æs, & æs propinquius quàm Mars, seu ferrum: eo (subaudi considerato,) ex quo perfectio metallorum dependet, hoc est, considerata causa nobilitatis & ignobilitatis metallorum. Causa autem nobilitatis metallorum, ut superius probatum est, argentum uiuum est, & causa ignobilitatis sulfur. Igitur metalla, quæ argenti uiui naturam magis sapiunt, æstimanda sunt nobiliora, & quæ sulfuris naturam magis referunt, ignobiliora censenda sunt. Atqui inter metalla, quibus natura auri & argenti nobilitatem denegauit, Mars magis sapit naturam sulfuris, quàm Venus, Venus quàm Saturnus, Saturnus uerò quàm Iupiter: & Iupiter magis sapit naturam argenti uiui, quàm Saturnus, Saturnus quàm Venus, Venus quàm Mars. Proinde inter metalla, à nobilitate auri & argenti aliena, Iupiter erit minus alienus, quàm Saturnus, Saturnus quàm Venus, & Venus quàm Mars. Itaque habita ratione causæ, ex qua nobilitas metallorum pendet, & æstimanda est, Mars tuus, Bracesche, erit omnium metallorum à perfectione alienissimus. Quod si ita est, maiori certè cum ratione à Ioue, Saturno, imò & ipsa Venere mutuanda esset uis nobilitandi ignobilia, quàm à Marte. Sed uideo te stomachantem, indignatum & tragœdias agentem, quòd legam (minimè uerò Martem, eo ex quo perfectio dependet) & audio te contendentem, legendum esse (minimè uerò Martem, ex quo perfectio dependet.) Ego uerò cum omnibus ueritatis fautoribus assero, illam particulam (eo) in uetustioribus exemplaribus, non traductoris Gebri, sed typographi inscitia omissam, & silentio sepultam fuisse, ideoque à uiris eruditissimis, hunc errorem animaduertentibus, fidelissimè nobis restitutam. Quæ cum ita se habeant, demiror, Bracesche, quo uultu ausus sis, Gebrium hoc in cap. tibi promittere fautorem, ad probandum Martem nobilitandorum ignobilium metallorum authorem, cum hic Geber potentissima, & familiariori ratiocinatione contendat, Martem omnium metallorum ignobilissimum esse. Quod si, ut tu uis, res haberet, nullus profectò ratiocinationi Gebri, imò nec ipsi ueritati locus relinqueretur. Norunt enim omnes sanæ mentis homines, ex solis nobilibus metallis, uis nobilitandorum ignobilium hauriendam esse. Atqui Mars tuus, teste Gebro, à nobilitate metallica longius distat, quàm aliud quod aliud metallum. Igitur uis ignobilium nobilitandorum ex Venere (ut pote nobiliori) potius petenda esset, quàm ex Marte, & ex Saturno potius, quàm ex Venere, & ex Ioue potius quàm ex Saturno, cum inter metalla, à nobilitate auri & argenti aliena nullum sit, quod equè ad eorum nobilitatem accedat, ac Iupiter. Quòd si ex Marte, ut tu uis, haurienda esset uis nobilitandi ignobilia metalla, profectò (cum hæc solis insit nobilibus metallis) colligendū esset, Martem in catalogo nobilium metallorum scribendum esse. Quòd si ita esset, medicina certè non egeret, cuius beneficio ad nobilium metallorum formam promoueretur. Bene enim ualentibus, ut tritum testatur adagium, non est opus

pharmaco. At cum Martem omnium metallorum ignobilissimum esse constet, profectò ignobilium metallorum, in melius mutandorum, uim ex Marte nequaquam pendere, iudicandum est. Etenim cum alieno egeat auxilio, ut conualescat, qui fieri posset, ut sibi morbosus, reliquis salubris esse queat, sibi inops, reliqua ditet metalla, sibi infelix, reliqua beare possit? Alioqui necessariò colligendum esset à metallo, non solum à nobilitate metallica alieno, sed omnium alienissimo, uim ignobilium, ad nobilitatem prouehendorum, mutuandam esse. Quod quàm sit ridiculum, & à ueritate alienum non meum, sed omnium doctorum, imò & in hac parte philosophiæ nunquam instructorum, sit iudicium, uelim. Omnium enim philosophorum mens est, ut Richardus Anglicus, & Arnoldus Villanouanus testantur, cum meliori peius & deterius perficere. Quod stolidi (ut ait Richardus) sinistrè & præposterè interpretantes, cum peiori melius perficere moluntur. Præterea, ut causa, quæ nobilitat metalla ex Marte depromatur, nonne oportet eam prius Marti inesse? Quod enim in re non est, id in ea, ut ait Geber, non reperitur. Atqui causa nobilitatem & perfectionem metallorum efficiens, Marti non inest. Qua igitur arte ex Marte depromi potest? Quod si eam Marti inesse audes contendere, prodeat in medium Geber, quem tibi fautorem polliceris, & hanc nostram litem suo testimonio dirimat. Cuius hæc sunt uerba libri de Inuestigatione inscripti cap. 2.

GEBER.

Cum ergo hæc scientia de imperfectis tractet corporibus metallorum, in quantum ea perficere deceat, in primis circa hæc, duo considerauimus, imperfectiōnem scilicet, & perfectionem. Circa hæc duo, nostram fundamus intentionem. De rebus autem perficientibus & corrumpentibus, secundum quod per nostram inuestigauimus experientiam, hunc librum componimus: quia opposita iuxta se posita, magis elucescunt. Res autem quæ perficit in metallis, est substantia argenti uiui, & sulfuris proportionabiliter mista, per longā & temperatam decoctionem in uisceribus terræ mundæ inspissata & fixa, cum conseruatione suæ humiditatis radicalis, non corrumpētis ad substantiam solidam, cum ignitione debita fusibilem, & sub malleo extensibilem producta. Per diffinitionem naturæ huius perficientis, leuius peruenire possumus ad cognitionem rei corrumpentis. Et est illa, quæ à contrario sensu habet intelligi, uidelicet substantia impura argenti uiui, & sulfuris, sine debita proportionē cōmixta, uel minus decocta in uisceribus terræ immundæ, nec rectè inspissata nec fixa, humiditatem habens cōbustibilem & corrumpentem, & raræ substantiæ, & porosæ, uel habens fusionem sine ignitione debita, uel nullam, nec patiens malleum sufficienter. Primam autem diffinitionem inueni intrusam in his duobus corporibus, uidelicet in Sole & Luna, secundum cuiuslibet perfectionem: Secundam uerò in his quatuor, scilicet in stanno, plumbo, cupro, & ferro, secundum cuiuslibet imperfectiōnem. Nunc saltem apertissimo conuictus Gebri testimonio, Bracesche, aut Gebrum abiures oportet, aut saltem fatearis, ipsam perfectionis metallorū effectricem causam in Marte minimè inclusam esse. Quod si ita est, profectò iam causa tua cadas, uictoriam desperes, palinodiam canas, eamq; ex Marte promi non posse, in posterum fatearis necesse est. Quod enim in re aliqua non est, id in ea, teste Gebro, inueniri non potest: & mutuari ab aliquo, id quod non habet, stolidum est, & à ratione penitus alienum. Hoc igitur erat arcanum, Bracesche, ex hoc 66. cap. Gebri eliciendū, scilicet aurum & argentum, ob multam argenti uiui copiam, paucissimam uerò sulfuris, metalla esse perfecta, & per consequens uim ignobilium metallorum ad perfectionem promouendorum ex his duobus tantūmodo eliciendam esse: non aut ex imperfectis, cum eis à natura denegata fuerit. Quod si ex imperfectis erui posset, profectò ex ijs, quæ ad perfectionē propinquius accedunt, eruenda esset. Atqui Iupiter, teste Gebro, propinquius ad perfectionem accedit, quam Saturnus,

Saturnus, Saturnus uerò quàm Venus, Venus autem propinquius quàm Mars. Igitur cum Mars à perfectione omnium alienissimus sit, potius ex Ioue, Saturno, imò & ipsa Venere elicienda, & effodienda esset, quàm ex Marte. Atque ea, quæ perfectioni sunt magis uicina, scilicet Iupiter, Saturnus, & Venus, hoc (ut tu in Dialogo tuo testatus es) præstare non possunt: minus igitur id præstare poterit Mars tuus Bracesche, cum sit à perfectione omnium remotissimus. Alioqui ex duobus alterum semper cōfitearis oportet, aut mendosum esse, quod ait Geber, scilicet Martem à perfectione omnium alienissimū esse, aut id, quod est ignobilissimum, maiorem obtinere uim nobilitandi, quàm ea quæ sunt nobiliora. Hæc igitur est recta huius loci interpretatio, hæc est germana mens Gebri, hoc est, inquam, arcanum ex hoc Gebri cap. colligendum. Proinde ambæ autoritates, abs te ex hoc cap. desumptæ, corruerunt Bracesche, & ita corruerunt, ut nemini in posterum sint negotium facessituræ. At ne quis ex reliqua parte huius capite scrupus queat in posterum nasci, nos eam pro uiribus interpretabimur, & enodabimus, & ita interpretem agemus, ut nihil ex nostro afferamus, sed omnia ex Gebro, fidelissimo sui interprete. Hæc est igitur reliqua pars huius cap. 66.

GEBER.

Aliter autem medicina complente, & defectum supplente, & perfectius attenuante ad profundum corporum spissitudinem, & sub splendentis fulgoris substantia eorundem palliante fuscedinem, se habere contingit. Ex hac enim maxime perfectibilis Venus existit, minus uerò Mars, adhuc minus Iupiter, minime uero Saturnus. Ex his igitur repertum est laboris inuestigatione ueridica ex corporum diuersitate, diuersas inueniri cum præparatione medicinas. Alia enim eget medicina durum ignibile, alia uerò molle & non ignibile corpus. Hoc quidem (id est molle) eget medicina indurante, & inspissante occultius eius. Illud uerò (id est durum) mollificante, & ad profundum attenuante, & in sua æquante substantia. Ex his igitur nos expedit ad medicinas transire, &c.

TAVLADANVS.

Hæc lectio licet ex se clarissima sit: quoniam tamen hic audis metalla, quæ prius perfectioni uiciniora dicebantur, hic ordine subuerso dici remotiora, & è conuerso, posset certè hæc pars ultima alicui, in Gebro parum exercitato, negotium facessere. Quod ne contingat, nos, quæ sit mens Gebri, Deo optimo & maximo duce, explicabimus. Dixerat superius Geber inter metalla, nobilitatis auri & argenti expertia, ea esse perfectiorum naturæ uiciniora, & per consequens ad perfectionem facilius ducilia, quæ maiorem argenti uiui, quàm sulfuris continent quantitatem. Nec immerito: nam si argentum uiuum est causa perfectionis metallorum, sulfur uerò corruptionis, profectò ea metalla iure optimo censenda sunt perfectioni propinquiora, quæ maiorem obtinent argenti uiui, quàm sulfuris copiam. Et quoniam Iupiter copiosius abundat argento uiuo, quàm Saturnus, Saturnus magis quàm Venus, Venus autem copiosius quàm Mars: idcirco superius collegerat Iouem perfectioni auri & argenti uiciniorum, & ad eam facilius reuocari posse quàm Saturnum, Saturnum quàm Venerem, Venerem quàm Martem. Quæ (inquit) necessariò ita se habent, eo, ex quo perfectio metallorum dependet, & metiendæ est, considerato, hoc est, si eorum ad perfectionem accessio ex maiori, uel minori argenti uiui copia expendatur, ut reuera expendenda est, cum Mercurius author sit perfectionis & nobilitatis metallorum. At si quis metiri & expendere uellet (inquit) maiorem aut minorem metallorum ignobilium ad perfectionem accessionem ex diuersis metallorum qualitatibus, quas natura eis uariè contulit, profectò rem aliter se habere contingeret. Ea enim metalla, quæ iuxta primam considerationem perfectionis uiciniora censebantur, iuxta hanc secundam considerationem æsti-

manda essent perfectioni minus uicina: & quæ superius à perfectione erant magis aliena, & ad perfectionem difficilius ducilia, iuxta hanc secundam regulam essent perfectioni propinquiora, & ad perfectionem facilius reuocari possent. Etenim iuxta primam perfectionis considerationem Iupiter ad perfectionem propinquius accedebat quàm Saturnus, hic quàm Venus, Venus quàm Mars. At si iuxta hanc secundam considerationem horum metallorum maior aut minor ad perfectionem accessio æstimanda esset, scilicet ex diuersis metallorum qualitatibus, perfectio rem ordine præpostero se habere contingeret: iuxta enim hanc qualitatum considerationem Venus propinquius quàm Mars ad perfectionem accederet, & facilius ad perfectionem promoueri posset, Mars autem facilius quàm Iupiter, & Iupiter facilius quàm Saturnus. Sed quoniam hæc nondum satis intelliguntur, ideo à nobis pluribus explananda sunt. Quod ut ritè & decenter fiat, sciant omnes, Gebrium (eorum omnium, qui naturam metallorum perscrutati sunt perspicacissimum) hunc ordinem in exploranda huius artis ueritate tenuisse, ut primò sibi inuestigandum duxerit, quid singulis metallis, à nobilitate auri & argenti alienis natura denegasset, persuasus intelligi nunquam posse, quid in singulis sarciendum sit, nisi prius intelligatur, quid singulis desit. Quod testatur cap. 38. his uerbis: Consideratio eorū, cum quibus peruenitur ad operis complementum, est consideratio principiorum corporum secundum suum profundum, occultū, & manifestum, secundum suam naturam. Quoniam si non cognoscerentur corpora, & illorum principia, in profundo suæ naturæ, & manifestum, cum artificio & sine artificio, nesciretur quid superfluum sit in eis, & quid diminutum. Quo ignoto, impossibile esset, nos ad perfectionem transmutationis illorum unquam peruenire. Hac itaq; ratione fretus explorauit naturam metallorum nobilium, hoc est auri & argenti. Et quoniā opposita ad inuicem collata magis innotescunt, contulit nobilia cum ignobilibus, & ex ea collatione tandem assequutus est, quid singulis ignobilibus metallis desit, & per consequens quid in singulis sarciendum sit, ut auri & argenti nobilitate potiantur. Postquàm igitur collegisset, quid singulis natura denegasset, quominus nobilitatem auream uel argenteam obtinerent, ad conferendam eis hanc nobilitatem ex duobus alterum iudicauit agendum, scilicet aut conficiendam esse medicinam, quæ ingentiam horum metallorum contagionem penitus aboleret, & sinceram atq; germanam auri uel argenti naturam eis cōferret, aut saltem elaborandam esse medicinam aliquam, quæ si lepram eorum natiuam abolere, & radicitus extirpare non posset, eam saltē palliaret, & splendore aureo uel argenteo decoraret. Harū medicinarū prima à Gebro uocatur opus maius, & medicina tertij ordinis, quæ (ut ipse ait cap. 76.) quādo metallis ignobilibus adhibetur, omnem corruptionē cum proiectione sua tollit, & cum omnis complementi differentia perficit. Et hæc eo teste unica est. Secunda autem, quæ tantūmodo palliat, duplex est: quarum altera à Gebro in eodem cap. opus minus, & medicina primi ordinis uocatur, & hæc remissius palliat: Altera opus medium, & secundi ordinis medicina nuncupatur, & hæc intensius decorat. Opus minus, seu primi ordinis medicina, est, authore Gebro, omnis præparatio mineralium, quæ super diminuta à perfectione corpora proiecta, alterationem imprimit, quæ cōplementum sufficiens non adducit, quin tandem contingat alteratum mutari. Opus autem medium, seu medicina secundi ordinis Gebri testimonio est, quæ quando super diminuta à perfectione corpora proiecta est, alterat in differentiam aliquam cōplementi, relictis nonnullis corruptionis differentijs, qualis est medicina Lunæ perpetuò citrinans, aut Venerem perpetuò & indelebili candore argenteo decorans, relictis alijs differentijs corruptionis. Proinde cum partes minoris & medij operis, non sint intimam & inossatam metallorū ignobilitatem, & spurcitiem penitus abolere, sed tantūmodo palliare, tegere, & aliquas in eis sarcire qualitates,

qualitates, ueluti mediocrem & temperatam duritiem, aut molliem, aut liquefactionem, aut ignitionem, profecto si iuxta operis mediæ & minoris considerationem ignobilium metallorum maior aut minor ad perfectionem accessio expendetur, ea metalla, hac ratione habita, possent haberi leuius, & facilius curabilia, & perfectioni uiciniora, in quibus per medicinas primi aut secundi ordinis, pauciora essent ad palliandam eorum ignobilitatem sarcienda. Illud enim, quod paucioribus actionibus bonitatem suam assequitur, ut testatur Aristoteles libro 2. de Cælo & mundo, æstimandum est bonitati uicinior. Atqui in Venere per has duas medicinas pauciora sunt sarcienda & instauranda, quàm in Marte, & in Marte pauciora quàm in Ioue, & in Ioue pauciora, quàm in Saturno. igitur si ex qualitatibus per medicinas primi & secundi ordinis sarcendis æstimanda esset metallorum palliandorum maior, aut minor ad fucatam illam perfectionem accessio, profecto iuxta hanc rationem, Venus esset perfectioni uicinior habenda, quàm Mars, Mars quàm Iupiter, Iupiter quàm Saturnus. Quod autem in Venere pauciora sint sarcienda, per has duas medicinas, quàm in Marte, hinc constat. Venus à natura dotata fuit duritiæ & liquatione ignitionem perferente. Igitur cum Venus hæc duo iam à natura obtinuerit, non erunt hæc duo in illa sarcienda: unde Geber cap. 31. suæ Summæ, sic ait: Excusamur itaque in Venere à laboribus indurationis & ignitionis illius. Proinde cum Venus & duritiæ & liquatione & ignitione, sit prædita, hoc unum medicinis primi & secundi ordinis superest agendum, ut genuinam Veneris ignobilitatem tegant, & splendore aureo uel argenteo palliant. In Marte autem plura sunt sarcienda. Nam præter decorationem, seu ignobilitatis palliationem, instauranda est in eo facilitas liquationis, quàm ei natura denegauit, Veneri autem liberalissimè contulit. Quod autem in Ioue plura sint, quàm in Marte sarcienda, hinc patet. Nam præter palliatam auri uel argentei splendoris decorationem, induranda est eius plus æquo mollior substantia, quæ durities, cum Mars ea præditus sit, in eo instauranda non est. Et quemadmodum in Marte acceleranda & maturanda est liquatio, ita in Ioue, cum sit plus æquo uelocior, remoranda, frænanda & cohibenda est, ne eam, nisi prius igniatur, præstet. Mars non nisi ignitus liquefcit, Iupiter ante liquationem, ignitionem non admittit, idcirco in Ioue ignitio sarcienda est, in Marte autem minimè. His adde, quod Iupiter stridore laborat, Mars autem stridoris expers est, plura igitur in Ioue quàm in Marte erunt sarcienda. At in Saturno, excepto stridore, hæc omnia intensius quàm in Ioue instauranda sunt. Iupiter enim multò minus deformitate & spurcitiæ laborat, quàm Saturnus. Proinde cum splendore Saturnum antecellat, naturæ deformitatis palliatio longè intensius in Saturno sarcienda erit, quàm in Ioue. His accedat, quod Saturnus est longè mollior ipso Ioue, nec solum mollior, sed ad nimiam liquefcendi celeritatem procliuior, imò & minus ignitionem sustinet, quàm Iupiter. Itaq; cum hæc omnia Saturnum à perfectionis acquirendæ meta longius distare faciant, quàm Iouem, profecto hæc omnia intensius erunt in Saturno, quàm in Ioue instauranda.

Ex his igitur manifestissimè constat, in opere minori & medio, pauciora esse in Venere, quàm in Marte sarcienda, in Ioue plura quàm in Marte, in Saturno adhuc plura quàm in Ioue. At cum in opere minori & medio, ea metalla censeantur perfectioni uiciniora, in quibus pauciora sunt sarcienda, profecto si maior aut minor ignobilium metallorum, ad perfectionem accessio, ex mediæ & minoris operis actione, pendenda esset, certè Venus primas teneret, Mars secundas, Iupiter tertias, Saturnus quartas & infimas: Quod Geber cap. 36. suæ Summæ, his testatur uerbis: Venus itaq; ut narratum est in profundo suæ substantiæ, colorem & essentiam auri præterdit: malleatur autem & ignitur, ut argentum & aurum. Ideoq; hoc secretum ex ea assumas, scilicet quod Venus est medium Solis & Lunæ, quia facile ad utrunq; conuertitur, & est facilis cōuersionis & pauci

laboris. Excusamur itaq; in ea à laboribus indurationis & ignitionis. Assumas igitur eam præ cæteris corporibus imperfectis in opere minori & medio. Vide quæso lector, quàm fidelissimè se ubiq; Geber interpretetur, hic enim apertissimè cõfirmat, quæ hæcenus à nobis dicta sunt, scilicet inter metalla ignobilia Veneri primatū in opere minori & medio deferendum esse, eam scilicet ob causam, quod Venus in utroq; isto opere minori cum difficultate immutetur, quàm alia metalla ignobilia. Itaq; si maior, aut minor ignobilium metallorū, à perfectione distantia, ex cõsideratione minoris, & medijs operis æstimanda esset, profectò Iupiter & Saturnus, quæ superius ratione arg. uiui, non solum Marti, sed etiam Veneri præferbantur, hic essent postponenda, & ea, quæ superius postponebātur, id est, Mars & Venus, hoc in loco essent reliquis duobus anteponenda. At cum perfectionis metallorum causa non sint hæc qualitates, sed maior arg. uiui copia, minor uerò sulfuris, ut superius Geber docuit, idcirco ex maiori Mercurij, minore uerò sulfuris quantitate pendenda, & libranda est horum metallorum maior, aut minor ad perfectionem accessio. Proinde ea metalla, necesse est, ut censētur perfectioni uiciniora, quæ arg. uiui sunt fertiliora, & infœcundiora sulfuris: ea uerò habenda sunt à perfectione magis aliena, quæ sterilissima sunt arg. uiui, & sulfuris feracissima. Atqui Iupiter (ut superius docuit Geber) arg. uiui copia Saturnum superat, Saturnus Venerem, Venus Martem, Mars aut sulfuris ubertate uincit Venerem, Venus Saturnum, & Saturnus Iouem. Igitur Mars est omnium ignobilium metallorum à perfectione alienissimus, minus autem Venus, minus adhuc Saturnus, & his omnibus minus Iupiter. Quocirca inter metalla ignobilia Iupiter principatum iure optimo sibi uendicat, & propinquius ad perfectionē nobilium metallorū accedit, quàm Saturnus, Saturnus quàm Venus, Venus autem quàm Mars propinquius. Quod Geber etiam confirmat cap. 35. suæ Summæ his uerbis: Est ergo Iupiter inter diminuta à perfectione corpora, in radice suæ naturæ perfectio magis affinis, Soli scilicet & Lunę. Proinde Bracesche cū Gebri apertissimo testimonio Iupiter sit nobilior metallum Saturno, & Saturnus Venere, & Venus Marte, & Mars sit omnium ignobilissimus (habita ratione arg. uiui ex quo metallorum nobilitas pendet, & ponderanda est) profectò uis nobilitadi ignobilia, maiori cum ratione mutuanda esset, non solum à Ioue, sed etiam à Saturno, & Venere, quàm à Marte. Atqui tu ipse falsus es in Dialogo tuo, eam uim nobilitandi, nec Ioui inesse, nec Saturno, nec Veneri, ideoq; ab eis mutuandam nō esse. Necesse est igitur, ut eam Marti, omnium ignobilissimo, minus inesse fatearis, & eam ex Marte minus depromi posse concedas. Nam si ea, quæ magis talia esse uidentur, talia non sunt, neq; id, quod minus. Arcanū igitur nobis à Gebro, in hoc 66. cap. traditū, nihil aliud est, Bracesche, quā ea metalla esse nobilissima, quæ maxima copia arg. uiui, mini. na uerò sulfuris, prædita sunt, qualia sunt aurum & argentum: Inter alia uerò metalla, ea ad nobilitatem auri & argenti propinquius accedere, quæ magis sapiunt naturam arg. uiui, quàm sulfuris. Quocirca cū hæc duæ authoritates, quas tu ex hoc cap. deprompseras, nihil aliud adferant quā interpretationē à me in authoritatē 30. cap. allatā, intelligere nunc saltē potes, Bracesche, quàm uerè à me superius dictū sit, ex primæ authoritatis germana expositione, reliquas omnes authoritates tibi è manibus extorqueri, & abs te penitus deficere.

CAPVT IIII.

HÆcenus igitur de secunda & quarta, nunc ad tertiam (quæ inter eas media est) excutiēdam accedamus. Quæ quoniam ex 3. cap. sumpta fuit, ego cap. integrū adferam, ut lectores facilius intelligant, eam authoritatē de Marte nullo modo interpretādam esse. Demum quid Geber eo loco sibi uelit, omnibus familiarissimū reddam. Sequitur 3. cap. Summæ Gebri, de Sole siue auro inscriptū.

Attulimus tibi in generali cap. summam de intencionibus metallorū, specialem tibi tamen faciemus de unoquoq; sermonem. Et primò de Auro. Dicimus ergo quod

quòd aurum est corpus metallicū, citrinum, ponderosum, mutū, fulgidum, equaliter in uentre terræ digestū, aqua minerali diutissimè lautum, sub malleo extensibile, fusibile, examinationem cineritij & cimenti tolerans. Ex hac itaq; diffinitione elicias, quòd aliquid non est aurū, nisi causas diffinitionis, & differētiās omnes habeat auri. Quicunq; tamen metallum radicitus citrinat, & ad æqualitatem perducit, & mundat, ex omni genere metallorū aurum facit. Ideoq; per opus naturæ perpendimus, artificio æs in aurum mutari posse. Vidimus namq; in minerie æris, à quibus emanabat aqua, secum adducens squamas æris tenuissimas, ipsasq; diuturno & cōtinuo lapsu lauit, & mundauit; deinde uerò aqua cessante fluere, uidimus in sicca arena has squamas per triennium Solis calore excoqui, inter quas est inuentum aurum uerissimum. Aestimauimus itaq; per aquæ beneficium illas mundatas fuisse, per Solis autem calorem in arenæ siccitate æqualiter digestas ad æqualitatē peruenisse. Imitantes aut naturam cum possumus, similiter alteramus, non tamen in hoc sequi naturam ualemus. Aurum quoq; est præciosissimū metallorum, & est tinctura rubedinis, quia tingit ac transformat omne corpus. Calcinaur aut & soluitur sine utilitate, & est medicina laticifans, & in iuuentute corpus cōseruans. Frangitur facillimè cum Mercurio, & odore plumbi teritur. Nō est autem in actu aliquid, quod magis in substantia illi conueniat, quàm iupiter & Luna. In pondere autem & surditate & imputrescibilitate Saturnus, in colore autem Venus. In potentia quoq; magis Venus, deinde Luna, deinde iupiter, & deinde Saturnus, ultimò uerò Mars. Et hoc est unum de secretis naturæ. Cum ipso similiter cōmiscetur spiritus & figuntur per ipsum maximo ingenio, quod nō peruenit ad artificem duræ ceruicis.

TAVLADANVS.

Ex sola uerborū lectione potes assequi, lector, hoc de Marte minimè dictū esse, Aene Braceschus suspicari possit, nos soluendo hoc nodo impares esse, faciā ut omnes intelligāt, hoc nō de Marte, sed de auro dictū esse. Hec igit est mēs Gebri.

Geber postquā tractasset de principijs metallorū, id est, de Mercurio, sulfure & arsenico, acturus de metallis, quæ oriūda sunt ab ijs principijs, ab auro omnium metallorū nobilissimo orsus est, & ex hoc cap. exprimēde eius naturæ dedicauit, ubi primò adfert diffinitionē auri, qua quid sit aurū innotescat, & quibus proprietatibus sit à natura dotatū. diffinitio igitur hæc est. Dicimus quòd aurū est corpus metallicum, citrinum, pōderosum, mutum, fulgidum, æqualiter in uentre terræ digestum, aqua minerali diutissimè lotum, sub malleo extensibile, fusibile, examinationem cineritij & cimenti sustinens. Quæ diffinitio num sit integra, & numeris suis absoluta uideamus. Omnis legitimæ diffinitionis partes sunt, ut totā, integram, & propriā rei, quæ diffinienda est, naturā cōplectatur, & exprimat. Quod teste Aristotele, ut ritè fiat, oportet diffinitionē ex genere, id est materia, & differētia speciei effectrice, hoc est forma substantiali constātā esse: nisi enim materia & forma substantialis alicuius rei cognoscerētur, rei illius ex his duabus partibus cōflatæ naturā, nunquam agnosci cōtingeret. Geber itaq; more philosophico, diffinitione exprimendā sibi duxit auri naturā. In qua primò adfert genus auri scilicet corpus metallicū, quod ex æquo cōmune est reliquis metallis, utpote argento, stanno, plumbo, æri & ferro. Hæc enim omnia huius generis, scilicet corporis metallici diffinitionē, æquè sibi uendicant, cum metallum Gebro auctore, cap. 31. nihil aliud sit, quàm corpus minerale, fusibile, & sub malleo ex omni dimensionē extēibile. Itaq; in hac diffinitione metallū, seu corpus metallicū, (quod idem est) generis uim & conditionē sibi uendicat. Nunc quæ sit altera huius diffinitionis pars, scilicet forma solius auri uidendū est. Sed quoniā substantiales rerū formæ abstrusæ latent in materia, nec se agnoscēdas præbent, nisi per accidentia & proprietates, quas pariunt in ipsis rebus: præterea quia nos ea laboramus infelicitate, ut proprijs formarū exprimendarum nominibus sepiissime destituamur,

idcirco cogimur potissimum eius rei adferre accidentia, & singulares eius colligere proprietates, ut ex his omnibus (formarum uices sarcientibus) in unum cumulum redactis, & generi eius rei adiectis, germanam rei naturam exprimamus, & familiarem reddamus. Quocirca cum germana auri forma nullam habeat uocem propriam, peculiarem, & aptam, qua se prodatur agnoscendam, idcirco Geber qualitates auri maxime proprias in unum cumulum redegit, ut ex his cum genere (hoc est metallo) iunctis, auri formam exprimeret, & eam à forma reliquorum omnium metallorum distinctam redderet. Genus igitur est corpus metallicum quod idem est, ac si dicas metallum: qualitates auri sunt citrinum, ponderosum, mutum, fulgidum & equaliter in uentre terre digestum, aqua minerali diuissimè lotum, sub malleo extensibile, fusibile, examine cineritij & cementi tolerans. Et quoniam omnis legitime diffinitionis lex est, ut retro semper meet, & reciprocetur cum ipsa re diffinita: quia hæc diffinitio id præstat, & soli auro, & omni auro, & semper quadrat, hinc maxime constat, auri naturam hæc Gebri diffinitione plenè, integrè, & absolute expressam esse. Et quoniam hæc soli auro competit, ideo Geber subdidit. Ex hac diffinitione utique elicias, quod nulla res est aurum, nisi causas diffinitionis, & differentias omnes habeat auri.

TAVLADANVS.

Cuius rei hæc est ratio: quia quicquid alicuius rei diffinitionem sibi iure uendicare non potest, neque nomen eius rei obtinere potest. Diffinitio enim & diffinitum ita cohererent, & coöderata sunt, ut aut neutrum, aut ambo de eodem dicatur. Quicquid enim à diffinitione alicuius rei alienum est, id à diffinito quoque excludendum est, & cuiusque diffinitio cöuenit, eidem cöueniat diffinitum necesse est: postea sequitur.

GEBER.

Quisquis tamen metallum radicibus citrinat, & ad æqualitatem perducit, & mundat, ex omni metallorum genere aurum facit.

TAVLADANVS.

Quod idem est, ac si dicat, quotiescunque beneficio Elixiris adhibiti, continget aliquod reliquorum metallorum intimè citrinari, & ad æqualitatem & temperiem reduci, & penitus mundari (cum hæc sint proprietates solius auri) quodcumque metallum has obtinuerit auri cöditiones, merito & iure optimo nomen auri sibi uendicare poterit, & erit reuera aurum. postea sequitur.

GEBER.

Ideoque per opus nature perpeditimus, artificio & in aurum mutari posse, uidimus namque in mineris æris, à quibus emanabat aqua, secum adducens æris squamas tenuissimas, ipsasque diuturno & continuo lapsu lauit & mundauit: deinde uero aqua cessante fluere: uidimus in sicca arena has squamas per triennium Solis calore excoqui, inter quas est inuentum aurum uerissimum. Aestimauimus itaque, per aquæ beneficium illas mundatas fuisse, per Solis autem calorem & arenæ siccitatem æqualiter digestas, ad æqualitatem peruenisse.

TAVLADANVS.

Id est, quam rem superius à nobis dictam ita se habere, & effici posse, docuit nos natura. Experti enim sumus, squamas æris subtiles continua aquæ per mineram fluentis alluione in uallè arenosam ductas, tandem in auream naturam fuisse mutatas. Quod continuæ aquæ abluentis actioni, & Solis calori, acceptum esse ferendum conicimus. Aquæ enim proprium est, sordes eluere: caloris autem naturalis partes sunt, temperata decoctione omnia maturare, decoquere, & heterogenea ab homogeneis segregando, ad æqualitatem perducere. Ideoque (Inquit) ex natura, ignobilia metalla ad nobilitatem promouentis, actione didicimus, & collegimus & reliqua per cösequens metalla, arte naturam imitante, ad auri dignitatem promoueri posse.

GEBER.

Imitantes igitur naturam cum possumus, similiter alteramus: in hoc tamen naturam imitari non possumus.

TAVL

Id est, si naturā (in ijs subaudi operibus, in quibus arti datū est, eam imitari) nobis imitandā proposuerimus, profectō arte naturā imitante metalla ignobilia ad aureā & argenteā nobilitatē prouehemus. In hac tamē parte, (inquit) ars naturæ respondere nō potest. Cuius rei (licet eam Geber hīc subticuerit) hęc est ratio. Natura solo aquę abluētis, & caloris cōcoquentis beneficio utitur, ad ignobilia metalla in aurū uel argētum mutanda, nihilq; ab auro uel argento mutuatur, ut ignobilibus metallis auri uel argenti nobilitatē cōferat. Ars uerō nisi formā auri efficericem ab auro, & argenteā ab argento mutuatur, & reliquis eam metallis adhibeat, nunquā ignobilia metalla (quātumuis abluat, quātūuis decoquat) nobilitare poterit. Quod Geber cap. proximē antecedenti, apertissimē testatur his uerbis. Secundum nostrum magisteriū perfectum iuuat, & perficit imperfectum, & per Deum se inuicē alterant, & alterantur, & se inuicē perficiunt, & perficiuntur. Non tamē per se tantū unumquodq; (imperfectorum subaudi) perficitur, sine alterius (subaudi perfecti) adminiculo. Proinde nō citra rationem dixit Geber, nos ea in parte naturā sequi omnino non posse. postea sequitur ex Gebro.

Aurum quoq; est preciosissimum metallorum, & est tinctura rubedinis, quia tingit, ac transformat omne corpus.

TAVLAD. Hoc est, solum aurū est metallum nobile & numeris omnibus absolutum. Argētū enim, licet collatione plumbi, stanni, eris & ferri nobile habeatur, cum auro tamē collatū ignobile uidetur, ut testatur Geber cap. 33. & 62. suę Summæ. Quēadmodum enī reliqui planeta ad Solem, totius luminis & splendoris fontē, cōparatī, tenebrosissimī uidentur, eadem ratione, cum aurum se habeat ad reliqua metalla, sicut Sol ad reliquos planetas, eius collatione omnia alia metalla habenda sunt ignobilia. Nam si argentum ad aurum cōparatum ignobile censetur, quāto magis reliqua metalla, argento inferiora, si cum auro cōferantur, censenda sunt uilia & abiecta. Et quēadmodum Sol est fons ille luminis, à quo & Luna, & reliqui omnes planeta, lucē & splendorē suū hauriunt, mutantur, & acceptum ferunt: ita aurum est illud, à quo necesse est, ut Luna nostra, hoc est argentum, & reliqua metalla, nobilissimā auri naturam hauriant, mutantur & accipiāt. Quod si ab auro, ut hīc Geber palām testatur, igitur non à Marte, nec ab aliquo aliorū metallorū: cum eorum nullum sit, quod auri diffinitionē, nec per cōsequēs eius naturā, sed naturæ aureę proprietates sibi uendicare queat. Nā si aliquod reliquorum metallorū hanc auri proprietatē sibi uēdicare iure posset, meritō & iure optimo auri naturā & diffinitionē sibi arrogare posset. Quęcūq; enim sunt eadem proprio, sunt eadem specie, natura, forma & diffinitione. Atqui nullū reliquorū metallorū, auri diffinitionē iure sibi uendicare potest, igitur nec proprietatem: nam si aliquod reliquorum auri diffinitionē sibi uendicare posset, id aurū esse necessariō oporteret. Cuiuscūq; enim cōuenit diffinitio, eidē quadret diffinitum necesse est. At cum reliqua omnia metalla à forma auri sint aliena, & distinctam ab auro speciem singula cōstituant, auri nomine potiri non possunt. Quod si auri nomē obtinere non possunt, igitur nec diffinitionē, si diffinitionē obtinere non possunt, igitur nec naturā auri sibi uendicare poterunt. Quare cum à diffinitione & natura auri sint aliena, igitur & à proprietate auri censenda sunt aliena: propriū enim alicuius infimę speciei, alterius speciei propriū esse nō potest: alioquin propriū nō esset cum sua specie reciproci. Proinde cum speciei auri maximē propriū sit, teste Gebro, reliqua metalla in aurū uertere, id certē nullius metalli à forma auri alieni, proprium esse poterit. Meritō igitur primī illi Chrysopoeiæ auctores, auro nomē Solis per similitudinē, & reliquis metallis reliquorū planetarū nomina accommodauerunt, cū reliqua omnia metalla per se tenebrosa & obscura sint, nisi radijs auri illustrent, ignobilia, nisi ab eo nobilitent, & egena, nisi ab eo dītent. Solum igit aurū est illud, à quo mutanda est tinctura aurea, cū ipsum solū hoc priuilegio à natura sit dotatū, ut reliqua omnia metalla possit mutare in aurū.

Calcinatur autem, & soluitur sine utilitate.

Quoniam hoc loco Braceschus uidetur pro septima ratione, idcirco horum uerborum interpretationē adhuc differam, & lectorem relegabo ad confutationem septimæ authoritatis, ubi facillimē intelliget, quid sibi hac in parte uelit Geber.

Est medicina latificans, & in iuuentute corpus cōseruans, id est, aurum hac proprietate à natura dotatum fuit, ut lætitiā, gaudium & hilaritatē cordi inducat, & corpus humanum in robore iuuenili cōseruet, & foueat quæ res quoniam à multis in dubiū uocatur, id num uerum sit, expendamus. Cum omniū philosophorum cōsensu hic mundus inferior superioris mundi, hoc est, cœlestis, motu regatur, oportet eorum omnium corporū, quæ in hoc inferiori mundo generantur, & corrumpuntur, causam effectricē (naturaliter loquor) esse motum corporum cœlestium. Vnde Hermes ille philosophorū omnium princeps dicebat, eorum quæ in terra generantur, patrē esse cœlum, à quo manat uis omnis agendi & informandi, matrem uerò terrā esse, quæ à cœlo impregnatur, & est omnium influxuum cœlestium, ueluti matrix & receptaculum. Quod cum ita sit, colligendum est, nullam rem esse in hac inferiori natura genitā, quæ sui genitorem in cœlis nō habeat, quæ alicuius corporis cœlestis naturam non referat, & quæ singulari aliqua ab eo sydere, cuius naturam sapit, dotata non sit proprietate. Itaq; philosophi cum ratione expenderent, cuius syderis naturam aurum referret, tandem ipsum Solis (qui totius cœli decus est, & ornamentum) filium esse intellexerunt. Vnde, teste Hermete, aurum Solem nominauerūt: Et tot laudibus ipsum aurum cumularunt, ut post animam ratione præditam sub cœlo nobilius auro nihil esse, ausi sint affirmare, nec citra rationem. Nam si æterna caducis, immortalia interituris, & perennia iis, quæ corruptionem sentiunt & experiuntur, lure optimo præferuntur, profecto ea, quæ ad hanc naturam perennem, & corruptionis expertem propius accedent, meritò ceteris erunt anteposenda. Atqui secundum animam ratione dotatam, nihil est in tota hac inferiori natura, quod æquē propè accedat ad perennitatem, & ad conditionem corruptionis expertem, ac aurum. Meritò igitur philosophi, reliquis omnibus naturæ inferioris operibus aurū prætulerunt. Quod aurum minus sit corruptioni obnoxium, quàm reliqua ex elementis conflata, hinc constat. Philosophi uno consensu testantur, inter uegetabilia nonnulla esse magis longæua, & quæ serius cariem sentiant, quàm omnia corpora sensu, & motu prædita. Et quæ admodum animalia à uegetabilibus hac in parte uincuntur, ita philosophorum testimonio, uegetabilia à mineralibus longè hac in parte superantur. Nullum enim est uegetabile, quod æquē illisum, & incorruptum duret, atq; ipsæ gemmæ, quæ inter mineralia numerantur. At inter mineralia nihil est, quod æquē absit à corruptione, ac aurum. Nam omnia mineralia, aut sunt corpora lapidea, aut metalla, aut media inter hæc duo extrema, ut notum est his omnibus, qui naturam mineralium scrutati sunt. E quibus omnibus, auro excepto, nihil potest dari, quod aut diuturna ignis asperitate, & inclementia, aut alterius elementi actione, non immutetur, consenescat, & natua forma spoliatur. Quod, exemplo ex his tribus mineralium generibus allato, illustrabitur, & manifestissimū euadet. Primum si quid esset inter lapides, quod cum auro hac in parte cōferri posset, id potissimum esset carbunculus, seu rubinus, qui cum sit reliquis omnibus gēmis magis coctus, & digestus, & tēperatus, ideo omnium gēmarum principatus ei deferretur. Nec immeritò: habet enim se ad reliquas gemmas, tanquā aurum ad reliqua metalla, ueluti Sol ad reliqua astra, & huic soli reliquarum omnium gēmarum uires à cœlo collatas esse, philosophi testantur. At licet adeo temperata naturæ sit carbunculus, rerum tamen ignearum adurentium, & sulfurearū, hoc est, aquarum, uis chymistica ex medijs mineralibus educarum,

starum, acrimonia, forma natus spoliatur, & genuino humore exhaustus, in calcem terream, omnis splendoris expertem redit, & in pristinam formam reuocari non potest. Aurum autem siue ignis tyrannidem experietur, siue omnium rerum adurentium, sulfurearum, & rodentium censuram subeat, quacumque tamen inclementia exerceatur: & licet in calcem, aut in liquorem, aut in glaciem redigatur, semper ex omni cōflictu non solum inuictum, sed etiam illæsum ad pristinam reddit formam. Quod si carbunculus omnium gemmarum absolutissimum opus, auro hac in parte cedit, profectò inter lapides nihil erit, quod auro hac in parte respondere possit. Nunc num sit aliquid inter media mineralia, quod cum auro hac ratione conferri possit, exploremus. Si quid tale esset inter media mineralia, id maxime esset talch, quod ab alijs stella terræ dicitur. Nihil enim est in tota mediorum mineralium natura, quod corruptionis æquè sit expert, & quod igni, omnium elementorum potentissimo & inclementissimo adeò potèter resistat, atque talch. Hoc tamen etiam si ab igne superari non possit, salium tamè acrimonia in calcem uertitur, & ad pristinam formam redire in posterum non potest. Aurum tamen, millies in calcem reductum, ad nativam semper redit formam, per eam actionem, quam Chymistæ reductionem uocant. Igitur inter media mineralia nihil erit, quod auro hac in parte respondere possit. Superest nunc, ut uideamus, num in numero metallorum aliquid sit, quod cum auro hac ratione comparari possit. At hoc adeò notum est, & uulgatum, ut probatione nulla egeat. Nam licet aliqua sint metalla, quæ rubiginem nunquam experiantur, ut stannum, & plumbum, tamen si plumbum, stannum, æs, ferrum, & ipsum etiam argentum, cimenti, aut antimonij uires experiantur, penitus absumuntur, & partim in fumum, partim in scoriam & fæcem rediguntur. Aurum uerò, etiam si millesies millies censuram cimenti & antimonij subierit, semper inuictum, illæsum, integrum, incolume, & immortale inde regreditur: nec fieri potest, ut aëris, aut aquæ, aut terræ, aut ignis, aut alicuius rei mistæ asperitate, natus illi forma extorqueatur. Proinde cum in ratione accedendi ad incorruptionem animalia à uegetabilibus, & uegetabilia à mineralibus superentur, & omnia mineralia auro cedant, & ab eo omnino uincantur, profectò nihil erit in hac inferiori rerum natura (excepta anima ratione prædita) quod æquè distet à corruptione, & quod perennitati sit æquè uicinum, ac aurum. Et cum res, quæ minus sunt caducæ, & perennitati magis affines, cæteris merito sint anteponendæ, merito & iure optimo philosophi reliquis omnibus huius inferioris naturæ operibus aurum præsulerunt. Et quoniam omnis corruptio ex contrariorum inæqualitate, & distemperamento nascitur, & incorruptionis causa effectrix est contrariorum æqualitas, & æquilibratio, profectò ea merito censenda sunt, æqualitati & uero temperamento magis uicina, quæ corruptioni minus sunt obnoxia. Qua ratione ducti ueteres philosophi, cum aurum inter hæc inferiora à corruptione longius abesse experirentur, uno consensu affirmauerunt, aurum omnium inferiorum corporum temperatissimum, & æqualitati propinquissimum esse. Cæterum cum sentirent, incolumitatis causam esse humorum harmoniam, & æqualitatem, morborum uerò, quibus humanum corpus opprimitur, causam esse eorundem humorum inæqualitatem, iudicauerunt, eligendam esse rem aliquam, ad ueram illam temperiem proximè accedentem, ut eius usu humores distemperati ad temperiem & æqualitatem reuocarentur, & sublata causa morborum, hoc est humorum intemperie, effectus eius causæ, scilicet morbus quicumque periret, extingueretur, & occideret. At cum experirentur, nihil esse in hac inferiori natura quod ad rem medicam pertineat, siue sit è numero animalium, siue uegetabilium, siue mineralium, nihil, inquam, esse temperamento æquè uicinum ac aurum, affirmauerunt aurum præsentaneum esse omnium ægritudinum antidotum. Sed quoniam natura mineralium maxime terrea est, unde fit, ut uis eorum mole illa terrea obruta, ueluti sepulta iaceat, & uires suas uolenter exercere nō possit,

nisi ad tenuiorem naturam reuocetur, & cōpedibus illis terreis soluatur, idcirco philosophi aurum attenuandum, & in liquore ducendum, & liquorem eius per distillationē à parte terrea densiori, separandum esse iudicauerūt, ut huius liquoris (quem animæ carcere corporis solutæ cōparauerunt) sua tenuitate quaslibet corporis humani partes subire ualētis, frequēti usu, humores distēperatos equando, morbos profligarent, & æquatos in eo tēperamento fouerent & cōseruarent. Itaq; cum aurum sua temperie omnes humores inæquatos, æquare & temperare possit, & tristitia nihil aliud sit, quàm immoderatæ & redundantis atræ bilis effectus, nō mirum, si aurū inæquatā bilē atrā domādo, & ad æqualitatē reducendo, eius delet effectū, id est, tristitiā. Et quoniā explosa tristitia, gaudiū succedit, non abs re philosophi dixerunt, aurū animo gaudiū & hilaritatē adferre: nec ineptē aurū Soli cōparauerunt, & illud Solis filiū esse uoluerunt. Nā quēadmodum umbra terræ interdum Lunæ splēdorē & lucē sua obscuritate nobis subtrahit, & quēadmodū nubes ex uapore terreo ortæ iucundissimū Solis, suo aspectu omnia exhilarātis, aspectū nobis subducunt, & aērē tenebrosū reddunt, ita bilis atræ (quę in elemētis terræ respōdet) redundantis hæc est natura & cōditio, ut sua umbra serenitatē spiritus nostri obscuret, & uapore suo nubes generet, quæ sua caligine aērē corporis nostri, id est sanguinē, atrum, piceū & fuliginosum reddāt, & ita nobis omnē letitiā & gaudiū subripiant, & subducāt. Et quēadmodum Sol, cum radios suos exerit, aduētū suo splendidissimo aērē, umbra terræ obtenebratū, serenat, & exhilarat, ita hic liquor aureus suo aduētū, & sua actione aērem nostri corporis, id est sanguinē, & sanguine tenuiorē spiritū, umbra & caligine uaporis melancholici obnubilatū serenat, & nubes has atras dissipando, hilaritatē, letitiā & iocunditatē inducit. Et quoniā nihil est, quod adeo caniciē & rugosam senij deformitatē acceleret, atq; melancholia, quę spiritus exhaurit, calorē natūū sua frigiditate extinguit, & humoris uitalis ærarium absumit, profectō id quod melancholiā ualenter & citra naturę lesionē subducit (quale est aurum) nō immeritō dicitur, caniciē & senium remorari. & cum nulla res floridum, iuuenilē & uiuidum colorē magis foueat, quàm moderatū gaudiū, profectō id quod tristitiā pellit, & gaudiū inducit (quale est aurū) meritō dicitur, hominē in uiuido, iuuenili, & florido statu fouere & cōseruare. Non me latet, raras, singulares, & uerē aureas huius liquoris aurei proprietates medicas, apud nonnullos nostrę ætatis medicos minus authoritatis habere, quàm figmenta poetica, aut aniles fabulas, imò & minus quàm somnia. At cum eas nūquā experti sint, demirer ego huiusmodi hominū audaciā & tyrannidē, qui quaslibet res sibi ignotas dānare nō erubescāt, ac si nihil in rerū natura sit, quod eos lateat, ac si nihil sciri possit, præter ea quæ ipsi norunt. At dicēt, Galenū de hac re nihil penitus scripsisse. Ego uerō respondeo, non esse mirū, si id nunquā Gale. nouerit, nec inde effici, ut nō sit uerum. Licet enim profundissimus naturę scrutator fuerit Gale. homo tamē fuit: proinde multa ignorare potuit, imò & reuera multa in ea arte quā pfectus est, ignorauit, quæ à posteris inuēta nobis tradita fuerunt. Quod si Galen. Hippocrates, aut Dioscorides, naturā auri tanquā insalubrē & suspectā damnaissent, ferendū & audiendū essent isti: sed cū ex Gale. didicerint, nihil esse citra rationē audendū, nihil etiā citra demonstrationē tyrānico more dānandum, profectō modestiores & æquiores in censendis aliorū scriptis esse deberent. Sed hoc unum eos decipit, scilicet, quia adeo religiosi sunt Galeni, ut si quid sit à Gale. nō dictum, id admittere nefas, & piaculum esse arbitrentur. Non dāno, quod Galeni hominē certē diuini religiosi sint discipuli, sed hoc dico, nimīā religionem abire in superstitionē, imò & in idololatriā. Idcirco non est, quod adeo stricte iurent in doctrinā Galeni, ut illius solius adorēt, uenerētur, & suspiciant oracula. Quod si hanc superstitionem mordicus retinuerint, nō minus idololatrię dānandi erūt, quàm hi, qui nullā uocē p Latinā agnoscunt, quæ apud Ciceronē nō legat. Laudo quidē eos, ubi uoces Ciceroni ingratas explodunt, & dictiones exoticas, mōstruosas ac barbariē redolentes

lentes respuunt, & exhibent: sed quum aliquando uox aliqua ex authore alio Latino mutuata adferretur, non est, quod in ea admittenda adeo retrici, difficiles & supersticiosi sint. Sed nos his missis ad rem nostram redeamus. Sequitur in textu Gebri.

Frangitur facillime cum Mercurio, & odore plumbi teritur.

TAVLADANVS. Quod Mercurius auro coniunctus aurum frangat, attenuet, & comminuat, huius rei fidelissimi testes esse possunt aurifabri, qui hoc quotidie experiuntur, ut reliqua metalla inaurare possint, quam non solum actione, sed maximam artis suae partem chymisticis philosophis acceptam ferre debent. Quod autem uapore plumbi aurum imbutum teratur, & in puluerem tenuissimum redigatur, id uerissimum esse experientur omnes, qui ori fictilis, in quo plumbum tenetur figuratum, aurum in bracteas ductum appenderint, ad uaporem plumbi excipiendum. postea sequitur in Gebro. Non est autem aliquid actu, quod magis in substantia illi conueniat, quam Iupiter & Luna.

TAVLAD. Id est, inter metalla nullum est quod actu, hoc est re ipsa, habeat substantiam auri substantiae & quae uicina, aut quod ratione substantiae sit auro magis simile, quam Luna & Iupiter. cuius rei haec est ratio: quia cum maxima substantiae auri portio sit arg. uiuum, ea metalla censenda sunt ratione substantiae, auro magis affinia & magis similia, quae maiori abundant arg. uiui copia. Proinde cum Luna & Iupiter magis abundent arg. uiuo quam reliqua metalla, non immerito dicuntur actu esse auro ratione substantiae uiciniora, & magis similia. postea sequitur in Gebro. In pondere autem & surditate & imputrescibilitate Saturnus.

TAVLAD. Hoc est, si autem species pondus, surditatem, & conditionem putredinis expertem, & ex his uiciniam & conformitatem metallorum cum auro metiaris: profecto cum solum plumbum sit mutum, id est soni expertum, reliqua uero sint sonora, cum inquam, plumbum reliqua pondere & grauitate longe uincat, & rubiginem nunquam sentiat, aut putrescat, merito plumbum, habita harum trium qualitatum ratione, auro uicinius censendum erit. postea sequitur in Gebro.

In colore autem Venus, & in potentia quidem magis Venus: deinde Luna, deinde Iupiter, deinde Saturnus, ultimo uero Mars.

TAVLAD. Id est, at si nec substantiam, nec pondus, nec non tinnienti aut rubiginis non contrahendae conditionem species, sed solum colorem, profecto Venus erit auro uicinior, cum teste Gebro cap. 36. Venus in sui profundo colorem auri praestet, eo quod sulfur eius actu rubeum est. & cum omnis rubor facillime remitti possit, & remissus in citrinum commutetur, & citrinus sit germanus auri color, idcirco si hanc rationem species, scilicet propinquam aurei coloris obtinendi potentiam, profecto Venus censenda erit auro uicinior, quam Luna, cum sulfur Lunae sit adhuc penitus album, sulfur autem Veneris iam sit rubeum. Sed quoniam sulfur Lunae magis coctum est, & ad maiorem peruenit maturitatem, quam sulfur Iouis, quod adhuc crudum est & immaturum, profecto cum sulfur album per intentionem decoctionem uertatur in rubeum, sulfur Lunae longe facilius ruborem concipiet, quam sulfur Iouis, & per consequens Luna facilius & citius uertetur in aurum quam Iupiter: unde fit, ut Luna coloris aurei acquirendi potentia auro sit propinqua magis quam Iupiter. Quod si hanc ipsam rationem species, Iupiter uicinior erit auro, quam sit Mars aut Saturnus. Nam cum citrinus color, teste Gebro cap. 60. & Arnoldo cap. 5. sui Rosarii, oriundus sit ex multo albo, & modico rubeo, & ex liuido aut fusco (ut ibidem testis est Arnoldus) non fiat transitus ad citrinum, nisi per candorem interiectum, profecto necesse est, ut Saturnus & Mars candidiora efficiantur, priusquam citrinitatem attingere ualeant. Itaque cum candore ad argenteum uergente, Iupiter haec duo praecellat, facilius quam illa ad citrinitatem peruenire poterit, & hac potentia erit auro uicinior quam sint Mars & Saturnus. At cum citrinus, ut superius diximus, filia sit multi candoris & pauci ruboris, & in Saturno sit magna Mercurij (cuius natura est dealbare) co-

pia, in Marte uerò minima, idcirco Saturnus facilius quàm Mars citrinum & aureum colorem obtinere & assequi poterit. & sic habita huius potentie ratione Mars longè minus uicinus auro censendus est, quàm reliqua metalla. postea sequitur: Et hoc est unum de secretis nature. Et hoc subaudi aurum, nō aut Mars, ut uoluit Braceschus, est unum de secretis nature in hac arte. Quod ut facillius intelligi possit, reuocandū est in memoriā, id quod superius primam authoritatem interpretantes diximus, scilicet perfectionē huius artis mundissimæ substantiæ Mercurij ad fixationem deductæ, totam acceptam esse ferendam. Et quoniam Mercurius crudus, nec mūdus, nec fixus est, idcirco priusquàm author perfectionis huius artis esse possit, substantia eius mundanda est, & per successiuam sublimationem ad fixationē ducenda, ut ex Gebro superius docuimus. At cū Gebri testimonio, Mercurius ad fixationē ritē deductus, metallū euadat: unde & liquationem metallicā præstat: & ritē purgatus, mundissimū & nobile pariat metallū, profectò Mercurius purgatus, & ad fixationē ductus, aliud nihil esse posset, quàm aurum, aut argentū, cum præter hæc duo nullum metallum sit mūdū. At cum natura, nostri miserta, hac in parte nobis insudarit, & purissimā Mercurij substantiā fixationē præditā nobis porrexerit, cādidissimā equidem in Luna ad Lunā, citrinā uerò in Sole ad Solem, idcirco superius notū fecimus, hæc duo metalla esse duo illa nature in hac arte secreta, id est, esse duos illos secretos lapides semel laboratos, in quibus natura tanquā in duobus scrinijs arcanū huius artis, tam album, quàm rubeū inclusit & reposuit. Sunt igitur hæc duo metalla, duæ illæ arcanæ nature arcæ, in quibus natura formā cū auri, tum argenti effectricem recondidit. Quā ob causam Geber hīc ait, aurū esse alterum arcanū nature in hac arte. Quod ut apertius esset, dixit superius in hoc ipso cap. aurū esse preciosissimum metallum, & tincturā rubedinis, quia tingit, ac transformat (in aurum subaudi) omne aliud metallum: & sequenti cap. ut indicaret Lunam esse alterū nature in hac arte arcanum, dixit, Lunam esse candoris, subaudi argētei, tincturam. Sed quid ego hoc in loco me torqueo, cum nemo sit, qui hunc locum ad aurum pertinere, & de eo solo interpretandum esse non uideat? Nam si id de Marte interpretandum esset, quis est, qui non fateatur reliquam & postremā huius cap. partem de eodem marte interpretandam esse? scilicet quod cum marte misceantur & figantur spiritus maximo ingenio, quod non peruenit ad artificem duræ ceruicis. At hanc partem non marti, sed uni auro uendicandam & deferendam esse, testis est Arnoldus Villanouanus, cap. s. sui Rosarij minoris. Quod si hæc posterior sententiā ad aurū pertinet, & anterior ad aurū referatur, necesse est. Hęc igitur, quam attulimus, est germana & aurea huius loci interpretatio, Bracesche, hæc est mēs Gebri, hoc est arcanum huius artis hætenus tibi ignotū, quod si ad martē, ut tu uoluisti pertineret, poteras tu iudicare, Gebrū non adeò parum cordatum fuisse, quin illud in cap. martis aut repitiuisset, aut saltē dicēdū eousq; distulisset, ne quis forsitiā sibi imponeret, & id nō de marte, sed de auro in cap. auri dictum esse suspicari posset.

CAPVT V.

Satis de quarta diximus, nūc ad quintā gradū faciamus. Quinta uerò authoritas, abs te ē cap. 88. desumpta, hæc est: Scripsit Geber cap. 88. suæ Sūmæ, postquam egisset de marte, hæc uerba: Per hoc igitur artificis dilatatur industria, ad cuiusq; corporis uerā rectificationē. Quam sententiā tu sic exponis, per hoc, id est per martē, artificis dilatatur industria, ad cuiusq; corporis metallici rectificationē. Quæ autoritas cū in tuā rem nil faciat, nō possum ego nō admirari, quid tibi de ea ausus sis promittere, imò locus hic adeò est apertus, familiaris & clarus ut nullo egeat interprete: attamē ne tu me pusillanimitate aliqua id dixisse interpreteris, faciā ego, ut omnes breui intelligāt, hoc ad martē referendū nō esse, imò nec referri usquā posse. Geber postquam medicinarū, quibus ignobilia metalla in meliōrē conditionē mutantur, confectionē docuisset, tandē artes, quibus metallorum

tallorum alteratorū integram, aut diminutā mutationē explorare possemus, sibi docendas esse duxit, ut patet ex cap. 87. quas nouem esse scribit, scilicet cineritiū, cemētum, liquationem, super uapores acutorum expositionem, sulfuris adurentis mistionem, ignitionem, ignitorum in aquis salium, aut aluminum extinctionionem, calcinationis, & reductionis iterationem, & argenti uiui facilem, uel difficilem conceptionem. Hæ sunt artes, quibus certissime agnoscimus, num metalla ignobilia, actione medicinæ adhibita, germanam auri, uel argenti formam obtinuerint, an uerò palliatam, fucatam, & phaleratam tincturam conceperint. Id enim metallum, quod medicina alba imbutum, cineritiū examen impune non tulerit, quod liquationem & ignitionem lunarem non exhibuerit, quod ignitum & submersum in aquis acutis, ex submersione argenteum splendorem illesum non retulerit, quod ad uapores acutorum expositum, florem intensè cæruleum non pepererit, quod ex sulfuris adurentis mistione, ad pristinam formam non redierit, quod sæpius in calcem redactum, pristinum colorem, & pondus non retinuerit, & quod cum argento uiuo libenter non coierit, id, inquam, metallū pro adulterino, & illegitimo argento est habendum. omne autem metallum medicina rubra imbutum, quod præter dicta examina, à cimenti conflictu inuictum, incolumem, & illæsum non redierit, pro auro spurio habendum est. Geber itaq; ante omnia à cineritio incipit, & causam reddit, propter quam aurum & argentum cineritiū censuram impune subeant, quam hanc esse ait: quia horum duorum metallorum prima radix (ut eius uerba referam) fuit multa argenti uiui copia, & purissima illius substantia, subtiliata prius, postea uerò inspissata, donec cum ignitione liquefactionem suscipiat. Ex quibus colligit ea metalla, quæ minus abundant argento uiuo, aut quæ plus habent substantiæ terreæ, aut quæ sunt tenuiora, quam sint aurum & argentum, ea, inquam, citius in cineritio perire: quæ uerò minus ralia sunt, tardius absumi. Et quoniam Saturnus, inquit, multa abundat substantia terreæ, & lutosa, & uelocioris est liquationis, quàm reliqua, & quia etiam longius abest à conditione ignitionis ferendæ, ideo citius huic succumbit examini, & uelocius absumitur, unde cum in fuga sit omnium uelocissimus, eius opera, inquit, utimur, ut reliqua ignobilia secum trahat. Iupiter autem, quia argento uiuo copiosius abundat quàm Saturnus, aut Venus, & quia etiam mundior est, & minus terreus, ac subtilioris substantiæ, ideo diutius examē cineritiū sustinet, quàm Saturnus aut Venus. Et licet Saturnus argento uiuo magis abundet, quàm Venus, tamen quia Venus ignitione prædita est, quam natura Saturno denegauit: hinc fit, ut Venus diutius in cineritio duret, quàm Saturnus. Mars uerò licet totus ferè sit terreus, & inops argenti uiui: quia tamen ægerrimè ob inopiam argenti uiui liquefcit, idcirco Saturno ritè commisceri non potest. Cum itaq; Saturnus obliquationis priuationem, Martem amplecti nequeat, difficile eum trahit. Quod si Martem ignis uolentia liquari cōtingat, & adfuerit Sol aut Luna, Mars (qui humoris expers est, & idcirco sitientissimus) Solis aut Lunæ Mercurium epotat, & forbet. Et quoniam Mercurius horum duorū metallorum fixus est, & cineritium nō timet, hinc fit, ut Mars altero horum duorum metallorū imbutus, in cineritio deleri nō possit. At si Luna & Sole absentibus, Martē reliquis ignobilibus metallis commisceri contingat, necessariò Mars unà cum illis perit, & aboletur. Itaq; non ratione perfectionis suæ, cum sit corruptissimus, sed per accidens fit, ut Mars interdū cineritiū sustineat. Quod Geber cap. 90. clarissimè docet his uerbis: Mars uerò non per se, sed per accidens nō cōburitur. Quādo enim cum multæ humiditatis corporibus miscetur, cōbibit illam, propter suæ humiditatis carentiam, & ideo cōiunctus non inflammatur nec cōburitur, si corpora sibi iuncta nō fuerint inflammabilia (qualia sunt Sol & Luna.) Si uerò cōbustibilia sunt corpora sibi iuncta, secundum naturā suam adustibilē, necessariò oportet Martē aduri, & flāmis absumi. Postquā igitur Geber docuit cap. 88. quæ sit causa effi-

ciens, ut aurum & argentum illa ex cineribus regrediatur, reliqua uero in eo pereant, & absumantur, licet alia tardius, alia citius, tandem sicut: Per hoc igitur artificis dilatatur industria, ad ueram cuiusque corporis rectificationem, si recte eius, quod diximus, efficaciam nouerit. Quod idem est, ac si dicat: Si artifex, hæc, quæ à nobis in hoc capite tradita fuerit, probe intellexerit, id est: si intellexerit, quæ sit causa, quare alia metalla hoc examen sustineant, alia uero non sustineant: & quæ sit causa, quare alia citius in eo pereant, alia uero non æquè cito deleantur, si inquam, horum omnium causas, à nobis hic traditas probe norit, profectò intelliget, quid singulis desit, quid in unoquoque faciendum sit, & quid in eis instaurari debeat, ut cineribus examen ualenter sustinere queant: Postea sequitur in textu Gebri.

Si uero fantastice super illud intellectum contraxerit, nihil ex eo ueritatis agnoscet: hoc est, si id, quod docuimus hoc in capite, perperam intellexerit, & scripta nostra in alienum sensum detorserit, nunquam intelliget, qua arte ignobilia metalla ad hunc perfectionis gradum sint promouenda. Hæc est igitur huius loci recta & non obliqua, facilis, & minimè coacta interpretatio, Bracesche, qui locus se adeò aperte prodit, ut me etiam tacente, ab omnibus intelligi possit. Proinde ad sextam auctoritatē excutiendam accedamus, quæ si tibi non magis fauerit, quam superiores, parum certe fauebit. At quantum tibi prodesse queat, uideamus.

CAPVT VI.

Sexta igitur auctoritas, quam tu adfers, hæc est. Geber cap. 63. suæ Summæ: Postquam de Marte pluribus egisset, tandem hoc epilogo cap. illud clausit. Laudetur igitur benedictus, & gloriosus altissimus, qui creauit illud, deditque illi substantiam, & substantiæ proprietates, quas non contingit ullam rem aliam in natura possidere, ut in illa possit inueniri hæc perfectio, per artificium aliquod, quam in illo inuenimus potentia propinqua. Ipsum enim est, quod ignem superat, & ab igne non superatur, sed in eo amabilius requiescit, eo gaudens.

Quem locum (cum Martē ab igne superari, & aduri animaduertes) ad Martem referre ausus non es, sed ad ignobilissimum Martis excrementum referendum esse docuisti. At faciam, ut intelligant omnes, hunc locum non Marti, aut eius uili excremento, sed soli argento uiuo uendicandum esse, & de hoc solo interpretandum. Quod ut familiarissimè intelligi possit, sciant lectores Gebro hunc finem in eo cap. propositum esse, ut Martis genituram doceat. Quod ubi egit: quoniam Mars præ cæteris metallis sulfure fixo abundat, docet quæ sit conditio sulfuris fixi, & quæ sit conditio Mercurij fixatione præditi, & horum duorum naturam per antithesim comparat. Ex qua collatione tandem colligit, causam ignobilitatis & corruptionis metallorum, sulfuri adscribendam esse, causam uero nobilitatis metallorum soli Mercurio acceptam esse ferendam, & solum Mercurium totius nobilitatis, & integritatis metallicæ, authorem esse censendum. Primò igitur Martem ex pauco argento uiuo, eoque terreo, liuido, & fixo, & ex multo sulfure terreo, immundo & fixo, oriundum esse scribit. Et quòd magna sit sulfuris fixi, modica uero Mercurij in Marte copia, hac ratione confirmat. Conditio sulfuris fixi, est liquationem metallorum impedire, remorari, & prohibere. Igitur ea metalla censenda sunt multo sulfure fixo esse prædita, quæ tardè, & difficilis sunt liquationis. Atqui Mars omnium metallorum tardissimè liquefit, & difficillimè omnium conflatur, proinde colligendum est, Martē omnium metallorum sulfure fixo refertissimum esse. Quòd sulfur fixum liquationem remoretur, & impediat, sic docet. Sulfur nunquam figitur, nisi calcinetur, calcinatum autem siccissimum euadit, & omni humore per calcinationem exauritur. Atqui humidum est causa liquationis. Igitur sulfur fixum cum sit aridissimum, non solum eam præstare non poterit, sed etiam impediet. Nam cum siccum humido penitus opponatur, & humidum sit causa liquationem metallicam efficiens, necesse est, ut sulfur fixum, quod est siccissimum, oppositum pariat effectum:

effectum: hoc est, ut liquatione priuet metalla, & eam ubi Mercurium uicerit, (ut sit in ferro) penitus tollat. Mercurium autem non est necesse, per fixationem in substantiam terream, liquationis expertem redire. Nam licet interdum per precipitationem, hoc est, per uolentam & precipitem sublimationem, contingat illum humore liquationem efficiente exhauriri, & in terream substantiam liquationis expertem reduci, tamen si per temperatam, & successiuam (qualem ars precipit) sublimationem ad fixationem ducatur, liquationem reddit metallicam, ut notum est illis (inquit) qui ambas eius fixationes experti sunt. Sulfur autem, si figuratur, semper & sibi, & alijs illiquabile efficitur. Ceterum cum sulfur nihil aliud sit, quam pingue, & unctuosum adustibile, hinc facile intelligi potest, ipsum sulfur causam esse adustionis metallorum. Mercurius autem tantum abest, ut adustionis author sit, ut etiam ab adustione tueatur, & protegat. Cuius rei amplissimam fidem faciunt metalla. Nam quæ multò abundant argento uiuo, ea ab adustione minus sibi timent: quæ uerò plus habent sulfuris quàm Mercurij, ea grauius ab adustione damnum sentiunt, & patiuntur. Ex quibus (inquit) duo huius artis arcana mira collegimus, & didicimus: quorum alterum est, sulfur adustibile causam esse corruptionis metallorum in igne, quod simulatq; flammam concepit, totam metalli substantiam urit & absomit, licet argentum uiuum illius metalli fixum fuerit. At argentum uiuum (inquit) quoniam propter nullas exterminationis causas se in partes sue compositionis diuidi permittit, quia cum tota sua substantia ab igne euolat, aut cum tota in igne permanet, idcirco (inquit) necessario colligendum est, causam perfectionis metallorum in argento uiuo sitam esse. Et hoc est secundum illud arcanum (inquit) quod collegimus, scilicet perfectionem metallorum soli argento uiuo acceptam esse ferendam. postea sequitur in textu Gebri.

Laudetur igitur benedictus & gloriosus Altissimus, qui creauit illud (subaudi argen. uiuum) deditq; illi substantiam (incremabilem subaudi) & substantiæ proprietates (tutandæ ab adustione metalla subaudi) quas non contingit ullam rem in natura possidere, ut in illa possit inueniri hæc perfectio per artificium aliquod, quam in illo inuenimus propinqua potentia. Hæc est autem illa perfectio quæ inest soli argento uiuo. Ipsum enim est, quod ignem superat, & ab igne non superatur, sed in eo amicabiliter requiescit, eo gaudens, id est, natura solius argen. uiuum hac dote insigniuit, ut omnem ignis inclementiam, & tyrānidem inuictum sustinere possit, & ab eo semper cum uictoria, & trophæo regrediatur.

At dicet Braceschus, Hæc proprietas nō inest Mercurio crudo, cum ipse inimicus, & exosum habeat ignem, ab eo sibi timeat, & impetum eius ferre non possit. Igitur hic locus de Mercurio non erit interpretandus. Fateor, Bracesche, hanc proprietatē Mercurio crudo actu non adesse, sed cum Gebro respondeo, hanc proprietatem propinqua potentia in eo reperiri. Sed quænam illa potentia, dicit Braceschus? Respondeo, substantiam Mercurij ritè purgatam in potētia esse ad fixationem suscipiendam. Quæ substantia Mercurij, per sublimationē mundata, ubi in actū illius potētiae ducta fuerit, hoc est, ubi ritè ad fixationem peruenerit, tunc hæc substantia Mercurij munda & fixa, est illa Salamandra chymistica, cuius alimentum ignis est. Et hæc sola, hanc proprietatem sibi arrogare potest. Et ne quis alienam à mente Gebri interpretationē hinc me attulisse suspicari possit, reuocet, quæso, in memoriā, quæ ex tot Gebri locis superius probauimus, scilicet solum Mercuriū esse causam perfectionis metallorū, non quidem Mercuriū in sua liuida, fugaci & cruda natura sumptum, sed per sublimationem, ut docet Geber, mundatum, & tandem ad perfectā fixationis maturitatē ductum. Proinde cum sola Mercurij substantia munda, & fixa, sit causa perfectionis metallorum, & hæc sola ignē superet, nec ab eo superetur, sed in eo libèter cōquiescat, (ut testatur aurum) hunc locū de solo Mercurio mundo, & fixo interpretandum esse, fatearis

oportet. Et cum hęc Mercurij substantia, munda & fixa, in solis inueniri possit metallis, imò sit metallū, ut superius ex Gebro docuimus, profectò necesse est, ut sit aut in Saturno, aut Ioue, aut Venere, aut Marte, aut Luna, aut Sole. Sed Mercurius Saturni & Iouis immundus est, & propemodū crudus (ut Geber testat) nec ignis sœuētis impetus sustinere potest. Igitur nō erit in illis. Præterea Mercurius Veneris & Martis, licet quodāmodo sit fixus, tamen pollutus est, atq; coinquatus, imò & ab igne tandē expugnatur. Igitur nec in istis erit. Quòd si in metallis est, & in nullo dictorū quatuor reperiatur, superest, ut solis insit metallis nobilibus, & perfectis, auro scilicet & argēto. Nec mirū si in istis duobus perfectis tantūmodo reperiatur, cum huiusmodi Mercurius mundus, & fixus sit causa perfectionis metallorum nobiliū. Cum igit hīc Mercurius sit author nobilitatis metallicæ, & hęc duo aurum scilicet & argentū, sint metalla nobilia, profectò necesse est, ut in illis reperiatur & existat; alioqui essent ignobilia. Itaq; necesse est, ut de Mercurio in his duobus metallis existente, hunc locū interpretemur, cum hęc sola in igne libenter cōquiescant, & cōmorentur. At dicet Braceschus, stercus illud ferretū, in naturā vitri cœrulei redactū (quod ille scripsit eligendum) in igne semper inuictū durare, & ab igne minimē expugnari posse: Ideoq; hīc Gebri locum meritò sibi uendicare. Sed age quæso, Bracesche, quomodo tādē efficiēs, ut hoc tuūm excrementū cum uerbis Gebri cohæreat? Testatur ubiq; Geber paucitatē arg. uiui mundi & fixi esse causam ignobilitatis metallorū, ideoq; arg. uiuū mundum & fixum in eis multiplicatum, causam nobilitationis eorum necessariò futuram. Vnde etiā colligit, medicinā ignobilia metalla nobilitantē ex Mercurio mundissimo, & penitus fixo cōficiendam esse. At cum illud ferri excrementum in vitrum redactū (quod tu scribis eligendum) metallicū esse desierit, & arg. uiuo penitus exhaustum, in vitrū abierit, qui poterit ex eo cōfici metallorum in melius mutandorum medicina? Quod aut arg. uiuo penitus exhaustum sit, hīc patet. Arg. uiuum est causa liquationē in metallis efficiēs. Atqui hęc sœx Martis uitrea, liquationis metallicæ omnino expers est, & nullam aliam reddit liquationem, quā uitreā. Proinde necessariò iudicandum est, hanc sœcē arg. uiuo penitus spoliatam esse. Quòd si arg. uiui expers est, profectò medicina ignobiliū metallorum esse non poterit. Siquidem hęc medicina ex arg. uiuo mundo, & fixo cōficienda est. Et cum hīc locus ad causam perfectionis metallorū effectricē, hoc est ad arg. uiuū mundum & fixum pertineat, profectò ad sœcem illam Martis pertinere nullo modo poterit. Est igitur hīc locus de solo Mercurio fixo, in igne libetē cōmorente, tripudiante, & sibi cōgratulante, interpretandus, Bracesche, qualis Mercurius solis inest nobilibus metallis, hoc est auro & argēto. Et cum solus Mercurius fixus in igne ouans, & triūphum agens, ex hoc Gebri testimonio, sit causa nobilitationis metallorū ignobilium, & is soli auro & argento insit, necesse est, ut eū ex his duobus fontibus hauriat, quicūq; medicinā ignobilium, ad auream uel argenteam nobilitatem promouendorū sibi proponet cōficiendam. Quòd si secus fecerit, saxum perpetuò cum Sisypho uoluet, nec optato fine, quoad uiuet, potietur. Satis de sexta auctoritate diximus, Bracesche; nunc quænam sit septima abs te citata, uideamus. Septima hęc est.

CAPVT VI.

Scripsit Geber cap. 32. suæ Summæ hęc uerba. Calcinatur aut aurum, & soluitur sine aliqua utilitate: & cap. 33. hęc uerba. Calcinat similiter argentū, & soluitur cum magno labore, & sine aliqua utilitate. Quibus duobus locis tu in cōfirmationem opinionis tuę sic uteris. Omnium philosophorum cōsensu & suffragio, metallū illud, ex quo formari debet Elixir, est in calcē redigēdum, & postea in liquorē resoluendum. Atqui Geber hīc docet, aurum & argen. siue in calcē redeant, siue etiā in liquorē resoluantur, nullam adferre utilitatē. Proinde hoc argumentum satis cōstat, neq; ex auro, neq; ex argento ditissimum illud Elixir cōfici posse.

posse. Profectò Bracesche hæc sola ratio plus habet pōderis & momenti, quàm reliquæ omnes abs te citatæ. Imò adeò est obscura & difficilis, ut qui eam mihi solueret, neminē inuenerim, præter doctissimum Ioannē Michaelē Stierpini. Cui eruditissimo uiro nō solum Gebri, sed reliquorū etiā huius artis authorum familiaritatem me debere fateor, & quoad uisū ingenuè profitebor. Licet itaq; hic locus magnū aliquid prima frōte tibi promittere uideatur, faciā tamē, ut intelligas, hoc à Gebro uerè scriptum fuisse, nec tamē impedire, quin Elixir rubeum ex auro, & album ex argēto, necessariò sit cōficiendum. Quoniā Geber in his duobus cap. palam & publicè promulgarat, aurum esse tincturam rubedinis, & arg. esse tincturam albedinis, ut hoc aliquo modo te geret, & palliaret, nō probis uiris, sed sceleratis, hæc quæ tu adfers, Bracesche, subdidit. Hæc tamē uerissima esse, & superioribus Gebri uerbis nullo modo aduersari experiemur, & sentiemus, si diligenter animaduertamus, quam longē & latē pateat apud Gebrū, usus calcinationis, & solutionis. Cum Geber uideret, metalla ignobilia nobilitari nō posse, nisi quæ in eis redundant, aboleantur, & quæ desunt, beneficio Elixiris resarciantur, ressecanda primò sibi duxit superflua. Itaq; cum uideret, ignobilia metalla humore quodam immaturo & uaporabili, atq; unctuofo quodam cremabili, & fæce quadam terrea, à natura metallorū aliena laborare, & onusta esse, proposuit sibi eā, ab humido illo uaporāte, & sulfure adurente, arte calcinationis exonerāda. Ignis enim (ut ille testatur) omnē substantiā uaporantem exhaurit, & unctuosam atq; cremabilem perdit, cremat, & absument. Et cum fæcē illam terreā calcinatione separari nō posse, animaduerteteret, eam sibi per iteratā calcis reductionē, separandam esse duxit. Quod testatur cap. 70. suæ Summæ his uerbis. Mundificant similiter utriusq; generis corpora (id est, tam dura ut Mars & Venus, quàm mollia ut Iupiter & Saturnus) per reiterationē calcinationis & reductionis eorū, cum sufficientia sui ignis, quousq; mundiora appareāt. Per hāc enim (methodum subaudi) mundantur hæc corpora imperfecta, à duplici corrūpente substantia, hæc quidem (reductione subaudi) à terrea fœculētia, illa uerò (calcinatione subaudi) ab inflāmabili & fugitiua substantia. Et hoc ideo, quia ignis in calcinatione omnem fugitiuam substantiā eleuat & consumit, & idem ignis similiter in reductione omnem substantiā terræ diuidit, cum proportionē suā. Quod etiā testatur cap. 51. suæ Summæ, his uerbis. Est ergo calcinatio, rei per ignē puluerizatio, per priuationem humiditatis partes cōsolidantis. Causa inuentionis eius est, ut sulfureitas adustiuā corrūpens, & defœdans, per ignē deleatur. Calcinantur igit corpora, & calcinantur spiritus, & res alienæ extraneæ à natura horum, diuersa tamen intentione. Et quia corpora imperfecta sunt duorū generum, dura uidelicet ut Mars & Venus, & mollia ut Iupiter & Saturnus, (quæ omnia calcinantur) idcirco necesse fuit, illa diuersa intentione calcinari, generali scilicet & speciali. Generali tamē una intentione calcinantur: scilicet ut sulfureitas illa corrumpēs, & defœdans, per ignē deleat. Sic enim cōburitur omnis ex quacūq; rei sulfureitas adustiuā, quæ sine calcinatione deleri nō potest. Quoniā ipsum corpus solidum est, & propter soliditatē & latitationē occultat sulfureitatis in cōtinuitate substantiæ arg. uiui defenditur per illud ab adustione. Ideo necesse fuit, cōtinuitatem eius separare, ut ignis liberius ad quācūq; minimā eius partē perueniens, sulfureitatē ex eo cōburere possit, & non defendat ipsum cōtinuitas arg. uiui in illo existēdis. Est & cōmunis intentio similiter in illis, depuratio terreitatis. Inuentū est enim, quòd corpora per reiterationē calcinationis, & reductionis mūdantur, ut mōstrabimus in sequētib. Sed præter hos, quos diximus modos, excogitauit alias uias Geber, quibus sordes metallorum ignobilium eluere posset, quas omnes uias enumerat cap. 79. Inter quas eam quæ fit per calcinationē, & calcis solutionē ceteris docet antepōnendam, his uerbis. Mundificant & hæc similiter per solutionē suæ substantiæ, cuius modum iam diximus: & per reductionē similiter eius, quòd ex eis dissolutū

fuerit. Inuenit enim illud mōdius hoc modo, quā alio quopīā pręparationis genere. Vide igit̃, Bracesche, quomodo Geber metalla ignobilia in calcē reducit, & ē calce in liquorē reuocat, ut ea reddat, quantū fieri potest, mundissima. Corpora aut̃ nobilia, qualia sunt aurum & argentū, cum huiusmodi sordibus nō sint inquinata, hac pręparatione non indigent. Itaq; si hunc calcinationis & solutionis finē, & usum cōsideres, frustra aurum & argentū, ut Geber ait, calcinātur, & soluantur, cum harum sordū, quibus reliqua metalla laborant, & per calcinationem atq; solutionē expurgant̃, sint expertia. Et hęc certē fuit mens Gebri. At si calcinationis secundū usum cōsideres, scilicet ut res calcinata facilius in liquorē redeat, quō tenuior euadat, & naturā corporeā, torpentē, & pōderosam, cum natura spiritali cōmuret, profectō si hunc, inquā, usum cōsideres, nō absq; utilitate, hęc duo metalla calcinant̃ & soluntur. Quod Geber cap. 2. libri de Inuestigatione inscripti, his uerbis testat̃. Hac aut̃ pręparatione, (id est, calcinatione & solutione in priorē finē spectāre, quz solis cōuenit imperfectis,) nō egēt corpora perfectā, (cū nō sint polluta subaudi) sed tali pręparauone indigēt (hoc est in eū finē calcinant̃ & solunt̃) ut partes illorū per eā magis subtilient̃, & ā corporalitate sua ad spiritualitatē reducant̃ fixā. Cuius (subaudi pręparationis perfectiorum corporū per calcinationē & solutionē) intētio est, ut ex eis fiat corpus spirituale fixū, hoc est, multō magis attenuatū, q̃ esset prius. Quz postq; erunt sufficienter pręparata (hoc est per calcinationē & solutionē attenuata) erūt apta, ut de eis Elixir albū, uel rubeū fiat magnū. Quod reperit cap. 10. eiusdē libri, his uerbis. Perfecta uerō corpora nō egent pręparatione (id est calcinatione & solutione) quantū ad perfectionē, (id est ut fiāt perfectā) cū perfectā sint, sed ut magis subtilient̃ & attenuent̃, talis eisdē pręparatio adhibēda est. Accipiat̃ Sol in laminas tenues pductus, & ponat̃ cū sale cōmuni optimē pręparato in uase calcinationis, & colloceť in furno, calcinādo bene per trēs dies, uel donec totū subtiliter fuerit calcinatū: deinde extrahat̃, & multū bene terat̃, tritū cū aceto lauet̃, & desiccetut ad Solē, postea terat̃ bene cū medietate suis salis ammoniaci mundi, & ponatur ad dissoluēdū, donec totū fuerit beneficio salis ammoniaci, in aquā clarissimā dissolutū. Et idē, inquit, age in Luna. Vide quēso, Bracesche, quā fidelissimē se ubiq; Geber interpretet̃, & quā faciliē ex ijs, quz adduxi, intelligi possit, quid sibi uelit locus ille, abs te pxiā ē citatus. Nā si tu calcinationē, & solutionē ad primū usum referas, id est, si in eū finē utaris, ut metallorū sordes aboleant̃, id fiet cū magno labore, & citra aliquā utilitatē in Sole & Luna, cū hęc sint metalla munda. & sordium expertia. At si secundū usum spectes, ea erūt calcināda & soluenda, scilicet ut attenuent̃, & attenuata in Elixir mutent̃. Ratio aut̃, ob quā aurum & arg. in Elixir mutari nō possunt, nisi prius attenuent̃, patet ex cap. 53. Summā, ubi Geber ait, corpora, quoad hanc substantiā corporeā, densam & cōpactam retinuerint, arg. uiuū in p̃fectione retinere nō posse: unde colligit ea esse attenuanda his uerbis. Subtilioris ergo substantię & liquidioris fusionis medicinā illam esse oportet, q̃ sint corpora. Nec solū ut arg. ui. retineāt, attenuāda sunt, sed etiā ut metalla ignobilia transmutēt̃, trāsmutare enim nō possunt, nisi ingrediant̃. Nā qđ nō ingredit̃, seu qđ nō penetrat, nō alterat, & qđ nō alterat, minus etiā trāsmutat. Proinde ut metalla nobilia trāsmutare possint ignobilia, necesse est, ut uim alterandi prius assequant̃. Alterare aut̃ nō possunt, nisi penetrādi acūmē prius obrineant. At penetrare nō ualēt, nisi prius attenuent̃, & attenuari nequeunt, nisi in liquorē resoluant̃. Et quo facilius in liquorē redeāt, prius in calcē reuocant̃. omnis enim res calcinata facilius in aquā resoluit̃, teste Gebro cap. 64. Et hęc est causa, propter quā nobilia metalla calcinant̃, & solunt̃. Ex superioribus igitur satis patet, Bracesche, quid sibi uelit Geber cap. 32. & 33. ubi ait, aurum & arg. calcinari, & solui citra aliquam utilitatē. Quz uerissima esse ex Gebro docuimus; nec tamen ullo modo impedire, quin aurum & argentū sint illa metalla, ex quibus aurum & argenteum Elixir est conficiendum.

Finis primi libri.



UPEREST nunc ultima illa authoritas, qua te ego armaueram, excutienda, Bracesche, quo in loco quid sibi Geber uelit, faciam, ut facile assequaris. Nonne ab ipso philosophię fonte Aristotele hausisti, nihil generari aut fieri posse, citra formam materię copulatam? Scio enim te nosse, materiam impotentem esse, ut se ē potentia ducat in actum, citra formę beneficiū, nosti etiā formam non in se, sed in sola materia generare posse. Proinde cum hæc sint essentialia cuiuslibet rei generandę principia, profectō lapis philosophicus, nobis naturę sopitę excitatoribus generandus, his duobus principijs carere non poterit. Non posset enim natura suis principijs destituta, hunc thesaurum nobis parturire. Proinde necesse est, à nobis hæc principia assumi, eaq; sunt nobis exterius tantum agentibus, naturę rerum omnium parenti affabre cōmittenda. Quę nam igitur hæc sunt lapidis philosophici principia? quę nam forma, aut quę illius est materia? Profectō, Bracesche, si intelligere possumus, quid sit in hac arte fermentum, facile assequemur, quę sit elixiris generandi forma, & quę sit eius materia. Nam cum fermenti proprium sit agere, fermentare, ac informare, pastamq; sibi assimilare, & hæc etiā sint formę proprietates, profectō quod in hac arte fermenti conditionem sibi uendicat, id elixiris generandi formam esse, necesse est. Cum igitur fermenti, utpotē uicem formę subeuntis sit agere, informare, ac fermētare, & omnium, teste Aristotele, agentium naturalium finis sit, assimilare sibi passum in qualitate, aut substantia, hinc necessariō colligendum est, quale fuerit fermentum, talem fermentatione euasuram pastam, qualis fuerit forma, talem informatione futuram materiam. Itaq; si ferrum, ut tu uis, esset elixiris generandi forma, siue fermentum, oporteret reliqua metalla pastę fermentandę, seu materię informandę, rationem subire. Quale igitur erit fermentum, hoc est Mars tuus, talia sunt tandem euasura reliqua metalla, scilicet ferrea. Forma enim ferri, nihil aliud in materia metallica generare potest, quā ferrum. At cum finis chymisticę artis sit chrysopoęia, & argyropoęia, id est ignobilium metallorum in auream, uel argenteam formam reuocatio, non possumus tergiuersari, non possumus manus huius ratiocinationis euadere, non possumus, inquam, nos ab ea explicare, Bracesche, quin aurum aurei, argentum elixiris argentei generandi formam, & fermentum esse, uel nolentes fateamur. Vnde rectē Morienus, inquit. Sicut pastę fermentum pasta est, ita auri fermentum aurum est. Quod Geber ipse palam promulgauit cap. 10. libri de Inuestigatione inscripti, his uerbis. Aurum hoc modo in aquam resolutum, est fermentum ad elixir rubeum, preciosum & uerum corpus spirituale factum. Et cap. 11. ubi de Pręparatione Lunę agit, sic inquit, Subtiliatur autē argentum & attenuatur, & ad spiritualitatem reducitur, per modum iam dictum. Ergo per omnia fac in ipsius Lunę subtiliatione, sicut de Sole fecisti, & aqua Lunę dissolutę est fermentum ad elixir album, spirituale factum. Quod si aurum elixiris rubei fermentum est, & argentum elixiris albi, oportet horum duorum fermētorum pastam fermentandam esse reliqua metalla. Si aurum & argentū formę conditionem sibi uendicant, necesse est, ut reliqua metalla materię uices gerāt. Quā rationem ne quis cōtemnat, illustrabo ego eam authoritate Lulli apertissima: cuius hæc sunt uerba in tertia Distinctione, de quinta Essentia capite inscripto, De alijs sex principijs figurę S.

Item S. id est Saturnus, T. id est, Iupiter, V. id est Mars, X. id est Sol, Y. id est Luna, Z. id est, Venus: sunt principia posita in hac figura S. per quę habet artista cognitionem huius artis, quod ipsa sunt res, seu substantię, de quibus oritur illud (forma subaudi & materia) de quo Q. (id est lapis) cōponitur. Quędam illorum habent se materialiter, alia uerō formaliter. Quę se habent materialiter, sunt S. id est Saturnus, T. id est Iupiter, V. id est Mars, & Z. id est Venus, quodlibet per se,

uel duo simul, uel tres, uel quatuor, ad placitū artistæ. Quæ uerò se habent formaliter sunt X. id est Sol, & Y. id est Luna. Hoc autem dictū est, ut artista cognoscat S. T. V. Z. id est, Saturnum, Iouem, Martem & Venerē, esse substantias, ex quibus extrahitur materia, seu arg. uiuum, quod informari debet: Et X. Y. id est, Solem & Lunam esse substantias, ex quibus extrahitur, seu cōstituitur forma, cum qua, & per quam dictum arg. uiuum (ex Saturno, Ioue, Marte, aut Venere extractum subaudi) informetur, ut ex dicto argento uiuo, & ex dicta forma resultet tertium, quod est lapis. Vide igitur, Bracesche, quanta cum ratione cōtendamus, Elixiris rubei aurum, albi uerò argentum formā esse, & fermentum: reliqua uerò metalla loco pastæ seu materiæ habenda esse. Et ne forsan existimes, Lullū in hac opinione solum esse, extat testimonium Arnoldi, qui cap. 29. sui minoris Rosarii, huic nostræ opinioni subscribit, his uerbis. Fermentū auri, aurum est, argenti uerò, argentum, & non sunt alia fermenta super terram, &c. Quod si ita est, necesse est, ut reliqua omnia metalla conditionē materiæ seu pastæ subeant. Sed quoniam pastam naturæ fermenti aliqua ex parte respondere oportet, cum duplex sit fermentum, album scilicet, & rubeum: oportet duplicem esse pastam, albam scilicet, & rubeam. Quarum altera scilicet rubea, fermento rubeo copulanda est, alba uerò fermento albo adhibenda est. Sed quoniam in dubium uocari posset, ex quibus metallis alba, & ex quibus eruenda sit pasta rubea: idcirco ut hoc facile intelligi possit, adferam ego unicam Gebri auctoritatē: cuius hæc uerba sunt cap. 19. libri Fornacum. Si uerò utrunq; opus, album scilicet & rubeum perficere conaris, utrunq; fermentū (Solem & Lunam subaudi, ut paulo antè dixerat) per se modo iam dicto, dissolue & serua. Et hoc (fermentū subaudi solum) est nostrum argentum uiuum, de argento uiuo extractum, quod uolumus pro fermento. Pastam uerò fermentandam extrahimus more solito, ex imperfectis corporibus. Et ideo tibi tradimus regulam generalem, quod pasta alba extrahitur de Ioue, & interdum de Saturno: pasta uerò rubea ex Venere, Saturno & Marte. Vnde in libro Inuestigationis, cap. de Præparatione Iouis, dixit. Hanc (subaudi Iouis) aquā honorare debemus. Ipsa enim est, quā querimus ad album, (pro pasta seu materia subaudi). Et cap. de Præparatione Saturni. Ipsa (subaudi aqua Saturni) est aqua Mercurij & sulfuris, proportionabiliter mistorum, qua utimur in rubei Elixiris compositione. Et cap. de Præparatione Veneris. Hanc aquam honora, quam sulfuris fixi aquam uocamus, cum qua tingitur Elixir usq; ad infinitum. Et cap. de Præparatione Martis. Solutum (subaudi Martem) honora, aquam uidelicet sulfuris fixi, colorem Elixiris mirabiliter augmentantem. Quæ de aqua Martis à Gebro dicta, si iuxta opinionem tuam essent interpretanda, Bracesche, hoc est: si quis inde colligere uellet, Martem solum pro fermento Elixiris rubei habendum, profectò idem asserendum esset, ex uerbis Gebri de Venere & Saturno, ad Elixir rubeū informandum, & de Ioue ad Elixir album. At neq; Martem, neq; Saturnum, neq; Venerem, Elixiris rubei, nec Iouem Elixiris albi formam, aut fermentum esse posse, testatur Geber ipse, cap. 10. eiusdem libri Inuestigationis, ubi ait, Aquam auri esse fermentum Elixiris rubei preciosum, & cap. 11. ubi ait, Aquam argenti esse fermentum ad Elixir album componendum. Quod si ita est, consequens est, aquas Iouis, Saturni, Veneris, & Martis pro pasta, & materia Elixiris esse habendas.

De Via uniuersali & particulari.

Cap. II.

HOc aut, scilicet ut metalla ignobilia uices gerant materiæ, & beneficio fermenti ad nobilitatem promoueantur, duobus modis fieri contingit, quorum alter est, ut ambo, pasta scilicet & fermentū, rarefiāt, & beneficio alicuius mediij utrunq; attenuantis coeant. Quod nullam aliam ob causam fit, nisi ut fermentū nobilitatem suam transfundere possit in pastā. Et hæc est uia particularis. Secundus modus est, ut sola forma attenuetur, rarefiat, & ad naturā spirituale promouatur.

ueatur. Postremò cum aliqua portione materiz informandæ, prius tamen præparatæ copuletur, & conföderetur, ut huius fœderis beneficio, simul atq; simili materiz conflatæ obuiâ facta fuerit, intimas eius partes subire, & penetrando transmutare possit. Et hæc est uia uniuersalis, quæ ut facilius intelligi possit, sic habeto. Via particularis ad nobilitanda uilia metalla, est, in qua fermentum aquæ siccæ, id est Mercurij crudi, actione attenuatur, rarefit, & in aquam siccam resoluitur: & ubi ad naturam illam spiritualement peruenit, cum pasta metalli transformandi, actione Mercurij prius attenuari copulatur. Et tandiu ambo coquuntur, donec fermentum pristinam metalli immutandi formam aboleuerit, & suam illi insculperit. Hanc uiam particularem docet Geber in lib. Fornacum. Cuius etiâ meminit Richardus Anglicus in suo Correctorio his uerbis. Nota, quòd duplex est solutio corporum, quarum altera est in Mercurium, per Mercurium: altera in aquâ Mercurialem. Prima solutio, inquit, requiritur ad particularia: secunda uerò ad uniuersalia. Prima solutio corporum in Mercuriũ, inquit, nihil aliud est, quàm congelati resolutio, id est, quod per solutionẽ ferratum aperitur, propter ingressum unius naturæ in aliam, (hoc est, ut perfectũ metallum possit trãsmittere uim suam in imperfectum). Et ista resolutio est in particularibus. Secunda solutio est in aquam Mercurialem, inquit, & hæc est in uniuersalibus. Nouit igitur hæc uiam particularem Richardus Anglicus. Sed unum est, in quo sibi imponit hic uir bonus, scilicet quòd solum Mercurium crudum hac uia in aurum & argentum mutari posse existimat, Mercuriũ autem ignobilium metallorum minimẽ. Sed fallitur uir bonus. Nam si Mercurius crudus, hac uia in metallum nobile mutari potest, nulla est ratio, quæ prohibeat idem fieri, in Mercurio ignobilium metallorum ritẽ mundato, & ad concipiendam formam illam affabrẽ disposito. Imò suis ipsius uerbis reuinci posset Richardus, si nobis id agere nunc liceret. Sed de his aliquando copiosius, nunc hanc rem, aliud agentes delibasse, seu indicasse, sit satis. Hactenus igitur de uia particulari: modò agamus de uniuersali.

Via uniuersalis est illa, in qua primò anima, fermentum, seu forma, (quæ idem sunt) artis naturæ famularis beneficio, de potentia in actum promouetur: & cum eò peruenit, tunc artificis industria conföderatur cum aliqua portione metalli immutandi, prius tamen iuxta præcepta artis in naturam spiritualement reuocati. Cuius fœderis beneficio fermentum, seu forma, metallo immutando in projectione conciliatur, & metallum transmutandum sentiens sibi amicam familiarem, & conföderatam esse formam, libentissimẽ eam excipit, & arctissimẽ eam amplectitur. Et hæc substantia spiritualis à metallo transmutando orta, & formæ de potentia in actum deductæ, ante projectionem copulata est materia Elixiris, quæ à philosophis interdum corpus mortuum & animandum, interdum terra foliata, in qua semen aureum uel argenteum seminandum est, nominatur. Horum autem duorum extremorum, id est corporis & animæ, seu materiz & formæ, copulandorum mediator est, spiritus menstrui philosophici, id est, aqua utrumq; attenuans, soluens, & rarificans. Et quoniam metallum imperfectum, & fermentandum, est altera pars lapidis, scilicet materia, idcirco interdum à philosophis lapis eorũ nominatur. Hæc autem materia ex metallo transformando orta, quando cum fermento seu forma, id est cum anima metalli nobilis, & perfecti coniungitur, tunc fermenti naturã induit, & per fermentationẽ in medicinã uertitur: & tunc habet uim tingendi, informandi, & nobilitandi. Vnde Geber cap. 5. libri Inuestigationis, inquit. Hæc aqua (metalli transmutandi subaudi) est lapis noster, & argentum uiuum de argento uiuo, & sulfur de sulfure, ex corpore spiritali abstractũ, & subtiliatum, siue attenuatũ, quod meliorari potest (per fermentationẽ subaudi) confortando in ea uirtutes elementares, cũ alijs preparatis, quæ sunt ex genere sui generis, (id est cũ aqua fermenti argentei uel aurei subaudi) augmentando in ea colorẽ, fixationẽ, pondus, puritatem, fusionẽ, & alia omnia, quæ

pertinent ad Elixir cōpletum. Et ubi hæc substantia, ex ignobili metallo orta, per fermentationē diademate aureo, uel argenteo coronata fuerit, tūc, ut ait Lullus, habebit potestatem promouendi parentem suum ignobilem ad principatum, & ad dignitatem regiam. Aduerte itaq; lector in hac uia uniuersali necessariam esse substantiæ à metallo transmutando extractę, cum fermento cōiunctionem. Sin secus nullus erit projectionis effectus, ut testat Arnoldus Villanouanus, cap. 31. sui Rosarij minoris, his uerbis. Si non diuidis lapidem in quatuor elementa, non potest bene coniungi cum corpore, & si non misceas in Elixiri de ipso corpore, super quod uis facere projectionem, corpus non diligit spiritum, nec colorabitur corpus sicut debet. Huius etiam rei testis est Lullus in libello quodam, cui titulus est Intentio summa Lulli, ubi sic ait: Si uis facere projectionem super aliud corpus, pone de spiritu illius in Elixir, & per tale artificium medicina in illud habebit ingressum: Sed in ista parte, inquit, practica pluribus est absconsa. Idem testatur Arnoldus in ea parte Rosarij maioris, ubi agit de calcinatione metallorum, cap. de Preparatione Veneris. Huius autem substantiæ à metallo transmutando ortę, cum fermento ante projectionē copulandę, causam ipsam expressisse, mihi uidetur Geber, cap. 83. suę Summę, his uerbis. Est tamen bona cautela ad ingressum rebus impermiscibilibus dandum, ut soluantur res, quarū intentio sit ingredi cum alteratione. Non fiat tamen, inquit, omnium partium solutio, sed quarūdam: de hinc illud, & non aliud imbibatur corpus, uice post uicem. per hoc enim beneficium in id solum ingressum habebit necessariū, & non in aliud corpus necessariū. Ex his Gebri uerbis patet, fermentationis hanc esse causam finalem, scilicet ut fermento de potentia in actū deducto, beneficio fœderis initium cum aliqua portione metalli immutandi, facillimus pateat in intimas partes eiusdem metalli conflati in projectione ingressus. Quod medium ingressus cōciliandi si abesset, nullus teste Lullo in libro de Questionibus inscripto, sequeretur projectionis effectus. Cuius rei hæc est ratio, quia, ut ait Geber, quod non ingreditur non alterat, & quod non alterat, transmutare non potest.

De Fermento rubeo et albo.

Cap. III.

Sed ut unde deflexit, eò regrediatu oratio, solum aurum est fermentū elixiris rubei, arg. uerò albi. His enim duobus solis natura radios splendoris cōtulit, quibus illustrare possent reliqua metalla decore aureo, & argenteo. Quod si solum aurum rubei, argentū elixiris albi fermentum est, reliqua omnia metalla pro pasta, seu materia lapidis sunt habenda. Nec unquā formę, aut fermentationē subire poterunt, nisi prius nobilitentur, quādiu chrysopoëia, aut argyropoëia finis erit Alchymię. At si sideropoëia esset finis alchymię propositus, tunc elixiris illius formā, seu fermentum oporteret esse Martem. Nam quemadmodū auri fermentum aurum est, & argenti argentū, ita ferri fermentum, est ferrum, stanni stannū, cupri cuprum, & plumbi plumbum. Omne enim agēs agit iuxta formam suā. Possent alicui hæc, quę proximē diximus noua uideri, ac si ex singulis ignobilibus posset fieri elixir, quod mutet reliqua omnia tam nobilia, quā ignobilia, aut in Martem, aut in Iouem, aut in Saturnum, aut in Venerem. Quod licet multis uiris doctis, & maximē Petro Bono, uiro singularis eruditionis, nouū & incredibile uideat, nulla tamen ratio est necessaria, quę id fieri prohibeat. Imò si hoc fieri non posset, profectō actū esset de alchymia, & ars chymistica, meritō figmentum & fabula dici posset. Sed quoniā hoc fit, ideo & chrysopoëię, & argyropoëię locus relinquit. Quod aut nobilia metalla in ignobilia mutari possint, hinc perspicuum est. Nā si ferrū, æs, stannū, aut plumbū, arte chymistica de potētia in actum ducere, & postea alijs metallis ad patiendū dispositis adhiberetur, nō minus ualēt reliqua metalla sibi assimilaret, quā faciūt aurū & arg. hęc enim legē natura sancit, ut quotiescūq; actius passiuus ritē copulant, actio & passio subsequantur.

tur, & alteratio semper naturā agentis sapit, & redolet. Et quotiescunq; id quod antea patientis uices gerebat, ita disponitur, ut in id ualenter agere possit, à quo prius patiebatur, necesse est alterationē naturæ agentis respondere, & conformē esse. Quocirca si ignobilia metalla ad patiendum disposita, actione auri uel arg. ad agēdum ritē dispositi immutātur, necesse est, ab ignobilibus metallis, ad agendum affabrē dispositis, metalla nobilia ad patiēdū disposita immutari. Quod autē ignobilia metalla nō minus ad agēdum, quā patiēdum, & quod nobilia nō minus ad patiēdum quā agēdum, pro arbitrio artificis flecti, & inclinari possint, hinc cōstat. Nā cuiusq; rei actio cōtingit, eidem passio cōtingere potest, & ē cōuerso: substantia enim teste Aristotele, susceptibilis est cōtrariorum, & cōtraria circa idē subiectū uersant, & eidem subiecto uicissim insunt, à quo se mutuō extrudunt. Quæ cum ita sint, cōstat ignobilia metalla non minus mutare, quā mutari posse. Vnde Lullus sagacissimus, & profundissimus naturæ scrutator, non cōtentus transmutatione metallorū in aurum, coegit naturā, à supremo metallice nobilitatis fastigio, id est ab auro, pedē referre, & retromearē usq; ad ignobilissimā & infimā, inter metalla, plumbi naturā, & gloriā se metamorphosim solis in Saturnū, primum (quod sciatur) expertū. At cum finis omnium chymistarum sit, ignobilia metalla ad nobilitatē auream, uel argenteā promouere, inde colligendum est, pro fermento Elixiris auri aurū, pro fermento autē Elixiris argenti eligēdum esse arg. Quod si ijs nōdum cōtentus es rationibus, Bracesche, interroga Lullum, & dicet tibi in minori Apertorio, Fermētum lapidis albi est arg. & rubei aurum, sine quibus fermentis non fit Sol, neq; Luna. Interroga Auicē. & dicet tibi: Sulfur illud perfectū, quo in hac arte indigemus, non inueniū super terrā, nisi quautū existit in his duobus perfectis metallis, Sole uidelicet, & Luna. Ideo, inquit, ista duo corpora subtiliter præparamus, ut sulfur & arg. uiuum de illa materia habeamus super terrā, de qua aurū & arg. sub terra efficiebantur. Ipsa namq; ait, sunt corpora lucētia, quibus insunt radī, tingētes cætera metalla albedine, & citrinitate uera. Itaq; nisi aurum & arg. uiderē, inquit (hoc est, nisi natura artis mīserta, nobis aurum & arg. generasset) crederem alchymiā non esse artem, (id est desperare de fine alchymie): Nā cum finis chymistice sit ex metallis ignobilibus aurum uel arg. efficere, & forma auri effectrix soli auro, argenti uerō soli argēto insit: unde quæso eas formas ars mutaretur, si his duobus metallis nobilibus orbata esset? Interroga Arnoldū, & dicet tibi: Fermētum auri, aurum est, & argenti argentū, & nō sūt alia fermēta super terrā. Interroga Platonē, & dicet tibi, Omni argento inest sulfur album, quo egemus: & omni auro inest nostrum sulfur rubrum. Interroga Pythagorā, & dicet tibi, Aurū, aureum, argentū uerō, argentū tribuit colorē. Consule Augurellum, & dicet tibi: In auro sūt semina auri, & in argēto argenti. Cōsule Richardum Anglicū, & dicet tibi: Quæ seminauerit homo, hæc & metet. Ergo si stercus seminauerit, inquit, nihil aliud metet, quā stercus. Semina igit aurum & argentū, inquit, ut ferāt tibi fructum aureum & argenteum, quia hæc sola id præstare possunt, & est illud quod quærimus, & nulla alia res mundi. Cōsule Morientū, & dicet tibi: Ne comedas de filio, cuius mater menstruum patitur, quia leprosus esses, & tu & opus tuum: sed comede de carne pinguiori, & habebis aurum & argentum, quantum uolueris. quæ uerba Arnoldus in Rosario maiori, sic interpretatur: Ne comedas de filio, cuius mater menstruum patitur, id est, ne assumas ignobilia & leprosa metalla pro fermento, siue forma Elixiris, sed utere carne mundiori, id est auro, inquit, & arg. Cōsule iterū Morientum, & dicet tibi: Sicut fermentū paste, pasta est, ita fermentū auri, aurū est. Consule authorem minoris Rosarii, à Petrelo unā cum operibus Gebri excusi, dicet tibi: Verissima tinctura albedinis, est sulfur albiissimū ex Luna deprōptū & perfectissima tinctura rubedinis, est sulfur rubicundissimū ē Sole extractū. Interroga Calid philosophū Ysid filiū, & dicet tibi: Aurū nō potest tingi, nisi cū auro.

His adde Seniorē, & dicet tibi, Qui colligit coluquintidam, & sperat se ex ea mel expressurū, is profectō demēs est. Num ouēs, inquit, pariunt homines? num grana tritici producunt galbanū? num palma profert mala granata? num uolatilia parturiunt pisces? Tādē cōsule omnes philosophos, Bracesche, & eos omnes uno ore audies pronuntiantes, formā auri effectricē ex solo auro, argenti ex solo argēto effodiendam & depromēdam esse: Ideoq; Elixir aureum ex auro, argenteum ex solo argento esse formādum. Scio te respōsurum, Bracesche, aurum & arg. apud philosophos nō esse ea, quibus nos utimur, sed à philosophis metaphoricōs ita nominari. At ne hoc sophismate euadere, elabi, & sapiētum authoritates eludere in posterū queas, obstat Lullus, qui hac unica ratiocinatione omnem tergiversandi uia tibi praeludet. Ratio aut Lulli, in suo libello, de Questionibus huius artis inscripto, hæc est. Cum finis alchymie, inquit, sit aurificare, & argentificare, necesse est in alchymia esse aurum & arg. (ut ex eis subaudi forma auri & arg. effectrix depromatur.) Quod aut necessario rem ita habere oportear, inquit, id nos uel inuitos fateri cogit principij diffinitio. Nam quēadmodū ignis est principium calefaciendi & igniendi, ita aurum est principium in ratione aurificandi, & arg. in ratione argentificandi. Quod si aliter res haberet, inquit, id est si alchymia posset aurificare sine auro, & argētificare sine arg. (ut tu uis fieri posse cū ferro, aut eius excremento) diffinitio principij esset falsa: Quia nullum principium, inquit, ante aliud se haberet in ratione alicuius prioritatis, & omnia haberēt unicā proprietatē, & sic unum esset plura numero, & plura specie distincta, essent eadē proprio, quod est impossibile. Atqui aurū, ut superius dixit, est principium in ratione aurificandi, quēadmodum ignis in ratione igniendi. Igitur quēadmodum ignificatio est singularis ignis proprietas, ita aurificatio est proprijsimū auri priuilegium. Quod si aurificatio est germana auri proprietas, igit nec ferro, nec alię cuius rei sub celo existētis uendicari poterit. Sin secus, diffinitionē maximē proprijsimam esse oporteret. Siquidē maximē proprium illud est, quod uni soli speciei, & omni illius indiuiduo, & semper cōuenit. Atqui hæc proprietas, ut Lullus testat, soli auri speciei cōuenit. Igitur nulla res, ab auri specie aliena, eam sibi uendicare poterit. Sed ferrū, & reliqua omnia metalla, nec solum metalla, sed omnia mineralia, uegetabilia, & animalia, ab auri specie sunt aliena. Igit & a substantiali forma auri erunt aliena. Quorūcūq; enim species sunt diuersę, & formę substantiales sunt diuersę, teste Aristotele. Sed quęcūq; forma substantiali distinguuntur, ea etiā proprietate differunt. Nam diuersis formis diuersę sunt a natura collatę proprietates. Igit quęcūq; a forma auri sunt aliena, eadē ab aurificatione, utpotē germana auri proprietate, aliena necessariō sunt habenda. Nā cum huiusmodi propriū sit cum sua specie reciproci, & hæc sit auri germani proprietas, oportet eā omni auro inesse, & omne illud, cui illa inerit, reuera aurum esse. Proinde cum aurū sit unicū aurificandi principium, & aurificatio sit genuina forma auri proprietas, hinc uel inuiti fateri cogimur, Elixir aurificū ex auro, argentificum ex arg. solo cōflandum esse, neq; id metaphoricōs interpretandum, Bracesche, nisi simul uelis philosophos per metaphorā loquutos, cū ignē dicunt principium ignificationis. Quod si cōsequēs ridiculū est, iudica, quælo, tu ipse, quale sit antecedēs. Sed urget adhuc Lullus in tertiā Distinctione de quinta Essentia, cap. de Tinctura, ubi adeo apertē eludit omnes metaphoricos auri & arg. interpretes, ut nulla aliā cōuincendo huic errori opus sit autoritate, cuius hæc sunt uerba. Tinctura est alterum principium huius artis significatum per N. & est cōpositio ignis & aëris, auri & argenti, uel sic, Est quoddam cōpositum ex igne & aëre auri & argenti, uel sic: Est corpus tingens, ortum & cōpositum ex duobus elementis, scilicet ex igne & aëre auri ad rubeum, & argenti ad album. Istę diffinitiones sunt, inquit, prout tinctura consideratur in hac arte: Secundum quas fili poteris notare, quod necesse est, ut omnis tinctura alchymica sit ex iamdictis

iam dictis metallis: quia simile producit simile in natura, & naturaliter & artificialiter. Nam aurum ita est principium omnibus aurificationibus necessarium, sicut est ignis ignificantibus. Qui enim aliquid ignificare vult, non querit aquam uel plantam, sed ignem, qui est principium ignificationis. Igitur fili, si quis vult aurificare non querat metaphoricè sulfur, alumen, aut ammoniacum (& si opinionem tuam sensisset, adiecisset, nec stercus ferreum, sed id tacuit ea ratione, qua Solon legem in parricidam olim non tulit) sed querat aurum, inquit, quod est principium aurificationis. & sic suo modo de argento est dicendum. Non est ergo considerandum fili, quod tinctura lapidis philosophorum componatur, præterquam ex auro & argento, & qui aliter considerat, non habebit optatum, inquit. Age nunc quæso, Bracesche, & his te explica Lullii compedibus aureis, si potes, quibus adeo arcte unctus teneris, ut quauis te millicies in Protheum uertas, nunquam tamen elabi possis, quin metaphoricam interpretationem tuam à ueritate alienam esse, uel nolens fatearis.

Eant nunc, & Bracescho, si possunt, opem ferant, qui uolunt aurum & argentum philosophis metaphoricè esse, & negant tincturam lapidis aurifici ex auro minerali, argentifici ex argento effodiendam, & promendam esse. Quæ perniciosa opinio, scilicet omnia hac in arte per metaphoram scripta esse, est illa Charybdis Bracesche, quæ non te solum, sed innumeros alios hoc mare chymisticum tranantes olim pestundedit, & quotidie naufragio perdit. Hæc est illa uenefica Circe, quæ non solum rudes & imperitos, sed multos etiam Apuleios quotidie in asinos mutat. Hæc est illa Saga Thessalica, hæc illa est Medea, quæ meo tempore permultos non mediocris doctrinæ uiros, adeo excæcauit, & dementauit, ut eorum alij sibi persuaserint formam auri & argenti effectricem à plantis mutuandam, alij ex ignobilibus animalium excrementis, ueluti ex sanguine menstruo, spermate uirili, imò & ex ipso stercore humano eruendam esse. Vnde uersus ille:

*Qui querit in merdis secreta Philosophorum,
Expensus perdit, etc.*

A qua pestilenti opinione, ut omnes sibi in posterum caueant, tanquam ab inclementissima uoragine, ego eam mihi indicandam esse duxi.

CAPVT V.

AT dicet quispiam fautor huius opinionis, Cornel. Agrippa testat cap. 14. primi sui libri de Occulta philosophia, se forma auri usum, nec tamē plus auri eam sibi in protectione reddidisse, quæ erat primum illud auri pondus, ex quo formam illam deproferat. Fateor Agrippam id scripsisse, & do etiam expertum esse, sed id tibi respondeo, quod Geber supponentibus artē in spiritibus respondebat, scilicet Agrippam non ea omnia tunc sciuisse, quæ circa hoc negotium erant scienda. Ideoque licet id non potuerit assequi Agrippa, non tamē hic cōsequitur rem ita non habere, quod etiam docet Agrippa, his uerbis. Quod tamē alio fieri posse artificio non inficior, inquit. Vnde perspicuum est, hanc obiectionem nullius esse ponderis aut momenti. Sed insurget alius quispiam, & dicet: Elixir philosophicum promittit se posse omnia ignobilia metalla in aurum & argentum uertere. Atqui, teste Arnoldo cap. 8. sui Rosarii minoris, aurum & argentum uulgaria id minime possunt præstare: quia si perfectionem suam reliquis cōmunicarent, ipsa imperfecta remanerēt, eo quod non possunt tingere, nisi in quantum se extendunt: quoniam eorum perfectio simplex est. Igitur aurum & argentum uulgaria non sunt illa, ex quibus depromenda est tinctura Elixiris. Hæc difficultatē facile, & sine ullo negotio soluemus, si expēdamus, quid sibi eo loco uelit Arnol. Si quis, ait Arnol. Elixiris confectionem ordiret in prima metallorum materia, ueluti in arg. uiuo, aut in arsenico, immensus labor esset subeundus, & innumeris sumptus faciendi, antequam prima illa materia ad formam metallicam, utpotē auream uel argenteam peruenisset. Et quū tandē eò uenisset, primum tamē opus philosophicum (quod est duorum luminariū solutio in Mercurium, ut testat cap. 9.) nodum esset initiatum. Necessarium enim est, inquit, ipsa duo perfecta corpora existere, an-

requam cōfici, Imò uel inīdari possit Elixir: quoniā nihil potest cōfici citra materiā, materia autē lapidis ex his duobus perfectis metallis extrahit. Igit prius oportet esse ipsa metalla perfecta, quā possit fieri Elixir, quia prius oportet esse materiā, q̄ ipsum cōpositum. Sed quorsum opus est, ut materia lapidis ex his duobus perfectis metallis extrahat, anteq̄ fiat Elixir cōpletum? Quia, inquit, oportet Elixir magis digestū esse, q̄ sit aurum uel argentū. Nam Elixiris partes sunt, uirtute sua digestiua metalla, quz ob penuriā perfectę digestionis imperfecta remāserūt ad naturam aureā reducere. Atqui aurū & argentū id prestare nō possunt: quoniā eorum digestio simplex est, proinde anteq̄ id possint prestare, necesse est, ut arte naturę ministrāte, eorū simplex digestio intendatur, accrescat, & multiplicetur. Ideoq̄ (ait postea Arnoldus) fiunt operationes in lapide nostro, ut melioretur eius tinctura, plus quā erat in natura sua. Vnde Arnoldus in maiori, Rosario: Quantumuis aurum, & argentum in tincturā naturaliter cōtineant, nō tamen habent motū, ut fiat Elixir cōpletum, nisi moueantur arte & operatione. Ideoq̄ inquit, artes uarię à philosophis inuentę fuēre, ut cōpleatur per artificium, quod natura reliquit incōpletum. Vnde etiam Auicenna sic ait: Si simplex nobiliū metallorum perfectio cōmiscibilis, & cōmunicabilis esset imperfectis, imperfectū cum perfectis eo modo non perficeretur, sed potius illorū perfectio cum imperfectis diminueretur: sed si essent, inquit, plus perfecta quā sint à natura, uel in duplo, uel in quadruplo, uel in decuplo, uel in centuplo, uel ultra, tunc certē perficerent ea, quz sunt imperfecta. Vide, quz so, lector, quam faciliē hanc obiectiōnem diluat Auicenna. Nam perfecta, quādiu hanc solam perfectionem natuam obtinuerint, nō poterunt mutare imperfecta, sed si ad altiorē perfectionis & digestionis gradum arte naturę famulante, promoueantur, tunc certē id poterunt prestare. Quocirca Lullus in primo suo Testamēto, sic ait: Vbi natura desinit, ibi ars incipit: desinit autē in perfectis metallis, & potissimum in auro, quod non amplius transmutat. igitur ars à Sole & Luna, per uiam corruptionis exordietur. Natura, inquit, non potuit hunc lapidem per se cōponere, sed miserta est arti, cū hęc duo perfecta metalla & munda ei reliquerit, ut ars subtiliet, & adaptet ea, pro forma imperfectorum metallorum transmutandorū, & etiam ipsius Mercurij uulgi. Respondemus igitur cum Auicenna, aurum & argentum, quādiu in hoc simplici digestionis gradu steterint, nō posse reliqua nobilitare metalla: at ubi artis ministerio eorū simplex digestio intensior euaserit, tunc reuera id posse. Culus rei testis est Rasis, ubi ait: Aurum non tingit, nisi se ipsum, donec factum sit spirituale: cum autē factum est spirituale, inquit, tunc habet tincturam sine numero. Sed instabit quispiam & dicet, aurum ad sublimiorē perfectionis gradum scandere nō posse: cui ego sic respōsum uelim: Si perfectionē metallicā intelligit, fateor aurum ad supremū perfectionis metallicę gradum peruenisse, ideoq̄ in nobilius metallum mutari nō posse. At si auri perfectio & digestio cū Elixiris perfectione & digestionē cōferatur, exigua perfectio censebitur: oportet enim, ut ait Arnoldus, Elixir multo magis digestū esse, quā sit aurum: proinde cum aurū habita Elixiris ratione sit simpliciter digestū, & omnis simplex digestio possit intendi, cum sit ē numero earū qualitatū, quę intensiōē suscipiunt, hinc uel maximē cōstat, aurum ad eminentiorē digestionis & perfectionis gradū promoueri posse. Imò, inquit Arnoldus, in eum finē sit operatio in lapide nostro, ut melioretur eius tinctura, plus quā sit in natura sua. Atqui prius dixerat idem Arnol. lapidem ex auro & argēto eliciēdum esse: perspicuū igitur est, aurū meliorari posse. Quod si aurū meliorari nō posset, profecto ars chymica fabulosa habenda esset. Ea enim ars fabulosa habēda est, quz finē sibi proponit, quē attingere & assequi nullo modo porest. Atqui si uerum est aurū meliorari nō posse, chymistica finem sibi proponit impossibilē, scilicet Elixiris cōfectionem: meritō igitur fabulosa & ridicula habenda esset alchymia, si aurū meliorari non posset. Quod autē finis alchymiz,

chymiz, id est, Elixiris confectio sit impossibilis, si aurum meliorari non posset, hinc constat. Omnes Philosophi testantur Elixir ex metallis conficiendum esse. Atqui præter plumbum, stannum, ^zs, ferrum, argentum, & aurum nullum est metallum. Igitur oportebit Elixir confici, aut ex plumbo, aut stanno, aut ^zre, aut ferro, aut argento, aut auro. Atqui, ut isti uolunt, Elixir ex auro fieri non potest, quia aurum meliorari & ulterius digeri non potest. Igitur necesse est, ut ex aliquo reliquorum quinque metallorum conficiatur. Sed posito, quod aurum meliorari non possit, Elixir neque ex plumbo, neque ex stanno, neque ex ^zre, neque ex ferro, neque ex argento confici potest. Igitur finis alchymiz, qui est Elixiris confectio, impossibilis habendus esset. Quod autem (posito quod aurum ulterius digeri & meliorari non possit) Elixir ex reliquis metallis confici nullo modo queat, hinc constat. Necesse est Elixir multò magis digestum esse, quàm sit aurum. Atqui aurum inter metalla solum est plenè digestum, quia ipsum solum optesimpassum est, ex completa actione caloris: reliqua autem metalla scatesimpassa sunt ex indigentia caloris non digerentis, & non depurantis complete. Igitur cum solum aurum sit digestum, & Elixir digestionem superet aurum, necesse est, ut multò magis superet plumbum, stannum, ^zs, ferrum, & argentum. Atqui non patet accessus ab extremo ad extremum, nisi per medium, & nihil potest fieri maturissimum, quin prius sit maturius, nec maturius, nisi primò sit maturum: quia cuiuscunque comparatiuus gradus non competit, neque superlatiuus conuenire potest: & nihil potest sibi cõparatiuum uendicare, nisi prius conueniat ei positiuus. Igitur cum Elixir sit longè nobilius, perfectius, & magis digestum, quàm aurum, & reliqua metalla ad aurum comparata, sint ignobilia, imperfecta, & indigesta, necesse est, ut hæc metalla ignobilia, perueniant ad eam nobilitatem, perfectionem & digestionem, ad quam peruenit aurum, antequàm peruenire queant ad extremum illud perfectissimum, quod est Elixir (& uelint nolint, id mihi fateri cogitur.) Atqui nullum ignobile metallum potest peruenire ad eam perfectionem & digestionem, ad quam peruenit aurum, quin transeat reuera in aurum. Igitur si aurum meliorari non potest, si, inquam, ex auro Elixir confici non potest, profectò neque ex aliquo ignobili metallo, ad perfectionem auri promotum fieri poterit. Proinde necesse est, ut ex duobus alterum mihi cedant, aut aurum meliorari, & in Elixir transire posse, aut Elixir ex nullo metallo cõfici posse, ideoque impossibilem esse alchymiz finem. Obijcient mihi forsitan auctoritatē Rogerij Bachonis, cap. 3. sui Speculi sic loquentis. Verba Bachonis.

Aurum est corpus perfectum & masculinum, sine superfluitate aliqua, aut diminutione. & si imperfecta, sola liquefactione sibi commissa perficeret, esset Elixir ad rubeum. Argentum est etiam corpus ferè perfectum & foemineum quod si imperfecta sola fusione uulgari perficeret, esset Elixir ad album, quod non est, nec esse potest: quia solummodo perfecta sunt. Quod si illa perfectio esset commiscibilis imperfectis, non perficeretur imperfectum cum perfectis, sed potius eorum perfectio cum imperfectis diminueretur, & imperfecta fieret. Sed si essent plusquàm perfecta, uel in duplo, uel in quaduplo, centuplo, uel ultra, tunc perficerent imperfecta. & quia natura semper operatur simpliciter, perfectio in eis simplex est, & inseparabilis & incommiscibilis * nec arte ad opus abbreviandum ponerentur in lapide pro fermento, & reducerentur tunc in pristinum, quum summa uolatilis superat summam fixi. & quia aurum est corpus perfectum ex argento uiuo rubeo, claroque, & ex tali sulfure, ideo non eligimus ipsum pro materia lapidis ad Elixir rubeum, eo quod ita simpliciter est perfectum sine mundificatione ingentiosa, & tam fortiter digestum & coctum naturali caliditate, quod cum igne nostro artificiali, uix in aurum & argentum operari ualeamus. & quauis natura aliquid perficiat, tamen intimè mundificare, seu perficere ac purificare ignorat: quia simpliciter operatur super illud, quod habet. Quare

*Suspicio hinc
aliquid de-
siderari.*

si eligeremus aurum uel argentum pro materia lapidis, uix aut difficulter inueniremus ignem in eis agentem. Et licet non ignoremus ignem, tamen ad intimam sui mundificationem & perfectionem peruenire non possemus, propter sui fortissimam compactionem & compositionem naturalem. Quare excusamur à receptione primi ad rubeum, & secundi ad album, cum inueniamus rem, uel corpus aliquod, ex tam mundo, uel mundiore sulfure, & argento uiuo, super quod natura parum, uel minimum est operata: quod cum igne nostro artificiali, & experientia artis nostræ ad congruam sui mundificationem, colorationem & fixationem, cum ingenioso nostro opere super hoc continuato, ualemus peruenire. Eligenda est ergo materia, in qua est argentum uiuum, mundum, purum, clarum, album & rubeum, non ad complementum perductum, sed cōmixtum æqualiter, & proportionabiliter per modum debiti cum sulfure tali, & in massam solidam congelata, ut cum ingenio & prudentia nostra, igneque nostro artificiali ad mundiciem sui intimam, & ad ipsorum puritatem peruenire possimus, & talem efficere, quod ipsa post operis complementum sit millies millesies fortior & perfectior, quàm ipsa corpora simplicia, caliditate naturali decocta. Hactenus Bacho.

Hæc uerba ex tractatu quodam Auicennæ deprompta fuere, sed ab eo quidem deprompta, germanus Auicennæ sensus, omnino inuersus, & deprauatus fuit. Aic enim Auicenna, Aurum & argentum metalla esse perfecta, quæ si sola liquationis cōmixtione perficerent imperfecta metalla, aurum esset reuera & actu Elixir ad rubeum, & argentum ad album, quod non sunt, inquit, cum ignobilia sibi per liquationem cōmixta non nobilitent, nec esse possunt, nisi artis beneficio de potentia in actum reuocentur. Nam si ignobilia metalla per liquationem cum auro & argento misceantur, non idcirco euadunt perfecta: quia horum duorum nobilium metallorum perfectio simplex est. At si eorum perfectio simplex intenderetur, tunc certè nobilitarent ignobilia. Proinde cum in eis solis, inquit, natura perfectionem auspicata sit, & nos methodum nouerimus, qua ad sublimiorem perfectionis gradum possint promoueri, idcirco hæc duo eligimus, tãquam Elixiri conficiendo propinquiora. Nihil enim est in tota mineralium natura, in quo adeo munda sit sulfuris & Mercurij substantia, ac in Sole & Luna. Itaque nulla res est, inquit, cuius beneficio subleuemur ab usu & receptione auri ad Elixir rubeum conficiendum, & argenti ad album. Hæc est Summa uerborum Auicennæ: hic autem Bacho, aut alius quispiam sub nomine Bachonis, uel insciscia ductus, uel inuido aliquo spiritu exagitatus, sententiam Auicennæ deprauauit, & penitus subuertit. Et ita deprauauit, ut qui uerba Auicennæ, cum uerbis istius contulerit, facile intelligat, hunc de industria id egisse. Nam ubi Auicenna sic ait: Ex quia aurum est corpus perfectum ex argento uiuo rubeo claroque, & ex tali sulfure: ideo nos eligimus ipsum pro materia lapidis ad rubeum, hic sic inuertit: Ideo non eligimus ipsum pro materia lapidis rubei. Ex quo unico loco quilibet sanx mentis facile colligere potest, quàm fuerit sepeliendæ ueritatis studiosus. Qui, ut prauæ suæ opinioni fidem conciliaret, ait aurum & argentum ita esse à natura decocta, ut nos ignem non habeamus, quo in ea agere possimus propter nimiam sui compactionem. Quod quàm mendosum sit, ipsa docet experientia. Philosophi enim nullam aliam actionem auro uel argento inferre moluntur, nisi ut ea per solutionem attenuent, & ex corporea illa natura in conditionem uertant spirituales. Quod fieri posse, non solum ueteres philosophi testantur, sed etiam quotidiana fidem facit experientia. Nam plerique huius artis scrutatores, singulis diebus experiuntur, aurum & argentum in Mercurium reuocari, nec solum in Mercurium, sed etiam in liquorem tenuissimum, & merè spirituales, qui liquor in igne repperato retentus chamæleontè agit, innumeros induendo & exuendo colores. Quod cum ita sit, mendosè hic scripsit, nos ignem non habere, quo aurum & arg. exerceamus. Proinde cum se hac in parte aperte mentiri sentiret, ut mendacissimum

suum tegeret, adiecit. Et licet ignē non ignoremus, tamen ad intīmā suī mūdi-
ficationem peruenire nunquā possemus. Vide quāso, lector, quomodo recidat
in Syllam, cupiens uitare Charybdim. Vide, inquam, quomodo in grauiorē erro-
rem delabatur. Demiror certē, quid somniaret iste, cum nos ad intīmā auri & arg.
mundificationē peruenire non posse, scriberet: præsertim cum ab omnibus pro-
batis huius artis authoribus audierit, hæc duo metalla (& maximē aurum) in inti-
mis suis uisceribus munda esse. Quod si ita est, quid quāso egent mundatione? so-
la enim sordida, polluta, & coinquinata egent mundatione. Quod si hæc impol-
luta sunt, tam in occulto, quā in profundo (alioqui enim non essent reuera per-
fecta, sed tantūmodo fucata) quid quāso tibi uoluisti, Bacho, cum scriberes nos
ad intīmā horum duorum nobilium metallorū mundificationem peruenire non
posse? Video quid te deceperit. Legebas apud philosophos, nos solo igne ad in-
timam metallorū mundificationem peruenire non posse. At cum philosophi hoc
scribunt, non agunt de auro uel arg. quæ iam munda sunt, sed agunt de Saturno,
Ioue, Venere, & Marte, quæ nō solum externa, sed etiam intima, & inossata labor-
rant immundicie, quæ immundicies cum sit eis ingenita, adeo intimis eorum insi-
det medullis, ut radicitus extirpari non possit, nisi aduentu medicinæ tertij ordi-
nis, ut ait Geber cap. 80. Proinde abuteris hac authoritate, dum eam in aurū & ar-
gentum retorques, quæ si intima, ut tu uis, immundicie laborarent, falsō à philoso-
phis dicerentur munda, nobilia & perfecta. Sed longē grauius & à ueritate mul-
to magis alienū est, quod postea subiungis: sic enim scribis. Quare cum inuenia-
mus aliquod corpus cōpositum ex tam mundo, uel etiā mūdiorē sulfure & Mer-
curio, quā sit aurū uel argentū, super quod natura parū, uel minimū est operata:
ideo excusamur à receptione auri ad rubeū, & arg. ad albū. Age quæso, Bacho,
quodnam erit illud corpus metallicū à natura parum elaboratū, quod æquē mun-
do, aut mūdiorē, ut tu nugaris, præditū sit arg. uiuo & sulfure, quā aurū aut ar-
gentum? Erit ne Mars? minimē certē, ut ex tuo cōstat testimonio: sic enim cap. 2.
de Marte scribis. Ferrū est corpus immundum, & imperfectū, ex arg. uiuo impu-
ro, nimis fixo, terrestri, adurente, albo, & rubeo, non claro, & ex simili sulfure ge-
neratum, & deficit ei fusio, puritas, & pondus, & nimis habet de sulfure fixo im-
mundo. Cum igitur non sit Mars, erit ne Venus? minimē: sic enim de Venere scri-
bis. Cuprum est corpus immundum, & imperfectum ex arg. uiuo impuro, nō fi-
xo, terrestri, adurente, rubeo, non claro, & ex simili sulfure generatum, & deficit
ei puritas, & fixatio cum pondere, habetq; nimis de colore impuro & terreatate
non adurente. Cum igitur, ut tu ipse testaris, nec sit Mars, nec Venus, necesse est,
ut sit Iupiter, aut Saturnus. At non est Saturnus, quem tu ipse testaris esse corpus
immundum, ex arg. uiuo immundo, & simili sulfure genitum. Superest igitur ut
sit Iupiter, quem tu ipse testaris esse corpus mundum, ex arg. uiuo mundo, & si-
mili sulfure procreatū, & solamei deesse decoctionē. Sed falleris uir bone, & toto
cælo aberras, si Iouis substantiam substantia auri & arg. puriorē, & magis mun-
dam esse, persuasum habes. Nam cum tuo ipsius testimonio aurum & argen. sint
corpora munda, oporteret Iouē mundum esse, priusquā his duobus mūdior dici
possit. Cuicunq; enim posituius gradus accōmodari nō potest, minus ei quadra-
bit cōparatiuus. At quod Iupiter mundus non sit, testis erit Geber: cuius authori-
tati philosophi tantum detulerūt, ut ipsum magistrorū magistrum nuncuparint:
cuius hæc sunt uerba cap. 35. sup. Summæ. Iouis ergo traditione non omissa signi-
ficamus filijs doctrinæ, quod est corpus metallicū, album, non purū, liuidum, &c.
Et eodem cap. sic ait: Induratur uerō & mundatur facilius, quā Saturnus, quod
si facilius mundatur, ergo immundus necessariō habendus, sola enim immunda
mundantur. Audiuiisti Iouem immundum seu impurū esse, audi iterum Gebrū,
cap. 65. testantem, Iouem ex arg. uiuo impuro esse procreatum: cuius hæc sunt uer-
ba. Hac igitur inuestigatione proposita, nostrum propositū sequētes, innuimus,

quod si sulfur fuerit in radice cōmitionis, pauca fixione participans, album albedine non pura, non superans sed superatum, cum arg. uiuo secundum partem fixo, partim uero non fixo, albo, non puro, cōmistum, sequetur ex eo stannum. Quod si his duobus locis non es contentus, consule adhuc Gebrium cap. 2. libri de Inuestigatione, id apertius testantem, ubi ait: Causam corruptionis metallorū effectricem, esse substantiam impuram arg. uiui & sulfuris, sine proportionē debita cōmistam, uel minus decoctam in uisceribus terræ immundæ, nec rectè inspissatam, nec fixam, humiditatem habentem cōbustibilem, & corrumpentē, & raræ substantiæ, & porosæ, uel habentem fusionem sine ignitione debita, uel nullam, nec patientem malleum sufficienter. Quam substantiam arg. uiui & sulfuris immundam, & ita corruptam, affirmat inesse his quatuor metallis, uidelicet stannum, plumbo, cupro, & ferro. Quæ Gebri testimonia cum sint uera, mēdosam esse oportet Bachonis opinionem. Sed insurget forsā aliquis fautor Bachonis, & dicet ioui, licet externa sordicie laboranti, hanc tamen intimam non esse, ideoq; eam præparatione aboleri, & tandem mundissimū & defæcatissimum euadere posse. Ego uero contendam, & iouem, & Venerem, & Saturnum, & Martē non solum externa, & aduentitias, sed etiam intima, intercurrē, & penitus inossata lepra laborare, quæ omnino deleri non possit, citra beneficium medicinæ tertij ordinis. Obijciat mihi auctoritatem Gebri cap. ultimo libri de Inuestigatione scriptam: cuius hæc sunt uerba.

G E B R.

Considerauimus inuestigatione nostra perfectorum materiā cum forma à radice suæ cōmitionis usq; ad cōplementum, puram esse, sine corruptione aliqua superuenienti. considerauimus etiam à contrario sensu imperfectorū & perfectorum, substantiam unam ubiq; esse, scilicet arg. uiuum & sulfur, quæ ante cōmitionem suam pura sunt, & munda. Et per hanc considerationem per nostrum exercitium inuenimus, corruptionem imperfectorū accidentaliter superuenisse, quæ materiæ nouam & corruptam dedit formam. Nam cum corpora imperfecta per nostram experientiam & per ingenium nostrum uidimus præparata, & munda ab omni superflua corruptione, & immunditia fugitiua, seu terrestri liberata, inuenimus ipsa maioris claritatis, & fulgoris seu puritatis, quàm ipsa corpora naturaliter perfecta. Proinde dicet aliquis: si hæc corruptio præparatione deleri potest, si, inquam, per præparationem mundiora & splendidiora efficiuntur, quàm sint corpora naturaliter perfecta, hinc uel maxime constat, hanc metallorum ignobilium immunditiæ aduentitiā esse, & deleri sola præparatione posse. Hic certè ardua & difficilis insurgit quæstio, dabit tamen Deus opt. max. ut inde pedem incolumes referamus. Proinde ut hanc difficultatē soluamus, hoc dilemmate utemur, aut à Gebro hoc nunquā scriptum, sed ab aliquo alio sub nomine Gebri, aut à Gebro ueritatis inuestigatore & nondum experto, aut per præparationē (qua asserit imperfecta euadere ipsis perfectis splendidiora) intelligēdam & interpretandam esse medicinā ignobilia nobilitantē, id est medicinam tertij ordinis, non aut præparationem aliquam uulgarē. Quam ultimā dilemmatis partem, si quis probat (probabit autē quilibet sanæ mentis) ego certè libenter assentior: didici enim ex Arnolde, Raymundo, & reliquis huius artis doctoribus peritis, aurum seu argentū, beneficio Elixiris ex metallis ignobilibus generatū, & uiribus, & splendore, nobilius & generosius esse auro minerali. Quod si quis hanc præparationis interpretationē non probat, ex duobus alterū mihi cedit, aut Gebrium hæc uerba scripsisse, aut non. Si uult à Gebro id scriptū, & nō cōcedat, præparationē modo supradictō interpretādam, coget denuo ex duobus alterū mihi cōcedere, scilicet aut à Gebro experto, aut à Gebro nondum experto id scriptū fuisse. Si uult à Gebro experto id dictū, profectō faciā tandem, ut sentiat præparationem, ut suprà docui, exponendam esse, aut cōuincam, à Gebro nondum experto

perto fuisse scriptum. Quòd aut à Gebro nòdum experto, id dictum fuerit, si per præparationem non intelligas medicinā tertij ordinis, sic docebo. Scripsit Geber cap. 1. suæ Summæ, omnium librorū suorum summam ibi coaceruatam & accumulata esse. Vnde & Summæ nomen ei libro imposuit. At etiam in ultimo cap. libri de Inuestigatione, se scripsisse in Summa, eæ quæ digitis extraxerat, & oculis uiderat, & manibus tetigerat. Scribit etiam cap. 15. Summæ, hanc artē ueram esse, quam se uidisse, & ueritatem assequutum esse scribit: unde satis constat, Summam à Gebro experto fuisse scriptā. Itaq; si liber Inuestigationis ab eodem experto scriptus esset, oporteret Gebrū in ambobus idem sentire, & sibi similem esse. At nisi per præparationē in ultimo cap. libri de Inuestigatione, interpreteris medicinā tertij ordinis, facillè deprehendes Gebrū aliter sentire in Summa, quàm in lib. Inuestigationis. Cuius hæc sunt uerba cap. 69. suæ Summæ.

G E B E R.

Saturni uerò & similiter iouis essentiz multiplex adhibetur præparatio, secundum multiplicem ipsorū ad perfectionē approximationis, aut elongationis ab ea gradum. Cum sit igitur aliud ex corruptentibus, illorū profundo adueniens, & ipsorum naturæ radicitus innatū, sulfureitatis scilicet terreitas atq; impuritas terræ arg. uiui, illorum essentiz, in principijs creationis cōmissa: aliud uerò superueniens post primā eorum mitionem, & corruptionē adducens, & huius generis sunt sulfureitas cōburens, & illius impuritas, & arg. uiui fœda substantia, quæ omnia sunt Saturni & iouis substantiā corrūpentia. Sed horum quidem alterum, (scilicet primū) impossibile est remoueri, per alicuius medicinæ primi ordinis industriam. Alterum uerò paruo adminiculo remoueri cōtingit. illud quidem remoueri impossibile est, propterea quòd prima illa corrūpentia in principijs naturæ propriæ horum corporū in ueram essentiam cōmissa fuerūt, & uera essentia facta sunt. ideoq; cum non sit possibile, ueram rei cuiusq; in natura remouere essentiam, re ipsa permanente, non fuit possibile ab eis hæc corrūpentia delere. Quamobrem quidam philosophi putauerunt, hanc ob causam ad finē artis optatum perueniri non posse. Et nos quidem, nostro tempore hanc inquirentes scientiam, peruenimus ad hoc idem, quòd similiter nullo, quantumuis ingenioso, præparationis modo potuimus, corpora (subaudi ignobilia) illustrare cum complemento sui fulgoris lucidi, quin cōtingeret illa ex toto infici, & penitus denigrari.

Quæ uerba quantum aduersentur ultimo cap. libri Inuestigationis, nemo est, qui non uideat. Proinde cum Geber non nisi expertus Summam scripserit, colligendum est librum Inuestigationis ex officina Gebri non prodixisse, aut à Gebro in experto editū, aut saltem præparationē in libro Inuestigationis, modo super dicto esse interpretandam, cum hi duo loci alloqui ex diametro pugnent, & nulla alia ratione conciliari possint. Atqui Geber cap. 70. suæ Summæ, suum agnoscit librum Inuestigationis, & cap. 1. libri Inuestigationis, testatur Summam à se prius fuisse scriptam. Proinde cum uterq; à Gebro experto scriptus fuerit, cogimur necessariò admittere, præparationē in ultimo cap. libri Inuestigationis pro medicina tertij ordinis interpretandam esse. Cum enim omnis præparatio ignobilium metallorū, aut fiat per adhibitā medicinā, aut sine medicina, oportet eam præparationē, qua imperfecta corpora perfectis euadere splendidiora, in lib. Inuestigationis scribit, harū duarum alterā esse. sed non est ea, quæ fit citra medicinam: igitur erit illa, quæ fit beneficio medicinæ adhibitæ. Quòd non sit ea, quæ fit citra medicinā, hinc patet. Omnis præparatio imperfectorū, quæ fit citra medicinā, teste Gebro, aut est eorū in calcem reductio, & calcis ablutio & descensio, aut est calcis in aquā resolutio, & calcis solutæ cōgelatio, & in massam solidam reductio, aut calcis cum spiritu aliquo eleuatio, aut eorū cum arg. uiuo mistorū ablutio, & abstersio, aut limaturæ eorū cum sale, uel alumine, uel uitro mixtæ descensio. Atqui nulla harū præparationū per se, nec omnes in unū cumulū reductæ æquare

possunt ignobilia metalla auro & argento in claritate, splendore, seu puritate: quia Geber peractis his omnibus preparationibus, componit eis medicinas: quarum beneficio ad splendorem & puritatem auri uel argenti promoueantur. Quod agendum non esset, si antedictis preparationibus id obtinuissent. Bene enim ualentibus, non opus est medico, nec etiam medicina. Quocirca cum per preparationes, quæ fiunt citra medicinam id obtineri non possit, superest ut fiat per preparationem, quæ fit per medicinam adhibitam. Atqui omnis preparatio, quæ fit per medicinam, teste Gebro cap. 76. suæ Summæ, Aut est preparatio medicinarum primi, aut secundi, aut tertij ordinis. Itaque oportet preparationem illam, de qua Geber agit, in ultimo cap. libri Inuestigationis, harum trium aliquam esse. Atqui non est preparatio medicinarum primi ordinis, ut Geber testatur, cap. 69. his uerbis. Sed horum (corrumpendum subaudi) alterum impossibile est remoueri per alicuius medicinarum primi ordinis industriam, quod etiam patet ex diffinitione medicinarum primi ordinis, quam Geber cap. 76. sic describit. Dico autem primi ordinis medicinam, omnem preparationem mineralium, quæ super diminuta à perfectione corpora proiecta, alterationem quidem imprimit, non tamen adducit cõplementum sufficiens, quin contingat alteratum corrumpi & mutari, cum euaporatione impressionis medicinarum illius totali. Proinde cum non sit medicina primi ordinis, oportet, ut sit medicina tertij, aut secundi. Atqui medicina secundi ordinis, id præstare non potest, ut testatur eius diffinitio, quam Geber attulit cap. 76. his uerbis. Secundi uerò ordinis medicinam, dicimus omnem preparationem, quæ quādo super diminuta à perfectione corpora proiecta est, alterat in differentiam aliquam cõplementi, relictis differentijs aliquibus corruptionis omnino. Igitur erit medicina tertij ordinis preparatio illa, qua Geber in lib. Inuestigationis, ait metalla ignobilia maioris effici claritatis, fulgoris, & puritatis, quam sint metalla à natura nobilitata, quod Geber testatur cap. 80. his uerbis. Quia igitur corporum, (ignobiliū subaudi) est aliquid impermutabile, quod in corporum radice innatum est, quod per medicinam secundi ordinis tolli non potest, ideo omnis illa medicina, quæ illud de cõmixto tollit, non secundi, sed tertij & maioris ordinis appellatur medicina: quod etiam constat ex eius diffinitione cap. 76. scripta his uerbis. Medicina tertij ordinis, est illa preparatio, quæ quando corporibus aduenit, omnem corruptionem cum projectione sua tollit, & cum omni cõplemento perficit. Et est ea, ut ait cap. 67. qua durū, mollescit, & molle indurat corpus, & fugituum, figitur, & scedū, illustratur splendore inenarrabili, & eo, qui supra naturam existit. Audis saltem hic Gebrū apertè docentē, metalla ignobilia, beneficio summæ illius medicinarum, euadere splendidiora metallis à natura splendore dotatis, nullamque esse preparationem aut medicinam, quæ id præstare possit, excepta medicina maioris, & tertij ordinis, quæ est Elixir. Itaque duxi se tandem, licet inuitum & nolentem, quò te primò ducere proposuerā. Hoc enim dilemmate initio usus sum, aut locū illum, quem tu mihi obiecasti, à Gebro nondum experto fuisse scriptum, aut si id non est, per preparationem interpretandam ibi esse summam illam philosophorum medicinam, ignobilia metalla nobilitantē. Ex his igitur satis cõstat, louē, Saturnū, Venerem, & Martē, non solum in cute seu in cortice, sed in intimis suis medullis polluta, & coïnquinata esse, & eorū contagionem adeò inoffatam esse, ut nulla preparatione, quantūuis ingeniosa, aboleri possit, nisi eis adhibeatur, maioris & tertij ordinis medicina, id est Elixir. Quòd si nullo alio quam Elixiris beneficio lepra & contagione sua liberari possunt, & Elixir omnium philosophorum testimonio, non nisi ex remundissima confici possit, necesse est, ut mundissima euadant, priusquam ex eis cõfici possit Elixir. Atqui mundissima effici non possunt, citra beneficium summæ medicinarum philosophorum. Igitur antequam ex eis confici queat Elixir, oportet illis adhiberi summam illam medicinam. Sed simul atque illis adhibetur summa illa medicina, illico transeunt in aurum uel argentum,

gentum, ut omnes testantur Alchemiæ authores. Igitur ex metallis imperfectis non potest fieri Elixir, nisi prius in aurum & argentum transmutentur. Quod si ita est, igitur ex auro & argento Elixir confici necesse est. Quibus aptissime quadrat authoritas Platonis, sic dicentis: Corporibus imperfectis, licet interdum uti possis, eis tamen ad Elixir non indiges, cum non possis habere ex ipsis illud quod est maioris temperantiæ & minoris facis. quod si eis uti uolueris: oportet primò, ut conuertas ea in similitudinem duorum aut corporum perfectorum, quod nunquam fiet, donec Sol & Luna, in uno corpore iuncta, projiciantur de super ipsa. Valeat igitur & Bachonis & Braceschi, & reliquorum omnium error, qui Elixir non ex auro & argento, sed ex Ioue, Marte, aut quapiam alia re conficiendum esse opinantur. Sed obstrepet mihi iterum quispiam, & dicit. Philosophi ubique docent aurum & argentum suum, non esse aurum & argentum uulgi. Ideoq; contendet, ex auro & argento, quibus uulgo utimur, Elixir conficiendum non esse. Turbaret me profectò, præ cæteris omnibus hæc obiectio, nisi Arnoldus Villanouanus cap. 38. sui Rosarii minoris, eam apertè enodasset: cuius hæc sunt uerba. Projice ergo unum pondus de ipsa medicina super mille partes Mercurij, uel Luuæ, & fiet Sol melior, quàm Sol de minera productus: quia aurum & argentum Elixiris, excedunt aurum & argentum uulgi, in omnibus suis proprietatibus. Vnde dicunt Philosophi, quod aurum & argentum eorum, non sunt aurum & argentum uulgi: quoniam additur eis additio magna in tinctura, & perseverantia in igne, & in proprietatibus operationum, & multarum utilitatum ad omnem utilitatem expellendam. Ex his Arnoldi uerbis facillimè intelligis, quid sibi uelint Philosophi, cum aurum & argentum suum alia esse dicunt, quàm sint aurum & argentum uulgi. Quæ interpretatio cum non sit mea, sed Arnoldi, uiri hac in arte celeberrimi & fide digni, neminem adeò temerarium fore existimo, qui eam ausit respuere. Nihilominus tamen, ut morosis omnino satisfiat, nos eam obiectionem alio modo diluamus. Dicimus igitur, ubi aurum & argentum, artis beneficio in spiritualem & actiuam naturam redierunt, id est, postquam de potentia ad actum iter fecerunt, tunc philosophica dici, & longè alia esse à uulgaribus. Nam uulgaria, quandiu in naturali suo statu permanent, mortua sunt, id est actionis expertia: quoniam reliqua metalla nobilitare non possunt. At si arte naturæ ministra in actiuam conditionem promoueantur, ita ut eorum potentia sopita excitetur, & in actum prodeat, tunc reliqua omnia mutabunt metalla: & tunc cum libera agendi & mutandi facultate polleant, & potiantur, profectò longè alia sunt, quàm sint illa uulgaria. Vnde non immeritò, tunc dicitur aurum uel argentum Philosophorum, hoc est à Philosophis elaboratum, & ad sublimiorem conditionem euectum, non esse aurum uel argentum uulgi. Quam interpretationem, ne quis contemnat, sciat eam non esse à me confictam, sed esse Aros Philosophi, cuius hæc sunt uerba in libro suo ad regem Nephes. Et est sciendum, inquit, quod in nostro lapide sunt Sol & Luna, in uirtute & potentia, atque etiam in natura: quia si hæc in dicto lapide non essent, non fieret inde Sol, neque Luna. Et tamen ipse Sol in lapide existens non est, sicut Sol communis, nec Luna eodem modo, sicut Luna communis: quia Sol & Luna existentes in dicta confectione, sunt meliores & subtiliores facti, quàm sint manentes in ipsa natura uulgari, cuius hæc est ratio: quia manentes in ipsa natura uulgari, sunt penitus mortui, & nullam exercere possunt actionem: at ubi transierunt in Elixir, tunc potentissimè agunt in reliqua metalla. Hinc itaq; familiarissimè intelligi potest, quid sibi uelint Philosophi, cum dicunt aurum & argentum suum non esse illa uulgaria. Non enim eò id spectat, ut lapidem ex auro & argento formari negent, (si enim hæc in lapide reuera non essent, ut ait Aros, non fieret inde Sol aut Luna, quia si alchemia, ut ait Lullus, aurificaret sine auro, & argëtificaret sine argento, diffinitio principij esset falsa, & aurum non esset principium in ra-

tionem aurificandi, quod est falsum) sed cum à philosophis alterata, & sublimata in cōfectione lapidis fuerunt, tunc longè alia sunt, quàm sint illa uulgaria, in naturali statu permanentia. Proinde falluntur, qui sic ratiocinantur: Aurum & arg. philosophorū non sunt illa uulgaria. Igitur lapis philosophorū, non fit ex auro & arg. uulgari. Id enim ita interpretandum nō est, ut ex Arnoldi & Aros testimonio perspicuū est. Imò si lapis philosophorū ex auro & arg. uulgi non fieret, sed ex aliquo alio auro uulgo ignoto, oporteret aurum illud ab specie & forma substantiali auri uulgaris alienū esse. Nam si esset eiusdem speciei, esset eiusdem formæ substantialis (cum unius speciei sit unica differentia specifica) & per consequens esset idem cum auro uulgari. Quod si non est idem cum auro uulgari, igitur erit alienum à forma & specie auri uulgaris. Atqui diuersarum substantialium formarū diuersæ & dissimiles sunt informationes (quia species à speciem non differt, nisi à ratione suæ formæ). Igitur huius auri, quod tu ais alienū esse à forma auri uulgaris, diuersa erit informatio, hoc est, aurū eius actione ex metallis imperfectis, in proiectione generatū, nullā habebit cōformitatē cum auro uulgari. Sin secus, oporteret necessariò eos fateri, easdē proprietates in specie manare à diuersis formis, qđ certè est impossibile. Quod si ita est, pfectō homines ipsum pro auro nō agnoscēt, & nullius erit apud eos pretij. Itaq; si uulgus eo nō utat in pretijs rerū pro auro simili minerali, si homines ipsum pro auro nō habeāt, & agnoscāt, quis erit usus eius; quæ nā esset eius utilitas? Facebant igitur huiusmodi cauillationes, & auri effectricē formā ex solo auro uulgari, argenteā ex solo arg. cōmuni, effodiendā esse, indubiè credamus. Et cū solius formæ essentialis auri propriū sit, aurū efficere, (forma enim est illa, quæ dat esse rei) pfectō inde perspicuum est Elixir aurificū ex auro, argentificū ex argento, conficiendum esse necessariò. Quod ut omnes facillimè intelligāt, & dehinc nullus impostor eos fallere possit, ego hac sequenti ratiocinatione id apertissimum reddam, fauente Diuina maiestate.

CAPVT VI.

Eorum, quæ ex elementis, pfectè mixtis, generata sunt, alia animalia, alia uegetabilia, alia mineralia sunt. Proinde expendamus primū, num ex uegetabilibus, aut animantibus fieri possit hæc gēma philosophica, ignobilia metalla in aurū mutans, uel in arg. Quod ut exactissimè discutiamus, utendū est regula Lydia, hoc est, principio aliquo philosophico, quo duce falli & errore non possumus. Philosophi autē inter cetera unicū nobis reliquerunt, quo duce nūquam falli poterimus, scilicet extrema lapidis philosophici, altera ex parte esse arg. uiuum & sulfur, altera ex parte esse ipsum Elixir, & horum duorum extremorum media esse metalla. Hoc autem nobis scriptum reliquerunt, ut intelligamus, quænam sint propinquissima huius artis principia ad Elixiris cōfectionem. Etenim quia hæc est perpetua & inuiolabilis lex naturæ, ut ab extremo, à quo fit motus & progressus, nihil promoueri possit ad extremum, ad quod tendit & refertur motus, nisi per interiecta media; Hinc admonemur, nihil posse ad Elixiris formam peruenire, etiamsi sulfuris & arg. uiui naturam conceperit, nisi interiectam inter hæc duo extrema metalli formam subeat, & experiatur: ueluti binarius numerus in quaternariū mutari non potest, nisi primò subeat ternariū. Et quemadmodum nihil potest Elixiris formam cōcipere, quin prius metallum euaserit, & nihil potest fieri metallum, nisi primò sulfuris & arg. uiui naturā conceperit, quæ sunt metallorū generandorum principia: ita nihil potest sulfuris & arg. uiui naturam cōcepisse, quin reuera sit minerale. Itaq; cum uegetabilia & animalia à mineralium catalogo sint aliena, ut Elixiris naturā obtinere queant, oportet primò, ut mineralia euadāt, & ubi mineralia euaserint, necesse est, ut sulfuris & arg. uiui naturam induant, & in proximam atq; immediatā metallorū materiā uertantur: quo ubi peruenerint oportet, ut ad metallicā formā promoueātur, & ubi metalli formā obtinuerint, tunc in Elixir mutari poterūt. Ars autē hoc præstare non potest,

potest, & huic negotio obeundo, id est generandis metallorū principijs, se imparē esse agnoscit, & profitetur. Vnde Geber cap. 24. suz Summæ, de Supponētibz artem in uegetabilibus sic ait. Possibile quidem ponunt naturæ, sed non sibi: licet enim eorū uita, inquit, in centenas annorū myriades protendatur: citius tamen operi succumbent, & labori suscepto supersedebunt, quā extremā coronidem operi imponere queant. In quorū derisionem Richardus Anglicus cap. 10. sui Correctorij, sic scribit. Quare fatui sunt, qui tot, & tam diuersa negotia, & sophisticationes ad decipiendum homines adducunt, scilicet secundinas, restas ouorū, crines, sanguinem rufi hominis, basiliscum, uermes, bufones, herbas, stercus humanū, & sic de infinitis generibus stercoreū, uolentes cum pessimis optima conficere, & naturæ defectum cum his adimplere, & stercus seminando, triticum metere, quod est impossibile. Nam quæ seminauerit homo, hæc & metet. Ergo si stercus seminat, stercus etiam metet. Quare non mirū, inquit, si nullus eorū cum tali stercore perficit. At insurget quispiā, & dicet: Si neq; ex uegetabilibus, neq; ex animalibus Elixir confici potest, quo pacto uera & probanda erunt eorū philosophorū scripta, qui lapidem philosophicū in omni loco, & in qualibet re esse scribunt? Possem ego cum multis respondere, hoc à philosophis per analogiā, & similitudinē quandā dictum esse, eo quod lapis philosophorum per similitudinē habeat quandam affinitatē cum omni re uegetabili, animali & minerali: quæ admodū homo cum omnibus rebus analogiā quandam habet: unde & ἡ ἀναλογία à philosophis dictus est. Et si hanc adferrem solutionē, nihil profecto alienum à ueritate adferre. res enim ita habet, & multi philosophorū hanc difficultatē hoc responso enodarunt. Sed quoniā ego aliam, multo magis ueritati cōsentaneam, huiusmodi solutionē ex Lullo, uiro hac in arte singulari & stupendo didici, malo eam adferre, quā superiorē. Quæ ut ab omnibus familiariter intelligi possit, sciendum est, omniū philosophorum testimonio, tres esse Elixiris partes, scilicet animā, corpus, & spiritum. Anima nihil aliud est, quā fermentū uel forma Elixiris. Corpus est pasta, seu materia. quæ duæ partes ex solis metallis depromendæ sunt, utpote forma ex Sole & Luna, materia ex Saturno, Ioue, Venere, & Marte, ut superius ex Lullo indicauimus. Tertia uerò pars lapidis, est spiritus, qui cū sit sedes, & uehiculum animæ, animā corpori infundit, & hæc duo extrema, indissolubili cōfœderationis uinculo cōponit, & copulat: quo mediatore sublato, anima cum corpore nunquā cōfœdus inire posset. Etenim non bene cōueniunt, nec in una sede morantur duo extrema, nisi beneficio alicuius mediij cōciliantur, & cōfœderentur. hic spiritus nihil aliud est, quā liquor ille, formā & materiam lapidis attenuans, & in spiritualement naturā reuocans: qui spiritus, interdum à philosophis cælum, interdum Mercurius solutiū, interdum menstruū, interdum azoch, interdum quinta Essentia, & innumeris alijs nominibus nuncupat. Hunc spiritum Lullus in tertia Distinct. de quinta Essentia, cap. de Modo extrahendi Mercuriū nostrū, testat ex omni re elemētari, tam uegetabili, q̃ animali, atq; etiam minerali posse depromi. Sed inter ea, inquit, nōnulla sunt adeò remota ab arte, ut unius hominis uita huius spiritus extractioni nō satis sit: alia uerò adeò sunt propinqua arti, ut in tra paucos menses, hic spiritus ab eis obtineri possit. Quod si hic spiritus ex animalibus eliciat, tunc, inquit, cap. ultimo eiusdem tertiæ Distinctionis, animalis nominatur: si ex uegetabilibus uegetabilis, ex mineralibus uerò mineralis. Et si in Elixiris confectioe spiritus animalis assumatur, tunc lapis animalis dicitur: si spiritus fuerit uegetabilis, & lapis nuncupabitur uegetabilis: si aut mineralis fuerit, & lapis à minerali spiritu, mineralis denominationē suscipiet. Et hoc est, quod philosophi sibi uolunt, cum triplicē faciūt lapidem, scilicet animale, uegetabile, & minerale. Quā ego cognitionem nō Gebro, nō Arnoldo, non Rasi, non Alberto, sed soli Lullo acceptā fero. Ex alijs enim nunquā intelligere potui, quid sibi uellet lapis animalis, quid uegetabilis, aut quid mineralis. Arnoldus

enim & plerique alij, quibus solus lapis mineralis notus fuit, & familiaris, cum nullam aliam Elixiris conficiendi uiam notam haberent, uiolentam interpretationem huic loco attulerunt, & docuerunt dici mineralem, quod re uera ex mineralibus lapis conficiatur, animale uero, eo quod animam, id est tincturam habeat, uegetabilem autem, quod more uegetabilium uirtus eius crescat, & propagetur. Sed hæc interpretatio coacta est, & uiolenta, ut ex Lullo infinitis in locis patet. Quæ aut ratio impulerit olim philosophos, ad spiritum laudis à uegetabilibus, & animalibus mutuandum: ego eam, ut à Lullo didici, edocebo. Per multi philosophorum, quibus non tanta fuit ignobilium metallorum in aurum & arg. uertendorum cura, quanta incolumitatis corporis humani fouendæ & instaurandæ, cum sciret aurum miris uirtutibus ad conseruandam incolumitatem, & adzquandos humores, à natura esse donatum, & experirentur, aurum cum a. u. arg. uiui, & aliorum mineralium liquatū, perniciosissimam toxici naturam concipere, existimarunt se rem magnam assequuturos, si ex animalibus, aut uegetabilibus salubribus aquas educere possent, cum quibus aurum in liquorem potabilem, cum conseruatione naturæ suæ saluberrimæ, redigi posset. Quod tādē sunt assequuti, & hoc modo aurum in liquorem saluberrimū, & ad cōseruandam humani corporis incolumitatem utilissimum redegerunt, quem liquorē uulgus chymistarū, aurum potabile nuncupat. Et cum aurū hac uia in liquorē reuocassent, periculum fecerunt, num hic liquor aureus ad transmutationem metallorū aliquid posset. Et hac experientia cognouerunt, Elixir aureum & argenteū non minus fieri posse cum spiritu animali, aut uegetabili, quàm cum minerali. Hoc tantū inter eos spiritus discrimen esse docuerūt, quod metalla actione spiritus animalis, aut uegetabilis liquata, in sulfur seu terram foliatā sublimari non possunt, nisi eis addatur arg. uiuū minerale. Potest aut ex metallis, etiam si hoc modo non sublimentur, Elixir confici. Nam reductio metallorū in terram foliatā nō est semper necessaria, ut ait Lullus in ultimo suo Testamento. Inter Elixir uero animale, uegetabile, & minerale, hoc interest, ut docet Lullus in Epistola sua accurtatoria: quia minerale conficitur cum aqua quadam minerali, quæ adeo perniciosa est, ut interius sumpta, omnia uiscera corrodatur & presentaneā mortē adferat. Vnde fit ut aurum alchymicum, quod fit ex corrosiuis, hoc est, quod fit per projectionem lapidis mineralis, sit corpori humano perniciosissimū. Quò fit, ut Ioannes de Rupefissa, in confectione auri potabilis moneat, eligendū esse aurū Dei, ut ille uocat, id est, aurū à natura in mineris genitū. In animali aut, inquit, interdum est summa medicina corporibus humanis, ut si spiritus ex sanguine humano extrahatur aut ex melle. In uegetabili aut lapide, ipse spiritus quintæ Essentiæ, est restitutio iuuetutis, & cōseruatio corporis humani, ab omni accidentali corruptione, & aurū per projectionē lapidis uegetabilis: constat, inquit, uirtute bonitatis uincit, & superat ipsum aurū naturale, propter quintā Essentiā uegetabilem, de qua lapis imprægnatur, quæ in mundo infinita mirabilia facit. Hæc aqua uegetabilis, est diuinū & celeste illud menstruum, quod ubiq; Lullus prædicat, & cum quo aurū & argentū liquantur, sub conseruatione naturæ suæ saluberrimæ, qua spoliatur, quotiescunq; cum spiritibus mineralium colliquatur. Vnde & Lullus, hanc aquā uegetabilem intelligit, ubicunq; ait, aurum & arg. liquanda esse cum rebus sui generis: Licet enim hæc aqua aliena sit à genere auri, si naturam metallicam spectes, in hoc tamē cū auro symbolū habet, & affinitatē, quod nō minus quàm aurū corpori humano sit salubris. Nec est quòd quisquā eam uegetabilē diei cauilletur, eo solo nomine quòd metalla eius actione quodāmodo uegetetur: sed etiā, ut ait Lullus in libello Lucis Mercuriorū, quia ex uegetabilibus depromitur. Spiritus enim lapidis, teste Lullo ex qualibet re elementari, siue animali, seu uegetabili, seu minerali elici potest. Non me latet Aureliū Augurellum in primo & secundo libro suæ Chrysopœiæ, huic opinioni fidem detrahere. Scio etiā Ianum Lacinīū Calabrum, ab hac interpretatione



interpretatione abhorrere, & alienum esse. Sed Augurellus, licet alloqui doctus fuerit, nunquam tamen Lullii scripta intellexit. Nec miror, si id Augurellum lauerit, cum uideam Arnaldo Villanouano, uiro in hac re uersatissimo, lapidem uegetabilem nunquam innotuisse. Lacinus, licet uir doctus sit, non est quod miretur, si id hactenus non norit, homines enim sumus, & falli interdum possumus. Quod si is hanc rem paulò accuratius ex uerbis Lullii expenderit, scio cum hac in re suffragatorem mihi futurum. Nam cum menstruum minerale, nihil aliud præstare queat, quàm metalla à corporea, & densa illa conditione auocare, & ad spiritualem naturam reducere, cumq; metalla in spiritum uersa sint Elixir, certè cum menstruum animale & uegetabile, eandem metallorum in spiritum reductionem, teste ipsa experientia, præstare possint, nemini mirum uideri debet, si beneficio menstrui uegetabilis, & animalis, metalla in Elixir mutantur. Hoc tantum lectorem monitum uelim, inter uegetabilia uiti, inter animalia api, inter mineralia argento uiuo primatum deferri.

Sed ut ad rem, unde digressi sumus, redeamus; diluenda nobis est paucis superior illa obiectio, qua quærebatur: quomodo interpretanda essent uerba philosophorum, ubi aiunt lapidem suum in omni loco & in omni re inueniri. Cui quæstioni ut satisfaciamus, dicimus cum Lullo tres esse partes lapidis, corpus, animam, & spiritum. Et quoniam spiritus, est pars lapidis, imò ea pars, quæ toti lapidi nomen imponit, & cuius beneficio reliquæ duæ partes copulantur, cum hic spiritus in omni re tam uegetabili, quàm animali, & minerali reperitur, & in omni loco inueniri possit aliquod uegetabile, animale, aut minerale: idcirco philosophi lapidem suum in omni loco, & in omni re reperiri scripserunt. Vnde satis perspicuum est, quàm præposterè utantur hac authoritate ij omnes, qui inde colligunt lapidis formam, seu tincturam, ex omni re elici posse, cum certo certius sit Elixiris aurifici formam ex solo auro, argentifici ex solo argento effodiendam esse. Sed insurget iterum quispiam, & dicet. Philosophi sæpissime utuntur oleis, tam albis, quàm rubeis, ex felle taurino, ex albumine, & uitellis ouorum, imò & ex ipsis capillis humanis expressis, & uidentur in huiusmodi rebus tincturam auream, & argenteam uenari. Fateor ego huiusmodi rebus inesse nonnullam tincturam: experimur enim fumum capillorum humanorū, suspensam argenti bracteam colore quodam citrino inficere. uidemus æs ignitum, sæpius in oleo tartari submersum, candorem quendam argenteū concipere. Sed hæc tincturæ cum minerales non sint, & per consequens nec metallicæ, cum etiam in igne pereant, & absumantur, non sunt illæ, quas philosophi uenantur. At si eas in his rebus non quærunt philosophi, quorsum igitur huiusmodi rebus in Elixiris suis utuntur? Dicam ego quod sentio, imò quod res ipsa habet. Permulti philosophorum Arabum, postquam medicinas suas confecerant, ut eis ingressum, & penetrandæ acumen conciliarent, imbuebant, seu incerbant (ut artis uocabulo utar) eas medicinas huiusmodi oleis ex animalibus expressis, non eum in finem ut tingerent, sed ut penetrarent corpora transmutanda, & instar ceræ liquari possent, unde & eam operationem uocant incerationem. Quod testatur Geber (qui in ea aliquando fuit opinione, licet tandem resipuerit) cap. 23. libri sui, de Inuentione ueritatis inscripti, cuius hæc sunt uerba. Non dico, quòd hæc olea dent humiditatem radicalem mineralem, sed saluant tincturam à cōbustione donec ingrediatur, & postea fugiunt in expressione ignis, ut alibi à nobis narratum est. Hactenus igitur manifestè constat, formam auri uel arg. effectricem, neq; ex uegetabilibus, neq; ex animalibus eliciendam esse. Quod cum ita sit, superest, ut ex solis mineralibus eliciat. Sed quoniam tres sunt mineralium classes, tribus & species: nempe mineralia lapidea (ut sunt gēme & saxa omnia) præterea media seu minora mineralia (è quorū numero sunt sulfur, arsenicū, arg. uiuū, talch, atramēta, sales, alumina, tutia, antimonium, & reliqua omnia marchasitarū genera) postremo ipsa metalla, idcirco uidendum est

primò, num ex gemmīs, aut quibusvis alijs corporibus lapideis elici possit hæc forma Elixiris aurei, uel argentei.

CAPVT VII.

QUod facile assequemur & intelligemus si ea rationis trutina hīc utamur, qua in librādis & expēdendis uegetabilibus & animalibus usi sumus. hæc enim adeò certa est, ut falli nos nunquam patiatur. hæc est regula illa Lydiā, circinū ille geometricus, & lapis ille Lydius, ad quem exactissimè hæc omnia sunt exploranda. Hoc igitur nobis perpetuò proponamus oportet, nihil esse in rerum natura, quod peruenire queat ad naturam Elixiris, nisi primò fiat metallum, nec metallum fieri, nisi prius naturam, tam sulfuris, quàm arg. uiui cōceperit, nec tale, quin simul sit minerale. Proinde licet gēme & reliqua corpora lapidea sint mineralia, nunquam tamen Elixiris formam attingere poterunt, quin prius metallicam naturam induant, nec eò unquam peruenient, nisi prius in proximam & immediatam metallorum materiam mutentur. At cum in principijs metallorum generandis naturam assequi non possimus, ut testantur omnes philosophi, hinc uel maximè constat, nos ex mineralibus lapideis, neq; metalla, nec per consequens Elixir, conficere posse. Nunc minora seu media mineralia excutiamus, & perlustremus. Sed hæc sunt duplicia. alia enim sunt magis, alia minus metallis conformia. Quæ maiorem habent cum metallis affinitatem, sunt arsenicum seu auripigmentum, arg. uiuum, antimonium, tutia, & omnes aliæ marchasitæ. Minus autem affinia sunt, sulfur, talch, atramenta, sales, & alumina. Videamus igitur, num ex magis affinis confici possit Elixir. Et primò antimonium excutiamus, quod cum nondum sit metallum, sed marchasita plumbea tantum, in Elixir transire non potest, quin prius euadat metallum, & metalli diffinitionem sibi uendicare queat. Et quanuis in metallum mutetur, perpetuò tamen plumbeam naturam sapiet, cum sit marchasita plumbea. Quòd si ita est, certè cum natura nobis plumbum abundè protulerit, non est, quòd in antimonio in plumbum murando nos occupemus. At dicet quispiam, antimonium, ut philosophi testantur, & ipsa docet experientia, à natura fuit ditatum sulfure quodam rubeo, incremabili & fixo, quæ sunt conditiones sulfuris ipsius auri. Fateor, id enim expertus sum. Sed cum causa ignobilitatis metallorum, sit inopia argenti uiui, mundi, & fixi, profectò ex antimonio, cuius argentum uiuum est plumbeum, ignobile, & contaminatissimum, necnon fixationis expertus, Elixir formari non poterit. Nunc de auripigmento agamus, quod permulti philosophorum docēt esse proximam & immediatam metallorum materiam. quod licet ita sit, Elixiri tamen informando ineptum esse satis constat, donec metallum euaserit. Quantum ad reliquas marchasitas attinet, cum ex in metallum sint mutandæ, antequàm in Elixir transire queant, & nobis natura cuiusvis generis metalla abundè contulerit, nos beneficio metallorum excusamur à laboribus marchasitarum in metallicam formam ducendarum. Restat excutiendum argentum uiuum, quod cum sit alterum lapidis extremū, nempe illud à quo fit motus, profectò cum ab extremo ad extremum non pateat accessus, nisi per media interiecta, arg. uiuum non poterit promoueri ad alterum extremum, hoc est ad naturam Elixiris, nisi per interiectā metallorum formā, hoc est, nisi primò efficiatur metallum: Quod Geber satis aperte indicat, ubi docet, Mercuriū ex natura sua fugaci ad naturam fixā esse ducendum. Quòd si in metallum prius est mutandū, ergo aut in plumbum, aut stānum, aut æs, aut ferrū, aut aurum, aut argentum. Atqui natura hæc omnia metallorum genera nobis liberalissimè obtulit. Immunes igitur sumus ab immensis laboribus, in arg. uiuo in metallum ducendo subeundis. Cū igitur ea media mineralia, quæ metallis magis sunt affinia, non possint obtinere formā Elixiris, quin prius euadant metalla, quanto minus id assequi poterunt ea media mineralia, quæ ab eo scopo longius absunt, & quæ metallis minus affinia sunt. Si enim id quod

magis

magis videtur esse tale, non est tale, profectò neque id, quod minus. Vnde necessariò constat, hæc minora mineralia, quæ metallis minus sunt affinia, pervenire non posse ad formã Elixiris, antequam etradant metalla. Quod ars præstare non potest, teste Richardo Anglico, cap. 10. sui Correctorij, cuius hæc sunt verba. Sed quia in precedenti cap. determinatum est, minora mineralia artificialiter non posse fieri metalla: ideo propter maiore veritatem, restat hoc fortius probandũ. primò sic. Quia minora mineralia de prima metallorũ materia, quæ est mercurius, non sunt generata. Cum autem generatio eorum cum generatione mercurij primò differat in forma, & materia & compositione: ideo etiã metalla fieri non possunt: quia vnus speciei vna est materia prima, & sperma, ex quo genatur. Prima pars antecedentis, quæ est minora mineralia ex mercurio non esse generata, patet per Arist. & Avic. Si autẽ deberent fieri metalla, oporteret quòd primò transirent in primã metallorum materiã. Sed quia artificialiter id fieri nõ potest, ideo metalla minus effici poterunt. Et sic secũda pars antecedentis sufficienter patet, vt declaratum est in præcedenti cap. Secundò ad idem sic. Quia minora mineralia principium artis artificialiter fieri non possunt, quod est mercurius, ideo etiam medium et finem non pertingũt quæ sunt metallum, & tinctura. Consequentia tenet: quia nutrimentum in homine per generationẽ non potest fieri homo, nisi prius cõuertatur in sperma.

Proinde cum neq; ex animalibus, neq; ex vegetabilibus, neque ex lapideis aut etiã medijs mineralibus Elixir confici possit, nisi prius ducantur in formã metallicam, superest, vt sola metalla sit propinquissima artis principia, & arti a metallis sit auspicandum. Sed cum sex sint metalla, restat adhuc cognoscẽdum, num ex omnibus, aut ex aliquibus tantũ, & ex quibus tandẽ, sit formãdum Elixir aureũ & argenteum. Quod vt exactissimè discutiatur, assumendũ est nobis illud Arnoldi cap. 8. sui Rosarij minoris, scriptum, scilicet Elixir mutans ignobilia metalla in aurũ & arg. multo magis digestũ & mundũ esse oportere, quã sint aurum & arg. Quod si ita est, certè necessariò colligendũ est, nullum metallum posse transire in Elixir, quin prius fuerit æquè digestum, decoctum & mundum, ac aurũ & arg. Sed nullum reliquorum metallorum tale est: nullum itaq; metallum Elixiri æquè vicinum est, ac aurum & argentũ. Quod autem nullum reliquorũ sit æquè digestũ & mundum, id ex Geberò superius notissimum fecimus. Quod si quis his non est contentus, sciat completã decoctionem, digestionem, & munditiem esse causam effectricem nobilitatis metallorum. Puritas enim mercurij & sulfuris & fixio eorundem, quæ sit per maturam digestionẽ, est causa perfectionis auri & argenti. Quocirca si aliquod reliquorum metallorum æquè mundũ & decoctum esset, ac aurum & arg. esset per consequens æquè perfectum metallũ. quod si æquè perfectum metallum, oporteret igitur vt actũ & reuera esset aurũ aut arg. alioqui eorũ perfectionẽ æquare non posset. Cum igitur nullum reliquorum sit æquè digestum & mundum, restat vt aurũ & arg. sint Elixiri viciniõra, quã reliqua metalla. Et cum transitus fieri non possit ab extremo ad extremum nisi per interiectũ mediũ & nullum metallum possit transire in Elixir, nisi prius sit æquè mundum & digestum ac aurum & arg. hinc certè manifestè constat nullum reliquorum quatuor metallorum, Elixiris formã attingere posse, nisi prius versum fuerit in aurum vel argentum. Meritò igitur Plato sic ait, Licet alijs metallis vti possis, tamen eius non indiges, cum ex eis habere non possis substantiam illam mercurij & sulfuris temperatam & mundam. Quod si eis vti volueris, necessariũ est, vt primò conuertas ea in similitudinẽ duorum corporũ perfectorum, quod nunquã fiet, donec Sol & Luna in vno corpore iuncta projiciantur super ipsa.

Vide quomodo ipso Platonis testimonio ex nullo metallo ignobili formari possit Elixir, quin prius illud metallum, beneficio Elixiris ex corporibus perfectis confecti in aurū mutetur vel arg. Nec citra rationē id dixit Plato. Nā si forma Elixiris aurei vel argentei (quæ est illa, cuius beneficio Elixir aurea vel argenteam confert naturā) ex Saturno, Ioue, Venere, aut Marte elici posset, necessariò oporteret eam formā eis inesse, alioqui dicendum esset, rem aliquā ibi reperiri, & per consequens ibi esse, vbi non est. Quod autē forma auri vel arg. effectrix, nulli horum quatuor metallorū insit, hinc patet. Cuiuscumq; metallo forma auri vel arg. effectrix inest, id aurū vel arg. actu esse necesse est: nā quicquid præditum est forma hominis, homo est, bruti brutum, plantæ planta, lapidis lapis, & sic in reliquis. Forma enim est, quæ dat esse rei, id quod res est, & quæ illi nomen adfert, & qua absente res illa desinit esse, quod prius erat. Sed neq; plumbū, neq; stannum, neq; æs, neq; ferrum actu est aurū aut arg. cum nō habeat passiones & proprietates auri vel arg. Igitur nullum horum quatuor metallorū est præditū forma auri vel argenti. Atqui solius formæ auri propriū est, in materia auri (quæ omnibus metallis cōmunis est) aurum generare, & solius formæ arg. argentum efficere: proinde cū hæ formæ soli auro & arg. insint, manifestum est, nullam aliā rem sub cælo esse, quæ hanc proprietatem sibi vindicare queat, donec summus ille formarum parens & genitor, ordinem, quem semel naturæ inuiolabili religione observandū præcepit, sua potestate immensa reuocari, immutari, & penitus inuerterit: quod nullo modo sperandum est, cum summa illa sapientia in suis legibus semel latis perpetuò sibi constet, & sui sit semper similis. Rectè itaq; Lullus, cū sic ait, Vbi natura desinit ibi ars incipit: desinit autē in metallis perfectis, inquit, & maxime in Sole, quia perfectus est, & à natura non potest recipere altiorē gradum. Igitur ars à Sole & Luna tanquā à medio, per viā corruptionis exordietur. Natura, inquit, non potuit per se hunc lapidem facere, sed miserta est arti, cū talia reliquerit munda, vt ars ea subtiliet, & adaptet, pro forma metallorum imperfectorū transmutandorum, & ipsius mercurij vulgi. Ex his itaq; satis constat formā Elixiris, in aurū metalla ignobilia vertentis ab auro, in argentum verò à solo arg. mutandā esse, nullamq; rem sub cælo existere, seu animale, seu vegetabile, seu mineralē, ex qua forma auri vel arg. effectrix elici possit, nisi prius in aurū vel arg. ea res versa fuerit. Sed quorsum tot rationes huc adferuntur, cū hæc adeo clara sint & manifesta, vt qui negare hæc ausit, meritò cæcutire, in meridie palpare, nec minus sensu egere censendus sit, quā Philosophus ille, qui niuem negabat esse candidam?

Caput ultimum.

REdeo igitur ad te Bracesche doctissime, & quāta cum humanitate possit oro te, & obtestor, vt opinionē illam ferreā deponas, abiures, & respuas, eāq; cum aurea & argentea veritate cōmutes. Nec est, quod timeas ignominiosum tibi futurū, si pedem à pristina opinione retuleris. Ignominia equidem & opprobrium tibi vertendū esset sempiterno, si veritate cognita non respisceres. Non est probrosum Bracesche interdum cespitare, præsertim in lubricis & arduis rebus. Propriū enim hominis est labi, errare, imò & in rebus facilis, teste Arist. sæpe hallucinari & cæcutire. Quod si Philosophi omnes hoc propriū hominis esse fassi sunt, nec se à cōmuni lege immunes esse docuerunt agnosce quæso & tu, humani abs te alienū nihil esse. Vtinam quotquot sumus in terris homines, sapientē illū Socratē nobis proponeremus imitādū, qui hoc solo nomine sapientissimi nomen affecutus est, quod se hoc vnū scire ingenuè prædicaret, quod nihil sciret. O quā felicitissime haberent res humanæ, si Pythagoræ

thagoræ doctrina inter nos locum haberet, qui primus Sophi nomen, tanquã mortali homuncioni ineptum, arrogans, superbum, ac soli Deo vindicandum exhorruit, & Philosophi nomine contentos esse debere homines, docuit. Nõ te pudeat igitur resipiscere Braceſche, nõ pudeat quaſo ab hac fallaci opinione diſcedere. Sed poteris tu mihi obijcere (& meritò certè) quid de me ipſo ſẽtiam, num me aliquem Hermetem, num Argum, num erroris immunẽ eſſe credam. Dicam certè, quem me exiſtimẽ Braceſche, non mentiar, & rem ipſam ingenuè profitebor. Cæcus ſim, ni me hominẽ eſſe videam, quòd ſi hominẽ me eſſe experior, demens ſim deploratus, ni me non lyncem, ſed noctuam, nõ Argum, ſed exoculatiffimam talpam eſſe agnoſcam. Quòd ſi hac in parte philoſophiæ nonnihil lucis aſſecutus ſum, eius ne apicem quidem perſpicacitati mẽtis meæ (quam vel in ipſo meridie, ſingulis diebus cæcam experior) vendico, ſed id totum diuinæ maieltati, quæ me indignum hoc dono dignata eſt, acceptum fero. Quòd niſi cæleſtis illa Minerva cæci Tauladani miſerta fuiſſet, niſi cæleſtis mercurij intelligentia hanc cognitionẽ mihi inſtillaret, hoc eſt, niſi diuinus & adorandus ſpiritus radijs fulgoris ſui mentem meã illuſtraſſet, non ſolum in eodẽ erroris gradu tecum ego verſarer, ſed in profundiffimã aliquã voraginem corruiffem, vnde nunquã poſtea emeriſſem. Itaq; mones me tu, qualis ego ipſe ſim. Depinxit enim mihi Deus in te diuinum illud oraculum, Noſce te ipſum, quo admoneor ne inſoleſcã, ne quid laudis mihi arrogem, ne cornua efferam, ſed vt conditionem meã ſupplex agnoſcam, demittam criſtas, & in mei deiectione cælum ſuſpiciam: deniq; vt in confeſſione cæcitatũs meæ diſcam, omnẽ laudem diuinæ maieltati deferendam eſſe, eiq; mentem beneficiorum memorem eſſe immolandã. Nec alium in finem aliquid lucis nobis Dominus impertit, niſi vt miſeri mortales cæcitatem noſtrã inde agnoſcentes in genera procumbamus, terrã lambamus, & eum, in cuius oculis vel ipſe Sol eſt tenebroſiſſimus, ſuſpiciamus, admiremur, & adoremus. Sed vt eò redeam, vnde ſum digreſſus, depone quaſo hanc opinionẽ ferream Braceſche, cõmuta eam cum aurea, & lubens palinodiã cane. Quòd ſi feceris (mihi crede) nomen tuũ alioquiſ illuſtre & glorioſum, multo magis apud omnes doctos cõmendabiſ. Quòd ſi aliqui inſanæ mentis homines futuri ſunt, qui te ferrum cum auro cõmutantem, & à priſtina opinione pedem referentem auſint calumniari, ſciant ipſi te ſingulari & perpetua laude apud omnes probos cumulatum iri, quòd laborum tuorum meſſem in cõmunem & publicam ſtudioſorũ vtilitatem liberaliter attuleris. Afferant ipſi ſua, ſi quid poſſunt, & non mordeãt, congregiantur, ſi audent, & non latent, experiantur vires ſuas, & ſentient nõ omnibus datum eſſe adire Corinthum. Quòd ſi veritatis zelotipia eò me tulerit, vt aliquid acrius, quàm par erat, dixerim, humanitatem tuam exorata cupio, mi obſeruandiſſime Braceſche, vt id mihi cãdore ignoſcas Chriſtiano, tibiq; Robertum Tauladanum fratrem fideliffimum & obſequentiſſimum in perpetuum promittas,

k 2

F I N I S.

**GEBERI ARABIS PHILOSOPHI SOL-
LERTISSIMI, RERVMQVE NATVRALIVM
(PRECIPVE METALLICARVM) PERITISSIMI,
Huius XNUMQVE libellus, quē inscripsit de Inuestigatio-
ne perfectionis, incerto Interprete.**

Prefatio in qua explicat, cur hunc librum scripserit. Cap. I.



INVESTIGATIONEM huius nobilissimæ scientiæ ex
cōtinua & frequenti operis sedulitate, & huic compari studio
nimio, necnō cogitationibus nostris profundissimis & varijs
annexis, emissam vobis tradam, vt melius & apertius à vobis
volumina subsequentiā intelligantur, & vt intellecta, & circa
eadem ingeniata & perscrutata, facilius & promptius ad effe-
ctum perducantur. Et quia est aliud, artis inuestigare rationem, quàm attenta
re & probare subtilitates & ingenia horum: donec operando & perscrutādo
& experiendo, ad intentum perueniatur completū. Ideo in hoc nostro libro,
quæcunque per narrata inuestigauimus, secundum nostræ mentis rationē scri-
psimus, artem dico perficientiā. Non putet tamen quis, quod hanc inuestiga-
tionem composuerimus ante librum nostrum, qui Summa perfectionis magi-
sterij est intitulatus: in quo quæcunque vidimus & tetigimus, completē secun-
dum scientiæ ordinem determinauimus, secundum experientiam & cognitio-
nem certam, quam scrutatione nostra, de naturalium & mineralium effectibus
& transformantibus diuersis, in opere apparentibus notauimus. Et ingeniati
sumus scientiam nostram prius compositam cum hoc inuestigationis cōmen-
to, quod super ipsam declarandam composuimus, denudare. Ergo de iure hæc
illā præcedit, cum per hūc librū inuestigare quæ de cognitione rei perficiētis.

De rebus corpora metallica perficientibus & corruptentibus. Cap. II.

CVM ergo hæc scientia de imperfectis tractet corporibus mineralium in
quantum ea perficere deceat, in primis circa hæc, duo considerauimus,
Imperfectionem scilicet & Perfectionē. Circa hæc duo nostrā sūdamus
intentionem. De rebus autem perficientibus, & corruptentibus, secundū q̃
per nostram inuestigauimus experientiam, hunc librum cōponimus, quia op-
posita iuxta se posita magis elucescunt. Res autē quæ perficit in mineralibus,
est substantia arg. viui & sulfuris proportionabiliter cōmixta, per longam & tē-
peratam decoctionē, in visceribus terræ mundæ inspissata & fixa, cum obser-
uatione suæ humiditatis radicalis, non corruptentis, sed ad substantiam soli-
dam cum ignitione debita fusibilem, & sub malleo extēibilem producta. Per
diffinitionem naturæ huius perficientis, leuius peruenire possumus ad cogni-
tionem rei corruptentis. Et est illa, quæ à contrario sensu habet intelligi, vide-
licet substantia pura arg. viui & sulfuris, sine proportionē debita cōmixta, vel
minus decocta in visceribus terræ immūde, nec rectē inspissata, nec fixa, humi-
ditatem habens combustibilem & corruptentem, & raræ substantiæ, & po-
rosæ: vel habens fusionem sine ignitionē debita, vel nullam, nec patiens malleū
suffICIENTER. Primam autem diffinitionem inueni intrusam in his duobus cor-
poribus, videlicet in Sole & Luna, secundū cuiuslibet perfectionē. Secundam
verò in his quatuor, scilicet in stanno, plumbo, cupro, & ferro, secundū cuiusli-
bet imperfectionem. Et quia hæc corpora imperfecta ad sanitatē & perfectio-
nem non sunt reducibilia, nisi contrariū in eis operetur, id est quod manifestū
occultetur, & occultū manifestetur: quæ operatio vel contrariatio fit per præ-
parationē, igitur præparatio est eis adhibenda. Est ergo præparare, superflua
demere

demere, & absentia supplere, & sic notā eis immittere perfectionē: hac autē præparatione non indigent corpora perfectā. Indigēt verò præparatione tali, quæ eorū partes magis subtilentur, & à corporalitate sua ad spiritualitatem reducātur fixam. Cuius intentio est ex eis facere corpus spirituale fixum, hoc est multo magis attenuare & subtiliare, q̃ erat prius. De horum omnium præparationibus secundū nostram inuestigationem in loco suo tractabimus sufficienter in hoc libro. Quæ postquā præparata fuerint sufficienter, erunt apta, vt de eis Elixir album, vel rubeum fiat magnum.

De lapide Philosophorum, quod unus tantum sit, ad album & ad rubrū, & ex quibus rebus extrahatur: Deq; possibilitate ac modo perfectionis. Cap. III.

Inuenimus autem Modernos nobis vnicū tantū scribere lapidem, ad album vel rubrū cōpletū, quod & verū esse cōcedimus. Nam ex quocunq; Elixir conficiatur albū vel rubeum, nihil tamen ibi aliud est, q̃ arg. viu. & sulf. quorum vnū sine altero nihil agit, nec esse potest. Et ideo vnus lapis à Philosophis nuncupat, q̃uis à multis extrahatur corporibus siue rebus. Extrahere em̃ à re in qua non est, hoc stultum cogitare esset & vanum, vt quidam fatui putauerunt, quod nuncq; erat intentio Philosophorum. Dicunt tñ multa per similitudinem. Et quia omnia corpora metallica ex arg. viuo cōposita sunt, & sulfure, puris vel impuris, per accidens, & nō in prima sua natura innatū, etiam per præparationē conuenientem tolli est possibile. Nam expoliatio accidentium non est impossibilis. Est ergo præparatio superflū demere, & defectū supplere in corporibus imperfectis, quæ fieri nō potest sine adiuatione operis, & rerum purificantū. Diuersificatur autē præparatio, secundū diuersitatem rerū indigentū. Experientia enim nobis dedit modos agendi, scilicet calcinationem, sublimationem, descensionē, solutionem, distillationem, coagulationē, fixationem, & cerationē. De quibus singulis narrationē fecimus in Summa perfectionis magisterij sufficēter. Ista enim sunt opera ad præparationem iuuantia.

De rebus præparationem iuantibus, & earum mundatione. Cap. IIII.

Res autem præparationes iuuantes sunt istę, scilicet omnia genera salis, aluminū, atramentorū, etiam vitrum, borax, & quæ huius naturæ sunt, & acetum acerrimum, & ignis. Et cum istis proponimus corpora imperfecta præparare, sed conuenit ea prius mundare, si aliqua immunditia in his extiterit, secundum nostram experientiam, in qua certī fuimus per prædicta.

Mundatio salis communis.

Mundatur enim sal commune per hunc modū: Primò comburatur, cōbustum in aqua cōmuni calida solvatur, solutum per filtrum distilletur, distillatū per lentum ignem in paropside vitreata congeletur, congelatū calcinetur per diem & noctem in igne mediocri, & serua ipsum sic sufficienter mundatum.

Mundatio salis alkali.

Sal alkali sic mundatur vt sal commune, & est sagimen vitri. Primò teratur, & totum solvatur in aqua communi calida, postea distilletur per filtrū, & congeletur, & calcinetur cum igne lento.

Mundatio salis gemme.

Primò teratur, deinde de illo fiat, vt de sale communi.

Mundatio salis ammoniaci.

Teratur primò cum præparatione salis communis mundati. Postea sublimet in alto aludele, donec totaliter fuerit extractum purum. Postea solvatur super porfidum, sub diuo, si de eo vis aquam facere, vel seruetur ipsum sublimatum, & purum sufficienter.

Mundatio aliorum salium.

Diuerſa autem adhuc inueniuntur salium genera, quæ præparantur per modum iam dictum, & mundantur.

Mundatio aluminum.

Primò de alumine glaciali. Multa possunt per ipsum præparari sine ipsius mundatione aliqua: tamen in hunc modum mundatur. Ponatur in alembico, & extrahatur inde tota humiditas, quæ multum in arte ista valet. Fæces in fundo vasis remanentes, vel dissoluantur supra lapidem in aliqua parte humida, vel in aqua inde extracta, vel referuentur.

Mundatio aluminis lameni.

Alumen lameni, quemadmodum glaciale præparatur, excepto quòd in hac arte maioris est virtutis.

Mundatio aliorum aluminum.

Plura adhuc inueniuntur alumina, quæ omnia, vt iam dicta præparantur, & mundantur.

Mundatio atramentorum.

Primò de nigro atramento. Nigrum sic mundatur: Primò solvatur in aceto mundo, post distilletur, & coaguletur. Vel ponatur primò in alembico, & humiditas totalis extrahatur. Fæces in hac distillatione calcinatæ super porfidu, vel in sua aqua soluantur, & coagulentur. Vel ipsa aqua secundum velle artificis referuetur.

Mundatio cupero se.

Cuperosa, siue vitriolum mundatur vt atramentum nigrum. Habet tamen atramentum nigrum maiorem atramento viridi terrestreitatē.

Mundatio aliorum atramentorum.

Diuerſa sunt atramēta, & inueniuntur diuerſi coloris, quæ vt prædicta mūdant.

De nitro, & boracibus.

Vitru & boracia si debito modo fuerint facta, non indigent præparatione.

Mundatio aceti acerrimi.

Acetum autem, & cuiuscunque generis acutū, seu acerbum, subtiliantur & depurantur: & illorū virtus siue effectus per distillationem melioratur. De eorū mundatione, & depuratione sufficienter tractauimus, cum quibus corpora imperfecta præparari possunt, & depurari, & meliorari, & subtiliari, igne semper debito mediante.

De præparatione & melioratione corporum in genere. Cap. V.

PRæparantur autem & depurantur per ista ad intentionem ignis, per hunc modum. Habēt enim hæc corpora imperfecta humiditates superfluas, & sulfureitatē adustibilem, nigredinē in ipsis generatē, ipsaq; corrumpentē. Habēt etiā terrestreitatē immundā, fæculentam, & combustibilē, nimis grossam, ingressionem impediētē & fusionē. Ista & talia sunt superflua in his corporibus prædictis, quæ in ipsis nostra experiētia & inuestigatione certa & ingeniosa sunt inuēta. Et quia hæc superflua accidentaliter his superueniūt corporibus, & nō radicaliter, & spoliatio accidentalium possibilis est, oportet nos cum igne artificiali his prædictis mundatis, superflua demere accidentia cuncta, sola substantia arg. viui & sulf. radicalis permanēte. Et hæc est integra præparatio imperfectorū, & depuratio perfecta. Melioratio, depuratio & subtilizatio horū, substantiæ purę remanētis, fit multis modis, secundū q; indiget Elixir. Præparationis ergo & depurationis in generali modus est hic. Primò enim eleuanda est cū igne proportionali tota humiditas superflua & corrupta, in illorū essentia, etiā superfluitas subtilis & cōburens, & hoc calcinādo: Deinde totalis substantia remanēs corrupta in illorū calce superflue humiditatis cōburentis & nigredinis corrodēda est cum his mundatis prædictis corrosiuis, acutis, seu acerbis, donec calx fuerit alba siue rubea, aut secundū corporis naturā & proprietatē colorata, & munda & pura ab omni superfluitate, seu corruptione prænarratis. Et hæc cum his corrosiuis mundant, terēdo, imbibendo, & lauādo. Postea verò delēda, seu deponēda est totalis terrestreitas immūda, & fæculētia cōbustibilis

stibilis & grossa, cum rebus prædictis mundatis vel puris, fusionem metallicā non habentibus, cum calce prædicta, modo prædicto depurata, commistis & bene tritis, quæ in fusione, seu calcis reductione retinebunt secū terrestreitatē grossam & immundā prædictam, remanente corpore puro ex omni superfluitate corrumpente mundato, & hoc totum descendendo. Meliorationis & subtiliationis horum substantiæ puræ in generali modus hic est. Primò hoc corpus purgatum & reductum, est iterum calcinandum cum igne, & adiutorijs mundatiuis prædictis, deinde cum his quæ sunt solutiua soluendū. Hæc enim aqua lapis noster est, & argentum viuum de argento viuo, & sulfur de sulfure, ex corpore spiritali abstractum & subtiliatum, siue attenuatū, quæ meliorari potest, confortando in ipsam virtutes elementales, cum alijs præparatis, quæ sunt ex genere sui generis: & augmentando colorem, fixionem, pondus, puritatem, fusionem, & alia omnia, quæ pertinent ad Elixir perfectum. Et iste est modus, per solos nos inuestigatus, præparationis, depurationis, subtiliationis, & meliorationis corporum mineralium in generali. Nunc transeamus ad specialem, seu particularem cuiuslibet corporis imperfecti præparationem, cum omnibus modis suis, etiam perfecti corporis mineralis. Et primò de Ioue.

De præparatione Iouis in speciali. Cap. VI.

Præparatur autem Iupiter multipliciter, melius tamen per hunc modum. Et est, vt ponatur in furno calcinationis, in vase ad hoc apto, & proijciatur subtus ignis vsq; ad corporis ipsius fusionem bonam, mouendo tunc ipsius corpus liquefactum cum spatula ferrea perforata: scoriā quæ super ipsum creatur contrahendo, iterumq; corpus mouendo in ignis calore æquè perdurante, donec in superficie bona quātitas ipsius pulueris fuerit congregata. Deponatur tunc illa, & iterum moueatur, quousq; alternata vice totum corpus in puluerem subtilissimum fuerit reductum. Cribretur ergo puluis ille, & reponatur in furno, addendo illi ignem bonum ipsius fusionem non superantem, & mouendo multoties. Stet ergo in igne suæ calcinationis sic per diem naturalem, vel circiter, donec tota humiditas accidentalis, & superfluitas fuerit deleta, cum sulfure combustibili & corrumpente: postea extrahatur calx alba mundata. Nam ignis omnem fugitiuam substantiam, & inflammabilem eleuat, & consumit de prædictis, scilicet cum sale communi mundato, & alumine, & cum aceto purificato & acerbo multum lauando, & ponatur ad solem vel ad aerem, & iterum teratur, & lauetur, & desicceatur, & hoc alternatim per vicem reiteretur, donec per acuitatem salium, aluminum, atque aceti, tota eius humiditas, nigredo, & immundicia fuerint consumptæ, corrosæ, & deletæ. Tunc apponatur de vitro trito cum his prædictis. Cumq; totum impastatum fuerit, descendatur per Botum barbatum, cum sufficienti igne. Descendit enim corpus purum & mundum, remanente cum vitro & salibus, siue aluminibus, tota substantia terrea & faculenta. In illo enim corpore mundo descenso, & reducto, est æqualis & perfecta proportio argenti viui mundi, & sulfuris albi non vrentis. Nam ignis & corrosiua totam humiditatem, & substantiam fugitiuam, inflammabilem, & corrumpentem, atque nigredinem diuiserunt, & per descensorium ipsius, siue per pastillum salium & aluminum, & vitri, diuisa est tota substantia terrea faculenta, substantia pura & temperata cum sua proportionem remanente. Postea verò calcinetur iterum hoc corpus reductum purum, cum solo sale ammoniaco puro, mundato, donec fuerit in pondere æquali, vel circiter. Cum autem bene & minutissimè fuerit calcinatum, tunc illud totum peroptimè, & bene diu teratur super porfidum, & ponatur sub diuo, in loco frigido & humido: vel in velleis vitreis in furno

solutionis, uel in uentre equino, donec totum fuerit dissolutum, augendo sal, si fuerit necesse. Quam aquam honorare debemus, ipsa enim est quam quærimus ad album. Et hæc de præparatione Iouis dicta sufficiant.

De præparatione Saturni. Cap. VII.

PRæparatur & Saturnus sic: Ponatur similiter in furno calcinationis, mouendo ut Iouem, donec conuertatur in puluerem tenuissimum: Cribretur & reponatur ad furnum, Stet in igne suæ calcinationis per modum prædictum, donec fugitiua substantia, & inflammabilis fuerit deleta. Postea extrahatur calx rubea, quæ imbibatur, & teratur frequentissimè & minutissimè, cum sale communi mundato, & atramento, & aceto purificato, & acerbo multum. De istis uero ad rubeum utaris, sicuti ad album fecisti, cum sale communi, & alumine iameno, & aceto. Tunc multoties, ut de Ioue dictum est, desiccetur, & imbibatur, & teratur, donec per beneficium dictorum, dicta immundicia fuerit deleta. Tunc apponatur de vitro cum his prædictis, & descendat per Botum barbatum corpus purum, descendendo reductum. Iterum calcinetur cum sale ammoniaco puro, ut de Ioue, teratur subtilissimè & dissoluatur per modum prædictum. Ipsa enim est aqua argenti uiui, & sulfuris, proportionabiliter facta, qua utimur in rubei Elixiris compositione. Et hæc de Saturni præparatione dicta sufficiant.

De præparatione Veneris. Cap. VIII.

PRæparatur etiam Venus optimè per hunc modum: Ponatur stratum de sale communi optimè mundato in crucibulo, & desuper ipsius lamina, & desuper salis stratum, & desuper lamina, & sic vicissim, donec vas fuerit plenum, & cooperiatur, & lutetur, & collocetur in furno calcinationis per diem naturalem. Deponatur & abradatur quod calcinatum fuerit, & reponantur laminæ cum sale nouo. Et sic alternata uice calcinetur, donec omnes laminæ fuerint consumptæ, seu corrosæ, per beneficium salis & ignis. Quia sal corrodit superfluum humiditatem, & sulfureitatem combustibilem: ignis eleuat substantiam fugitiuam & inflammabilem, cum proportionem debita. Teratur omnino puluis ille minutissimè, & lauetur cum aceto, donec nigredine careat aqua exinde emanans: hinc alterna uice de sale nouo & aceto imbebe, & tere, & post contritionem, ad furnum calcinationis in vase aperto reponatur, stetque ibi per tres dies naturales. Deinde extrahatur, & teratur bene, & subtiliter, & abluatur cum aceto bene & diu, donec ab omni immundicia fuerit mundatum & purgatum. Desiccetur ad Solem bene, tunc apponatur medietas eius de sale ammoniaco, bene & diutissimè terendo, donec substantia impalpabilis fuerit. Ponatur sub diuo, vel in resolutionis fimo, donec quicquid ibi est subtile, fuerit solutum: renouando sal ammoniacum mundatum, si fuerit necesse, donec aqua totum fiat. Hanc aquam honora, quam aquam sulfuris fixi nominamus: cum qua tingitur Elixir usque ad infinitum. Et hæc sufficiant de Veneris præparatione.

De præparatione Martis. Cap. IX.

Mars autem per hunc modum melius præparatur: Calcinetur, quemadmodum Venus, cum sale communi mundato, & cum aceto puro lauetur. Lotus ad Solem siccetur: desiccatus iterum cum nouo sale & aceto teratur & imbibatur, & ad eundem furnum ponatur per tres dies, ut de Veneris dictum est. Solutum honora, aquam uidelicet sulfuris fixi, mirabiliter colorem Elixiris augmentantem. Et hæc de imperfectorum corporum præparatione dicta sufficiant,

De

De preparatione Solis. Cap. X.

Perfecta verò corpora non indigent præparatione, quantum ad perfectionem, cum perfecta sint, sed vt magis subtilientur, & attenuentur, talis eisdem præparatio est adhibenda: Accipiatur Sol in laminas tenues productus, & ponatur cum sale communi optimè præparato solariatim in vase calcinationis, & collocetur in furno, calcinando bene per tres dies, vel donec totum fuerit subtiliter calcinatum. Deinde extrahatur, multum bene teratur, cum aceto lauetur, & desiccetur ad Solem. Postea teratur bene cum medieta- te sui salis ammoniaci mundati, & ponatur ad dissoluendum, donec totum fue- rit per beneficium salis communis, & ammoniaci in aquam clarissimam disso- lutum. Hoc est fermentum ad Elixir rubeum, preciosum, & verum corpus spirituale factum.

De preparatione Lune. Cap. XI.

Subtiliatur autem argentum & tenuatur, & ad spiritualitatem reducitur per modum iam dictum. Ergo per omnia & singula fac in ipsius subti- liatione sicut de Sole fecisti. Et aqua Lunæ dissolutæ, est fermentum ad Elixir album spirituale factum.

De proprietatibus Elixiris maioris.. Cap. XII.

Iam imperfectorum præparationem, & perfectorum subtiliationem, suffi- cienter determinauimus, vt de eis qui libet discretus possit adimplere in- tentionem. Attendat ergo quis proprietates & actionis modos compo- sitionis Elixiris maioris. Nos enim quarimus substantiam vnā facere, tamen ex pluribus aggregatam, coadunatam, fixam, quam super ignem positam, i- gnis nō exprimat, & liquatis permisceatur, & liquecat cum ipsis, cum eo quod est in ea de substantia ingressibili, & permisceatur cum eo, quod est in ea de substantia permiscibili, & consolidetur cum eo, quod est in ea de substantia consolidatiua, & figatur cum eo quod est in ea de substantia fixatiua, & non comburatur ab his, quæ non comburunt aurum & argentum, & afferat con- solidationes & pondus cum ignitione debita & perfecta. Non tamen ea- tenus breue tempus intelligas, vt paucis diebus, vel horis possit prima vice confici: Sed quia respectu aliorum medicorum modernorum, respectu etiam naturæ operationis, veritas hoc modo citius terminatur. Vnde dixit Philoso- phus: Medicina est cuius temporis longum spacium anticipauit. Quare vobis dico, vt sustineatis patienter, quia forte moratur, & festinantia quidem ex par- te diaboli est. Ergo qui patientiā non habet, ab opere manum suspendat, quia impediēt eum festinantem credulitas. Omnis namq; actio naturalis suū habet modū, & tempus determinatum, in quo maiori vel minori spacio terminatur. Ad hec tria necessaria sunt, patientia, mora, & instrumentorum aptatio: de qui- bus in Summa nostri magisterij perfecti artificem allocuti sumus, in capitulis diuersis, in quibus experiri potest, si in nostris dictis fuerit sufficienter versa- tus. In quibus manifesta probatione & aperta concludimus, lapidem no- strum nihil aliud esse, quā spiritum foetentem, & aquam viuam, (quam & siccam aquam nominauimus) & per naturalem proportionem munda- tam, & vnitam vnione tali, quod sibi neutiquam abesse possunt. Qui- bus addi debet & tertium, ad opus abbreviandum, hoc est corpus perfe- ctum attenuatum.

Epilogus, et conclusio operis. Cap. XIII.

Ex præmissis igitur patent res; in quibus veritas est propinqua: & perficien- tes ipsum opus, inuestigatione vera nostra, qua certi sumus, & per experiē- tiam manifestā considerauimus, omnia verba vera esse, quæ iam per nos solos

in nostris voluminibus scripta sunt: secundum quod vidimus per experimentum & rationem, in voluminibus istis relata. Ea verò quæ per nostram experientiam digitis extraximus, & vidimus oculis, & manibus tetigimus, scripsimus in Summa nostri perfecti magisterij. Sapiens ergo artifex in nostris studeat voluminibus, colligendo nostram dispersam intentionem, quam in diuersis locis proposuimus, ne malignis seu ignaris publicetur: & collectam probet, donec ad cognitionem, studendo & experimentando cum laboris ingeniosi instantia, peruenit totalem. Exerceat ergo se artifex, & inueniet huius iam modum inuestigationis (commotis amore uisceribus) per nostram considerationem, veritatis cognitionē etiam dare plenariā, perficientis & corruptipetis materiae & formæ. Considerauimus enim inuestigatione nostra, perfectorum materiam cum forma, à radice suæ commissionis vsque ad complementum, puram esse, sine corruptione superueniente aliqua. Considerauimus etiam à contrario sensu imperfectorum substantiam, & perfectorum vnam esse vbique, scilicet argentum viuum & sulfur: quæ ante commissionem suam, pura sunt & munda. Et per hanc considerationem per nostrum exercitium inuenimus, corruptionem imperfectorum accidentaliter superuenisse, quæ materiae nouam & corruptam dedit formam. Nam cum corpora imperfecta, per nostram experientiam, & per ingenium nostrum vidimus præparata, & mundata ab omni superflua corruptione, & immundicia fugitiua, seu terrestri deliberata, inuenimus ipsa maioris claritatis & fulgoris, seu puritatis, quàm ipsa corpora naturaliter perfecta. Per quam considerationem peruenimus ad finem huius scientiæ perfectum & completum, quam perfecte & complete scripsimus in codicibus nostris. Studeas ergo in illis, & inuenies totam nostram scientiam, quam ex Antiquorum libris abbreviauius.

Finis libri de Inuestigatione perfectionis Gebri.

GEBRI ARABIS PHILOSOPHI SOLERTISSIMI, RERV' MQVE NATVRALIVM (PRAECIPUE Metalliarum) peritissimi, Γεβρι Χημείας Libri duo, quibus titulum fecit: Summa perfectionis, siue perfecti magisterij, ex Arabico in Latinum translati, incerto interprete.

SVMMAE PERFECTIONIS GEBRI LIBER PRIMVS.

PRAEFATIO DE MODO TRADENDI HVIVS artis, & de idoneis discipulis. Cap. I.



OTAM nostram Γεβρι Χημείας scientiam, quam ex libris Antiquorum compilatione diuersa in nostris voluminibus abbreviauius, hîc redeigimus in summam vnam. Et quod in alijs libris à nobis scriptis est diminutum, id sufficienter in hac traditione huius nostri libri compensauimus, & ipsorum defectum suppleuimus sermone breui. Et quod occultatum fuit à nobis in parte vna, manifestum fecimus illud in parte eadem, in hoc nostro volumine, vt sapientibus patefiat complementum tam excellentis, nobilisque partis Philosophiæ. Scias ergo carissime fili, in hoc

hoc opere totam eius artis operationem in capitulis generalibus, vniuersali disputatione, sine diminutione aliqua sufficienter contineri. Per Deum, qui secundum hunc librum operatus fuerit, verum finem huius artis se adinuenisse lætabitur. Sed scias carissime, quod qui principia naturalia in seipso ignorauerit, hic iam multum remotus est ab arte nostra, quoniam non habet radicem veram, supra quam intentionem suam fundet. Et qui principia sua sciuerit naturalia, & causas mineralium omnes, nondum tamen adeptus est verum finem & proficuum huius artis occultissimæ, habet verò faciliorē aditum ad artis huius principia, quàm cui ignorantia cadit super intentionem eius de modo huius nostri operis, & hic parum remotus est ab artis introitu. Qui verò sciuerit omnium principia, & causas mineralium, & generationis modum, qui ex intentione naturæ consistit, parum quidem aufertur ab eo de operis complemento, sine quo tamen non potest scientia nostra perfici, quoniam ars imitari non potest naturam in omnibus operibus, sed imitatur eam sicut rite potest. Carissime igitur fili, secretum tibi pandimus, quod in hoc artifices errant, quod natura in omnibus differentiis proprietatum actionis imitari desiderant. Labora itaque studere in nostris voluminibus, & ea sapissime in mente tua reuoluere nitaris, ut intentionem ex nostræ loquellæ modo veram acquiras, quia in eis inuenies, super quæ mentem tuam fundare debeas, & scies ex eis errores à te repellere, & in quibus imitari naturam possis in tui operis artificio.

Diuisio huius libri primi in quatuor partes. Cap. II.

Ponemus igitur tibi breuiter primò impedimenta omnia, quibus in opere impeditur artifex, ne verum finem adipiscatur, dicemus etiam conditiones artificis huius artis. Secundò verò disputabimus contra ignorantes & sophistas, qui propter suam ignorantiam & imperitiā, huius artis magisterium & proficuum inquirendo, artem interimunt, & eam nullam esse contendunt. Ponemus autem omnes rationes illorum, & postea ipsas destruemus euidentissimè: ita ut prudentibus satis aperte patefiat, nullam illorū sophismata veritatem continere. Tertiò disputabimus super principiis naturalibus, quæ sunt de intentione naturæ: & ibidem super modo generationis & missionis eorum adinuicem ab opere naturæ, & super eorum effectu, secundum antiquorum Philosophorum sententiā. Quartò, verò monstrabimus principia, quæ sunt ad intentionem huius nostri operis, in quibus imitari naturam possumus, & modum miscendi, & alterandi, scilicet congruum naturæ cum causis suis, ad intentum nostri operis reducendis.

PRIMA PARS HUIUS PRIMI LIBRI DE IMPEDIMENTIS,
quibus impediuntur artifices, quo minus uerum huius artis finem adipiscantur.

Diuisio impedimentorum, Cap. III.

SUNT ergo impedimenta huic operi superuenientia, duo generaliter: Naturalis scilicet impotentia, & necessaria impensæ defectus, vel occupationes & labores. Naturalem tamen impotentiam multiplicem esse dicimus. Ex parte scilicet organi artificis, & ex parte animæ. Ex parte etiam organi artificis multipliciter. Vel quia organum sit debile, vel ex toto corruptū. Ex animæ denique impotentis multipliciter, vel quia sit anima peruersa in organo, propter organa nihil rectitudinis, vel rationis in se habens, sicut anima infans, vel fatuus. Vel quia sit fantastica, contrariarum facile formarum susceptiua indebitè, & de vno scibili ad eius oppositum extensua subito, & de vno vel le ad eius oppositum similiter.

De impedimentis huius operis, ex parte corporis artificis. Cap. III.

Iam tibi generaliter determinauimus huius operis impedimenta. Nunc uero specialiori sermone te alloquemur in hoc capitulo, & magis aperte narrabimus tibi omnia illa impedimenta plenissime, seriatim. Dicimus igitur: quod si quis non habuerit sua completa organa, non poterit ad huius operis complementum peruenire per se, velut si cæcus fuerit, vel extremis truncatus, quoniam non iuuatur à membris, quibus mediantibus, ars hæc perficitur, tanquam naturæ ministrantibus. Si uero fuerit artificis corpus debile & ægrotum, sicut febrientium, vel leproforum corpora, quibus membra cadunt, & in extremis vitæ laborantium, & iam ætatis decrepitæ senum ad artis complementum non perueniet. His igitur naturalibus corporis impotentis impeditur artifex in intentione sua.

De impedimentis ex parte anime artificis. Cap. V.

Præmissimus tibi capitulum vnum, in quo narrauimus sermone absoluto & manifesto impedimenta, ex parte corporis artificis dependentia. Restat nobis narrare breuiter impedimenta ex parte ipsius animæ, quæ maxime impediunt huius operis complementum. Dicimus igitur quod qui non habuerit ingenium naturale, & animam perscrutantem subtiliter principia naturalia, & naturæ fundamenta, & artificia, quæ consequi naturam possint in suæ actionis proprietatibus, non inueniet huius preciosissimæ scientiæ veram radicem. Sicut sunt multi, qui duram habent cervicem, in omni perscrutatione vacuam ingenio, qui & vix communem intelligere queunt sermonem, & opera similiter cum difficultate discunt vulgò communia. Præter hos etiam multos inuenimus animam habere facile opinantem fantasiam quamlibet, sed quod credunt se verum inuenisse, fantasticum est totum, & à ratione deuium, & errore plenum, & semotum à principiis naturalibus, quoniam eorum cerebrum, multis repletum fumositatibus, non potest recipere veram rerum naturalium intentionem. Sunt etiam præter istos alij, qui mobilem habent animam, de opinione in opiniones, & de voluntate in voluntates, sicut qui modo credunt hoc, & idem volunt, sine rationis ullius fundamento. Paululum uero post illud, & aliud credunt similiter, & aliud volunt. Et hi tam mobiles sunt, ut vix minimum eius ad quod intendunt, possint consummare, sed dimittunt potius illud relinquunt. Sunt similiter & alij, qui non possunt videre veritatem aliquam ex rebus naturalibus, non magis quam bestia, velut mente capti, infani, & pueri. Sunt & alij qui contemnunt scientiam, & ipsam non putant esse: quos similiter hæc scientia contemnit, ipsosque ab huius preciosissimi operis fine repellit. Et sunt, qui serui sunt, pecuniæ deseruientes, hanc scientiam mirabilem & ipsi affirmantes, sed ipsa dispendia interponere timent. Ideoque licet ipsam affirmant, & secundum rationem ipsam inuestigent, tamen ad operis experientiam non perueniunt, propter pecuniæ auaritiam. Ad hos igitur non peruenit hæc scientia nostra. Qualiter enim qui ignorans fuerit vel scientiam inuestigare neglexerit, faciliter ad ipsam perueniret?

De impedimentis externis, huius artis opus impediendum. Cap. VI.

Reduximus ad duo capitula, omnia impedimenta, huius artis finem retardantia, quæ sunt ex principiis radicalibus, secundum naturam artificis huius preciosissimi negotij. Expedit ergo nos tandem narrare impedimenta exterius superuenientia, & contingentibus fortunis, & casibus, quibus impeditur hoc opus gloriosissimum. Videmus ergo quosdam astutos & ingeniosos, minime ignorantes opera naturæ, & ipsius, in quibus est possibile sequaces

sequaces principijs & operibus, quibus est etiam inuestigatio non fantastica, in omnibus rebus quæ naturæ regulantur motibus & actionibus infra lunare circumulum. Hi tamen vltima paupertati oppressi, ex dispensationis indigentia, hoc tamen excellens magisterium coguntur postponere. Sunt & multi alij præter nunc dictos, curiosi, varijs huius mundi curis, & sollicitudinibus detenti, se omni negotio seculari totos occupantes, à quibus hæc nostra scientia preciosa rursus refugit. Iam ergo tibi satis ex præmissis capitulis patet, quæ sint ab hac arte distrahentia impedimenta.

Epilogus huius primæ partis, qualem oporteat esse artificem Cap. VII.

Concludimus igitur ex iam dictis, quod oporteat artificem huius operis in scientijs Philosophiæ naturalis eruditum & perfectum esse, quia quantamcunque pecuniam, & ingenium naturaliter profundum habuerit, & desiderium in hoc artificio, non tamen ipsius finem acquirere: nisi ex doctrina Philosophiam naturalem adeptus fuerit, quia quod per ingenium naturale non adipiscitur, huius defectui per doctrinam subuenitur. Oportet igitur altissima perscrutatione & industria naturali artificem iuvari. Propter doctrinam enim, quantamcunque scientiam acquisiuerit, nisi ab industria etiam iuuetur naturali, ad epulas tam preciosas non inuitabitur. In puncto enim errorem suum emendaret, per suam industriam, cui remedium ignoraret adhibere, si sola doctrina fundatus foret: & errori similiter subueniret in puncto ex acquisita scientia per doctrinam naturalem, quem per solam industriam euitare non posset: quoniam ars ab ingenio iuuatur, & ingenium ab arte similiter. Et ipsum similiter necessarium est constantis voluntatis in opere fore, ut non modo hoc, modo illud attentare præsumat: quia in rerum multitudine ars nostra non consistit, nec perficitur. Est enim lapis vnus, medicina vna, in quo magisterium consistit, cui non addimus rem extraneam aliquam, nec minuimus, nisi quod in preparatione superflua remouemus. Oportet etiam ipsum sedulum operi vsque ad consummationem ipsius insistere, ut non opus detruncatum dimittat: quia nec scientiam, nec proficuum ex opere diminuto acquireret, sed potius desperationem, & damnum. Expedi etiam ipsum huius artis principia & radices principales, quæ sunt de esse operis, non ignorare: quoniam qui principium ignorat, finem non inueniet. Et nos dicemus tibi principia illa omnia sermone completo, nec non & prudentibus sufficienter aperto & manifesto, secundum huius nostræ artis exigentiam. Expedi similiter artificem temperatum & tardum ad iram esse, ne subito propter iræ impetum, iam incepta dissipet & destruat. Similiter & pecuniam suam custodiat, nec presumptuosus eam vanè distribuat, ne si fortè artem non inuenerit, relinquatur in miseria, & desperatione paupertatis: vel ne fortè, cum iam ad finem huius magisterij per suam indagacionem approximauerit, consumpta sint ipsius impendia, & verum finem miser violenter ob paupertatem relinquat. Sicut cum in principio qui ignorant, prodigaliter suum thesaurum totum exterminant, cum autem huic affines fuerint, non habent ulterius ex quo laborent. Vnde dupliciter hi tales in mœrore sepeliuntur, & quia pecuniam suam dissipauerunt in rebus inutilibus & quia scientiam, quam protinus indagassent, nobilissimam amittunt. Non enim oportet tua bona consumere, quoniam vili precio (si artis principia non ignoraueris, & ea quæ tibi tradidimus, rectè intellexeris) ad complementum magisterij peruenies. Si ergo æs tuum perdideris, non attendendo nostra monita, quæ tibi in hoc libello scripsimus aperta & manifesta, non nos iniquè corrodas nec nobis blasphemias iniungas, sed tuæ imputa ignorantie & præsumptioni. Igitur hæc scientia non bene conuenit pauperi vel indigenti, sed potius est

ei inimica & aduersaria. Nec etiam adinuenire nitatur sophisticam metam operis, sed soli sit complemento intentus, quoniam ars nostra in potentia diuina seruator, & cui vult, elargitur & subtrahit, qui est gloriosus, & sublimis, & omni iustitia & bonitate repletus, forte enim ex sophistici vindicta operis, tibi artē denegaret, & in deuium erroris te crudeliter detruderet, & ex errore in infelicitatē, & miseriam perpetuam. Miserrimus enim & infelix est, cui Deus semper post operis sui atq; laboris finem, veritatē denegat conspiciere: quoniā vitæ suæ spatiū semper in errore concludit & terminat: hic enim in labore cōstitutus perpetuo, omniq; infortunio, & infelicitate obsessus, totā huius seculi consolationem, gaudium, & delectationē amittit, & vitā suam in mœrore sine proficuo consumit. Studeat similiter, cum in opere fuerit, omnia signa, quæ in qualibet decoctione apparent, in mentem sigillare, & illorū causas inquirere. Hæc itaq; sunt quæ necessaria sunt artifici, ad artem nostram idoneo. Si verò aliter eorum, quæ narrauimus, eidem defuerit, huic arti non adhæreat.

SECUNDA PARS HVIVS PRIMI LIBRI, IN QVA RECENSENTUR rationes, hanc artem negantium, deinde uerò confutantur.

Diuisio dicendorum generalis. Cap. VIII.

Quoniam in Summa vna huius libelli nostri tam præmisimus tibi omnia huius operis impedimenta, & doctrinam tibi dedimus ad artis huius adhærentiam sufficientem, expedit modò secundum nostri propositi intentionem, contra sophisticos & ignorantes disputare: Primò ipsorum rationes ponentes, secundum quod promissimus à principio nos determinatos esse. Vltimò verò eas omnes interrimemus, vt manifesta demonstratione sapientibus patefiat, nihil veritatis illas continere.

Rationes ueræ, artem simpliciter negantium. Cap. IX.

Sunt autem diuersi, qui eam negant & destruunt: Alij enim simpliciter, alijs verò ex dictis à supponente eam esse. Sunt enim aliqui asserentes artem non esse simpliciter, suam opinionem sophisticè taliter corroborantes. dicunt enim: Distinctæ sunt rerū species & diuersitates, quia diuersæ sunt & distinctæ elementorum adinuicem in commistione proportionem. Est enim alius diuersus ab homine in specie, quia multo diuersam habuit elementorum in sui compositione proportionem, sic & in cæteris rerum diuersitatibus est in ducere, ergo & in mineralibus. Ignota igitur miscibiliū proportionem, qua adipiscitur forma, & rei perfectio, quomodo & mistum & miscendum formare sciemus: Sed ignoramus Solis & Lunæ verā elementorū proportionem, ergo & formare ipsa ignorare debemus. Ex his itaq; cōcludunt: Igitur inutilis est ars ista & impossibilis. Similiter etiam aliter arguunt, magisterium nostrum interimentes. Dicunt enim: Et si proportionem elementorum scires, modum tamen mitionis adinuicem eorum ignorares, quoniam in cauernis, & mineris, & absconsis locis hæc natura procreat, ergo cum modum mitionis eorum ignoras, & hæc facere similiter ignoras. Similiter iterum arguunt: Etiam si hoc debitè scires, attamen in mitionis actione ignorares calorem æquare agentem, quo mediante res ita perficitur. Certam enim habet naturam caloris quantitatem, qua metalla inesse deducit, cuius mensuram ignoras. Similiter & alias naturæ causarum differentias agentium ignoras, sine quibus non posset natura veraciter intentum perficere: his ergo ignoratis, & totus similiter agentis modus huius artis ignorabitur. Præterea etiam rationem & experientiam tibi

tibi adducunt. Tandiu enim, inquirunt, est à viris sapientibus hæc perquisita scientia, ut si possibile esset ad eam per aliquam viam perueniri, iam eam milles compleuissent. Similiter etiam, cum Philosophi vili sint in suis voluminibus eam tradere, nec tamen in eis veritatem reperiamus, manifestum satis per hoc est, & probabile, hanc scientiam non esse. Similiter & multi huius mundi Principes & Reges, thesaurum infinitum, & Philosophorum copiam habentes hanc artem adinuenire desiderauerunt, non tamen ad huius preciosissimæ artis fructum pertingere potuerunt. Hoc utique satis sufficiens est argumentum, quod ars sit friuola, probatione. Similiter etiam in debilibus missionibus specierum, sequi naturam non valemus. Asinum enim fingere ignoramus & cætera similia, quarum missiones sunt debiles, & manifestæ quasi sensibus. Quare & multo magis metallorum missionem (quæ est fortissima) fingere ignorabimus: quæ est etiã nostris sensibus & experiētijs occultata penitus. Cuius signum est difficultas resolutionis elementorum ex ipsis. Similiter etiam non videmus bouem in capram transformari, nec aliquam aliam speciem, in aliam transmutari vel per aliquod aliud artificium reduci. Quomodo igitur cum metalla differant specie, niteris inuicem secundum speciem transformare, ut de tali specie talem speciem facias? Absurdum satis hoc nobis videtur, & à veritate illata ex principijs naturalibus semotum. Similiter etiam, in millibus annorum natura metalla perficit: quomodo autem tu in artificio transmutationis per annorum millia durare poteris? cum vix ad annorum centum metam pertingere valeas? Si tamen ad hoc ita responderetur: Quod non potest natura perficere in maximo temporis spacio, id in breui per artificium nostrum implemus: quoniam artificium in multis naturæ defectum complet: Dicimus iterum, quod & hoc impossibile est, & in metallis specialiter, cum sint fumi subtilissimi, qui temperata decoctione indigent, ut in seipsis secundum æqualitatem inspissetur humiditas propria, & non fugiat ab eis, & relinquat ipsa omni humiditate priuata, qua contusionem & extensionem suscipiunt. Si igitur per artificium tuum volueris tempus decoctionis naturæ in mineralibus, & metallicis corporibus abbreviare, oportebit per excessum caloris hoc facere, qui non adæquabit, sed potius humiditatem dissoluendo ex eorum corporibus dissipabit & destruet. Solus enim temperatus calor humiditatis est spissatiuus, & missionis perfectiuius, non ignis excedens. Similiter etiam, esse & perfectio dantur à stellis, tanquam à primis perficientibus, & mouētibus naturam generationis & corruptionis ad esse & non esse specierum. Hoc autem fit subito, & in instanti, cum peruenit vna stella aut plures ex motibus, ad situm determinatum in firmamento, à quo datur perfectionis esse: quia vnaqueque res ex certo situ stellarum acquirit sibi esse in momento. Et non est solum vnus situs, imò plures, & sibi inuicem diuersi, quemadmodum ipsorum effectus sunt diuersi. Et horum diuersitatem, & distinctionem ab inuicem pernotare non possumus, cum nobis sint incogniti & infiniti. Quomodo ergo supplebis defectum in opere tuo, ex ignorantia diuersitatum situum stellarum, ex motu earum? Et tamen si situm vnus, aut plurium stellarum certum, quo datur metallis perfectio, scires, non tamen opus ad intentum tuum perficeres. Non est enim alicuius operis præparatio ad suscipiendam formam per artificium in instanti, sed successiua. Ergo operi forma non dabitur, cum præparatio non sit in instanti. Similiter etiam in rebus naturalibus iste est ordo: quod facilius est eas destruere, quam construere. Sed vix aurum possumus destruere quomodo igitur & construere præsumimus? Propter has igitur rationes sophísticas, & alias his minus apparentes, credunt hanc se artem diuinam interimere. Hæ omnes sunt persuasiones sophistarum, artem nostram simpliciter esse

negantium. Rationes verò eorum, qui ex suppositione negant artem, ponantur cum destructionibus illarum in sequentibus. Ab hinc verò ad harum intentiones nunc positarum, transeundum à nobis est: prius ponentibus nobis super has veram intentionem, ad operis complementum.

Occupatio, fieri nec posse, nec debere, quòd ars naturam in omnibus differentijs proprietatum actionis imitetur, et quedam de principijs metallorum erudita. Cap. X.

Dicimus itaq, quòd principia, super quæ actionem suam natura fundat, sunt durissimæ compositionis, atque fortissimæ: & sunt sulfur & argentum viuum, vt dicunt quidam Philosophi. Igitur quia durissimæ & fortissimæ cōpositionis, difficillimæ sunt etiam resolutionis, sed vt fiat inspissatio eorum adinuicem & induratio, taliter, quòd fiat in eis contusio & extensio per mallei compulsionem, & non confractio: non est nisi per hoc, quòd humidum viscosum in eorum adinuicem commistione, saluatur per successiuam in minera decoctionem. Sed regulam tibi tradimus, carissime fili, generalem: quòd non fit inspissatio alicuius humidi, nisi prius fiat ex humido partium subtilissimarum exhalatio, & conseruatio ex humido partium magis grossarum, si sit humidum in commistione superans siccum, & vera mistio siccæ & humidæ: vt humidum contemperetur à sicco, & siccum ab humido, & fiat hæc substantia vna in suis partibus homœomera, & temperata inter durum & molle, & extensiuæ in contusione. Sed hoc non fit, nisi per diurnam mistionem humidæ viscosæ, & subtilis terre per minima, quousque humidum idem cum sicco & siccum cum humido fiat. Et huiusmodi subtilis vaporis non fit resolutio subito: imò paulatim, & in millibus annorum, & illud ideo, quia vniformis est substantia principiorum naturæ. ergo si subito fieret ab eis superflui humidæ resolutio, cum non differat humidum à sicco, propter fortem mistionem, quam habent, huius vtq, rei solueretur humidum cum sicco, quare totum in fenum euanesceret, nec separari posset humidum à sicco in resolutione, propter fortem vnionem, quam habent ad inuicem. Huius itaq, videmus manifestam experientiam in spirituum sublimatione, quia cum in eis per sublimationem fiat subita resolutio, non separatur humidum à sicco, nec siccum ab humido, ita vt diuidantur in partes totales mistiones eorū, sed tota ascēdit eorū substantia, aut parū ex eorū componētibus dissoluitur. Resolutio ergo humidæ subtilis fumo si, successiuæ, & diurna & æqualis, est causa inspissationis metallorum. Hanc quoq, facere nō possumus inspissationē per hunc modū. Ergo in hac sequi naturā non valemus. Non enim possumus naturam in omnibus differētis proprietatū actionis imitari. Nostra igitur intentio non est, in principijs naturā sequi, nec in proportionem miscibilium elementorū, nec in modo mistionis ipsorū adinuicem, nec in æquatione caloris inspissantis. Cum hæc omnia sint nobis impossibilia, & penitus ignota: Restat ergo rationes sophistarum interimere, hanc excellentissimam scientiam per ignorantiam negantium.

Confutatio rationum, artem simpliciter negantium. Cap. XI.

Si dixerint ergo, nos proportionem elementorum, & modum mistionis eorum adinuicem, æquationē item caloris metalla inspissantis causasq, alias multas, & accidentia naturæ actionū consequentia, ignorare: Cōcedimus eis vtq, sed nō propter hoc nostram scientiam diuinam interimunt, quia nec scire volumus illa, nec possumus, nec ad opus nostrum possunt peruenire. Sed aliud ad hoc nobis principium assumimus, aliudq, generationis metallorum modum, in quibus sequi naturam possumus. Si dixerint, etiam Philosophos & Principes huius mundi hanc desiderasse scientiam, & ipsam non inuenisse: Respondemus, eos mentiri, quoniam & quosdam Principes (licet paucos) & maxime

maximè antiquos, & sapientes, nostro tempore repertos, iam ex sua industria hanc constat indagasse scientiam, sed talibus, nec ore, nec scripturis eam tradere uoluerunt, cum indigni sint eius. Ergo cum non uiderint aliquos hanc scientiam possidere, cecidit super mentes illorum error, ut æstiment nullos hanc inuenisse. Ad hoc etiam, si arguant fantastice, asserentes impotentiam nostram non posse saltem in debilibus mistionibus naturam imitari, sicut in mistione alini vel bouis, ergo nec in fortibus: detegimus eis errorem suum multiplicem quòd in arguendi modum ipsorum non cadat necessitas, qua coartemur artē nostrā non esse concedere, quia à simili, vel à maiori ad minus, suam corroborant fantasiam & errorē, in quibus non continetur necessitas, sed contingentia, ut in pluribus. Ostendemus quoque per aliam viam, demonstrando illos nullam assignare apparentem similitudinem, inter debilem commistionem, & compositionem animalium, & mineralium firmam & fortem. Et hoc ideo, quia in animalibus & alijs uiuentibus, in quibus compositio est debilis, non est perficiens solum proportio, nec miscibilia proportionis, nec qualitates miscibilibus, nec commistio, quæ sequitur ex illarum actione adinuicem & passione, quæ est ex aggregatione illarum primarum qualitatum, sed est anima, secundum opinionem plurium, quæ est ex occultis naturæ, sicut ab essentia quinta, vel à primo motore, & hoc etiam secundum sententiam plurium dicimus, & huius occultum ignoramus. Ideo hæc talia, licet in eis sit debilis mistio, perficere nescimus, quia perfectiū, quòd est anima, infundere ignoramus. Per hoc utique patet, quòd non est defectus ex parte mistionis, quòd non perficiamus bouē vel capram, sed ex defectu infusionis animæ: quoniam sicut debilem & magis debilem, sic etiam fortem & magis fortem compositionem facere, viam & cursum naturalem imitantes, secundum artificium nostrum sciremus. In metallis igitur perfectio minor est, quàm in eis, & versatur illorum perfectio magis circa proportionem & compositionem, quàm circa aliud. Ideo cum in eis minor sit perfectio, quàm in alijs, quæ iam narrauimus, liberius ipsa perficere possumus, illa uero non. Diuersificatur ergo Deus altissimus & gloriosus perfectiones ab inuicem multiformiter. Nam in quibus compositio, quæ est secundum naturam fuit debilis, in illis maiorem & nobiliorem perfectionem posuit, scilicet eam, quæ est secundum animam. Sed quædam fortioris condidit compositionis & firmioris, sicut lapides & mineralia, sed in eis posuit minorem perfectionem & ignobiliorem, scilicet eam quæ est ex mistionis modo. Patet itaque, quòd non est eorum similitudo bona, quia non ignoramus bouem vel capram formare ratione compositionis, sed formæ perfectiue: quoniam perfectio in boue vel in capra nobilior est, & magis occultata, quàm quæ in metallo consistit. Si autem aliter arguant, quòd non mutetur species in speciem: Dicimus eos mentiri iterum, sicut consueuerunt potius, quàm verum dicere super his, quoniam & species mutatur in speciem, secundum hanc viam, cum indiuiduum speciei vnus in alterius mutatur speciei. Videmus namque vermē, & naturaliter, & per artificium naturale, in muscā verti, quæ ab eo differt specie, & vitulū strangulatum in apes, & frumentum in lolium, & canem strangulatū in vermes per ebullitionis putrefactionem. Sed hoc non facimus nos, facit autem natura, cui administramus. Similiter & metalla non putamus, sed natura, cui secundum artificium illam materiam præparamus, quia ipsa per se agit, non nos. Nos uero administratores illius sumus. Et, si per aliam rationē similiter taliter arguunt, & suam corroborant sophisticè opinionē, quòd in millibus annorū natura metalla perficit, tu uero millibus perdurare non potes: Dicimus quòd natura super principia sua secundū opinionem antiquorū Philosophorū agens perficit in

millibus annorū, sed quia principia illa sequi non valemus: ideoq; siue in millibus annorum, siue in pluribus, siue in paucioribus, vel momento, hæc natura perficiat, non tenet illorum persuasio. Quod autem in principijs imitari naturā non possumus, iam ex præcedenti negatiuo sermone satis abbreviato determinauimus, & cōpletiore sermone in subsequētib; demonstrabimus. Secū dum tamen opinione aliquorū prudentium & perspicacium, intentū suū subito natura perficit, scilicet vna die, vel breuiori tempore. Et si hoc verum sit, non tamen valemus in principijs naturam imitari, id quod manifestius ostēsiōne sufficiente probauimus, residuum tamen huius quæstionis cōfitemur, quia totū verum concedimus esse. Et, si dicāt quod à situ vnius vel plurium stellarū datur metallis perfectio, quā ignoramus: Dicimus hunc sitū nos scire nō oportere, quia nō est species generabiliū & corruptibiliū, quin ex indiuiduis eius alicuius fiat generatio, & corruptio omni die, per quod patet utiq; sitū stellarū esse omni die perfectiū cuiuslibet speciei indiuiduorum & corruptiū. Non igitur necessarium est stellarum sitū expectare, esset tamen vtile, sed sufficit solum naturæ disponere, vt & ipsa, quæ sagax est, disponat sitibus convenientibus, mobiliū corporū: Nō enim suū motū potest natura perficere sine motu & situ mobiliū. Vnde si naturæ artificium disposueris, & cōsideraueris quæcūq; ex cōtingētib; huius magisterij fuerint, debite perficietur sub debito situ per naturā sibi conuenientē, absq; cōsideratione illius. Cū enim videmus vermē ex cane vel alio animali putrescibili deductū in esse, nō cōsideramus immediate sitū stellarum, sed dispositiones aeris circūstantis, & alias causas putrefactionis perfectiū, præter illū. Et, ex tali cōsideratione sufficienter scimus vermes secū dum naturā in esse producere. Natura enim sibi inuenit conuenientē situm, licet à nobis ignoretur. Et, si dicant perfectionē in instanti dari, & præparationem nostrā non in instanti fieri, & concludunt ex hoc, nō perficietur per artificium, ergo nec ars: Dicimus capita illorū fatua, vacuaq; esse ratione humana, eosq; magis bestijs, quā hominibus assimilari. Cōcludunt enim ex præmissis, nulla se habētibus habitudine ad id quod illatū est. Tantum ergo tenet hæc argumentatio, Alinus currit, ergo tu es capra, quantum & ipsorū. Et hoc ideo, quia & si nō fiat præparatio in instanti, non prohibetur tamen hoc, quod forma vel perfectio nō possit præparato dari in instāti. Non enim præparatio est perfectio, sed habilitatio ad suscipiendā formā. Sed si dicant etiā, quod facilius est, res naturales destruere, quā construere illas per artificium, & vix aurum possumus destruere, & cōcludant, impossibile esse, construere illud: Respondemus eis taliter, quod non concludunt de necessitate, qua coartemur concedere aurum non posse construi. Nam cum difficulter destruitur, difficilius construitur: non autem impossibile est, illud posse construi: huius autem assignamus causam, quia fortem habuit compositionem, ideoq; difficiliorem habuit resolutionē, ideoq; difficulter destruitur. Et hoc est, quod facit eos opinari, impossibilem esse illius constructionē, quia destructionem artificialem ex cursu naturæ ignorāt. Attentauerūt fortē, quod sit fortis compositionis, sed quā m fortis cōpositionis sit, non attentauerunt. Sufficiēter itaq; tibi carissime fili sophistarum fantasias attulimus. Restat ergo, ex quo attentum promissione fecimus, secundum illam promissionem ad ea quæ determinanda sunt, ex rationibus artem negantium, à datis transire. Quæ cum debite determinata fuerint, tum ad ea venire determinanda, quæ sunt principia de intentione naturæ, quorum essentiam nos oportet disputare sufficientius in insequētib; . Post illam verò determinationē, etiam de ipsis sermonem faciemus, quæ sunt principia nostri magisterij. In prima tamen traditione vniuersalē, in sequenti verò singularem

larem de vnoquoque principiorum faciemus sermonem. Nunc verò ad præsens rationes negantium à datis, & ipsarum interemptiones in primis afferamus.

Diverse opiniones eorum, qui artem esse supponunt. Cap. XII.

HAnc itaque artē supponentes, multiplices ex intentione diuersa esse cōperimus. Alij quidē in spiritibus, alij verò in corporibus, alij in salib. & aluminibus, nitrīs & boracibus: alij verò in omnibus rebus vegetabilibus hanc inueniri artē & magisteriū affirmāt. Ex his autē omnibus, hi quidē secundū partem bene, & secundum partē malē, hi verò secundū totum malē, hoc diuinum magisteriū æstimantes illud tradiderunt posteris. Ex ipsorum autē errorū multiplicitatibus veritatem nos collegisse, difficilis & laboriosa cautela coniectura, longa & tædiosa experiētia, multorumq; sumptuū interpositione contigit, & illorū error per nostræ mentis dispositionē & rationē sepiissime militauit, & quasi desperationē adduxit. Blasphemati sint ergo in æternū, quia blasphemias & maledictionē posteris reliquerunt, & ex errore suo super philosophantes perfuderunt, non veritatē, sed diabolicā instigationē potius post mortem suā dimiserunt. Et ego blasphemandus sim, nisi errores illorū corrigā, & veritatē tradam in hac scientia, prout melius exigit hæc ars vera. Hoc enim magisteriū occulto sermone non indiget, nec manifesto penitus. Trademus igitur eā sermone talī, quem latere prudentes non accidet: hic autē mediocrib. profundissimus erit, fatuis autē utrosq; terminos irreuerabiliter concludet in hac vna, & eadem nostra traditione. Redeuntes igitur ad propositū, dicimus eos, qui in spiritibus eā esse ponunt, diuersos esse multipliciter. Alij quidē ex arg. viu. alij autē ex sulfure, & huic affini arsenico, lapidē Philosophorū perquiri asserunt necesse esse: Et alij quidā ex Marchasita, quidā ex Tutia & Magnesia, & ex sale Ammoniaco quidā. Qui verò in corporibus, alij quidā in plūbo, alij in quolibet aliorū corporū esse dicunt, alij utiq; in vitro, & quidā in gēmis, & alij in diuersitatibus salū & aluminū, & nitrorū & boracium, & alij in omni genere rerū vegetabilium. Et illorū vnīcuiq; supponēti alius est aduersarius secundum suam suppositionē. Et his aduersans credit se arti simplicitē aduersari. Et secundum plurimum vtriusque sectam inuenimus rationibus uacuam.

Rationes negantium artem in sulfure suppositam. Cap. XIII.

Quidam igitur in sulfure supponentes eam inueniri, in sulfure laborē impenderūt, & ignorantes eius præparationis perfectionē, ipsam præparationē diminutam reliquerunt. Crediderunt enim solam mundationē, & purificationē, præparationē perfectionis fore: hæc aut per sublimationē fit, ideoq; adductum est intentioni eorū, ut existimarēt, quòd sola sublimatio in sulfure sit perfectio præparationis ipsius, & similiter in suo cōpari, videlicet in arsenico autumates induxerunt. Venientes igitur ad projectionē, quæ est ad intentionē alterationis, viderūt illud aduri, & evanescere, & nō longā in corporib. moram trahere, & corpora relinqui ab eis magis immūda, quā prius fuerunt ante projectionē illius: quia ergo viderunt hanc delusionē in operis sui cōplemēto & longissimis fuit tēporibus reuolutū in illorum pectoribus, ex solo sulf. hanc scientiā reperiri, & in illo non inuenissent, arguunt nō posse in alio hanc inueniri: quare cum nec in hoc, nec in alio inueniatur, arguunt nusquam inueniri.

Confutatio rationum precedentium. Cap. XIII.

Respondemus eis itaq; breuiter, & dicimus eos in hoc parum intelligere, & minima sapere, quia supponūt solū sulfur esse materiam nostrā. Et si vera hæc esset suppositio, tamen in modo utiq; præparationis decipiuntur quia solā sublimationē credunt sufficientem esse. Sunt enim tanq; puer, qui ex principio natiuitatis suæ vsq; ad senectutem in domo concluditur, nō putans

mundi latitudinem extendi, ultra suae domus latitudinē, vel ultra, quā oculo possit in domo cōspicere. Nō enim hi in multis lapidibus laborē suū adhibuerūt, nō igitur potuerūt sentire, ex quo medicina nostra eliciatur, & ex quo nō, ex quo manus suas etiā à laborū copīa excusauerunt: quis ergo laborum perfectius sit, vel nō, meritō ignorare debuerunt. Sed quare fuerit opus illorum diminutum, dicimus, quia adurentiam in sulfure dimiserunt, & fugam, quā non solum non perficiunt, verumetiam dissipant & destruunt.

Rationes negantium artem in arsenico suppositam, earumq; confutatio. Cap. XV.

Alij verō in eodē & suo compari arsenico hunc lapidē inueniri existimātes necesse esse, & profundius ad operis consumationē attendentes, non solum per sublimationē mundauerunt adurentē sulfureitatem, verumetiā remouere conati sunt terrestreitātē, relicta in illo fuga. Ad quorū proiectionē similiter delusio superuenit, quia non adhæsit stabiliter in his ipsis corporibus, sed successiuē & paulatim euauit, relicto tali corpore in priori sua dispositione. Qui & similiter arguerunt interimētes vt primī, & eisdē vt primis respondentes, artē affirmamus, & eam scimus esse, quia vidimus, & veritatem tetigimus.

Rationes negantium artem suppositam in Sulfure, Arg. uiuo, Tutia, Magnesia, Marchasita, & sale ammoniaco, eorumq; confutatio. Cap. XVI.

Alij quidā profundius in ipso viderunt, & mundauerūt illud, & fugam, & adustionē abstulerunt, & factum est eis fixum & terreū, nullam dans in ignis calore fusionē bonam, sed solam vitrificatoriā, & ideo non potuerūt proiectionē corporibus permiscere, ideoq; arguūt vt primī, & eisdem respondemus sicut primis, quia opus diminutū dimiserunt, nec illud cōplere sciuerunt. Ingressionē enim, quā est perfectiū vltimū, inquirere ignorauerunt. In omnibus similiter spiritibus alijs est idē modus præparationis, nisi quod in arg. viu. & tutijs excusamur à maiori labore, qui est ex remotione adustionis: hec enim sulfureitatem adustibilē & inflāmabilē non habent, sed solam fugā. Magnesiæ verō & Marchasitæ omne genus sulfureitatis habēt, plus Marchasita, minus verō Magnesia, fugā tamen omnes habent, plus arg. viu. & sal amm. minus verō sulf. adhuc verō minus cōpar illius, quartō verō adhuc minus marchasita, quintō verō magnesia minus illa, sextō verō & vltimō, minimē omniū tutia. Vtraq; autē fuga participans est, alia tamen plus, alia verō minus: & ideo propter illorum fugam quibusdam experimentatoribus superuenit delusio vehemens in operationibus præparationum illorum, & ipsorum proiectionibus similiter. Ideoq; & ipsi arguunt & interimunt, vt in sulfure supponentes, & eisdem, vt in sulfure supponentibus, respondemus.

Rationes negantiū artē suppositā in spiritibus, unā cum corporibus figēdis, & eorū confutatio. Ca. XVII.

Sunt & alij nitentes spiritus in corporibus figere, nulla alia præparatione shuic præueniēte, sed eisdē delusio angarians similiter moerorē attulit & desperationē, & coacti sunt ex ea, non esse hanc scientiā credere, & contra ipsam arguere. Est em̄ turbationis illorū causa ac incredulitatis hæc, q̄ in fusionē corporū spiritus illa dimittūt, nec eis adherent, imò asperitatē ignis refugiant, permanentibus in ea solis corporibus, quoniā pressurā impietatis ignis illi cōpati propter fugā non possunt, quæ ab eis non est ablata. Accidit similiter quādoq; delusio, quia eisdē & cū corpora ignē effugiant, & hoc est, cū nō fixi spiritus corporibus in profundo inseparabiliter adhæserunt, quoniā volatilis summa, summā fixi superat. Vnde & similiter vt primī arguūt, & similiter vt primis eis respondemus. Tota ergo illorū reprobatio hæc est: Si corpora filij doctrinæ vultis conuertere, tunc si per aliquā materiā fieri hoc possibile sit, per spiritus ipsos utiq; fieri necesse est: sed ipsos non fixos corporibus vtiliter adhærere non est possibile, imò fugiunt, & immunda relinquunt illa, ipsos autē fixos non

non est possibile ingredi, cum terra facti sint, quæ non funditur: & cum inclusi corporibus fixi apparent, non tamen sunt, aut ab eis recedunt ipsis manentibus aut ambo simul aufugit. Cum igitur in materia magis affini nullis modis hæc artem inuenire sit possibile, in magis remota non inuenietur, ergo nusquam. Responsio utique nostra hæc est, quod quicquid scibile circa hoc est, non totum sciunt, ideo nec operatum ex eo totum inveniunt, consequentis igitur vitium per sufficientiam ponunt ipsorum robur.

Rationes negantium artem in corporibus suppositam, et primò in plumbo albo, id est stanno, seu loue, et earum confutatio. Cap. XVIII.

Quidam autem posuerunt in corporibus illa. Cum tamen ad opus pertenerunt, illusi sunt, ut existimantes plumbum utrumque, liuidum scilicet & album, albedine non pura, multum naturæ Solis & Lunæ assimilari & approximare: liuidum quidem multum Soli, Lunæ verò parum: album verò Lunæ multum, Soli verò parum. Propterea horum aliqui autumantes stannum, seu louem multum Lunæ assimilari, & stridore, mollitiæ, & liquefactionis velocitate solummodo differrent, credentes ex superfluitate suæ humiditatis, liquefactu esse facile, & molle similiter, ex substantia verò fugitiua arg. viui in illo intercidente partes stridore possidere, exposuerunt illud igni, & calcinantes ipsum tenuerunt in igne, quæ potuit tolerare, quousque album factum est in calce sua, quæ postea volentes reducere non potuerunt, sed æstimauerunt impossibile fore. Et horum aliqui reduxerunt ex illo aliquid, & stridore, ut prius, & mollitiæ in illo inuenerunt, atque liquefactionis velocitatē. Ideoque crediderunt hoc impossibile per viam hanc, & ad ducti sunt incredulitate, ut putarent artem indurationis illius inueniri non posse. Horum verò aliqui calcinauerunt, & reduxerunt, & iterum scoriam illius subtrahendo cum maioris ignis expressione calcinauerunt & reduxerunt, & sic sæpe reiterantes opus ad illud, viderunt iam illud induratum, atque sine stridore: quia verò velocitatem liquefactionis non omnino remouerunt, errauit mens illorum, & existimauerunt ad illud non posse perueniri. Horum itaque & alij volentes eisdem duritiem & retardationē liquefactionis cum administratione durorum corporum præstare, in delusionē ceciderunt, ut frangeret illis quodcumque durorum corporum admistum ei fuerit, nec iuuat in hoc eos vlla præparatio. Ideoque cum nec duris, nec igne illud præparare potuerint, excusauerunt se de longa mora inuentionis artis, quia eam impossibilem crediderunt & dixerunt, per hoc & contra artē arguentes instantes, posuerunt illam non esse. Præterea & alij quidam addentes multa medicamina, viderunt illa nullam immutationem facientia, nec ei conuenientia, sed potius corruptentia, & contra illorum propositum agentia, & ideo libros abiecerunt, & capita retorserunt, & artem veram & diuinam, friuolam esse dixerunt. Quibus obuiantes respondemus responsione prima,

Rationes negantium artem in plumbo nigro suppositam. Cap. XIX.

Endem etiam est in Plumbo nigro reperire illusionis modum, solo excepto quod corpora non frangit, & quod citius redit à calce sua, quam Iupiter: liuiditatem verò eius remouere non possunt, quia ignorant, ideo per illud dealbare non possunt dealbatione bona, nec per suam fantasiā potuerunt illud stabilibus corporibus tam stabiliter associare, quin contingat illud per fortē ignis expressionē recedere à comisto. Et illud quidem maximè decipit illos, in huius præparatione supponentes, in nullo posse scientiā inueniri, nisi in ipso, quia post duas reductiones à calce sua nullam duritiem suscipit, sed maiorem potius molliem, quam prius habuerat, & in alijs similiter non viderunt illud emendari differentijs. Et ideo cum in ipso putantes propinquius & melius inueniri, non inuenerunt, coguntur per hoc credere & argumentari, scientiā non esse, sed delusionē, & ideo peccant hi, ut priores.

Rationes negantium artem in miftione durorum cum duris, & mollium cum mollibus corporibus fuppositam. Cap. XX.

Alij verò componentes dura cum duris, & mollia cum mollibus, propter conuenientiam voluerunt corpora sese inuicē transmutari & trāsmutare & illud non potuerunt, propter suā ignorantia, vt permiscētes Solē vel Lunā cum Venere, vel alio quocunq; metallorū, nō transmutāt illa in Solem, vel Lunam transmutatione firma, quin experiantur ignis expressione fortivnūquod que illorum à cōmiftione separari & comburi, vel ad priorē sui naturam redire. Quædā verò ex eis plus durant in cōmiftione, quædā verò minus, vt à nobis sufficienter determinatū est. Hæ itaq; delusiones superuenientes propter ignorantiam, faciunt hos tales de hac diffidere arte, & illam arguere non esse.

Rationes negantium artem in miftione durorum cum mollibus, & perfectorum cum imperfectis fuppositam. Cap. XXI.

Alij autem intimius & profundius super hoc inquirentes, cogitauerūt, & ingeniati sunt, & viā voluerunt inuenire, vt dura mollibus vnita, ea stabili-ter indurarent, & perfecta imperfectis, ad perfectionē ea reducerēt, & generaliter à se inuicem transmutarentur & transmutarēt, transmutatione firma. Et ideo voluerunt similitudinē & affinitatē illorū inuenire, tum quidē per medicinas, tum verò per ignis administrationem attenuando grossa, sicut Venerē, & Martem, & inspissando subtilia, sicut est Iupiter, & similia illi. Et aliqui eorū credentes hanc administrationem perficere, delusi sunt in cōmiftione horum durorū corporū, vel quia frangibile fecerūt omnino, vel omnino nimis molle non alteratum à duro, vel nimis durum non alteratum à molli. Et sic conuenientiam non inuenerunt, & ideo artem esse negauerunt.

Rationes negantium artem in extractione animæ, uel ignis regimine fuppositam. Cap. XXII.

Alij verò adhuc intimius & profundius inspiciētes, alterare voluerūt corpora cum animarum suarū extractione, & cum extracta anima omnia alia similiter. Et ad id non potuit eorum experientia peruenire, sed delusi fuerūt in intentione sua, per hoc æstimantes artem non posse inueniri. Alij verò solo igne ipsa perficere conantes delusi in opinione sua fuerunt, quia ad illud peruenire nescierunt. Et hi eam ex hoc non esse putauerūt. Quibus omnibus obuiamus vt primis.

Rationes negantium artem in Vitro, & Gemmis fuppositam, & earū confutatio. Cap. XXIII.

Qui verò in Vitro & Gemmis illā posuerunt, experti sunt per Vitrum & Gēmas in corporibus alterationes fieri nō posse, quia nō alterat quod non ingreditur, at nec Vitrum quidē, nec Gēmæ ingrediuntur, ideoq; nō alterant. Sed & si conati sunt Vitrum cum illis vnire, cū tamē vix hoc fieri possit non tamen propositum habent, quoniam Vitrū ex corporibus faciunt, & propter hoc æstimant hunc errorem super totā artem cadere, & sic eam arguunt non esse. Quibus respondemus, eos operari in non debita materia, ideoq; indebitē terminantes, non possunt hanc ex suis erroribus interimere.

Rationes negantium artem in medijs mineralibus, uel uegetabilibus, uel quarumcunq; rerum commiftione fuppositam. Cap. XXIIII.

Sunt & alij supponentes eam artē inueniri in Salibus & aluminibus, Nitrīs & Boracibus, qui possunt quidē in his experiri, sed eam inueniri minime putamus in eis. Ideoq; si post suam experientiā paucā utilitatē transmutationis inueniūt, scilicet soluēdo, coagulādo, & assādo, tñ non interimant hāc artem diuinā, cū necessaria sit & scita. Possibile est tñ in his omnibus aliquā alterationē inueniri, sed remota est valde, & maxime laboriosa. Adhuc verò & in alijs

In alijs crescētibus omnibus supponentibus, magis laboriosa fore probatur. Le deoq; qui eā in omnibus vegetabilibus ponūt, possibile quidē ponunt, sed nō eis, qm̄ prius deficerent in labore, quā laboratum perfici sit possibile, ideoq; si tales artē non inueniunt suis laboribus, artē nullis laboribus inueniri posse argumētari nō licet. Omnes autē prius dicti, errantes, vnā materiā suā posuerūt & nullā aliam supposuerunt prāter illā. Et hī quidē iam redarguti sunt omnes Alij verō multi & quasi infiniti, harū rerum omniū compositionē, aut quarūdā sub diuersa proportionē facientes, ignoranter & insciēter incedunt, & error illorum in infinitū extenditur, qm̄ infinita est diuersitas proportionis rerū miscibilium, & infinita est diuersitas materierū miscibilium, & in his ambabus infinitatibus infinitē cōtingit errare, aliquando ex superabundātia, aliquando ex diminutione, & in his possibilis est correctio. Sed nos quidē lōgitudini, & prolixitati sermonum parcentes, super infinitis insistere volumus, qm̄ scientiam vnīuersalē trademus breuibus locutionibus, qua euidenter infinitatē suorum errorum emēdare potuerint, & illos corrigere. Nunc verō prius naturalia principia differamus, secundum eorum causas, vt ex principio te attētum fecimus, & commemoratione illorum.

SECVITVR TERTIA PARS HVIVS LIBRI PRIM

de principijs naturalibus & eorum effectu.

De principijs naturalibus corporū metallicornū, secundum opinionem antiquorū. Cap. XXV.



N N V I M V S ergo tibi secundū antiquorum opinionē, qui fuerunt de secta nostra artē imitantium, q; principia naturalia in operā naturæ sunt spiritus foetens, & aqua viua, quā & siccā aquā nominari concedimus. Spiritū autē foetētem diuissimus, est euim albus in occulto & rubeus & niger vterq; in magisterio huius operis: In manifesto autē vterq; tendens ad rubedinē. Dicemus igitur sermone breui, necnō & similiter cōpleto & sufficienti generationē vniūscuiusq; istorū & modum similiter generationis Expedi igitur nos ampliāre sermonē nostrū & dilatare, & singulū capitulū de singulo naturali principio tradere. In genere tñ dicimus, q; vnumquodq; ipsorum est fortissimæ cōpositionis, & vniformis substantiæ, & illud ideoq; q; in eis partes terræ taliter partibus aeris, aqueis & igneis per minima sunt vnitæ, vt nulla ipsarū alterā in resolutione possit dimittere, imō quælibet cum qualibet resoluitur, propter fortē vnionē, quam habuerunt adinuicē per minima & paulatim à calore naturali & æquali in mineralib. in terræ visceribus condensato, multiplicato, & æquato secundum debitum cursum naturæ, ad exigentiā illorum essentia, secundum opinionem quorundam antiquorum Philosophorum.

De principijs naturalibus metallorū, secundum opinionē recentiorum & authoris. Cap. XXVI.

A Lij autē aliter dixerunt, q; principiū non fuerit arg. viu. in natura sua, sed alteratū & conuersum in terrā suā, & sulf. similiter alteratū, & in terrā mutatū. Vnde dixerūt quod aliud fuerit principiū, quā spiritus foetēs, & spiritus fugitiuus in intentione naturæ. Et ratio qua moti sunt, ea fuit, quia nō inueniunt in mineris argēteis, vel aliorū metallorū aliquid quod sit arg. viu. in natura sua & aliquid quod sit sulf. similiter, imō per se inueniunt vnūquodq; illorū separatim in ppria sua minera in sua natura. Et similiter per aliā rationē hoc quoq; affirmāt Nō est transitus, inquit, à contrario in contrariū, nisi per dispositionē mediā. Ergo cū sic sit, coguntur cōfiteri & credere, q; nō sit transitus à mollitie arg. vi. ad duritiē alicuius metallorū: nisi per dispositionē, quæ est inter duritiē & mollitiē illorū, sed in mineris nō inueniūt aliquid, in quo saluē hęc media dispositio, ideo hac ratioe cōpellūt credere, arg. vi. & sulf. in sua natura nō esse

principium de intentione naturæ, Imò aliud quod sequitur ex illorum essentiarum alteratione, in radice naturæ ad terream substantiam. Et est iste modus, quod prius vnumquodque eorum conuertitur ad terream naturam, & ex his ambabus terreis naturis resoluitur fumus tenuissimus à calore multiplicato in viscere terræ, & hic duplex fumus, est materia metallorum immediata. Hic fumus, cum à calore temperato mineræ decoctus erit, conuertitur in naturam cuiusdam terræ, ideoque fixationem quandam suscipit, quam deinde fluens aqua per viscera mineræ & terræ spongiositatem dissoluit, & ei vniiformiter vnitur vnione naturali & firma: Ideoque sic dixerunt sic opinantes, quod aqua fluens per meatus terræ inuenit substantiam dissolubilem ex substantia terræ in visceribus illius, & illam soluit, & vniiformiter cum illa vnitur, quovisque & substantia terræ in visceribus dissoluta, & aqua fluens dissoluens, vnum fuerint vnione naturali, & ad talem mixturem veniunt omnia elementa secundum debitam naturalem proportionem, & miscentur per minima, quovisque faciunt vniiformem mixturem. Et hæc mixtio per successiuam decoctionem in minera inspissatur & induratur, & fit metallum. Et hi quidem quanuis sint affines veritati, non tamen veritatem conijciunt puram.

Diuisio dicendorum de tribus principijs, sulfure scilicet, arsenico, & arg. uiuo. Cap. XXVII.

Iam sermone vniuersali determinauimus de metallorum principijs naturalibus. Restat igitur vt nunc ponamus vniuscuiusque principij capitulum. Cui ergo tria sint, sulfur, arsenicum, & argentum viuum. Primò adscribemus capitulum de Sulfure, secundò de Arsenico, tertio de Argento uiuo. Deinde vniuscuiusque metallorum, quæ sunt effectus eorum, ponemus capitulum determinatum, secundum quod est ex opere naturæ. Dehinc ad ea quæ huius magisterij sunt fundamenta, & illorum operationes transeundo, horum omnium causas assignabimus.

De Sulfure. Cap: XXVIII.

Dicimus igitur quod sulfur est pinguedo terræ, in minera terræ per temperatam decoctionem inspissata, quovisque induretur, & sicca fiat, & cum indurata fuerit, sulfur vocatur. Habet siquidem sulfur homogeneam & fortissimam compositionem, & est vniiformis substantiæ in suis partibus homœomera, quia homogenium est. Ideoque non aufertur eius oleum ab ipso per distillationem, sicut ab alijs rebus oleum habentibus. Qui ergo querunt ipsum calcinare non perdendo de illius substantia aliquid, de quo sit curandum, in vanum laborant, quoniam non calcinatur nisi per magnam industriam, & multum de illius substantia dissipando. Ex centum enim partibus vix tibi tres sufficienter reseruabis post calcinationem. Figi similiter non potest nisi calcinetur prius, commisceri attamen, & aliquantulum illius fuga retardari, & illius potest adustio reprimi, & cum commisto facilius calcinatur. Qui ergo querit ex eo opus elicere, illud per se præparando non eliciat, quoniam cum misto perficitur, & sine illo protelatur magisterium usque ad desperationem. Et cum suo compari sit tinctura, & dat pondus completum unicuique metallorum, & ipsum à foeditate depurat & illustrat, & perficitur cum magisterio, sine quo nihil horum præstat, sed potius corrumpit & denigrat, non igitur sine magisterio ipso utaris. Qui etiam in præparatione ipsum commiscere & amari corporibus nouerit, sciet vnum de secretis naturæ maximum, & viam perfectionis vnã, cum multæ sint viæ ad vnum effectum, & vnum intentum. Et quodcunque corpus ex ipso calcinatur, acquirit pondus sine dubio. Aes quoque assumit ex eo Solis effigiem. Mercurio quoque associatur, & per sublimationem fit Vlsifur. Calcinantur denique omnia corpora ex eo facile, præterquam Sol & Iupiter. Sol vero dis-

rò difficillimè. Et non coagulatur argētum viuum ex eo in Solem vel Lunam, in quibus sit vtilitas per artificium debile, sicut Philosophorum quidam fatui putauerunt. Et ita dicimus, quòd quæcūque corpora minus habent de humiditate, facilius per sulfur calcinantur, quàm quæ multam. Per Deum altissimum, ipsum illuminat omne corpus, quoniam est lumen, alumen, & tinctura. Diffillimè quoque soluitur, quia non habet partes falsuginosas, sed oleagineas quæ non faciliè in aquam soluuntur. Quæ autem faciliè vel difficiliè soluuntur in aquam, in capitulo Solutionis monstrabimus satis apertè. Sublimatur verò, quia spiritus est. Et si commiscetur Veneri, & adunatur cum ea, fit mirabile violaceum. Cum Mercurio quoque miscetur similiter, & fit ex eis per decoctionem celestinus color & delectabilis. Non putet tamen quis, quòd sulfur per se opus compleat Alchemiæ: non enim esset hoc nisi vanum credere, hoc autem satis lucidè probabimus in sequentibus. Eligitur autem crassum & lucidum. Et de sulfure hæc dicta sufficiant.

De Arsenico. Cap. XXXIX.

Restat nos de Arsenico determinare ad præsens. Dicimus igitur quòd est de subtili materia, & simile cum sulfure, ideo non oportet illud aliter diffiniri, quàm sulfur: in hoc autem diuersificatur à sulfure, quia est albedinis tinctura de facili, rubedinis autem difficillimè: sulfur verò rubedinis de facili, albedinis autem difficillimè. Est autem sulfuris & Arsenici duplex genus citrinum scilicet, & rubeum, quæ sunt huic arti vtilia, reliqua autem multa genera non. Figitur autem Arsenicum sicut sulfur. Vtriusque verò sublimatio ex metallorum calcibus melior est. Non sunt autem sulfur & Arsenicum materia perfectiua huius operis. Non enim completa sunt ad perfectionem, habent autem adminiculum perfectionis in casu. Eligitur autem lucidum, & squamosum & scissile.

De Argento viuo, seu Mercurio: Cap. XXX.

Argentum autem viuum, quod etiam Mercurius appellatur antiquorum visu, est aqua viscosa in visceribus terræ, substantiæ subtilis albæ terræ per calorem temperatissimum vnita totali vnione per minima, quovisque humidum contemperetur à sicco, & siccum ab humido æqualiter. Ideo quæ fugit superficiem planam de facili, propter suæ aquæ humiditatem. Non autem adhæret, viscosam licet habeat humiditatem, propter siccitatem illius, quæ illam contemperat, & non adhærere permittit. Est etiam (vt quidam dicunt) materia metallorum cum sulfure. Adhæret quoque tribus mineralibus de facili Saturno videlicet, & Ioui, & Soli, Lunæ autem magis difficulter: Veneri verò difficilius quàm Lune, Marti autem nullo modo, nisi per artificium. Ex hoc itaque maximum elicias secretum. Est enim amicabile, & metallis placabilis, & medium coniungendi tincturas, & non submergitur aliquid in Argento viuo, nisi Sol. Soluuntur tamen Iupiter & Saturnus, Luna & Venus ab eo, & commiscentur, & sine ipso aliquod metallorum deaurari nō potest. Figitur & est tinctura rubedinis exuberantissimæ refectionis, & fulgidi splendoris, & non recedit à commisto, donec est in natura sua. Non est tamen medicina nostra in natura sua, sed iuuare quandoque potest similiter in casu.

De effectibus principiorum naturæ, quæ sunt corpora metallica. Cap. XXXI.

Dicamus de metallicis corporibus, quæ sunt effectus horum naturæ principiorum. Sunt autem sex numero. Aurum, Argentum, Plumbum, Stannum, Aes & Ferrum. Dicimus igitur quòd metallum est corpus minerale fusibile, sub malleo ex omni dimensione extensibile. Est autem metallum

m

(vt diximus) densæ substantiæ, & fortissimæ compositionis & firmæ. Habent autem affinitatem magnam metalla adinuicem, non tamen perfectum diminutum perficit per eius commistionem. Si enim aurum cum plumbo admisceatur fusione, non fit ex hoc plumbo aurum, sed euanescit plumbum ab admistione, & aduritur: aurum autem in examinatione remanet. Similiter in reliquis inducendo cadit secundum communem cursum. Secundum verò nostrum magisterium perfectum imperfectum adiuuat, & imperfectum in nostro magisterio per se perficitur sine administratione alicuius rei extraneæ, & imperfectum hoc eodem magisterio perficitur. Et per Deum, seinuicem alterant & alterantur, & seinuicem perficiunt & perficiuntur, & per se tantum vnum quodque perficitur, sine alicuius adminiculo.

De Sole, siue Auro. Cap. XXXII.

At tulimus tibi in generali capitulo summam de intentionibus metallorum, specialem tibi tamen faciemus de vnoquoque sermonem. Et primo de Auro. Dicimus ergo quod Aurum est corpus metallicum, citrinum ponderosum, mutum, fulgidum, æqualiter in ventre terræ digestum, aqua minerali diutissime lautum, sub malleo extensibile, fusibile, examinationem ceneritij & cimenti tolerans. Et hac diffinitione itaque elicias, quod aliquod non non est aurum, nisi causas diffinitionis & differētiās omnes habeat auri. Quicquid tamen metallum radicitus citrinat, & ad æqualitatem perducit & mundat, ex omni genere metallorum aurum facit. Ideoque per opus naturæ perpēdimus, & artificio æs in aurum mutari posse. Vidimus namque in mineris æris, a quibus emanabat aqua, secum adducens æris squamas tenuissimas. Ipsaque diuturno, & continuo lapsu lauit & mundauit. Deinde verò aqua cessante fluere, vidimus cum sicca arena has squamas per triennium in solis calore excoqui, inter quas est inuentum aurum verissimum. Aestimauimus itaque per aquæ beneficium illas mundatas fuisse, per Solis autem calorem in arenæ siccitate æqualiter digestum, & ad æqualitatem peruenisse. Imitantes autem naturam cum possumus, similiter alteramus, non tamen in hoc sequi naturam valemus. Aurum quoque est preciosissimum metallorum, & est tinctura rubedinis, quia tingit ac transformat omne corpus. Calcinatur autē & soluitur sine vtilitate, & est medicina lætificans, & in iuuentute corpus cōseruans. Frangitur facillime cum Mercurio, & odore plumbi teritur. Non est autem in actu aliquid quod magis in substantia illi conueniat, quam Iupiter & Luna. In pondere autem & soliditate, & putrescibilitate Saturnus, in colore autem Venus, in potentia quidem magis Venus, deinde Luna, deinde Iupiter, & deinde Saturnus, vltimo verò Mars. Et hoc est vnum de secretis naturæ. Cum ipso similiter commiscetur spiritus, & figuntur per ipsum maximo ingenio, quod non peruenit ad artificem duræ ceruicis & pectoris.

De Luna, siue Argento. Cap. XXXIII.

Solis itaque capitulo præmisso, dicamus sermonem nostrum de Luna, communi vocabulo argento. Dicimus igitur quod Argentum est corpus metallicum, album albedine pura, mundum, durum, sonans, perdurans in cineritio, sub malleo extensibile, ignibile, fusibile. Est itaque albedinis tinctura, & indurat Iouem per artificio, & conuertit ad se, & commiscetur Soli, & non frangit, sed in examinatione sine artificio cum eo non perseverat. Qui nouit ipsum magis subtiliare, & post subtiliationem inspissare & figere, cum auro associatum cum eo manet in pugna, & ipsum non dimittit penitus. Positum super fumum acutorum, sicut aceti, salis ammoniaci, & agrestæ, fit celestinus color mirabilis. Et est nobile corpus, sed diminutum a nobilitate auri, & inuenitur eius
minera

minera determinata, & aliquoties habet confusam mineram cum alijs corporibus, & illud non est ita nobile. Calcinatur autem similiter, & soluitur labore magno cum nulla utilitate.

De Saturno, siue Plumbo. Cap. XXXIII.

DE Plumbo similiter tradamus capitulum, & dicamus, quod Plumbum est corpus metallicum, liuidum, terretum, ponderosum, mutū, parua participans albedine, cum liuiditate multa, cineritium & cementum refugiens, molle, facile omni sua dimensione parua compressione extensibile, & facile fusibile sine ignitione. Plumbum autem quidam fatui putant, & dicunt multum in natura sua auro approximare. Sed quia sunt duræ cervicis, omni ratione vacui, nullam veritatem conijcere, quantum in se est, ex subtilissimis rebus queunt, sed de eis secundum sensum iudicant. Et quia vident illud ponderosum, & mutum, & non putrescere, credunt illud Soli multum approximare, sed hoc totum est erroneum, ut latius a nobis in sequenti negotio probatur aperte. Plumbum quoque multum habet de substantia terrea; ideo lauitur, & in stannum per lauacrum vertitur. Per hoc ergo patet stannum magis perfecto assimilari. Et Plumbum similiter adurit, & fit minus, & ponitur super vapores aceti, & fit cerussa. Et licet non multum perfectioni approximet, ex eo tamen per nostrum artificium de facili argentum facimus, & non seruat pondus proprium in transmutatione, sed mutatur in nouum pondus. Et hoc totum in magisterio acquirit. Est etiam Plumbum argenti examen in cineritio, cuius causas dicemus.

De Ioue, siue Stanno. Cap. XXXV.

Iouis ergo traditione non omissa, significamus filijs doctrinæ, quod est corpus metallicum, album, non purum, liuidum, & sonans parum, terretate pauca participans, stridorem, molliciem, liquefactionis sine ignitione velocitatem in radice possidens, cineritium & cementum non expectans, sub malleo extensibile. Est ergo Iupiter inter diminuta a perfectione corpora magis perfecto in radice suæ naturæ affinis, Soli scilicet & Lunæ, Lunæ magis, Soli verò minus. Hoc itaque in sequentibus lucide narrabitur. Iupiter quia albedinem multam ex radice suæ generationis suscepit, ideo omnia non alba corpora dealbat. Vitium est tamen ei, quod omne corpus frangit, præter Saturnum & purissimum Solem. Et Iupiter multum Soli & Lunæ adhæret, & ideo ab eis per examina non de facili recedit. Suscipit tincturam rubedinis, & splendet in eo fulgore inæstimabili, & pondus acquirit in magisterio huius artis. Induratur verò & mundatur facilius quam Saturnus. Et qui sciuerit eius vitium fractionis auferre, subito ex eius proficuo perfrui letabitur. Conuenit enim Soli & Lunæ, nec separabitur ab eius vnquam.

De Venere, siue Aere. Cap. XXXVI.

DE Venere verò sermo noster sit ad præsens. Et est corpus metallicum, liuidum, rubedine fusca participans, ignibile, fusibile, sub malleo extensibile, cineritium & cementum refugiens. Venus itaque (ut narratum est) in profundo suæ substantiæ colorem & essentiam auri prætendit, malleatur verò & ignitur ut argentum & aurum. Ideoque secretum ex ea assumas, quia est medium Solis & Lunæ, & facile ad utrumque conuertere naturam illius accedit, & est bonæ conuersionis, & pauci laboris. Conuenit cum tutia vehementer, que illam citrinat citrinitate bona, & ex hoc proficuum elicias. Excusamur itaque per eam a laboribus indurationis & ignitionis illius. Assumas igitur eam præ cæteris imperfectis in opere minori & medio, in maiori verò minimè. Hoc tamen præ Ioue vitium habet, quod liuescit de facili, & infectione ex acris & acu-

tis suscipit, & eradicare illud non est facile artificium, imò profundum.

De Marte, sive Ferro. Cap. XXXVII.

MARTIS verò narratio, & secretum illius totum est ex opere naturæ, quia est corpus metallicum liuidum multum, parum verò rubeum, albedine non pura participans, durum, ignibile, fusibile fusione non recta, sub malleo extensibile, & multum sonans. Est autem Mars duræ tractationis, propter impotentiam suæ fusionis, qui si medicina illius naturam immutante fundatur, coniungitur Soli & Lunæ, & non separatur per examen sine magna industria, sed si præparatur, coniungitur, & non separatur per aliquod artificium, si eius natura fixationis non immutetur ab eo, sola remota immundicie illius. Est ergo tinctura rubedinis de facili, albedinis verò difficulter. Et cum coniungitur non alteratus, non immutat colorem commisti, sed auget illud in quantitate. Inter omnia igitur corpora Iupiter splendidius, & lucidius, fulgidius & perfectius in solare & lunare transformatur corpus. Sed in eo est opus facilis tractationis, & longi laboris. Post illum verò Venus minus perfectæ mutationis eligitur, difficilioris tractationis, breuioris verò quam Iupiter laboris. Saturnus verò post Venerem, perfectionem in transmutatione ab illa diminutam habet, facilis tractationis, longissimi verò laboris. Mars verò inter cetera minimæ perfectionis in transmutatione consistit, tractationis utique difficillimæ, & laboris longissimi. Quæcumque igitur à velocitate liquefactionis corpora remotiora sunt, difficilioris inveniuntur in transmutationis opere tractationis. Et sunt huiusmodi Venus & Mars. Quæ verò magis, magis: & quæ maximè, maximè. Quæcumque verò maioris liuiditatis & infectionis de terra sunt participantia, & hæc laboris maioris inveniuntur, & minoris perfectionis. Quæcumque autem perfectionum diuersitates paulò prius à nobis determinatæ sunt, in minoris & medijs operis artificio repertæ sunt, in maiori verò vnius perfectionis sunt omnia, non autem vnius tractationis aut laboris sunt. Remanet enim dicere, & quæ tractationis facilitas & difficultas, & quæ breuitas laboris, & longitudo, in radice in natura corporum inuenta sunt. Iam ergo principia naturalia ipsorum corporum, traditione vera, quæ est ex intentione naturæ perscripsimus, & ipsorum corporum similiter determinatos sermones in singulis capitulis veraciter exposuimus, & secundum sententiam eorum, qui intima naturæ videre potuerunt, & secundum nostram, qui ad ea peruenimus cum instantia laboris. Nunc verò secundum quod innuimus, expedit huius artis defectum supplere, & principia omnia huius magisterij tradere in huius nostri sermonis vltima parte, & perfectionem quam vidimus, secundum eius exigentiam, cum causis suis monstrare.

QUARTA PRAS HVIVS PRIMI LIBRI, DE PRINCIPIJS artificialibus huius artis.

Diuisio dicendorum in hac parte, cum insinuatione perfectionis, in secundo libro tradende. Cap. XXXVIII.

SVNT duo quæ determinanda sunt: Principia scilicet huius magisterij, & perfectio eiusdem. Sunt itaque huius artis principia, modi operationum ipsius, quibus applicatur artifex ad hoc magisterium. Qui quidem à se invicem sunt diuersi. Est enim vnus modus Sublimatio, & Descensio alter, & vnus etiam Distillatio, & vnus ex modis est Calcinatio, & alius Solutio, & alius Coagulatio: septimus verò modus est Fixatio, octauus verò Ceratio. De quibus singulis singulas narrationes faciemus, Perfectio verò consistit ex consideratione

deratione eorum, quibus peruenitur ad eam, & ex consideratione rerum iuuatium, & ex consideratione ipsius rei, quæ ultimò perficit, & ex qua cognoscitur, an in perfectione fuit magisterium, vel non. Consideratio eorum, quibus peruenitur ad operis complementum, est consideratio substantiæ manifestæ, & colorum manifestorum, & ponderis in vnoquoque corporum mutandorum, & eorum corporum, quæ non mutanda sunt ex radice suæ naturæ absq; illo artificio, & consideratio illorum similiter in radice sua cum artificio, & consideratio principiorum corporum, secundum suum profundum, occultum & manifestum, secundum naturam suam, sine artificio, & eorum similiter cum artificio. Quoniam si non cognoscerentur corpora & illorum principia in profundo suæ naturæ & manifesto, cum artificio, & sine, nesciretur quod superfluum in eis, & quod diminutum, quæ ratione necesse foret nos nunquam ad perfectionem transmutationis illorum peruenire. Consideratio autem rerum iuuantium perfectionem, est consideratio naturarum, illarum rerum, quæ corporibus sine artificio videmus adhærere & mutationem facere. Et sunt Marchasita, Magnesia, Tutia, Antimonium, & lapis Lazuli, & consideratio eorum, quæ sine adhærentia corpora mundificant, & sunt scilicet sal & alumina, nitra & boracia, & quæ illorum naturæ sunt, atque consideratio vitrificationis mundantis per consimilem naturam. Consideratio verò rei quæ perficit, est consideratio electionis puræ substantiæ argenti viui: & est materia quæ ex materia illius assumpsit originem, & ex illa creata est. Non est autem ista materia argentum viuum in natura sua, nec in tota sua substantia, sed est pars illius, non est autem nunc, sed cum lapis noster factus est. Ipse enim illustrat, & ab adustione conseruat, quod perfectionis significatio est. Consideratio verò rei ex qua cognoscitur, vtrum magisterium in perfectione sit, vel non, est consideratio cineritij, cimenti, ignitionis, expositionis super vapores acutorum, extinctionis, commistionis sulfuris adurentis corpora, reductionis post calcinationem, & susceptionis argenti viui. Hæc autem omnia deinceps narrabimus cum causis suis, & cum experientijs facilibus, quibus poteris manifestè cognoscere, sermones non errasse nostros. Et hæc experimenta erunt tibi penitus notæ.

De Sublimatione, cur sit inuenta. Cap. XXXIX.

PROSEQUENTES igitur nostrum propositum, dicimus de Sublimatione. Et fuit causa inuentionis eius, quia non inuenerunt Antiqui nostri, nec nos, nec qui post nos erunt aliquid, quod vniretur corporibus, nisi spiritus solos, vel aliquod, quod naturam corporis & spiritus in se contineret, & hos perfectos super corpora sine illorum mundatione, viderunt vel non perfectos colores dare, vel ex toto corrumpere, adurere, denigrare & defœdare: Et hoc secundum diuersitatem ipsorum spirituum. Quidam enim sunt adurentes, vt sulfur & arsenicum & Marchasita, & hi quidem corrumpunt ex toto. Alij verò non adurunt, vt omne genus Tutia, & hi quidem imperfectos colores dant, duplici de causa hæc faciunt. Vna, quia vnctuositas adustiva sulfuris, de cuius proprietate est, de facili inflammari, & per inflammationē denigrari, & per consequens denigrare, ab eis non est ablata. Altera verò causa est terreitas, quæ ab eis similiter ablata non fuit. In his autem, in quibus non datur perfectus color, est causa terreitas, liuidum faciens est. Potest etiam adustio liuidum creare colorem. Ideoq; ingeniati fuimus hos mundare ab vnctuositate videlicet adurente, eā habentes scilicet, & à terrea superfluitate omnes. Et ad hoc per nullum magisterium potuimus peruenire, nisi per solam sublimationem. Ignis enim cum eleuat, subtiliores partes semper eleuat, ergo dimittit grossiores. Ex hoc patet,

per sublimationem spiritus à terreatate mūdari, quæ & ingressionem impedi-
bat, & colorem immundum dabat. Experientia verò notum tibi facit satis per
uisum tuum, illos ab ea absolutos esse: vides enim eos splendidiores & magis
peruios, & eos facilius corporum densitatem subintrare & penetrare, & non
fœdum, vt prius, colorem facere. Quòd verò per sublimationem adustio re-
moueat, patet experimento, quoniam arsenicum quo prius ante sui sublima-
tionem impium & proum erat ad adustionem, post eius sublimationem
inflammari se non permittit, sed solummodò sine inflammatione recedit, &
hoc idem in sulfure (si experieris) inuenies. Quia autem in nullis alijs quàm
in spiritibus vidimus adhærentiam ad corpora cum alteratione, per nullam a-
liam causam fuimus ab eis excusati, quin necessarium fuerit, illos præparasse,
cum mundatione illorum, quæ est per sublimationem, ideo huius fuit causa ne-
cessaria inuentionis. Sublimationis igitur narremus ordinem totum sine dimi-
nutione, & ipsius causam.

Quid sit sublimatio, & de tribus gradibus ignis in ea obseruandis. Cap. XL.

Dicimus igitur, Sublimatio est rei siccæ per ignem eleuatio, cum adhæren-
tia sui valis. Sublimatio verò diuersificatur propter diuersitatem spiritus
um sublimandorum. Quædam enim fit cum forti ignitione, quædam ve-
rò cum mediocri, quædam verò cum igne remisso. Si igitur sublimetur arseni-
cum vel sulfur, necesse est illa per remissum ignem sublimari, quoniam cum ha-
beant partes subtilissimas coniunctas vniformiter grossis, ascenderet vtq; il-
lorum tota substantia sine purificatione aliqua, imò denigrata & combusta.
Vt igitur separet quis immundam terream substantiam, necesse est ingenia
duorum inuenire generum, proportionem scilicet ignis, & mundificatio-
nem cum commistione facum, quoniam commistio cum facibus partes com-
prehendit grossas, & tenet illas in aludelis fundo depressas, nec eas scandere
permittit. Vnde & necesse est, artificem triplicem ignis gradum sublimationi
applicare: Vnum proportionatum taliter, quòd per eum ascendant alterata
tantum & mundiora & lucidiora, donec per hoc manifestè viderit ipsa munda-
ri à terrea faculentia. Alter verò gradus est, vt quod in facibus remansit de pu-
ra illorum essentia, sublimetur cum maiori expressione ignis, videlicet cum
ignitione aludelis & ipsarum facum, quam videre poterit oculis suis. Tertius
verò gradus est, vt administretur ignis debilissimus sine facibus, ei quod sub-
limatum à facibus, & iam depuratum est, ita vt vix aliquid de illo ascendat,
& quod ascendet de illo sit res subtilissima, quæ in hoc opere nihil valet, quia
illa est res, mediante qua adustio fit in sulfuribus. Est igitur tota sublimationis
intentio hæc, vt remota terreatate illius per ignis administrationem debitam,
& abiecta similiter ex ea subtilissima & fumosa illius parte, quæ adustionem
cum corruptione adducit, relinquatur nobis pars illa, quæ in æqualitate con-
sistit, quæ simplicem fusionem super ignem facit, sine adustione aliqua de igne
fugiente sine inflammatione illius. Quòd verò subtilissimum sit adustium,
manifestissimis argumentationibus probatur. Quia ignis ad suam conuertit
naturam vnumquodque eorum quod magis affine illi est, quia ex vnaquaque
re adustibili magis affine est, quod ex illa est subtile, & adhuc magis affine est,
quod subtilius est: ergo & maximè affine quod subtilissimum est. Ab expe-
rientia similiter, quoniam sulfur vel arsenicum non sublimatum velocissimè in-
flammat, sulfur verò facilius. Sublimatum verò directè non inflammatur,
sed euolat & extenuatur sine inflammatione, præcedente tamen fusione. His
itaque patet, sermonem nostrum veridicum esse.

De

De Facibus corporum metallicorum, spiritibus in sublimatione addendis, & eorum quantitate ac qualitate. Cap. XLI.

PROBATIO verò administrationis facum, cum proportionem suam habet, ut eligatur materia illa, cum qua plus conveniant spiritus sublimandi, & cui permisceantur profundius, quoniam illa cui magis uniantur, potentior est in retentione facum sublimandorum, quam cui non. Huius rationabilis satis est & manifesta probatio. Probatio verò, quod necessaria sit facum administratio, est, quia si non coniungerentur sulfur vel arsenicum sublimandum, cum facie de aliqua re fixa, tunc necesse esset ea cum tota sui substantia ascendere, non missa data. Experientia verò sciunt, nos verum dicere, qui in sublimationibus exercitati sunt. Probatio verò, quod necessaria sit talium facum administratio, quibus sublimanda conveniant & uniantur in profundo suo, quia si facies non permiscerentur per minima, tunc idem contingeret, sicut si faciem non haberent, scilicet ut ascenderet tota illorum essentia sine mundatione aliqua, sicut ascendunt sine facibus cum tota substantia, ergo & similiter à facibus sublimata quibus non uniantur, accidere necesse est. Experientia scit verum hoc esse, qui hoc vidit & novit, quia cum sublimavit à re extranea à corporum natura, sublimavit in vanum, ut nullo modo depurata post ascensionem illorum inveniatur. Si verò cum calce alicuius corporum sublimavit, tunc bene sublimavit, & perfecte mundare potuit cum facilitate. Est ergo intentio facum, ut administraretur de calcibus metallorum. Est enim in illis facilis operationis sublimatio, cum rebus autem alijs difficillima. Non est ergo aliquid, quod locum illorum possit obtinere. Non autem dicimus sublimationem impossibilem sine calcibus corporum, sed eam difficillimam, & longissimi laboris & protelationis usque in desperationem. Sed in hoc tamen aliquid bonitatis habet, quia quod sublimatur absque facibus, vel sine corporum calcibus, est quantitatis multae, quod verò cum facibus, minoris. Adhuc verò & quod cum corporum calcibus, minima est quantitatis, sed facilissimi laboris & brevissimi. Illud verò quod plus nos excusat à facibus de corporibus, est omne genus salis preparati, & huius consimilium in natura. Et est nobis cum eis sublimatio multae quantitatis etiam possibilis, quia facilis sit ab eis sublimandarum facum separatio per salium solutionem, quod in nullis alijs rebus esse contingit. Proportio verò facum est, ut quantitas facum quantitatem sublimandorum aequetur. In hoc enim etiam rudis artifex errare non poterit, mediocre verò artificem, ponere medietatem ponderis sublimandorum ex facibus, sufficiens esse contingit, & in hoc errare non debet. Exercitato verò & maxime experto, minima illarum pars sufficit. Quanto enim minores facum sunt quantitates, tanto & maioris exuberantiae sublimationem necesse est esse, dummodo & secundum diversitatem subtractionis facum, fiat proportionalis illi subtractio ignis. In parva enim quantitate, parvus ad perfectionem ignis eliciatur, in magna magnus, in maiori maior.

De moderando igne in sublimatione.

Cap. XLII.

SED quoniam ignis non est res quae mensurari possit, ideo contingit in illo errare sapientissime, cum quis exercitatus non est, tam ex diversitate fornacum, & lignorum adurendorum, quam vasorum & coaptationis illorum, De quibus omnibus expedit artificem attentum sollicitare. Sed communem adducimus regulam, Quod in primis expedit cum parvitate ignis, solam aequitatem ex sublimandis exprimere, qua remota, si quid ascendit per illud, tunc in principio hic non

augeatur ignis, vt per debilissimū ignem subtilissima pars tollatur, & seorsum ponatur, quæ est causa adustionis. Cum autem iam nihil vel modicū ascēderit (quod experiri poteris cum intromissione bombycis lycini in superius foramen aludelis) vigoretur ignis sub eo, & quāti vigoris debeat esse ignis, tibi experientia lycini ostendet. Si enim parum de sublimando vel mundum exierit adhuc paruus erit ignis, augeatur igitur. Si verò multum & immundum, tunc superfluit, subtrahatur igitur. Si verò mundum & multum, proportio iam inuenta est. Immundum autem vel mūdum per extractionem lycini, quod in foramen aludelis positum est, cognoscetur: secundum enim quam quantitatem munditiam vel immunditiam ex sublimando respexerit artifex adhæsisse lycinio, syllogizare poterit, & in tota sublimatione necessariò proportionalem ignem. Et ex hoc ignis rectificationem inueniet sine fallacia. Melior verò modus facum est, vt sumantur ferri squamæ, vel æris combusti. Et hæc quidē propter priuationem malæ humiditatis, de facili sulfur aut arsenicum sibi imbibant & secum vniunt. Huius autem viam scit exercitatus solus.

De erroribus circa quantitatem secū ex dispositionem fornacis in sublimando sulfure & arsenico uitandis: Item de fornace construenda, & lignis eligendis. Cap. XLIII.

EXpedit ergo nos rectificare artificē in omnibus, in quibus contingit errare ignoranter, in horū duorum spirituum sublimatione. Narremus igitur primò, quòd si multas faeces posuerit, tunc si non augmētauerit ignē proportionalem, nihil ex sublimando ascendet. Quomodo autē illum inueniat, ita ei sufficienter narratum est. Et si paucam facum quantitatem, vel nō ex corporum calce posuerit, tunc si illius proportionem non inuenierit, ascendet sublimandum cum tota substantia. Et huius tradidi similiter inuentionem sufficientem. Ex fornace verò similiter contingit errare. Nam magna fornax magnum dat ignem, paruum verò parua, si ligna & foramina auricularum eius proportionantur. Si igitur posuerit multam rei sublimandæ quantitatem in parua fornacem, ignem elevationis sufficientem non poterit exhibere. Si verò paucam quantitatem in magnam fornacem, sublimationē exterminabit propter ignis excessum. Similiter verò spissa fornax condensatum & fortem dat ignē, tenuis verò rarum & debilem, in quibus similiter errare contingit. Similiter verò cū spaciolis auriculis furnus, & clarum & magnum dat ignem, cum strictis verò debilem. Item si maior fuerit valis in coaptatione ad furnum distantia à spondilibus eius, magnum dabit ignem, si verò minor, minorē. In quibus omnibus contingit errare maximē. Rectificatio ergo horum est, vt furnus scilicet construatur secundum intentionem ignis quam quærit, spissus scilicet cum liberis auriculis, cum distantia valis aludelis multa à spondilibus furni, si magnū quærit ignem. Si verò mediocrem, mediocrē in his omnibus inueniat proportionem: si verò debilem, proportionem in his eandem inueniat. Et has proportionēs omnes docebimus te inuenire cum præparatione vera, & experientia determinata. Si igitur volueris multam sublimationis quantitatem eleuare, tunc vas aludel tantæ capacitatis inuenias, quod illam suscipiat super fundum ad elevationem vnius palmæ. Ad illud coaptēs furnum, vt suscipiat aludel in medio sui cum distantia parietum suorum per duos digitos. Et furno facto, facies illi decem auriculas æquē distantes proportionē vna, vt vna æqualitas sit ignis ad omnes partes illius. Tunc verò stipite ferreo in medio fornacis ex transuerso in spondilibus eius firmato, qui à fundo fornacis distet ad extensionem vnius palmæ cum pollice suo, & ad spissitudinem vnius digiti super eo firmetur vas aludel, & circumlinatur ad furnū, quē sequens demonstrat descri-

scriptio. Tunc verò aduerte, si bene & liberè se expediuerit de fumositatibus, & flamma liberè per totū furnum trāsuerit in circuitu aludelis, tunc bene proportionatum est, si verò non, non. Et tunc dilata eius aurículas, & si emēdatur, bene quidē, si verò non, tunc necessariò relinquitur, quòd distantia aludelis à parietibus nimis parua est: radantur ergo tunc parietes, & amplietur distantia & postea tentetur. Reiteretur ergo ampliatio auricularum, & rasura spondilii quousq; liberè se absoluat à fumo, & flamma in circuitu aludelis sit lucida, & fumus liberè per aurículas exeat. Ista est sufficiens experientia ad omnē sublimationis quantitatem de inuentione magnitudinis furni, & dilatationis auricularū eius, & distantia aludelis à parietibus eius. Inuētio verò spissitudinis furni est, quòd si quæsieris magnum ignem, maior spissitudo illius sit, ad mensurā extensionis palmæ cum pollice suo: si verò mediocrē, ad mensuram vnus palmæ: si verò minorem, ad spissitudinem duorum digitorum formetur.

Similiter verò ex lignis eliciatur proportio, quoniā ligna solida fortem dāt ignem, spongiosa verò debilem, sicca magnū & citò terminabilē. Viridia parū & multum durantem, & similiter solida multū durantem: spongiosa verò de facili terminabilem dant ignē. Consideratione ergo distantia aludelis & magnitudinis & paruitatis auricularū, & spissitudinis & tenuitatis furni, & diuersitatis lignorum præmissa, accidet omnium igniū diuersitates perquiri, cum experientia sua vera. Ex conclusione verò maiore vel minore auricularum, vel fenestæ furni, per quam ligna intromittuntur, & administratione diuersitatis lignorum, & additione & subtractione illorū, accidet inueniri determinatum spacium tēporis durationis ignis, scilicet vt scientia determinata sciatur, quantum vnusquisq; ignis in suo gradu perdurare poterit in æqualitate. Et hæc inuestigatio est maximè tibi utilis & necessaria, quoniam per eam excusaberis à multitudine laboris immensi. Exerciteris igit in ea, & in omnibus à nobis nūc nouissimè determinatis, quia qui se exercuerit, inueniet, qui verò non, non.

Ex qua materia & qua forma vas Aludel fit faciendum. Cap. XLIIII.

Intentio verò vasis Aludel est, vt fingatur vas de vitro spissum: de alia enim materia non valet, nisi fortè similis esset substantia cum vitro spissum: solum enim vitrū & ei simile, cum poris careat, potens est spiritus tenere ne fugiāt, & exterminentur ab igne. Alia autē materia nulla, quia per poros eorū successiue diminuantur & euanescent spiritus. Nec metalla in hoc valent, quoniam spiritus propter amicitia eorum & conuenientiam illa penetrant, & cum illis vniantur: quare per illa transeuntes euanescent, quod per ea, quæ à nobis determinata sunt, apertè probatur. Necessariò & experientia repertū est, hoc nos verum dixisse, ergo per aliquod nos excusamur à susceptione vitri in cōpositione Aludel. Fingatur ergo concha vitrea rotunda, cuius fundus sit paruae curuitatis, & in medio spondilii eius formetur zona vitrea circundās eam, & super illam zonam fundetur paries rotundus equidistans à conchæ pariete ad grossitudinem cooperculi ipsius conchæ, ita vt in distātia hac cadat paries coopertori large sine pressura. Altitudo verò huius parietis sit ad mensuram altitudinis parietis conchæ, aut paulò plus, aut paulò minus. Formetur verò duo coopertoria ad mensuram huius concauitatis duorū parietum, æqualia, quorū longitudo sit æqualis, & sit vnus spanna, & figura eorū figura vna, scilicet pyramidalis, in quorum capitibus duo æqualia sint foramina, vnum scilicet in vno, alterum in altero, in quibus ambobus possit cadere maior gallinæ pēna, vt hic paulò post clarius cernere licebit. Est ergo conchæ vasis intentio, vt possit moueri secundum artificis voluntatem coopertorium illius, & quod iunctura sit ingeniosa, per quā sine lutatione aliqua nō pateat spiritibus egressio.

Qui ergo in hoc potest magis ingeniari, non excuset se ab hoc per nostrā traditionē. Et est specialis intentio super hoc, scilicet ut concha interior cū spondilibus suis usque ad medium subintret coopertorium suum. Cum enim fumorum sit ascendere & non descendere, per hoc inuenimus inuentione prima, spiritus non habere ad consumptionē exitū, & propter hoc excellit modos alios quos inuentione nostra quaesimus. Et hoc experiendo, videbunt nos verū aestimasse de illo. Inuentione verò & una est, ut sapientissimè euacuetur aludelis caput ne præ nimia sublimandorum multiplicatione in illud, cadant ad illius fundū, & detineat multitudo reiterationis sublimationis occupatum longo tempore. Est & similiter intentio altera, ut semper seorsum separet, quod sursum ad propinquitatem foraminis capitis aludel ascendit in puluerem, ab eo quod fulum & densum in frustis, & apud fundum illius, peruium, & clarum, cum adhaerentia ad valis spondilia conscendisse inuenitur, quoniam hoc minus habet de adustione, quam quod prope foramen reperitur scandisse. Hoc autem in superioribus aperta probatur ratione videlicet, & experimento. Probatio verò bonitatis & perfectionis sublimationis est iam dicta. Et est, ut inueniatur clara & lucida, & non aduratur cum inflammatione. Hæc est ergo perfectio intentionum sublimationis, sulfuris videlicet & arsenici. Et si non inuenta est sic, reiteretur opus super illa, cum consideratione omnium suarum intentionum, quousque sic inueniatur.

De sublimatione Mercurij siue Argentij viui.

Cap. XLV.

Nunc verò totam intentionē sublimationis arg. viui determinemus. Est igitur cōpleta, summa illius depuratio terreitatis, & remotio aqueitatis illius. Excusamur enim à labore remotionis adustionis eius, quoniam eam nō habet. Dicimus igitur quod ingenū separationis superfluae terræ ipsius est ipsum cōmiscere rebus, cum quibus affinitatē non habet, & sublimationē eius reiterare ab eis multoties. Et harū genus est talk, & calx corticū ouorū, & marmoris albi. Similiter & vitrum minutissimè tritum, & salis omne genus præparati. Ab istis enim mundatur, ab alijs verò rebus habentibus affinitatem cum eo, nisi sint perfectionis corpora, corrūpitur potius, quia sulfureitatem habent omnia talia, quæ ascendens cum eo in sublimatione ipsum corrūpit. Et in hoc experientiam vides, quia si sublimas illud à stāno, vel à plūbo, ipsum post sublimationē infectum conspicias nigredine. Ergo melior est eius sublimatio per ea, cum quibus non convenit. Cum quibus autem convenit melior esset, si sulfureitatem non haberēt. Ideo à calce melior est sublimatio, quam à rebus omnibus, quoniam illa parū convenit, & sulfureitatē non habet. Modus verò remotionis aqueitatis ipsius superfluae est, ut quando cōmiscetur calcibus, à quibus sublimari debet, teratur & cōmisceatur illis cum imbibitione, quousque de illo nihil appareat, & postea super ignē lentissimum aqueitas imbibitionis remoueat: qua recedente, etiā arg. viui aqueitas cum ea recedit. Sit tamen ignis tam lenis, ut per eum arg. viui tota substantia non ascendat. Ex multiplici igitur reiteratione imbibitionis cū contritione & leni assatione, aqueitas illius maior deletur, cuius residuum per sublimationis reiterationem remouetur. Et quum videris illud albisimum, excellens niuem albedine sua, & quasi mortuum aludelis spondilibus adherere, tunc super ipsum reitera sublimationem eius sine facibus: Quoniam adheret pars illius fixa cum facibus, & nunquam per ingeniorum genus aliquod ab illis separari posset. Aut post illud figas partem illius, & modum fixationis eius in sequentibus narratum tibi expressè trademus. Et cum fixeris illam, tunc reitera sublimationem residuae partis super eam, ut illa similiter figatur, & serua, quod tentabis super ignem. Si fusionem bonam

bonam dederit, tunc sufficientē sublimationē illi administrasti. Si verò nō, adde illi de arg. viu. sublimato partem aliquā, & reitēra sublimationē, donec fiat. Quod si lucidum & albiſſimū habuerit colorem, & peruium, tunc bene mundasti: si non, non. Igitur ne sis in præparatione illius quæ per sublimationē fit, negligēs, quia qualis erit mundatio, talis & perfectio per illud sequitur, in projectione illius super vnūquodq; imperfectorū corporum, & super ipsum viuū non præparatū. Vnde & quosdā contingit ferrum, quosdā verò plumbum, & quosdam per illud Venerē, & quosdam stannū formare. Quod contingit propter purificationis negligentiam, quandoq; illius solius, quandoq; sulfuris sibi admisti, vel eius comparis. Si igitur directē sublimādo mundaueris, & illud perfeceris, erit albedinis tinctura firma & perfecta, cui non est par.

De sublimatione Marchasitæ.

Cap. XLVI.

Sufficienter igitur sublimationis arg. viui summa intentionis tradita, nunc ad ipsius Marchasitæ sublimationē accedamus. Duę autē sunt illius sublimationes. Prima quidē sine ignitione perficitur, alia cum ignitione. Et illud ideo, habet enim duplicem substantiā. Vnam scilicet sulf. purum in natura sua, aliam verò arg. viu. mortificatū. Prima utilis est, sicut sulfur: Secunda verò utilis, vt arg. viu. mortificatū, & mediocriter præparatū. Assumamus igitur hanc vltimam, quia per illā excusamur à superiore arg. viu. & à labore mortificationis eius. Est igitur totus modus sublimationis illius, vt teratur, & in alud eleponatur, & sublimetur sine ignitione sulfur eius, semper remouendo quod ex illo sublimatur sapissimē propter causam dictā, & augendo ignis vigorē vsq; ad ignitionē aludelis. Et prima sublimatio marchasitæ debet fieri in vase sublimationis, quousq; sulfur recesserit, & postea in isto successiuē & ordinatē procedere, quosq; totū quod in ea de sulf. constat, exierit. Quod probare poteris his manifestis experimentijs. Nam cum totū illius sulf. fuerit eleuatū, videbis colorem eius, quod post illud sublimabitur, mutari in albiſſimū, misto celestino eidem colore clarissimō & amœno. Aliter etiā, quia quod erit de sulfuris natura cōburetur, & flammam dabit vt sulfur. Quod verò secundò post illud sublimatum fuerit, nec inflammabitur, nec proprietates sulfuris ostendet aliquas, sed viui arg. mortificati in sublimationis reiteratione.

De vase, in quo Marchasita rectē possit sublimari.

Cap. XLVII.

Illud ergo colligamus per suū sublimationis modū, qui est, vt fiat vas terrestre solidissimū, & bene coctū, ad longitudinem mediæ staturæ virilis, ad latitudinem verò, per quā manus subintrare possit. Et fiat fundus eius qui separari & coniungi possit ad similitudinē vnus planæ paropsidis profundæ multū. Et mensuretur ab orificio illius vasis vsq; prope fundū, ad mensuram longitudinis vnus manus cum digitis suis. Et de illo loco vsq; ad caput eius vitrifice interius vas vitrificatione spissa multū. Et super caput illius ponatur alembicus cum laxo naso: in tali enim vase sublimatur illud. Coniungatur igitur fundus vasi suo per lutum firmæ tenacitatis, & super ipsum fundum spargatur marchasita, & super caput vasis alembicus laxi nasi, & ponatur in furnum, de cuius proprietate sit fortem ignitionem dare, fusionis scilicet argenti, vel Veneris, si artifex indiguerit, quem in Summa nostri operis, vbi diuersitates omnium instrumentorum narrabimus, tibi sufficienter trademus, & caput furni circumda cum rota habente foramen in medio sui, ad magnitudinem vasis, per quod illud vas intrare possit, & luta iuncturas in circuitu vasis & furni, ne ignis exiens impediatur in sublimationis adhærentia, relictis tantū quatuor fenestris paruis in rota, quæ claudi & aperiri possint, per quas mittantur carbonēs in furnū, & in lateribus fornacis: similiter aliæ quatuor sub illis intermedie,

quas & similiter carbones mittantur, & sex vel octo foraminibus ad magnitudinem digiti minoris, quæ nunquam claudantur, ut per illa furnus à fumositatibus se liberè possit expedire. Et sint foramina illa in iunctura furni cum rota sua. Furnus verò magnæ ignitionis est, cuius spondilia sunt ad altitudinem cubitorum duorum. In medio sit rota, minutissimis & creberrimis perforata foraminibus, cum luto fortiter annexa. Capita foraminum superius sint stricta, inferius verò laxa, ut cinis vel carbones possint liberius ex illis cadere, & relinquat ipsa continuè ad subceptionem aeris liberius aperta. Nam aeris libera & multa susceptio per inferiora foramina, est causa vna magnæ ignitionis per furnum. Exerciteris ergo in eo, & ipsum inuenies. Causa verò longitudinis vasis est, ut extra ignem multa quantitas eius extendatur, & infrigidetur, ut fumi sublimationis locum refrigerij inueniant & adhæreant, & non inueniant viam fugæ, & suæ exterminationis. Hoc autem nouit ille, qui dum sublimasset in breuibus aludelibus, nihil ex sublimato inuenit, quoniam propter breuitatem aludelis æqualis fuit per totum ipsum ignis. Ideoq; semper in fumi substantiam conuersum sublimandum stetit, & non alicubi adhæsit, sed successiuè per poros vasis euauit. Vas ergo in omnibus sublimandis ad maiorem sui partem in loco sui refrigerij extendatur. Causa verò vitrificationis vasis est, ne fumi ascendentes in loco suæ ascensionis, porosum inueniant aludelis parietem, & illum penetrantes aufugiant. Vitrificatur ergo locus ascensionis illorum, ut obscuretur illis via fugæ. Fundus verò aludelis non, quoniam ipsius fundus in igne consistit, qui vitrificationem ipsius funderet, qua fusa, & fundus eius, & similiter sublimandum funderetur, & vitrum fieret. Est enim vitri proprietas, omnia vincere, & ad se conuertere. His igitur omnibus consideratis cum causis eorum, fiat ignis sub aludelo, quousq; certificatus fueris experientia viridica, illud totum ascendisse. Est autem experientia, intromissio baculi terrei bene cocti, habentis foramen paruum in capite suo, vsque ad medium eius veniens, ad quantitatem digiti minoris prope ipsam rem, à qua fit sublimatio. Et si foramini aliquid adhæserit ex sublimando, non est totum sublimatum, si verò non, tunc sublimatum est. Et hac eadem exercitatione in omnibus sublimandis certificari poteris.

De sublimatione Magnesiæ & Tutie: item corporum imperfectorum, & de additione materie subleuantis ea. Cap. XLVIII.

Sublimationis verò Magnesiæ & Tutie est eadem intentio cum intentione vltimæ sublimationis marchasitæ. Non enim possunt hæc omnia sine ignitione sublimari, ideoq; omnia vnā intentionem habent cum causis iisdem & experientijs eisdem, & habet vnum ordinem generalem. Quia sine facibus sublimari debent, quæcunque sublimari cum ignitione necessariò contigerit: quia in seipsis facies habent sufficientes, imò superfluas, & huius signum est difficultas sublimationis ipsorum. Sublimantur etiam similiter omnia corpora à perfectione diminuta hoc eodem ordine, & non cadit diuersitas aliqua, nisi quia ignis sublimationis vehementior est in corporibus, quam in magnesiæ, marchasitæ, & tutie. Et non diuersificantur similiter corpora in sublimationibus suis, nisi quod quædam indigent admistione rei subleuantis ea, quædam verò non, ut facilius fiat eorum eleuatio. Sed vna tamen specialis in corporum sublimatione considerationis experientia reperta est bona, videlicet, ut in fundo aludelis non sit multa corporis sublimandi quantitas, quia multitudo sublimationem impedit. Et planities sit in fundo aludelis sublimationis, & non concavitas, ut possit æqualiter & tenuiter super fundum sparsum corpus æqualiter & multum in omnibus suis partibus eleuari. Corpora verò indigentia admistione

mistione rei eleuantis, sunt scilicet Venus & Mars, propter suæ fusionis tarditatem. Venus itaq; Tutia indiget, Mars verò Arsenico, & cum his eleuatur de facili, quoniam cum eis maxime conueniunt. Fiat igitur post illorum considerationem sublimatio, vt in Tutia, & illi similibus in sublimatione, & disponatur eorum sublimatio hoc eodem ordine cum causis suis & experiencijs.

De Descensione & modo purificandi per pastillos.

Cap. XLIX.

NArratis itaque sublimationis intentionibus cum causis suis omnibus, restat nos Descensionis modum monstrare, cum causis suis similiter, & suo ordine determinato & completo. Fuit ergo inuentionis illius causa triplex. Vna scilicet, vt cum materia aliqua inclusa est in illo vase, quod vocatur Descensorium Chemiæ, post fusionem suam descendat per foramen illius, & per eius descensionem simus certi, fusionem suscepisse. Alia, vt corpora debilia per eam à combustione præseruentur post reductionem à calcibus eorum. Nam cum à calcibus corpora debilia tentamus reducere, non omnem illorum partem tempore vno reducere possumus. Si igitur pars illa, quæ primò in corpus reducta est, reductionem totius expectaret, & per ignem euanesceret maior illius quantitas. Necesse igitur fuit ingeniari, vt statim quæ reducta est pars ab igne deponatur. Hoc autem per descensorium fit. Est & tertia causa inuentionis illius corporum depuratio ab omni re extranea. Descendit enim corpus fustum mundum, & omnem rem extraneam in concauitate illius dimittit. His itaq; tribus necessitatibus inuenta descensione, determinetur modus illius cum instrumento suo prius notificato cum causis suis. Dicimus igitur, quòd forma eius talis erit, vt fundus illius sit acutus, & parietes illius sine scrupulo æqualiter sint terminantes in fundi acuitatem, vt possit vnumquodq; fusibilem liberè sine adhaerentia ad fundi illius foramen descendere, & coopertorium eius (si necesse sit) ad similitudinem planæ paropsidis, & bene conueniat illi, & sint de bona & firma terra, & non de facili per ignis pressuram findente. Mittatur igitur res, cuius intentio sit descendere, in illud, super baculos rotundos ex terra factos, vt magis fundo superiori approximent, & cooperiatur cum eo, & iunctura firmetur, & in igne de carbonibus ponatur, & super ipsum suffletur, quo usq; tota res descendat in vas sibi suppositum. Potest tamen (si res fuerit difficilis fusionis) poni super tabulam planam, vel paruæ concauitatis, à qua possit de facili descendere cum inclinatione capitis descensorij, si fusa fuerit: Purificantur enim per hoc corpora: Sed per pastillum melius purificantur, cuius modus purificationis est idem cum modo purificationis descensorij. Et ideo per illum excusamur ab eo. Tenet enim faeces corporum, vt descensorium, & melius, & ideo narramus modum illius. Dicimus igitur, quòd accipimus corpus, de cuius intentione est mundari, & illud in grana minutissima, vel limaturam vel in calcem (quod perfectius est) redigimus, & ei commiscemus calcem aliquam, de cuius intentione non sit fundi, & postea illud fundimus. Inuenimus enim per illud corpora mundari multa iteratione, sed non mundificatione perfecta, quā perfectionem scimus esse, sed mundificatione vtili, vt medicina perfectionis suscepta, melius & perfectius per eam transformentur corpora. Est enim administratio præcedens eam: omnem autem administrationem sufficienter in sequentibus tibi narrabimus. Nunc verò Descensorij ponamus descriptionem.

De Distillatione & causis eius, ac de tribus eiusdem generibus, scilicet per alembicum, per descensorium, & per filtrum. Cap. L.

COnueniens est igitur, vt sequentes propositum nostrum, sermonem de Distillatione tradamus cum causis suis. Est igitur Distillatio vaporum aqueorum

n

in suo vase eleuatio. Diuersificatur itaq; distillatio. Nam quædam est per ignem, quædam verò sine igne. Quæ verò per ignem fit, duorum generum inuenitur. Quædam est per eleuationem in alembicum, quædã per descensum Chemiæ, qua mediante, oleum ex vegetabilibus elicitur. Causa quare inuenta sit distillatio, & causa generalis inuentionis cuiuslibet distillationis, est purificatio liquorosi à facie suæ turbulentiæ, & conseruatio illius à putrefactione. Videmus enim rem distillatam quocunq; distillationis genere puriorem effici, & melius à putrefactione custodiri. Causa verò specialis inuentionis illius, quæ per ascensum fit in alembicum, est inquisitio aquæ puræ sine terra. Cuius experientia est, quòd videmus aquam sic distillatam, nullam faciem habere. Causa inuentionis aquæ puræ, fuit imbibitio spirituum & medicinarum mundarum, vt si quãdo scilicet indigemus imbibitione, aquam puram habeamus, quæ faciem post ipsius resolutionem non dimittat, qua facie medicinæ nostræ & spiritus mundati possint infici & corrumpi. Causa verò inuentionis eius, quæ per descensum fit, fuit olei puri in natura sua extractio, quia per ascensum oleum in natura sua combustibili haberi non poterat, & huiusmodi inquisitio fuit, scilicet, vt color eius, qui cum substantia sua permixtus est, habeatur: hic enim iuuare potest in casu. Distillationis verò quæ per filtrum sine ignitione perficitur, causa inuentionis, fuit aquæ sola serenitas. Dicamus igitur nunc omnium distillationum modos cum causis suis. Eius itaq; quæ per ascensum fit, est duplex modus. Alia enim fictili olla cineribus plena perficitur: Alia autem cum aqua in vase suo cū graminibus vel lanositate, ordine suo disposita, ne cucurbita vel distillatorius alembicus rumpantur, antequàm ad perfectionem deducatur. Ea verò quæ cū cineribus, maiori, & fortiori, & acutiori perficitur igne, quæ autem cum aqua, mansueto igne & æquali. Aqua enim acuitatem ignitionis nō suscipit, quemadmodum cineres. Ideo per eam quæ cum cineribus fit, colores & grossiores terræ partes eleuari solent. Cum ea verò quæ cum aqua fit, subtiliores & sine colore, & ad naturam aqueitatis simplicis approximantes magis eleuari contingit. Subtilior ergo fit separatio per eam quæ aqua perficitur, quàm per eam quæ cineribus elicitur. Experientia hoc nouit verum esse, qui cum distillasset oleum per cineres, oleum vix alteratū suscepit in recipientē. Volens verò partes eius separare, ad id necessitate peruenit, vt contingeret per aquam distillare. Et tunc per eius reiterationem separauit oleum in partes suas elementales, vt albilissimam & serenissimam aquam ex rubicundissimo extraxerit oleo, remanente in fundo alembici totaliter illius rubore. Per hoc ergo magisterium ad omnis rei vegetabilis, & eius quæ ex vegetabili processit in esse, & omnis rei consimilis, ad omniū determinatam elementorum separationem peruenire necesse est. Per eā verò, quæ per descensum fit, ad cuiuslibet rei oleū perueniri determinate potest, scilicet vegetabilium omniū & eorum consimilium. Per eā verò, quæ per filtrum fit, ad cuiuslibet liquorosi serenitatem perueniri potest. Hæc autem omnia etiā parum vel minimum scientibus sunt manifesta & nota qui verò hæc ignorat, nihil ex hoc nouit magisterio. Exercitetur igitur, & de facili ea inuestigabit. Dispositio igitur eius quæ per cineres fit, est vt sumatur olla fortis ex terra, & coaptetur in furno simili sublimationis furno præfato cum eadem distantia à furni spondilibus per eādem inuestigationem, & similibus auriculis, super cuius fundum ponantur cineres cribellati ad digiti spissitudinem, & super ipsos cineres ponatur vas distillationis, & cooperiatur in circuitu eius cum eisdem, vsq; prope collum alembici, postea verò infundatur in illud res, de cuius intentione sit sic distillari. Vltimò verò cooperiatur illud cum alembico, cuius collum suscipiat collum cucurbitæ inferioris intra se, vsq; ad curuitatem

tatem cannalis ipsius alembici, ne viam fugæ inueniat distillandū. Et postea lutetur alembicus cum cucurbita sua, & firmetur eorū iunctura, & supponatur ignis quovsq; distillet. Alembicus verò & eius cucurbita de vitro sint. Ignis verò illius augeatur ei secundū exigentiam distillationis, quovsq; videatur totū distillandum cum magna ignis expressione distillatum esse. Secundæ verò intentionis distillationis dispositio, quæ per aquam fit, est similis huic in vase & alembico. Differt tamen ab ea in hoc, quòd in hac sumitur olla ferrea vel ænea & coaptatur ad furnum, vt dictum est. Postea super fundum illius olle stratum de graminibus, vel lana, vel re consimili construat, ad spissitudinē trium digitorum, ne cucurbita frangatur, & eisdem graminibus, vel rebus consimilibus cooperiatur in circuitu cucurbita, vsq; prope collū alembici, & super ipsa sarmenta virgæ subtilis superaspargantur, & super virgas ponantur lapides ponderosi, qui suo pondere cucurbitam, & alembicū, & ipsa sarmenta deprimant, & depressa firmiter & stabiliter teneant super ollæ fundū, ne nateant leuata per ipsam aquam: & sit leuatio hæc causa fracturæ vasis, & distillandæ rei perditio. Postea verò super sarmenta fundatur aqua vsque ad ollæ plenitudinē, & supponatur ignis, quovsq; distilletur totū. Dispositio verò eius quæ per descensū fit, est, vt fiat descensorium vitreū cum coopertorio eius, & lutetur vtrunq; & intromittatur quod sic distillari quis intēdit. Et fiat super caput illius ignis. Descendet enim distillatio eius. Dispositio verò eius quæ per filtrum fit, est, vt ponatur liquor distillandus in conchā lapideā, & filtrū bene abluti & madidi, ponatur pars latior in dictum liquorē vsq; ad fundum conchæ. Pendeat verò exterior pars eius ab orificio conchæ extra. Et sub capite illius filtrī ponatur vas recipiens distillationē. Cū ergo distillare ipsum filtrū incipiet, primò aqua distillabit, qua madidū fuit: qua cessante, succedit illi liquor distillandus. Qui si nō dum serenus fuerit, toties ad concham reuertatur, quovsq; serenissimus distilletur. Hæc autē, quia facilia sunt omnia, magna probatione nō indigent, idēoq; eorum probationem siluimus. Descriptio verò omnium vasorum distillationis cuiuslibet, à nobis nunc traditæ, est hæc.

De Calcinatione, tam corporum, quam spirituum, cum causis & modis suis. Cap. LI.

Post igitur distillationis narrationem, sermonem nostrū tradamus de Calcinatione. Est ergo Calcinatio, rei per ignem puluerizatio, per priuationē humiditatis partes consolidantis. Causa inuentionis eius est, vt sulfureitas adustiuā corrūpens & defœdans, per ignē deleatur. Diuersificatur verò secundum diuersitatem rerū calcinandarū. Calcinantur igitur corpora, & calcinantur spiritus, & res aliæ extraneæ à natura horū, diuersa tamen intētionē. Quia igitur sunt corpora imperfecta, duorum scilicet generū, dura videlicet vt Venus & Mars, mollia verò, vt Iupiter & Saturnus, quæ omnia calcinantur: necesse fuit illa diuersa intentione calcinari, generali scilicet & speciali. Generali attamen vna intentione calcinantur. Et est, vt sulfureitas illa corrūpens & defœdās deleatur per ignē. Sic enim comburitur omnis ex quacūq; re sulfureitas adustiuā quæ sine calcinatione deleri non potest. Quoniā ipsum corpus solidum est, & propter soliditatē & latitationē occultatē sulfureitatis in cōtinuitate substantiæ arg. viui defenditur per illud ab adustione. Ideoq; necesse fuit, cōtinuitatem eius separare, vt ignis liberius ad quācūq; minimam eius partem perueniens, sulfureitatē ex eo cōburere possit, & non defendat ipsum cōtinuitas arg. viui in illo. Et est cōmunis intentio similiter in illa depuratio terrestatis. Inuentum est enim, quòd corpora per reiterationem calcinationis & reductionis mundantur, vt monstrabimus in sequentibus. Specialis verò calcinatio corporū mollium est, vt cum his duabus intētionibus sit intentio per eā

illa indurare & ignire, ad quod peruenitur cū ingeniosa reiteratione calcinationis super illa, de qua in sequenti traditione determinare nos expedit. Inuenimus enim per id ingenium manifeste ipsa indurari. Sed manifestius & citius Iupiter induratur. Causa verò inuentionis calcinationis spirituum est, vt ipsi melius figantur, & facilius soluantur in aquam. Quoniā omne calcinati genus fixius est, quā nō calcinati, & facilioris solutionis. Quia partes calcinati magis subtiliatæ per ignē facilius cū aquis cōmiscuntur, & in aquā conuertuntur. Et hoc si expertus fueris, sic inuenies se habere. Calcinatio verò aliarū rerum, facit ad exigentiam præparationis spirituum, & corporū: de qua latius à nobis determinabitur in sequentibus. Non autē est de perfectione harū aliquid talium. Modus igitur ipsius calcinationis est diuersus, propter diuersitatē calcinandorū. Calcinantur enim corpora aliter, quā spiritus vel aliæ res. Et corpora à se inuicē diuersa, similiter diuersimodē calcinantur. Corpora enim mollia vnū modum habent generalē ad calcinationis intentionē, scilicet quod ambo per solū possunt calcinari ignem, & per salis acuitatē, præparati vel non præparati ambo similiter. Primus igitur modus per ignem solū sic perficitur, vt sumatur vas ferreū, vel terreum ad similitudinē paropsidis formatum, cuius structura sit firma, & coaptetur ad furnū calcinationis horū, taliter, quod sub illo possint carbones proijci & sufflari. Proijciatur verò in fundum vasis illius plumbū vel stannum, quod super tripodē ferreū, vel tres lapideas columnas sedeat firmiter, & ad furni sui parietes similiter firmetur, quatuor vel tribus lapidibus coarctatibus illud ad eos, ne vas moueri possit. Furni verò figura eadē sit cum forma furni magnæ ignitionis, de quo narratum est iam, & narrabitur similiter sermone cōpletiori. Accēdatur igitur in illo furno ignis sub vase calcinationis, ad ipsius calcinandi corporis fusionē potens. Et cum ipsum corpus cutem nigrā super se creauerit ignis, calore, subtrahatur illa ab eo cum pala ferrea vel lapidea, quæ se non permittit cōburi ad infectionē calcis. Hæc autē excoariatio tamdiu cōtinuetur, quousq; ipsum corpus in puluerē conuertatur. Quod si Saturnus fuerit, ad maiorem ponatur ignem, quo vsq; in citrinissimum mutetur colorē calceus. Si verò Iupiter, similiter exponatur, & dimittatur, quousque in albedinem mutetur cōpletam. In hoc tamen sollicitum reddimus artificem, quod Saturnus de facili à calce sua redit ad corpus: Iupiter verò difficillimē. Ideoq; ne contingat illum errare in expositione Saturni, post primā eius puluerizationē ad maiorem ignē, ne illius calx prius redeat in corpus, quā perficiatur: quoniā tēperātia ignis indiget, & succelsione augmēti illius paulatim, cū cautela, quo vsq; in calce firmetur sua, ne de facili redeat in corpus, vt possit illi maior ignis administrari, ad suæ calcis perfectionē. Similiter ne contingat errare in Ioue, propter difficilē eius reductionem, vt si quando posuerit in reductionē calcē eius, eueniat ei, quod non reducat, sed inueniat eā prioris dispositionis, aut in vitrum redactā, & æstimet reductionē eius impossibilē. Dicimus enim, quod si in Iouis reductione magnū non adhibuerit ignē, nō reducet: si verò magnū, non necessariò illum reducere contingit, sed possibile est illū in vitrificationē reducere. Et illud ideo, quia Iupiter in profundo suæ naturæ arg. viu. fugitiuū inclusam habet substantiā. Quæ si longā in igne traxerit moram, fugiet, & corpus priuatū humiditate relinquet, ita vt potius aptū ad vitrificationem, q̃ ad corporis metallici fusionē conuerti reperiatur. Omne enim propria priuatum humiditate, nullā nisi vitrificatoriam dat fusionē. Ideoq; necessariò relinquitur vt cum ignis impetu maximē veloci, reducere celeriter festinet: aliter enim nō reducitur. Exerceat ergo ad illud, & sciet. Modus verò calcinationis horū duorum corporū, quæ à salis acuitate perficitur, est, vt proijciatur super faciē illorū

calce.

salis quantitas post quantitatem sapissimam in fusione sua, & permisceantur agitatione multa per baculum ferreum super ignem, quousque per salis mitionem in cinerem vertantur. Et postea per eundem modum perfectionis perficiatur illorum calx, cum suis considerationibus. Sed in hoc est etiam differentia in horum duorum corporum calcinatione: Quia plumbum ex primis calcinationis laboribus ad puluerem conuertitur facilius quam Iupiter, non tamen perficitur illius calx facilius quam Iouis. Dependet autem huius causa ex eo, quod Saturnus humiditatem magis fixam habeat, quam Iupiter. Veneris vero & Martis est idem modus, diuersus tamen a primis, & illud propter liquefactionis eorum difficultatem. Et est, ut laminati ponantur ad fortem ignitionem, de cuius intentione non sit fundere. Propter multam enim terreitatis eorum in illis quantitatem, & multam sulfureitatis adustivae & fugientis mensuram, de facili per hunc modum adducuntur in calcem. Et illud ideo, quia ex multa terreitate arg. viu. substantiae intermixta, turbatur arg. viu. debita continuatio. Et ideo porositas in eis causatur, per quam & sulfureitas transiens euolare potest, & ignis ex causa illa ad eam accedens, comburere, & eam eleuare potest. Per hoc igitur relinquitur, & partes rariores fieri, & in cinerem per discontinuitatem raritatis conueriti. Manifesta igitur experientia huius est, quia exposita ad ignitionem lamina Veneris, flammam dabit sulfuream & squamam in superficie sua causabit puluerizabilem. Et illud ideo, quia ex propinquioribus partibus necesse est faciliorem sulfuris combustionem fieri. Modus vero furni calcinationis huius, est idem cum modo furni distillationis, nisi quod foramen solummodo vnum magnum debet super caput suum habere, unde a fumositatibus se liberè absoluat. Et situs calcinandum in medio furni sit, ut in circuitu liberè ignem suscipiant. Vas verò eius sit terreum, ad formam paropsidei factum. Modus autem calcinationis spirituum est, ut eis ad fixationem approximantibus, administretur ignis, successiue & paulatim illum augendo, ne fugiant, quousque maximum eos tolerare ignem contingat. Et vas eorum sit rotundum, vndique clausum, & furnus idem cum nouissimè dicto. Cum eodem autem furno, & consimili vase, omnis similiter res calcinatur. Excusamur tamen a maiori labore, quam qui adhibetur in custodia fugae: Quoniam alia res non fugit, nisi spiritus, & quod spirituum naturam approximatur.

De Solutione, Cap. LII.

DE Solutione sermo noster amplius innuit, solutionem rei siccae in aquam esse reductionem. Dicimus igitur, quod omnis solutionis perfectio adducitur cum aquis subtilibus, & maxime acutis & acris, & ponticibus fecem nullam habentibus, sicut est acetum distillatum, & vna acerba, & pyra multae acritudinis, & mala granata similiter distillata, & his similia. Fuit autem causa inuentionis eius subtiliatio eorum, quae nec fusionem nec ingressionem habent, de quibus magna utilitas amittebatur spirituum fixorum, & eorum, quae ipsorum naturae sunt. Nam omne quod soluitur, necesse est salis, aut aluminis, vel eorum consimilium naturam habere. Est autem natura eorum, quod fusionem dant, ante illorum vitrificationem. Ergo & spiritus soluti fusionem praestabunt similiter simile. Cum ergo multum ex natura sua, corporibus, & sibi inuicem conueniant, habita fusionem, necesse est per illam corpora penetrare, & penetrando transmutare. Ad hoc verò ut penetrent & transmutent, sine magisterio non peruenitur, quod est scilicet, ut post solutionem & coagulationem illius administretur illi aliquis ex spiritibus purificatus, non fixus. Et toties ab illo sublimetur, quousque secum maneat, & illi velocior praestet fusionem, & ipsum in fusione a vitrificatione conseruet. De natura enim spirituum est, non vitrificari, & a vitrificatione commistum saluare, donec in eo fuerint. Spiritus ergo qui magis naturam seruauit spiritus magis a vitrificatione defendet. Magis autem seruauit spiritus, solummodo pu-

ficatus, quàm purificatus, fixus, calcinatus, atq; solutus: ideo necesse est talē admisceri. Resultat enim ex his bona fusio, & ingressio & fixio stans. Ex operibus autē naturæ probare possumus, sola salinū & aluminum, & similitum naturā seruantia, solubilia esse. Non enim in operibus illius omnibus considerantes, inuenimus alia solui, præter illa. Igitur quæcunq; soluantur, necesse est per illorum naturā solui. Sed quia videmus omnia verē calcinata solui per reiterationē calcinationis & solutionis: ideoq; probamus per illud, omnia calcinata ad salium vel aluminum naturā approximare, ideo sese in proprietatibus necesse est concomitari. Modus verò solutionis duplex est, scilicet per simū calidū, & per feruentē aquā. Quorū est vna intentio, & vnus effectus. Modus ergo per simū est, vt ponatur calcinatū in ampullam vitreā, & super illud fundatur quantitas aceti distillati, vel consimilis, duplū eius, & obturetur caput ipsius bene, ne respiret, & sub fimo tepido solui dimittatur, & postea per distillationem filtrī solutū remoueatur. Nō solutum verò iterato calcinetur, & post calcinationem iterato similiter solvatur, donec per reiterationē operis super illud totum solvatur. Modus verò, qui per bullientem aquā fit, velocior est. Et est, vt calcinatum in ampullā similiter ordinetur cum aceto, obturato foramine, ne respiret. quæ in caldario pleno aqua & stramine sepeliatur, vt in distillationis modo per aquam præceptū attulimus per ordinē, & postea succendatur sub ea ignis donec aqua per horā ferueat: Post hoc verò solutū distilletur, & seorsum feruetur. Non solutū verò iterato calcinetur, & iterato eodē ordine solvatur, donec per reiterationem totum solvatur.

De Coagulatione, & eius causis, deq; diuersis modis coagulandi Mercurij, & medicinarum solutarum. Cap. LIII.

Coagulatio verò est rei liquorosæ ad solidā substantiam per humidū priuationē reductio. Est autē duplex causa inuentionis illius: vna scilicet arg. viū. induratio: altera verò inuentionis causa est, medicinarū solutarū ab aqua etate illis admista absolutio. Diuersificatur ergo secundū ipsorum coagulandorum multiplicitatē. Alia enim arg. viū coagulatione indiget, alia verò solutæ medicinae. Est tamen ipsius arg. viū duplex coagulatio. Vna quidem per ablationem totius ab illo humidū innati: Alia verò per inspissationē ipsius humidū quovsq; induretur. Congelare attamen illud difficillimē atq; laboriosē accidet cum profunditate perspicacis industriæ, & nos narrabimus omne ingenū coagulationis illius. Ingenium verò coagulationis illius cogitauerunt quidā fore per conseruationem illius in ignis tēperamēto. Qui cū illud putassent se coagulasse, post remotionē eius ab igne, inuenerūt illud fluere sicut prius. Per hoc igitur in stuporem & in admirationem adducti sunt, vehementer arguētes, ad hoc perueniri non posse. Alij verò necessariò ex principijs naturalibus supponentes, humidū quodlibet ab ignis calore in siccitatem cōverti, conati sunt cū perseuerantiā instantia continuare illius conseruationem in igne, & per hanc continuationē ad hoc deueniunt, vt ex eis aliqui in album, aliqui verò in rubrum conuerterint lapidem; aliqui verò in citrinum, cui non fuit fusio nec ingressio. Et harum diuersitatum causam non potuerunt æstimare, ideoq; illud abiecerunt. Alij verò cum medicinis illud coagulare conati sunt, & ad hoc nō perueniunt, sed accidit eis illusio, aut quia non coagulauerunt, aut quia insensibiliter extenuatum est, aut coagulatio eorum non fuit in forma alicuius corporis. Et horum diuersitatis causam ignorauerunt. Alij medicinas artificiosas componentes, illud in projectione coagulauerunt: Sed eorum non fuit coagulatio utilis, quoniam ad imperfectum corpus illud conuerterunt, & causam huius similiter videre non potuerunt. Horum igitur nos narrare causas expe-

expedit, vt ad coagulationis illius magisterium artifex perueniat. Vt autem tam à nobis sufficienter narratum est, vniformis est substantia argenti viui. Quare non est possibile in breui spacio temporis per conseruationem illius in igne, aqueitatem remouere illius. Nimia igitur festinatio, causa fuit primi erroris. Cum verò subtilis sit substantiæ, ab igne recedit. Ignis igitur excessus, est causa erroris illorum, à quibus fugit. Commiscetur cum sulfure, arsenico, & Marchasita de facili, propter communitatem in natura sua. Ideoq; per illa apparet coagulatum non in forma corporis, sed argenti viui cum plumbo mixti. Non enim hæc, cum fugitiua sint, possunt illud in ignis pugna tenere, quousque ad corporis naturam perueniat: Sed fugiunt cum eo per ignis incussionem, & ideo illud est causa erroris eorum, qui sic coagulant. Habet similiter argentum viuum humiditatem multam sibi vnitam, quam ab illo separari non est possibile, nisi per ignis cautam violentiam, per conseruationem eius in suo igne. Et est suus ignis, quem illi augmentando, secundum exigentiam suæ tolerantia, illius humiditatem tollunt, non relicta sibi parte ad fusionem metallicam sufficiente, qua remota non funditur. Et hæc est causa erroris illorum, qui in lapidem illud coagulant non fusibilem. Habet similiter partes sulfuris naturaliter sibi admixtas, quoddam tamen plus, quoddam verò minus, quod remouere per artificium contingit esse possibile. Cum igitur sit sulfuris proprietas, cum argento viuo rubeum vel citrinum colorem (secundum mensuram suæ quantiatas) creare, eius ablatione proprietas argenti viui erit, albedinem dare per ignem. Hæc igitur est causa varietatis colorum illius post coagulationem eius in lapidem. Habet similiter terreitatem sulfuris admixtam, qua quidem infici omnes suas coagulationes necesse est. Et hæc est causa erroris illorum, qui illud in corpus imperfectum coagulant. Ex diuersitate igitur medicinarum illius coagulationis accidit, diuersa in coagulatione illius creari corpora, & ex diuersitate illius similiter quod coagulandum est. Nam si medicina, vel illud, habuerint sulfur non fixum, necesse est corpus molle ex illo creari. Si verò fixum, necesse est durum. Et si album, album. Si verò rubeum, rubeum. Et si remissum ab albo vel rubeo, remissum similiter necesse est fieri. Et si terreum, imperfectum. Si verò non, non. Et omne similiter non fixum, liuidum creat, fixum verò non, quantum in illo est. Pura verò illius substantia, purum creat corpus, non pura verò, è contra. Accidit autem & similiter in solo argento viuo, absque sulfuris commistione, diuersitas eadem propter diuersitatem mundationis, & præparationis illius in medicinis: Ideoque contingit ex parte medicinae diuersitatis illusio, vt quandoque in coagulatione illius plumbum, quandoq; verò Iupiter, quandoque autem Venus, & quandoque Mars fiat, quod propter impuritatem accidit. Quandoque verò Sol, quandoque Luna, quod ex puritate venire necesse est, & consideratione colorum. Coagulatur igitur ex frequenti illius præcipitatione cum violentia ad ignis asperitatem. Asperitas enim ignis, aqueitatem illius de facili remouet. Hoc enim fit per vas, cuius figura sunt multæ longitudinis, in quo inueniat locum refrigerij, adhaerentia, & quietis in eius spondilibus, propter suam longitudinem, & non fugæ viam, quousq; iterata vice ad illius fundum præcipitur multa caliditate ignitionis, cum reiteratione multa, quousq; fiat fixum. Coagulatur similiter ex diuturna retentione in suo igne, in vase vitreo, cuius collum sit multæ longitudinis, & in ventre figuram ampullæ habeat, cum continua colli eius apertione, vt per illam possit humiditas eius euanescere. Coagulatur verò per medicinam illi conuenientem. Et nos illam tibi narra-

bimus in sequentibus apertius. Hic verò similiter, ut intentionem nostram super illo narremus completam, secundum quod per nostrum inuenimus experimentum. Et est medicina illius, quæ maxime illi in profundo eius adhæret, & ei per minima commiscetur ante illius fugam. Ex rebus ergo ei conuenientibus necesse est illam colligere. Sunt autem huiusmodi corpora omnia, & sulfur, & arsenicum. Sed quia non videmus corporum aliquod in natura sua illud coagulare, sed ab eis ipsum fugere, quantumcunque fuerint suæ conuenientiae, ideoque considerauimus, nullum corpus illi in profundo adhærere. Subtilioris ergo substantiæ & liquidioris fusionis necesse est medicinam illam esse, quæ ipsa corpora. Ex spiritibus etiam non videmus, illis in natura sua manentibus, firmam & stabilem coagulationem fieri illius, sed fugitiuam, & multæ infectionis. Quod quidem contingit, alterum propter spirituum fugam, alterum verò ex terræ & adustibilis substantiæ illorum commistione. Ideoque ex hoc manifestè relinquitur ex quacunque re medicina illius eliciatur, ipsam necessario debere esse subtilissimam, & purissimam substantiam, illi adhærentis ex natura sua, & facilissimam liquefactionis, & tenuissimam ad modum aquæ, & fixæ super ignis pugnam. Hæc enim ipsum coagulabit, & in naturam solarem vel lunarem conuertet. Modos ingeniorum medicinæ tibi dedimus, ad quam per illos peruenire potes, & ipsam sermone sibi proprio determinauimus. Sollicitè igitur ad illam exerciteris, & eam inuenies. Sed ut nos non increpare possis ex eius sufficientia, dicimus quod ex ipsis corporibus metallicis cum suo sulfure vel arsenico preparatis, hæc medicina elicitur: similiter ex solo sulfure, vel arsenico preparatis, & ex solis similiter corporibus elici potest. Ex solo verò viuo argento facilius, & propinquius & perfectius inuenitur: Quoniam natura propriam naturam amplectitur amabilius, & ea gaudet magis, quam extranea. Et est in ipso facilitas extractionis illius substantiæ subtilis, cum iam in actu subtili habeat substantiam. Modi verò inuentionis huius medicinæ sunt per sublimationem, ut à nobis narratum est sufficienter. Modus verò fixationis illius in capitulo suo similiter narratus est. Coagulationis verò solutorum modus est, per ampullam in cineribus usque ad collum cum temperato igne, quousque aqueitas euanescat.

De Fixione, et causis eius, deque diuersis modis figendi corpora, et spiritus. Cap. LIIII.

Fixio verò, est rei fugientis ab igne conueniens ad tolerantiam eiusdem adaptatio. Causa verò inuentionis ipsius Fixionis est, ut omnis tinctura, omnisque alteratio, perpetuetur in alterato, & non mutetur. Diuersificatur verò & ipsa secundum rerum figendarum multipliciter, quæ sunt videlicet corpora quædam à perfectione diminuta, sicut Saturnus, Iupiter, Mars, & Venus: Et secundum diuersitatem ipsorum spirituum, qui sunt scilicet sulfur & arsenicum in gradu vno, & argentum viuum in alio. In tertio verò Marchasita, Magnesia, & Tutia, & horum similia. Figuntur igitur corpora hæc à perfectione diminuta per suam calcinationem, eo quod absoluuntur per eam à sulfureitate volatiua & corruptente. Et hanc sufficienter in sua narrauimus oratione, scilicet in capitulo Calcinationis. Figuntur verò sulfur & arsenicum duobus modis, scilicet per reiterationem sublimationis super illa in vase aludela, quousque stent. Est igitur ex hoc intentio festinationis Fixionis illorum, ut ingenieris ad inuentionem reiterationis multiplicis sublimationis in breui tempore, quod per duo fit aludela, cum duplicibus suis cooperculis, hoc ordine scilicet, ut nunquam ab actu sublimationis desistas, donec fixa fuerint. Projiciantur ergo, cum in vno ascenderunt, in aliud aludel, & sic alternata vice fiat. Et nunquam ociosa permittantur aludelis spondilibus adhærere, quin in continua sint

sint ignis elevatione, quousque cesset illorum elevatio. Quotocumque enim in breviori tempore poteris multiplices sublimationis reiterationes multiplicare, tanto celerius & melius continget ipsius fixationis tempus abbreviare. Ideoque fuit secundus fixationis modus inventus, qui est per ipsius sublimandi precipitationem, ad calorem, ut continuo in illo sit, donec figatur. Et hoc fiet per longum vas vitreum cuius fundus sit terreus, & non vitreus (quia scinderetur in partes) illi artificialiter cum clausura bona connexus, & per spatulam ferream, vel lapideam, cum ad spondilia eius adhaeserit, deiciatur ad ima caloris continue, per alternas vices, quousque figatur. Fixionis vero modus argenti vivi, id est cum modo fixationis sulfuris & arsenici, & non diversificantur inter se, nisi in hoc, quod non possunt sulfur & arsenicum figi, nisi prius eorum partes inflammabiles tenuissimae, subtili divisionis artificio ab eis separentur, per hunc ultimum fixationis modum. Argentum vero vivum hanc considerationem non habet, & ad hoc similiter temperatori calore, quam argentum vivum indigent in hoc modo. Similiter diversificantur, quia in longiori figuntur tempore, quam argentum vivum. In eo similiter, quoniam altius eleuantur propter suam tarditatem, quam argentum vivum. Ideoque longiori vase indigent, quam argentum vivum ad suam fixationem. Fixio vero Marchasitae, Magnesitae, & Tutiae est, ut cum post primam illorum sublimationem acquisiverimus quod ex eis volumus, abiectionis illorum facibus, reiteremus super ea sublimationem, toties convertendo quod superius ascendit ad id quod inferius remansit, ex unoquoque illorum, quousque figantur. Horum vero descriptio vasorum iam tradita est.

De Ceratione. Cap. LV.

Ceratio, est durae rei non fusibilis mollificatio ad liquefactionem. Ex hoc igitur manifestum est, quod causa inventionis huius fuit, ut quod ingressionem ex privatione suae liquefactionis non habebat in corpus ad alterationem, mollificaretur ut fluere, & ingressionem haberet. Ideo putaverunt aliqui, cerationem debere de oleis liquidis & aquis fieri. Sed erroneum est illud, & à principijs huius magisterij naturalis semotum penitus, & ex manifestis naturae operibus reprobatur. Naturam enim non videmus in ipsis corporibus metallicis humiditatem citò terminabilem, imò diu durabilem, ad illorum fusionis & mollificationis necessitatem posuisse. Si enim talem illis posuisset, relinqueretur necessario, ut citissime scilicet ignitione una, corpora totaliter humiditate privari contingeret. Quare ex illo sequeretur, post unam ignitionem corpus quodlibet nec malleari, nec fundi posse. Quamobrem imitantes naturae opera in quantum possumus, necesse est nos modum naturae in cerando sequi. Cerat autem ipsa in radice cerationis fusibilium humiditate, quae super omnes est humiditates, expectans ignis calorem. igitur etiam nos consimili cerare humiditate necessario expedit. In nullis autem rebus melius & possibilius, & propinquius haec humiditas cerativa invenitur, quam in his, videlicet sulfure & arsenico propinque, propinquius autem & melius in argento vivo. Horum igitur humiditatem non videmus terram illorum relinquere, propter fortem unionem, quam in opere mixtionis naturae habuerunt. In omnibus autem rebus alijs humiditatem habentibus, experimento inuenies, eam in resolutione à terrea sua substantia separari, & post illius separationem omni humiditate privari. In spiritibus autem praedictis hoc nomine contingit. Ideoque non est aliud, per quod ab illorum in cerando acceptione, excusari possimus. Modus ergo Cerationis est per illos, ut toties super rem cerandam multiplicetur eorum sublimatio quo-

usq; in illa cum humiditate sua manentes, fusionem bonam praestent. Hoc autem non fiet ante illorum perfectam mundationem, ab omni re corrupte. Sed mihi melius videtur, ut eorum olea prius figantur, per oleum tartari, & cum illis fiat omnis ceratio competens, & necessaria ad hanc artem.

Finis libri primi Summae perfectionis
Gebri *רבי חמאי*.

SUMMAE PERFECTIONIS GEBRI
רבי חמאי Liber secundus.

Prefatio diuidens hunc secundum librum in tres partes. Cap. LVI.



RINCIPIORVM itaque huius magisterij discussione tradita, necesse est ex promissione nostra intentum huius artis complete prosequi, sermone illi conueniente. Et est scilicet consideratio omnis rei, per quam perfectio huius operis apertius ostendatur. Et consideratio necessitatis perfectionis medicinae, scilicet ut discutiatur, ex qua re melius vel propinquius eliciatur illa, ad omnem imperfecti perfectionem. Et consideratio similiter artificiorum, per quae cognoscamus, an perfectio sit completa. His tribus itaq; traditis, & tota erit perfectionis tradita cognitio, secundum nostrae artis indigentiam.

PRIMA PRAS HVIVS SECVNDI LIBRI, DE COGNITIONE
rerum; ex qua perfectionis possibilitas, et modus deprehendi potest.

*Quod cognitio perfectionis huius artis, a cognitione naturae spirituum et corporum dependeat,
et quod de utrisq; copiose uelit tradere. Cap. LVII.*



COGNOSCERE verò non est possibile transmutationes corporum vel ipsius argenti viui, nisi super mentem artificis deueniat vera cognitio illorum naturae, secundum suas radices. Prius igitur corporum principia notificabimus, quid scilicet sint secundum causas suas, & quid boni vel mali in se contineant. Postea verò ipsorum omnium corporum naturas, cum suis omnibus proprietatibus monstrabimus, quae videlicet sint causae corruptionis illorum, cum suis experientijs comprobantes.

De natura Sulfuris et Arsenici. Cap. LVIII.

ERGO in primis spirituum naturam, qui ipsorum corporum sunt principia afferentes, quae sunt videlicet Sulfur, & eius compar, & Argenti viuum. Dicimus quod Sulfur & Arsenicum pinguedo sunt terrae, ut à nobis narratum est. Cuius experientiam & manifestam probationem elicias per illius facilem inflammationem, & facilem eius liquefactionem, per calidum. Non enim inflammatur, nisi quod oleaginum est, nec liquefcit per calidum facile, nisi quod illius naturam habet. Sulfur itaque & illius compar, causam corruptionis habent, inflammabilem substantiam, & terream facultentiam. Causam verò perficientem habent mediam, inter hanc videlicet & illam. Est igitur causa corruptionis in illo terreitas, per hoc, quod neque fusionem, neque ingressionem habet. Et similiter inflammabilis substantia, quia neque stat, neque stare facit, & quod nigredinem ex omni genere eius praestat. Causa igitur perfectionis in illis est mediocris illarum substantia, quia per illius terreitatem non turbatur ab ingressione,

ingressione, quæ per fusionem bonam perficitur. Et per illius subtilitatem non remouetur eius impressio de facili propter fugam. Non est autem mediocris illorum substantia perfectionis causa corporum vel argenti viui, nisi figatur. Quæ cum non fixa sit, licet eius impressio non remoueat de facili, non tamen stabiliter perpetuatur. Ex his itaq; elicitur illius mediocrem substantiam artificem diuidere, necesse esse. Diuidere autem putauerunt quidam impossibile esse, propter fortem illius missionem. Et illi quidem suis operibus manifestis aduersi sunt. Nam ipsum sulfur calcinauerunt, licet non multum, quod nullam fusionem nec inflammationem dedit, sed illud per diuisionem necesse est euenisse, quia sulfur in sua naturali commistione permanens, necesse est inflammari & comburi. Ergo per diuisionem diuersarum substantiarum in illo, relinquitur, partem in ipso magis inflammabilem, à partibus non inflammabilibus seorsum in artificio separari. Nam si possibile est, per calcinationem ad remotionem omnium inflammabilium partium in illo perueniri, necesse est ex eorum naturalibus operibus, eos confiteri, ad omnem partium diuisionem posse perueniri. Sed quia hoc dependet ex subtilissimo artificio, cogitauerunt fore impossibile. Patet itaq; ex præmissis in capitulo, quod non est sulfur de veritate nostre artis, sed pars eius. Et nos iam deduximus te in cognitionem artificij, per quod ad illius diuisionem possibile est deuenire. In arsenico verò, quia in radice suæ mineræ, per actionem naturæ resolutæ sunt multæ illius partes inflammabiles, ideo artificio separationis eius est facile. Sed ipsum est albedinis tinctura, sulfur verò rubedinis. In sulfuris igitur diuisione magnam adhibere cautelam, necesse est.

De natura Mercurij, siue argenti viui. Cap. LIX.

IN Argento viuo similiter necesse est superflua demere. Habet enim corruptionis causas, videlicet terream, & adustibilis absq; inflammatione aqueitatis substantiam: Putauerunt tamen aliqui illud non superfluam habere terram, vel immunditiam, sed vanum est quod cogitatur ab eisdem. Videmus enim ipsum multæ liuidatis, & non albedinis. Et similiter per leue artificio videmus ex illo terram nigram & sæculentam emanare, per lauationem videlicet, cuius modum narrabimus. Sed quia duplicem est per illud perfectionem elicere, medicinam scilicet ex eo facere, & illud perficere, ideoq; necesse est ipsi duplicis mundationis gradu præparare, propterea duæ mundationes Mercurij sunt necessariae: Vna per sublimationem ad medicinam, & hæc hic innuitur: Alia per lauacrum ad coagulationem, & illa innuetur. Si enim volumus medicinam ex illo creare, tunc necesse est eam à sæculentia suæ terreitatis mundare, per sublimationem, ne in projectione creet colorem liuidum, & ipsius aqueitatem fugitiuam delere, ne totam medicinam fugitiuam in projectione faciat, & mediocrem illius substantiam saluare pro medicina. De cuius est proprietate non aduri, & ab adustione defendere, & quæ non fugit, & fixum facit. Probamus itaq; perfectum esse illud manifestis experientijs. Nam videmus argentum viuum, argento viuo magis adhærere, & eidem magis amicarî, post illud verò aurum, & post hæc argentum. Ideo ex hoc relinquitur, ipsum esse suæ naturæ magis. Alia verò corpora videmus non ad illa tantam conformitatem habere, & ideo ipsa veridicè inuenimus minus de illius natura participare. Et quæcunq; videmus plus ab adustione saluare, illa consideramus plus illius naturam possidere. Ideoq; relinquitur, ipsum argentum viuum esse perfectum, & adustionis saluatium, quod est perfectionis vltimum. Secundus verò mundationis gradus, est ad ipsius coagulationem. Et est vt sufficiat illi solummodò lautio suæ terreitatis per vnam diem. Cuius modus hic est:

Sumatur patella terrea, & in ea mittatur arg. viuum super quod fundatur acetū fortissimi pauca quantitas, vel alterius rei consimilis, quā sufficiat ad cooperiendum illud. Post immittatur ad ignem lentum, ne ferueat, & agitetur continuē cum digitis super fundum patellae, vt diuidatur argentum viuum in similitudinem subtilissimi pulueris albi, donec totum acetum euaporauerit, & ipsum argentum viuum redeat. Postea verò quod faculentum & nigrum videris ex illo emanasse, lava & abijce. Et hæc iterata vice multiplica, quovsq̃ videris colorem suæ terreitatis in clarum, mistum albo & cælestino colore perfectē mutari, quod perfectæ lauationis est signum. Cum igitur peruenierit ad illud, projiciatur super ipsum medicina coagulationis, & coagulabitur in solidum, & lunificum secundum quod ipsa præparata extiterit: Et ipsius narrationem in sequentibus ponemus. Ex iam igitur dictis patet similiter argentum viuum non esse perfectiū in natura sua, sed illud quod ex ipso producitur per artificium nostrum. Et similiter in sulfure & eius compari est inducere. Non ergo in his possibile est naturaliter naturam sequi, sed per nostrum artificium naturale.

De natura Marchasite, Magnesia, & Tutie. Cap. LX.

DE alijs autem spiritibus naturale necesse est nos facere traditionem, qui sunt scilicet Marchasita, Magnesia, & Tutia, impressionem magnam in corporibus facientes. Et ideo dicamus quid sint cum probationibus suis in hoc capitulo. Dicimus igitur, quod Marchasita duplicem habet in sui creatione substantiam, argenti viui scilicet mortificati, & ad fixationem approximantis, & sulfuris adurentis. Ipsam autem habere sulfureitatem comperimus manifesta experientia. Nam cum sublimatur, ex illa emanat substantia sulfurea manifesta, comburens. Et sine sublimatione similiter perpenditur illius sulfureitas. Nam si ponatur ad ignitionem, non suscipit illam priusquam inflammationem sulfuris inflammetur & ardeat. Ipsam verò argenti viui substantiam manifestatur habere sensibilibus, Nam albedinem præstat Veneri meri argenti, quemadmodum & ipsum argentum viuum, & colorem in illius sublimatione cælestinum præstare, & luciditatem manifestam metallicam habere videmus, quæ certum reddunt artificem, illam has substantias continere in radice sua. Magnesia verò sulfur plus turbidum, & argentum viuum magis terreum, & faculentum, & ipsum sulfur similiter magis fixum & minus inflammabile habere, per easdem probare experientias manifestè poteris, & ipsam magis naturæ Martis approximare. Tutia verò, est fumus ipsorum corporum alborum, & hoc manifesta probatione perpenditur. Nam proiecto fumo missionis Iouis & Veneris, adherente in spondilibus fabricæ fabrorum, eandem impressionem facit cum ea. Et quod fumus metallicus non redit, nec ipsa similiter sine alicuius corporis admitione. Ideo cum fumus ipsa sit alborum corporum, alba nō citrinat corpora, sed rubea. Nam citrinitas non est aliud, quàm rubei & albi determinata proportio. Ideoque ipsa propter sui subtilitatem magis ad profundum corporis penetrat. Et ideo magis alterat quàm suum corpus, & magis adhæret in examine paucio artificio, quod iam tibi narratum est. Quæcunque igitur alterantur, per argenti viui virtutem, vel sulfuris, aut horum similium necesse est alterari, quoniam hæc sola communicant in natura ad ipsa corpora.

De natura Solis, siue Auri. Cap. LXI.

DE corporibus nunc, ampliato sermone eorum intimam narremus essentiam. Et primò de Sole, postea de Luna, vltimò verò de alijs, secundum quod videbitur expedire cum suis probationibus, quæ per experimen-

tum

tum habentur. Est igitur Sol creatus ex subtilissima substantia argenti viui, & clarissima fixura: & ex substantia pauca sulfuris mundi, & puræ rubedinis, fixi, clari, & à natura sua mutati, tingentis illam. Et ideo, quia contingit diuersitas in coloribus ipsius sulfuris, necesse est & auri citrinitatem diuersitatem habere similiter. Est enim quoddam magis, quoddam verò minus in citrinitate intentum. Quòd autem sit ex subtilissima argenti viui substantia, perpenditur & ipsum, quia argentum viuum de facili illud suscipit. Non enim argentum viuum aliud quàm suæ naturæ suscipit. Quòd verò claram & mundam illius substantiam habuit, per splendentem eius fulgorem & radiantem manifestatur, non solum in die, verum etiam in nocte sese manifestantem. Quòd verò fixam & sine sulfureitate comburente habeat, patet per omnem operationem illius ad ignem: nam nec minuitur, nec inflammatur. Quòd verò ipsum sit sulfur tingens, patet per hoc, quòd admistum argento viuo, ipsum in colorem transformatur rubeum: & quòd sublimatum forti ignitione de corporibus, ita quòd illorum ascendat subtilitas, cum ea citrinissimum creat colorem. Patet igitur quòd cum pura eius substantia purum colorem generat, cum nō pura non putrum. Qui verò probationis suæ citrinitatis ostensione indiget, sensum non habet: quia per visum percipitur. Subtilissima igitur argenti viui substantia ad fixationem deducta, & puritas eiusdem, & subtilissima sulfuris materia fixa, & non adurens, tota ipsius auri materia est essentialis. Maior verò argenti viui, quàm sulfuris in illo probatur quantitas, ideo maiorem argentum viuum habet ingressione in illud. Igitur quæcunque volueris alterare, ad huius exemplar altera, vt ipsa ad æqualitatem eius perducas. Et modum iam ad illud nos dedimus. Et quia subtiles & fixas habuit partes, ideo potuerunt partes eius multum densari. Et hæc fuit causa ipsius magni ponderis. Per multam verò operatam à natura decoctionem, facta est ex illo paulatiua resolutio, & inspissatio bona, & vltima mistio, vt cum ignitione liquecat. Ex præcedentibus igitur patet, quòd multa quantitas argenti viui, est causa perfectionis, multa verò sulfuris, causa corruptionis. Et vniformitas in substantia, quæ per misionem fit in decoctione naturali. Diuersitas in substantia, est causa corruptionis. Et induratio & inspissatio, quæ per longam & temperatam perficitur decoctionem, est causa perfectionis, oppositum verò corruptionis. Igitur si ceciderit super ipsum argentum viuum sulfur non debite, necesse est secundum diuersitatem illius diuersas corruptiones adduci. Potest enim sulfur quod super illud cadit, fixum, non adustibile esse totum, aut totum adustibile, & fugiens in natura sulfuris: aut fugiens, & non in natura sulfuris, aut partem fugientis, partem verò fixi tenere: sed in parte naturam sulfuris tenere, in parte verò non: aut totum mundum, aut medium immundum, aut multæ quantitatis, aut paucae, superans in commisto: aut paucae quantitatis superatum in illo, aut nec superans nec superatum: aut album, aut rubeum, aut mediocre. Ex his itaque omnibus diuersitatibus necesse fuit in natura diuersa creari corpora, & his similia: quas omnes oportet narrare nos cum probationibus manifestis.

De natura Lune, siue Argenti. Cap. LXII.

IAM ergo patet ex præcedentibus, quòd si ceciderit sulfur mundum, fixum, rubeum, clarum, super substantiam argenti viui puram, non superans, imò paucae quantitatis, & superatum, creatur ex hoc aurum purum. Si verò fuerit sulfur mundum, fixum, album, clarum, quod ceciderit super substantiam argenti viui, sit argentum purum, si in quantitate non superet, diminutam ta-

men habet puritatem ab auri puritate, & spissitudinem grossiorem, quam aurum. Cuius signum est, quod densantur partes eius, in tantum ut auro componeret, nec ita fixam substantiam habet, ut illud. Signum est diminutio eius per ignem, & sulfur eius, quod non est fixum, nec incombustibile, causa est illius. Et quod sulfur in illo huius sit dispositionis, per illius paululam inflammationem probatur. Idem autem fixum & non fixum ad aliud quidem & ad aliud relatum esse, impossibile non est autumandum. Lunę enim sulfureitas ad auri sulfureitatem relata, non fixa, & comburens est: Ad aliorum verò sulfur corporum fixa, & non comburens.

De natura Martis, siue Ferri. Item de effectibus sulfuris, & Mercurij, deq; causis corruptionis, & perfectionis. Cap. LXIII.

SI verò fuerit sulfur fixum terreum, argento viuo fixo terreo commistum, & hæc ambo non pura, sed liuida albedinis fuerint, cuius superantia quantitas sit sulfuris fixi summę, sit ex his Ferrum. Quoniam superantia sulfuris fixi, fusionem prohibet. Ideoque ex hoc relinquitur, sulfur velocius liquefactionis festinantiam per opus fixationis perdere, quam argentum viuum. Non fixum verò videmus citius quam argentum viuum liquefcere. Ex his verò manifestatur causa velocitatis fusionis & tarditatis in corporum vnoquoque. Nam quod plus de fixo habet sulfure, tardius, quod verò plus de adurente, facilius & citius fusionem suscipit: Quod satis aperte relinquitur a nobis esse monstrandum. Quod verò ipsum fixum tardiores faciat fusionem, manifestatur per hoc, quod ipsum nunquam, nisi calcinetur, figitur, & calcinatum nullam dat fusionem. Ergo in omnibus illam impedire debet. Quod verò nisi calcinetur non figatur, patet experimento illius, qui illud figit non calcinatum, quoniam ipsum inuenit semper fugere, donec in terram vertatur: Cuius similitudo est calcis natura. Hoc autem minime in argento viuo contingit, quoniam figi potest absque hoc, quod in terram vertatur, & figi similiter cum conuersione illius in terram potest. Nam per festinationem ad eius fixationem, quæ per præcipitationem perficitur, figitur, & in terram mutatur. Per successiuam verò illius iterata vice sublimationem figitur similiter, & non in terram vertitur, imò fusionem dat metallicam. Hoc autem manifestum est, & illi probatum qui utrasque fixationes illius expertus est, usque in illius consummationem per festinam præcipitationem, & tardam per successiuas sublimationes. Vidit enim & inuenit sic, ut a nobis scriptum suscepit. Et illud ideo, quoniam viscosam & densam habet substantiam: cuius signum est contritio illius, cum imbibitione & mitione cum rebus alijs. Sentitur enim in illo manifeste viscositas illius per multam adhaerentiam. Densam autem substantiam illud habere, manifeste videt monocolus per illius aspectum, & per ponderationem sui immensi ponderis. Auro enim præponderat, cum in natura sua est, & est similiter fortissimæ compositionis, ut narratum est. His igitur relinquitur, ipsum posse figi sine illius humiditatis consumptione, & absque in terram conuersione. Propter enim bonam partium adhaerentiam, & fortitudinem suæ mitionis, si quo modo partes illius inspissentur per ignem, vterius non permittit se corrumpi, neque per ingressionem furiosæ flammæ in illud se in fumum vterius eleuari permittit: quoniam rarefactionem sui non patitur, propter suam densitatem & carentiam adustionis, quæ per sulfureitatem combustibilem, quam non habet, perficitur. Per hoc igitur inuentum est inuentione veridica duorum secretorum genus mirabile duplex: Vnum scilicet, causæ corruptionis vniuersiusque metallorum per ignem: quarum vna est inclusio adurentis sulfureitatis in illorum substantiæ profundo, per inflammationem illa diminuentis, &

exten-

exterminantis in fumum vltima consumptione, quantumcunque in illis argentum viuum bonæ fixationis extiterit. Altera verò est multiplicatio flammæ exterioris super illa penetrantis, & secum in fumum resoluentis, cuiuscunque fixationis in eis ipsum sit. Tertia verò est rarificatio ipsorum per calcinationem. Tunc enim flamma vel ignis in illa penetrare potest, & ipsa exterminare. Si igitur omnes corruptionis causæ conueniant, maxime corpora corrumpi necesse est. Si verò non omnes, remittitur corruptionis velocitas vnusquisque corporis secundum remissionem illarum. Secundum genus est bonitas, quæ per ipsum consideratur in corporibus. Quia igitur argentum viuum propter nullas causas exterminationis, se in partes compositionis suæ diuidi permittit (quia aut cum tota sua substantia ex igne recedit, aut cum tota in illo permanens stat) notatur in eo necessariò perfectionis causa. Laudetur igitur benedictus & gloriosus Altissimus, qui creauit illud, deditque illi substantiam, & substantiæ proprietates, quas non contingit ex rebus vllam in natura possidere, vt in illa possit inueniri hæc perfectio, per artificium aliquod, quod in illo inuenimus potentia propinqua. Ipsum enim est, quod ignem superat, & ab igne non superatur: sed in illo amicabiliter requiescit, eo gaudens.

De natura Veneris, siue Aeris, Cap. LXIIII.

Redeuntes igitur ad propositum, dicimus, quòd si fuerit sulfur immundum, grossum, fixum, secundum sui maiorem partem, secundum verò sui minorem non fixum, rubeum, liuidum, secundum totum non superans neque superatum, & ceciderit super argentum viuum grossum, ex eo æs creari necesse est. Horum itaque omnium probationem adducere per data ex natura illorum contingit. Nam cum illud ad inflammationem deponitur, flammam ex eo sulfuream discernere poteris, quæ sulfuris non fixi est signum. Et deperditio quantitatis eius per exhalationem, per frequentem eius combustionem, sulfur illud fixum habere significat. Nam ex ea fit illius fusionis retardatio, & induratio substantiæ ipsius, quæ signa sunt multitudinis fixi sulfuris ipsius. Quòd illud autem sit rubeum immundum, adiunctum argento viuo immundo, significatur per sensum: vnde alia probatione non indiget. Experimento itaque elicias secretum. Vides enim omnem rem caloris actionem in terram mutatam, cum facilitate solui, & ad aquæ naturam redigi. Hoc autem contingit propter partium subtiliationem ab igne. Res igitur magis subtilis innatura propria ad hanc terream naturam reducta, magis subtiliatur. Igitur magis soluitur: ita & quæ maximæ, maximè. Ex his igitur patet causa corruptionis, & infectionis horum duorum corporum, Martis scilicet & Veneris: quia est per sulfur multæ quantitatis fixum, & non fixum, pauca in Venere, minimæ verò in Marte. Cum igitur sulfur fixum in fixationem deuenit per calorem ignis, eius partes subtiliantur: sed pars illa quæ est in aptitudine solutionis suæ substantiæ soluitur: cuius signum est expositio horum duorum corporum ad vaporem acetii. Nam per illud floret in superficie illorum sulfuris eorum aluminositas, per calorem in illo creata subtiliatur. Et si posueris hæc duo corpora in liquorem ponticum, soluentur de facili per ebullitionem multæ illorum partes. Et si respexeris in mineris horum duorum, manifestam inuenies ex eis solutam aluminositatis substantiam distillare, & in illis adherere: quæ aluminositas per ponticitatem & facilem solutionem in aquam mutatur. Non enim ponticum, & facile solubile reperitur aliud quam alumen, & quod illius naturæ est. Nigredo verò in utroque horum duorum corporum ad ignem creatur propter sulfur non fixum, quod in illis concluditur: multum quidem in Venere, parum verò in Marte, & ad naturam fixi approximans. Ideoque non de fa-

cili talem impressionem de Marte remoueri est possibile. Iam igitur patuit, ex sulfure non fixo fusionem fieri, & fusionem adiuuari: ex fixo verò fusionem non fieri, & fusionem impediri. Ex argento verò viuo fixo, non est necesse fusionem non fieri, & fusionem impediri. Illud scit necessariò verū esse, quī nullo ingeniorum fusionis, sulfur potuit conseruare in fusione post illius fixationem. Argentum verò viuum figi potuit per frequentem sublimationis reiterationem ad illud, eo bonam fusionem suscipiente. Ex hoc itaq; manifestum est, corpora esse maioris perfectionis, quæ plus argenti viui sunt continentia: quæ verò minus, minoris perfectionis. Studeas igitur in omnibus tuis operibus, vt argentum viuum in commistione superet. Et si per solum argentum viuum perficere poteris, preciosissimæ perfectionis indagator eris, & eius perfectionis, quæ naturæ vincit opus. Mundare enim poteris intimè, ad quod naturam non peruenit. Probatio verò eius, quòd ea quæ maioris argenti viui quantitatem sunt continentia, maioris sint perfectionis, est scilicet facilis susceptio argenti viui. Videmus enim corpora perfectionis amicabilem argentum viuum suscipere. Ex præcedentibus itaq; sermonibus relinquitur, duplicem esse in corporibus sulfureitatem: Vnam quidem in profunditate argenti viui conclusam, in principio suæ misionis, alteram verò superuenientem. Quarum altera cum labore tollitur, alteram verò nullo artificiorum ingenio, quòd per ignem perficitur, possibile est tolli, ad quod possit nostra operatio cōgruere ac vtiliter peruenire, cum iam cum eo ad eandem cerationem vnitum factū est. Et hoc experimento probatur, quòd sulfureitatem adustibilem videmus per ignem deleri, sulfureitatem verò fixam minime. Si igitur dixerimus corpora calcinatione mundari, intelligas vtiq; à terrea substantia, quæ non in radice suæ naturæ vnita est. Quoniam vnita mundare per ignis ingenium, non est possibile, nisi adueniat argenti viui medicina occultans & contemperans illam, aut illam de commisto separans. Separatio autem terreæ substantiæ in radice naturæ metallo vnitæ ab eius commisto fit: Aut per eleuationem cum rebus substantiam argenti viui eleuantibus, & sulfureitatem dimittentibus, propter conuenientiam cum eis, vt est Tutia & Marchasita, quoniam fumi sunt, quorum maior pars argenti viui est quantitas, quàm sulfuris: Et huius experientiam vides, quoniam si forti & subita fusionē hęc coniunxeris cum corporibus spiritus secum adducent corpora in fuga sua: Ideoq; cum eis eleuare poteris: Aut cum lauatione per argenti viui commistionem, quam narrauimus. Argentinum enim viuum tenet quod suæ naturæ est, alienum verò respuit.

De natura Iouis, siue Stanni. Cap. LXV.

HAC igitur inuestigatione proposita, nostrum propositum sequentes innuimus, quòd si sulfur fuerit in radice commistionis, fixatione pauca participans, album albedine non pura, non superans, sed superatum, cum argento viuo secundum partem fixo, secundum partem verò non fixo, albo nō puro commisto, sequetur ex eo stannum. Et horum probationem per præparationem inuenies: Quia si stannum calcinaueris, senties ex illo sulfuris foetorem, quod signum est sulfuris non fixi. Et quia flammam nō dat, ne putes illud fixum: Quia non propter fixationem, sed propter superantiam argenti viui, in commistione saluantis à combustionē flammam non dat. Probatur itaq; duplex in stanno sulfureitas: duplex item argenti viui substantia. Vna quidem sulfureitas quæ est minus fixa, quia cum calcinatur foetet vt sulfur. Per primam probatur misionis experientia. Altera per continuationem illius in calce sua ad ignem, quam habet, quia magis fixa non foetet. Probatur verò duplex argenti

genti viui substantia in illo, quarum una est non fixa, altera fixa: quia ante illius calcinationem stridet, post verò triplicem ipsius calcinationem non stridet, quod est, quia eius argenti viui fugitiui substantia stridorem faciens euolauit. Quòd verò argenti viui substantia fugitiua sit causa stridorem faciens, probatur per lauationem plumbi cum argento viuo: Quia si cum argento viuo plumbum lauetur, & post lauacrum eius illud fuderis cum igne non superante suae fusionis ignem, remanebit cum eo argenti viui pars, quae plumbo stridorem adducit, & illud in stannum conuertet. E conuerso verò, per mutationem stanni in plumbum illud considerare potes. Nam per multiplicem calcinationis reiterationem ad illud, & ignis illi magis conuenientis ad reductionis administrationem, in plumbum conuertitur: maximè verò cum per subtractionem suae scoriae cum magno calcinatur igne. Et de harum substantiarum diuersitatibus certificari poteris per ingenia conseruationis illarum in instrumentis proprijs, & ignis modo eas diuidentis: ad quem nos peruenimus cum instantia, & vidimus eum certificatione nostra, nos verum per illud aestimasse. Quid igitur sit quòd post remotionem duorum non fixorum ex loue, scilicet sulfuris & argenti viui remansit, te certum reddere nos expedit: vt complete cognoscas ipsius louis compositionem. Est igitur illud liuidum, ponderosum, vt plumbum: maiori tamen albedine plumbo participans. Est igitur plumbum purissimum. Et est in ipso aequalitas fixationis duorum componentium, argenti viui scilicet, & sulfuris, non autem aequalitas quantitatis: quoniam in commistione vincit argentum viuum: cuius signum est facilitas ingressionis in illud argenti viui in natura sua. Igitur si non maioris argenti viui in illo esset quantitas, non adhereret illi in natura sua sumptum de facili. Ideoq; non adheret Marti, nisi subtilissimo ingenio: nec Veneri propter paucitatem argenti viui in illa, in commistione sua. Ex hoc igitur patet, quia difficillimè Marti adheret, Veneri verò facilius, propter maiorem copiam argenti viui in ea: cuius signum est fusio illius facilis, Martis verò difficillima. Fixio verò harum duarum substantiarum, ad firmam approximat fixationem: nō autem fixa propterea est perpetuo. Et huius est probatio, ipsius corporis calcinatio: & post calcinationem ad fortissimum ignem expositio. Nam per eum non fiet diuilio, sed tota ascendet substantia: purificata tamen magis. Videmus ergo substantiam sulfuris in stanno adurentem facilius separari, quàm in plumbo. Et huius experimentum vides per facilem louis indurationem, calcinationem, & meliorationem sui fulgoris. Ideoq; considerauimus hæc corruptentia in radice illius non fuisse, sed ei postea aduenerunt. Et quia in prima commistione non fuerunt illi multum coniuncta, ideo facile possunt separari. Ideoq; alterationes in eo sunt velocis operis, mundificatio videlicet, induratio, & illius fixio. Et harum causas per ea quæ iam à nobis tradita sunt, manifestè considerare potes. Et quia post has operationes, calcinationem scilicet & reductionem, considerauimus in fumo suo per magnam elevationem, & ignis expressionem, & vidimus illud ad citrinitatem pertingere, cum hoc sit de proprietate sulfuris calcinati, aestimauimus aestimatione vera, in qua fuimus certificati, sulfuris fixi naturam illud secum multam continere. Qui igitur voluerit in hac nostra sciētia videre veritatem, inuestigationem horum omnium, perstudeant cum sedulitate operis, donec per eam principia ipsorum corporum, & proprietatem spirituum inueniant inuentione certa non coniecturali, quam tradidimus in hoc nostro volumine sufficienter ad artis exigentiam.

Restat nos igitur de Saturno descriptionem ponere. Et dicimus, quod non diuersificatur à Ioue post calcinationis reiterationem, ad illius naturam reductio, nisi quod immundiorum habet substantiam à duabus substantijs commistam grossioribus, sulfure scilicet & argento viuo: Et quod sulfur in illo comburens, & sui argenti viui substantiae magis adhaesivum, & quod plus habet de substantia sulfuris fixi ad compositionem suam, quam Iupiter. Et harum probationes per experientias manifestas adducemus. Quod igitur ipsum sit maioris terrae faeculentiae, quam Iupiter, manifestatur per visum, & per lauacrum eius ab arg. viuo, in hoc, quod plus per lauacrum emanat faeculentiae ab eo, quam à Ioue, & quod primum gradum calcinationis suscipit facilius quam Iupiter, quod est signum multae terreitatis: Nam corpora plura terreitatis facilius inuenimus calcinationis, & terreitatis paucæ, difficilius calcinationis. Et huius est probatio, difficillima Solis calcinatio completa. Et quod non rectificatur eius faeculentia per calcinationis reiterationem sicut in Ioue, quod est signum maioris faeculentiae in principijs eius ex natura sua, quam Iouis. Quod verò sulfuris quantitas combustibilis magis sit arg. viui substantiae adhaesiva in eo quam in Ioue, significatur per hoc, quod non separatur de eo in fumum quantitas notanda, quin sit citrini coloris multae citrinitatis, cuius similiter est quod in fundo inferiori ex eo remansit, id quod necessario vnius trium horum esse signum relinquitur, aut nullus quantitatatis sulfuris combustibilis in eo, aut paucissima, aut multum coniuncta, in principiorum propinquitate ad radicem commisionis. Sed certificati sumus per illius odorem, ipsum alicuius esse quantitatis, & non paucæ, imò multae; quia non remouetur ab eo odor sulfureitatis in breui tempore. Ideo considerauimus consideratione qua certi fumus, sulfur comburens illius sulfuris non comburenti ad naturam fixi approximanti, in arg. viui substantia vniuniformiter esse commistum. Ideo cum scandit fumus eius, necessario cum sulfure non comburenti scandit, de cuius proprietate est, citrinitatem creare. Quod verò maior quantitas sulfuris non adurentis sit in ipso quam in Ioue, à nobis adductum est cum veritate, per hoc quod videmus totum colorem ipsius in citrinum mutari, Iouis verò in album, in calcinationibus suis. Et ideo in hoc nobis aperta est via investigationis causae huius operis, per quod in calcinatione mutatur Iupiter facilius in durum quam Saturnus, non autem in tarditatem liquefactionis velocius quam Saturnus: Et illud ideo, quoniam causa duritiei naturae est sulfur, & argentum viuum fixum. Causa verò liquefactionis est duplex, argentum viuum scilicet, & sulfur combustibile, quorum alterum, quo ad fusionis perfectionem, sufficit in vnoquoque gradu eius, cum ignitione scilicet, & sine ignitione scilicet argentum viuum. Quia igitur in Ioue est multa argenti viui quantitas non verè fixi, remanet in illo multa liquefactionis velocitas, & non remouetur ab illo facilius. Causa verò mollificationis est duplex, argentum scilicet viuum, & sulfur combustibile. Quia igitur remouetur sulfureitas comburens ex Ioue facilius quam ex Saturno, ideo ex eo altera causarum mollitiei remota, necesse est illud indurari calcinatum. Saturnus verò, quia vtriusque mollitiei causas fortiter habet coniunctas, non facile induratur. Est tamen diuersitas in mollitie per arg. viuum, & mollitie per sulfur: quia mollities per sulfur est cessiua, mollities verò per arg. viuum extensiua est. Et hoc necessario probatur per hoc, quod videmus corpora multi argenti viui, multae extensionis esse, corpora verò pauci, paucæ. Et ideo Iupiter facilius & subtilius extenditur quam Saturnus, Saturnus facilius quam Venus, Venus quam Mars, Luna subtilius quam Iupiter, Sol verò quam Luna subtilius. Patet igitur quod causa

causa indurationis est argentum viuum fixum, aut sulfur fixum. Causa verò mollitiei est opposita. Causa verò fusionis est duplex, sulfur non fixum, & arg. viuum cuiuscunque generis. Sed sulfur non fixum necessario est causa fusionis sine ignitione. Et manifestè vides huius rei experientiam, per projectionem arsenici super corpora difficilis fusionis: facit enim ea facili fusionis, & sine ignitione. Causa verò fusionis facilis est & similiter argentum viuum. Causa verò fusionis cum ignitione est argentum viuum fixum. Causa igitur impedimēti fusionis cuiuscunque est sulfur fixum. Per hoc itaq; maximum poteris elicere secretum. Quod cū plurimæ argenti viui quantitatis corpora maximæ perfectionis sint inuenta, pluris vtique quantitatis argenti viui corpora à perfectione diminuta perfecto magis approximare necesse est. Itaque & multæ sulfureitatis corpora plurimæ corruptionis esse contingit. Quāobrem igitur ex iam dictis patet, louē maximè perfecto approximare, cū perfectionis plus participet, Saturnū verò minus, minus verò adhuc Venerē, minimè verò Martē, eo ex quo perfectio dependet. Aliter autē ex medicina cōplente, & defectū sup. plente, & perfectius attenuante ad profundū, corporum spissitudinem, & sub splendentis fulgoris substantia eorundē palliante fuscadinē, se habere contingit. Ex hac enim maximè perfectibilis Venus existit, minus verò Mars, adhuc minus Iupiter, minimè verò Saturnus. Ex his igitur repertū est laboris inuestigatione veridica, ex corporū diuersitate, diuersas inueniri cum præparatione medicinas. Alia enim eget medicina, durū ignibile, alia verò molle & nō ignibile corpus: Hoc quidē mollificāte, & ad profundū attenuante, & in sua æquāte substantia illud verò indurante & inspissante occultū eius. Ex his igitur nos expedit ad medicinas trāsire cum manifestis experientijs, ponentibus nobis causas inuentionis diuersarum medicinarum, & quod diminutum relinquunt & quod ad complementum deducant.

SECUNDA PARS HVIVS SECUNDI LIBRI, DE

Medicinis in genere, & de necessitate perfectionis medicine, omnia imperfecta perficiente, atq; ex qua re melius & propinquius eliciatur.

Vniuscuiusq; corporis imperfecti, similiter & argenti viui necessario fore duplicem medicinā, unā scilicet ad albū, alterā uerò ad rubeum, à quibus tamen omnibus excusamur per unicā perfectissimam. Cap. LXVII.

PROBAMUS igitur, spiritus corporibus magis alsimilari, per hoc, quod magis corporibus vniuntur & amabilius, quā alia in natura. Per hoc ergo adductum est nobis inuentione prima, hos esse corporū alterationes medicinam verā. Ideoq; omni quo potuimus ingeniorum genere nos ipsos exercuimus, vt per illos, imperfectorū vnumquodq; corporum, mutatione firma in perfectum Lunare & Solare trāsformaremus corpus. Quāobrem ex eisdem medicinā diuersam ex diuersa alterandorum intentione creari necesse accidit. Cū sint igitur duplicis generis metalla alterationis, arg. viu. scilicet perfectione coagulabile, & à perfectione diminuta corpora: & hæc iterum multiplicia, alia quidē dura ignibilia, alia verò mollia non ignibilia: dura quidem ignibilia, vt Mars & Venus: mollia verò, vt Iupiter & Saturnus: Necesse est & medicinā similiter perfectiuā multiplicē esse. Alia etenim eget arg. vi. medicina perficiēte, alia verò corpora trāsformāda. Quinetiā alia egēt dura ignibilia vt Venus & Mars, alia verò mollia nō ignibilia, vt Saturnus & Iupiter. Et hæc vtrāq; vtriusq; generis cū ad se inuicē differant in natura, similiter diuersā ea egere medicinā necessario accidit. Vnius etenim generis sunt Mars & Venus, sed in speciaū quadam proprietate differunt. Etenim hic nō fusibilis, illa verò

fusibilis: Ideoq; alia quidem Mars, alia verò Venus medicina perficitur: & hic quidem ex toto immundus est, illa verò non. Et hic quidē quadā albedine fusca, illa verò rubedine & viriditate participat: quæ in medicina diuersitatis necessitatem imponunt consimiliter. Alterius etiam generis mollitiei corpora, scilicet Iupiter & Saturnus, cum hic & similiter differat, diuersa medicina ea similiter egere necesse est. Est enim hic quidē mundus, scilicet Iupiter, ille verò non. At verò & hæc quidē mutabilia omnia, nunc Lunaria, nunc Solaria efficiuntur corpora, ideoq; necesse est vniuscuiusq; duplicē medicinā fore: Vnam quidē citrinam, in citrinū mutantem Solare corpus: alteram verò albā in albū Lunare corpus mutantē similiter. Cum ex quatuor igitur imperfectorū corporum vnicuiq; duplex materia adinueniatur, Solaris videlicet & Lunaris, Octo in summa erunt medicinæ omnes corpora perficientes, in forma bona. Perficitur & similiter arg. viu. in Solare & Lunare: ideoq; & medicinæ alterātis illud duplicē differentiam esse contingit. Decē igitur erunt omnes medicinæ, quas inuenimus cum totalitate sua ad cuiuslibet imperfecti alterationem cōpletā. Verū utiq; cū diuturni laboris instātia, & magnæ indagationis industria excusari volumus ab inuentionis labore harū decē medicinarū per vnius beneficiū medicinæ: & inuenimus inquisitione longa, necnō & laboriosa maximē, & cū experientia certa, medicinā vnam, qua quidē durum mollescit, & molle induratur corpus, & fugitiuū figitur, & illustratur fœdū splendore inenarrabili, & eo quī supra naturam consistit. Ideoq; omniū harum medicinarū expedit singulū sermonem adducere, cū causis suis, & manifestis probationū experientijs. Primum igitur medicinarum decē seriē, & ab hinc quidē corporum omniū, deinde verò arg. viuī, dehinc verò & vltimō ad perficientis magisterij medicinā transeundū, cum tamen præparatione indigeant imperfecta. Ideo ne propter insufficientiā traditionis artis mordeamur ab inuidis, afferamus in primis narrationem de imperfectorum præparationibus, earū inuentionis causæ necessitatem ponētes, quibus quidē in nostro artificio efficiantur congrua, perfectionis albedinis & rubedinis in vnoquoq; gradu medicinā suscipere, & ab eadē perfici. Dehinc verò addendum medicinarum omnium narrationem sufficere & congruam.

Vnicuiq; imperfectorum corporum suam præparationē esse adhibendam. Cap. LXVIII

EX iam ergo à nobis narratis sermonibus apparet quid superfluum, quid dē diminutū ex operibus natura relinquat in vnoquoq; eorū, quæ imperfecta sunt corpora secundū sufficentē partē: secundū verò complementū quæ in superioribus omisimus, hic cōplebimus sufficienti sermone. Primum igitur cum corpora imperfectionis mutabilia duplicis generis esse contingat, mollia scilicet & ignibilia, vt Saturnus & Iupiter: dura & nō fusibilia, aut cum ignitione fusibilia, vt Mars & Venus: hic quidē non fusibilis, illa verò cū ignitione: necessariō nos natura informando edocuit, ex illorū diuersitate essentiarū, in radice naturæ diuersas præparationes secundū exigentiā illis administrare. Sunt itaq; vnius generis transformāda imperfectionis corpora duo necessaria: plumbum scilicet, quod μέλας id est nigrum dicitur, & per artē Saturnus: & plumbum stridens, quod λευκός id est albū dicitur. Et in hac sententia Iupiter quæ à se inuicem sunt diuersa in sui occulti profundo ex radice suæ naturæ innata, & in manifesto similiter: quia Saturnus, fuscus, liuidus, ponderosus, & niger, sine stridore totaliter mutus: Iupiter autem albus, liuens parum, multum verò stridens & modico sono, innitum adducens: quorum differentiam in profundo illorū tibi cum manifestis experientijs monstrabimus ex illarum causis necessarijs. Ex quibus secundum magis & minus præparationis ordi-

ordinem colligere bonæ mentis artificem contingit. Primò igitur secundū ordinem corporum præparationē narremus: postea verò & ipsius argenti viui coagulabilis. Sed & primò vnius generis, molliciei scilicet, post hoc verò & alterius. Primi quidem generis corporum ponatur Saturni præparatio & louis, postea verò & aliorum, secundum suum ordinem determinatum. Quia in præparatione corporum nihil superfluum ex profundo ipsius remouendum, sed ex manifesto potius.

Imperfectorum metallorum defectum, medicina suppleri, superfluum uerò præparatione tolli oportere.

Cap. LXIX.

Saturni verò præparatio multiplex adhibetur essentiæ, & louis similiter, secundum ipsorum multiplicis perfectioni approximationis, aut elongationis ab ea gradum. Cum sit igitur aliud ex corruptentibus quidem illorum profundo adueniens ex ipsorum naturæ radice innata, sulfureitatis scilicet terreitas, atq; impuritas terre arg. viui, illorum creationis principiis essentialis natura commista. Aliud verò superueniens post primam illorū mitionē, corruptionem adducens, & sunt primi generis sulfureitas cōburens, & illius impuritas, & argenti viui substantia foeda: quæ omnia sunt Saturni & louis perfectionis substantiam corruptentia. Sed horum quidem alterum impossibile est remoueri per alicuius industriæ medicinam, primi ordinis. Alterum verò paruo adminiculo remoueri contingit. Hoc quidem remouendum esse impossibile aduenit, propter hoc, quòd in principiis naturæ propriæ huius generis corporum in veram essentiam commista fuerunt, & vera essentia facta sunt. Ideoq; cum non sit possibile veram rei cuiusq; in natura remouere essentiam, re permanente, non fuit possibile ab eis hæc corruptentia delere. Quā obrem igitur putauerunt quidam Philosophorum, per hoc ad artem non posse perueniri. Sed nos quidem & nostro tempore hanc inquirentes scientiam peruenimus ad hoc idem, quòd & similiter nullo ingeniorum præparationis modo potuimus corpora illustrare, cum cōplemento sui fulgoris lucidi, quin contingeret illa ex toto infici, & denigrari potius. Propter hoc igitur & nos similiter in stuporē adducti, multi temporis spacio sub desperationis umbraculo delituius. Redeuntes tamen in nos ipsos, & nos ipsos torquentes immensa cogitationum meditationis afflictionibus, respeximus à perfectione corpora diminuta in profundo suæ naturæ foeda existere, & nihil ex eis fulgidum inueniri, cum in eis secundum naturā non sit. Non enim inuenitur in re, quod in illa nō est. Cum igitur nihil perfecti in illis inueniatur, necessariò & in eisdē nihil superfluum inueniri relinquitur in diuersarū substantiarum separatione in illis, & in profundo suæ naturæ. Ideoq; per hoc inuenimus aliquid diminutum in illis fuisse, quod cōpleri necessariò accidit per materiā sibi convenientē, & diminutum cōplentem. Est igitur diminutum in illis, scilicet paucitas arg. viui & non recta spissatio eiusdē. Igitur complementū erit in illis arg. viui multiplicatio & spissatio bona, & fixio permanens. Hoc aut per medicinā ex illo creatam perficitur. Hæc enim cum ex arg. viui sit in esse deducta, per beneficiū illius luciditatis & splendoris, illorū succedinem palliando celat & tegit, & splendorem educit, & in fulgorem conuertit. Quum enim argentum viuum in medicina præparatum, per nostrum artificium sit mundatum, & in substantiam purissimam, & fulgidissimam reductum, proiectum super diminuta, à perfectione illustrabit, & sua fixatione perficiet. Hanc verò medicinam in sua narrabimus oratione. Relinquitur itaq; ex præiacentibus necessariò, duplicem fore perfectionis inuentionem necessariam, vnam quidem per materiā quæ de misto substantiam foedam separat, alteram verò per medicinam, quæ illam

sui fulgoris splendore palliando tegat, & illustrando decoret. Cum nihil igitur superfluum, sed potius diminutum, in profundo corporum contingat reperi: si quid omnino superflui remoueri expedit, necesse est id ex manifesto suae naturae superueniēs, & tolli & moueri diuersis cum praeparationibus, quas in hac oratione nos expedit enarrare: primum quidem in eadem oratione Iouis & Saturni, vltimò verò & aliorum secundum ordinem.

De Praeparatione Saturni & Iouis.

Cap. LXX.

Praeparantur igitur Saturnus & Iupiter praeparationibus multiplicibus secundum maioris perfectioni approximationis necessitatē, communi scilicet, & speciali praeparationis modo. Communis quidē est, per gradus approximationis ad perfectionē multiplices. Est enim vnus gradus approximationis, scilicet fulgor ex substantia munda: alter verò durities, cū suae fusionis ignitione: tertio verò fixio, per remotionem fugitiuae substantiae. Mundificantur igitur, & fulgida fiunt tripliciter: aut per res mundificantes, aut per calcinationis modū & reductionis, aut per solutionem. Per res igitur depurantes mundantur dupliciter: aut in calcē redacta, aut in natura corporum. In calcem verò redacta, purificantur in hunc modum: aut per sales, aut per alumina, aut per vitrum. Et est, vt cum corpus calcinatū extiterit, tunc infundatur super eorum calcem aluminū aut salium aqua, aut cōmisceatur cum ea vitrum, & reducatur in corpus. Hoc igitur toties super haec corpora alternata vice reiteretur, quovsq; munda cōplete se ostendant. Nam cū sales & alumina & vitrum fundantur fusione alia quā corpora, ideo ab illis separantur, & secum terream substantiam ducunt, relicta sola corporum puritate. In natura verò corporū similiter, & per eundem depurantur modū. Et est, vt limentur subtilissime haec duo corpora: post hoc verò cum eisdem administrantur aluminibus, salibus & vitro videlicet, & postea in corpus reducuntur. Et sic alternata vice reiterentur, quovsq; mundiora appareant. Mundantur & per arg. viui laua crū, cuius modum attulimus. Mundificatur & haec similiter vtriusq; generis corpora per reiterationis vicem calcinationis ad illa, & reductionis similiter, cum sufficientia sui ignis, quovsq; mundiora appareant. Per hanc enim mundatur à perfectione haec diminuta corpora, à duplici corrūpente substantia, hac quidē inflammabili & fugitiua, illa verò terrea faeculentia. Et illud ideo, quia ignis omnem fugitiuā substantiam eleuat & consumit. Et idem ignis similiter in reductionis modo omnem substantiā terrae diuidit cum proportionē suā: & hanc proportionem in alio nostro volumine, quod de perfectionis Inuestigatione intitulatur, conscripsimus, quod secundum ordinem hunc praecedat librum. In illo enim quacunque inuestigauimus, secundum nostrae mentis rationem scripsimus: hic verò quod vidimus & tetigimus completē, secundum scientiae ordinē determinauimus. Mundificantur & haec vtrique similiter per solutionem suae substantiae cuius modum iam diximus, & per reductionem similiter eius, quod ex eis dissolutum extiterit. Inuenitur enim illud mundius & perfectius quā alio quopiam praeparationis genere, hoc eodem praeparationis modo. Et huic modo nō cōparatur modus, nisi qui per sublimationem perficitur: & ideo huic equipollet. Est & similiter praeparatio illis, induratio suae mollis substantiae, cum ignitione suae fusionis. Et est, vt ingeniemur illis permiscere argenti viui substantiā fixā in profundo illorū, aut sulfuris fixi, aut sui comparis, aut cum rebus duris, & non fusilibus, sicut est calx Marchalitae & Tutiae. Haec etenim cum illis vniuntur & amicanantur, & illa indurant, quovsq; non fundantur, antequā ignisaur. Et per medicinam perficientē hoc idem cōpletur similiter, cuius narrationem pone-

ponemus. Et est similiter alius præparationis modus, per remotionem suæ fugitiuæ substantiæ. Et hic quidē perficitur per conseruationē illorum post primū calcinationis gradū, in igne illis proportionali. Et quia ordo in modis præparationis cōtingit necessariō, ideo ponemus ordinem cōpletum ex illis. Primō igitur mundetur ex eis omnis substantia fugitiua & adustiua corrumpens. De hinc verò terrea superfluitas deleatur. Post hoc soluantur & reducantur, aut per lauacrum argenti viui lauentur completē. Et hic ordo utilis & necessarius est. Specialis attamen horum corporum præparatio, primum quidē louis est multiplex. Vna quidem per calcinationē, & per hanc induratur eius substantia magis, quod Saturno non euenit. Etiam per alumina similiter: hæc enim propriē louem indurant. Altera verò per conseruationem eius in igne suæ calcinationis. Per hanc enim stridorem amittit, & corporum similiter tractionē, quod Saturno similiter non contingit: quia stridorem non habet, nec corpora transgredit, & per calcinationis reiterationem similiter ab acuitate salis stridorem amittit. Saturni verò secundariō est præparatio specialis, scilicet per calcinationem à salis acuitate: per hanc enim induratur, & per talck specialiter dealbatur, & per Marchasitam & Tutiam. Modos verò omnes præparationū determinauimus completius, in libro qui de Perfectionis inuentione intitulatur, quoniam in hoc abbreviauius summas illarum.

De Præparatione Veneris.

Cap. LXXI.

Imitantes igitur præmissorum ordinem, durorum corporum præparationes narremus. Primō igitur Veneris, deinde verò Martis. Est igitur Veneris multiplex præparationis modus. Alius quidem per eleuationem, alius verò sine eleuatione perficitur. Per eleuationem verò est modus, scilicet vt accipiatur tutia, cum qua Venus magis conuenit, & cum ea per ingenia vniatur. Deinde verò in suo sublimationis vase ponatur ad sublimandū, & per excellentissimū gradum ignis eius eleuetur pars subtilior, quæ fulgidissimi splendoris inuenta est. Vel cum sulfure misceatur per minima, & postea eleuetur per modū suū eleuationis iam dictum. Sine sublimatione verò præparatur, aut per res mundificationem facientes, aut in calce sua, aut in corpore, velut tutia, sales & alumina, aut per argenti viui lauacrum, cuius modum attulimus: aut per calcinationes & reductiones eius quod solutum est ad naturam corporis: aut per argenti viui lauacrum mundificatur, sicut & corpora reliqua à perfectione diminuta.

De Præparatione Martis.

Cap. LXXII.

Martis verò præparatio est similiter multiplex. Quædam enim per sublimationem, quædam verò sine sublimatione completur: quæ verò per sublimationem fit cum arsenico, cuius modus hic est. Ingeniemur quā profundius possumus eidem arsenicum non fixum vnire, vt cum fusione cum eo liquecat. Postea verò sublimetur in vase propriæ sublimationis. Et hæc præparatio melior & perfectior inter cæteras reperitur. Est & alia præparatio ipsius Martis, per arsenicum sublimatum ab eo multoties, quovisque maneat quantitas aliqua ipsius arsenici. Hoc enim si reductum fuerit, emanabit album fusibile mundum præparatum.

Est & similiter modus tertius præparationis eiusdē per fusionem illius cū plūbo & tutia. Ab his enim fluit mundū & albū. Sed quoniā ne minus sufficienter dixisse videamur, cū nos determinaturos esse promissimus de durorū corporū

ingeniosa mollificatione, atq; mollium induratione, per calcinationis modū, ideo illum non omittamus: sed mollium quidem primò, durorum verò postea. Et est scilicet, vt soluatur argentum viuum præcipitatū, & soluatur corpus calcinatum, de cuius intentione sit indurari. Et hæc ambæ solutiones misceantur, & ex eis alternata vice calcinatum corpus misceatur, terendo, & imbibendo, & calcinando, & reducendo, quovsq; durum fiat, & cum ignitione fusibile. Hoc idem, & cum corporum calce, & tutia, & marchasita calcinatis, solutis, & imbibitis, perfici completè contingit. Et quanto quidē hæc mundiora, tanto & perfectius mutant. Mollificantur similiter & dura corpora cum ingenio consimili. Et est scilicet, vt cum arsenico toties coniungantur & sublimentur, & post arsenici sublimationē assentur cum proportionē sui ignis, cuius modū narrauimus in lib. Fornacū. Et vltimò reducantur cum expressionē sui ignis in oratione sua dicti, quovsq; in fusionē mollescant, secundum exigentiam duritiei corporis. Et hæc quidem alterationes omnes sunt primi ordinis, sine quibus non perficitur magisterium.

De Mundificatione argenti viui.

Cap. LXXIII.

Igitur ex præmissis necesse est argenti viui mundificationem completè narrare. Dicimus igitur, quòd argentum viuum mundatur dupliciter, aut per sublimationem, cuius attulimus modum, aut per lauacrū, cuius modus hic est. Fundatur argentum viuum in patella vitrea vel lapidea, & super ipsum aceti quantitas superfundatur, quæ sufficiat ad illud cooperiendum. Dehinc verò super lentum ignem ponatur, & calefieri permittatur, in tantum vt digitis tractari patiatur. Deinde verò digitis agitetur, quovsq; in partes minutissimæ diuidatur, in pulueris similitudinem: & tamdiu agitetur, quovsq; aceti totū quod in illo infusum est, consumetur omnino. Deinde verò quod in eo terreitatis inuentum sit, lauetur cum aceto, & abijciatur. Toties igitur super illud opus reiteretur, quovsq; terreitas illius in caelestinum mutetur colorem perfectissimum, quod perfectæ lauationis est signum. Ab his igitur ad medicinas est transeundum.

Quinq; differentes proprietates perfectionis necessario asserre medicinam perfectissimam, scilicet mundiciem, colorem, fusionem, perpetuitatem, & pondus, unde coniectura sumenda sit, ex quibus rebus eliciatur.

Cap. LXXIII.

Afferamus igitur in primis sermonem vniuersalem de medicinis cum causis suis, & experientijs manifestis. Innuimus igitur, quòd nisi quidem omne superfluum, siue per medicinam, siue per præparationis modum auferatur ab imperfectis, scilicet vt ab illis tollatur omnis superflua sulfureitas, omnisq; terreitas immunda, non purificentur, ita scilicet quòd de commisto non separantur in fusionē post projectionem medicinæ alterantis illa. Cū hoc quidem inueneris, iam ex perfectionis differentijs, vnā habes. Similiter vtrique nisi & medicina illustret & alteret in colorem album aut citrinum, secundum intentionem quam quæris, quæ fulgoris splendorem, & amoenitatis luciditatem adducat, nō perficiuntur à perfectione corpora diminuta in complemento totaliter. Amplius autem, nisi fusionem Lunarem aut Solarem determinatē adducat, non est in complemento alterabile, quia in iudicijs non quiescit sed de commisto separatur omnino, & recedit. Hoc autem à nobis latius determinatum in sequentibus demonstratur in capitulo de Cineritio. Amplius autem & nisi perpetuetur medicina cum impressionis alteratione firma, non valet ipsius mutatio, quia non permanet, sed euanescit impressio. Amplius autem, & nisi pondera perfectionis adducat, non mutat sub complemento naturæ firmo & vero, cui non sit fraus per credulitatis errorem. Est enim pondus naturæ

naturæ vnum ex perfectionis signis. Patet igitur, quòd cum perfectionis differentia quinque sint, necesse est & medicinam nostram magisterij, has scilicet adducere in proiectione differentias. Per hoc igitur patet, ex quibus medicina nostra eliciatur. Nam per ea elicitur, quæ maxime corporibus adiunguntur, & amicabiliter eisdem in profundo adherent alterantia. Ideoque cum in rebus cæteris exquirentes, non inuenimus inuentione nostra rem aliam magis, quàm arg. viu. corporum naturis amicari, per hoc opus nostrum in illo impendentes, reperimus ipsum esse veram alterabilium medicinam in complemento, cum alteratione vera, & non modicè peculiaris.

De Preparationibus medicinis adhibendis, ut differentias proprietatum debitas acquirat. Cap. LXXV.

Restat igitur nos substantiam ipsius & proprietatis substantiæ differentias determinatè adscribere. Et cum non inuenerimus ipsum sine alterationis naturæ illius administratione mutare, inuenimus & similiter ipsum præparari debere necessariò, cum non permisceatur in profundo, absque illius præparationis modo. Et est scilicet, ut talis fiat illius substantia, quòd permisceatur in profundo usque ad profundum corporis alterabilis, sine separatione in æternum. Hoc autem non fit, nisi subtilietur valde cum præparatione certa & determinata in capitulo Sublimationis. Et non permanet eius impressio similiter, nisi figatur: nec illustrat, nisi fulgidissima ex illo eliciatur substantia, cum sui modi ingenio, & modo suæ operationis per ignem congruū. Ea non præstat fusionem perfectam, nisi in illius fixatione adhibeatur cautela, cum hac dura remollire, & mollia indurare. Est tamen talis, ut cum sufficientia seruetur suæ humiditatis proportionata, secundum exigentiā eius quæ queritur fusionis. Per hoc ergo patet, quod ipsius talis præparetur, & administraretur præparatio, qua fulgidissima & mundissima substantia ex illo creetur. Deinde verò figatur, & cautela eidem exhibeatur, ut scilicet exercitetur artifex in administratione ignis, in modo suæ fixationis, quo possit ex illo deleri humiditas in tantum, quod sufficiat ad fusionem perfectam complendam. Et est scilicet, ut si quæris per hæc corpora fusionis dura mollicari, in principio suæ creationis lentus adhibeatur ignis. Ignis enim lentus humiditatis est conseruatiuus, & fusionis perfectiuius. Si verò mollia indurare ipsius componatur ignis vehemens. Talis enim ignis humiditatis est consumptiuus, & fusionis turbatiuus. Et has quidē regulas omnes in omni medicina, bonæ mentis artificem necessariò considerare expedit. Et multas similiter alias in poteris mutatione considerationes adducere necesse est, cum causis suis & ordine congruo. Est igitur causa ponderis magni, subtilitas substantiæ corporum, & uniformitas in essentia. Per hoc enim tantum illorum possunt densari partes, ut nihil intercidat, & partium densatio ponderis est adductio, & illius perfectio.

De Differentijs medicinarum, scilicet quòd quedam sunt primi ordinis, quedam secundæ, quedam uerò tertiæ. Cap. LXXVI.

Patet igitur, quòd tam in corporum administrationis præparatione, quàm ipsius perficientis medicinæ modo per operis artificia, subtilitatem perquirere necessariò contingit. Quia quāto maioris ponderis sunt corpora transmutata, tanto & maioris sunt perfectionis inuenta inuestigatione per artē. Compleatur igitur sermo utilis de medicis, si omnium medicinarum differentias narremus. Innuimus quidē, quòd medicinarum triplicem differentiam esse necessariò accidit. Alia est primi ordinis, alia verò secundæ, alia verò tertiæ. Dico autē primi ordinis medicinam, omnem præparationem mineralium, quæ super diminuta à perfectione corpora proiecta, alterationem imprimat: quæ non adducit complementum sufficiens, quin contingat alteratum mutari & corrumpi, cum euapo-

P

ratione impressionis medicinae illius totali. Sicut est omnis sublimatio dealbatiua Veneris, aut Martis, quae fixationem non suscepit. Et huiusmodi est omne additamentum coloris Solis & Lunae, aut Veneri commistorum, super furnum ce menti positum, ut zincar, & similia. Hoc enim mutat immutatione non stante sed potius diminuente se per exhalationem. Secundi vero ordinis medicinam dicimus omnem preparationem, quae quando super diminuta a perfectione corpora proiecta est, alterat in differentiam aliquam complementi, relictis differentiis aliquibus corruptionis omnino, velut est calcinatio corporum, qua omne fugitivum deletur. Et est huius generis medicina perpetue Lunam citrinans, aut perpetue Venerem dealbans, relictis alijs in eis corruptionis differentiis. Tertij vero ordinis medicinam appello, omnem preparationem, quae quando corporibus aduenit, omnem corruptionem cum projectione sua tollit, & cum omnis complementi differentia perficit. Haec autem est unica sola. Et ideo per illam excusamur a laboribus inventionis decem medicinarum secundi ordinis. Primi igitur ordinis opus minus appellatur: secundi vero medium: tertij tandem maius: Et haec est omnium medicinarum differentia sufficiens.

De Medicinis primi ordinis Venerem dealbantibus.

Cap. LXXVII.

EX ordinis igitur determinati promissione secuta (cum quidem alia sit medicina corporum, alia vero arg. vii. Et corporum quidem alia primi ordinis, alia vero secundi, alia vero tertij, & arg. vii. consimiliter), narremus omnium medicinarum differentias, primo primi ordinis, deinde vero secundi, postremo tandem tertij: & corporum quidem primo, postea vero arg. vii. medicinae cum sermone completo, & ordine congruo, narrationem tradamus. Dicimus igitur quod primi ordinis medicina corporum, alia est durorum corporum, alia mollium. Durorum quidem corporum alia Veneris, alia Martis, alia vero Lunae. Veneris quidem & Martis, est pura illorum substantiae dealbatio, Lunae vero rubificatio, cum citrinitate fulgoris amoeni. Quia Veneri & Marti rubificatio non adducitur primi ordinis medicina cum fulgoris apparitioni, quia ex toto immunda sunt, non apta rubedinis fulgorem recipere, priusquam illis adueniat preparatio, fulgorem adducens. Narremus igitur in primis Veneris medicinas omnes: postea vero Martis, quae cadunt in ordine primo. Est igitur medicina Venerem dealbans, alia per arg. vii. alia per arsenicum. Per arg. vii. quippe sic completur medicina dealbans illam. Soluitur etenim primo arg. vii. praecipitatum, & soluitur similiter Veneris calcinatio. Et haec ambae solutiones commiscantur in unum. Dehinc vero coagulantur, & super ipsius corpus projicitur eorum medicina: haec enim dealbat & mundat. Amplius autem & aliter. Soluitur arg. vii. praecipitatum, & soluitur lithargyrium & haec ambae solutiones coniunguntur in unum, & soluitur corporis calcinatio, de cuius intentione sit dealbari, & coniungitur cum praedictis solutionibus, & deinde coagulantur: dehinc vero super illius corpus projiciuntur, dealbatur enim per hanc. Aliter autem. Sublimatur alternata vice ex illius corpore arg. vii. quantitas, quousque cum illa permaneat arg. vii. pars, cum ignitione completa. Dehinc vero ex aceto distillato saepissime imbibendo teritur, ut in profundo illius melius commisceatur, abhinc vero affetur, & ultimum consimiliter ab eo arg. vii. sublimetur, & iterato imbibatur & affetur. Et sic toties reiteretur opus super illa, quousque multa arg. vii. quantitas in eo cum ignitione completa quiescat. Haec enim primi ordinis bona est dealbatio. Aliter autem super arg. vii. praecipitatum toties sublimetur arg. vii. in natura propria, quousque in illo figatur & fusionem praestet. Dehinc vero super Veneris substantiam projiciatur, & dealbatur peculiariter. Aliter autem soluitur Luna, & soluitur lithargyrium, & coniunguntur solutiones. Ex his Veneris substantia dealbatur. Sed & melius quidem

dem dealbatur, si in omnibus medicinis perpetuetur arg. viuū. Dealbatur verò per arsenicum sublimatū: vt si accipiatur calcinatio Veneris, & super illā iteretur eiusdem sublimatio, quovsq; cum eo maneat, & illam dealbet. Sed nisi exercueris te ipsum cum modis sublimationū, non perseverabit in ea arsenicū alteratione aliqua. Et est scilicet, vt post primū sublimationis gradū secundariò reiteres, quem narrauimus in Marchasitæ sublimatione. Dealbatur verò & aliter, vt sublimatū arsenicum in Lunam projicias: dehinc verò hoc totū super Venerem: dealbat enim peculiosè. Aut cōmisce prius lithargyrium, vel plumbum vsū solutum cum Luna: deinde verò super hoc arsenicū superiacies, & hoc totum super Venerē proiectum dealbat, & est primī ordinis bona dealbatio. Aut solū super lithargyrium solutum & reductum, projiciatur arsenicū sublimatum, & hoc totum super Veneris fusionem, quoniam dealbat eam cum curialitatis aspectu. Aut cōmisceatur Luna & Venus, & super has projiciatur omnis medicina dealbatiua. Luna etenim amica est arsenici magis quam corporum aliquod: & ideo fractionē ab eo tollit. Secundariò verò Saturnus, & ideo cum illis eum cōmiscemus. Aliter autē arsenicum fundimus sublimatum, quovsq; fiant frustra: deinde verò frustum post frustum super Venerem projiciamus. Iubemus etenim in frustis potiusquam in puluere projici, quoniā facilius inflammatur puluis quam frustum: & ideo facilius euanescit quam frustum, & cōsumitur prius, quam super corpus cadat ignitum. Tollitur autē & aliter rubedo illius cū tutia videlicet, & dealbatur. Sed quia tutiæ dealbatio nō sufficit, ideo solum citrinat. Et citrinatio quælibet albedini est affinis. Et est modus huius scilicet, vt soluatur & calcinetur omne genus tutiæ, deinde verò Venus: & hæ ambæ coniungantur solutiones, & cum his citrinetur Veneris substantia, & cum tutia si exercueris, proficuum inuenies. Dealbatur verò per sublimatā Marchasitam, quæadmodum cum sublimato argēto viuo, & est modus idem.

De Medicinis Martem dealbantibus Cap. LXXVIII.

Restat ergo, & dealbationes Martis ex medicinis sibi propriis creatas narrare, quæ sunt secundū essentiam primī ordinis, secundum quem fusionē non habet rectam, ideo expedit nos cum medicina fundente illam dealbare. Est igitur omnis medicina Veneris dealbatiua, & Martis similiter, cum eiusdem ordinis preparatione. Sed fusiva illius specialis, est arsenicū cuiuscūq; generis. Cum quocūq; igitur dealbatur & funditur, expedit quod cū arg. vi. coniungatur & lauetur, quovsq; omnis impuritas tollatur ab illo, & fiat album & fusibile, aut calefiat cum ignitionis vehementia, & super ipsum projiciatur arsenicum, & cum fusum fuerit super illum projice Lunæ quātitatem: Quia quādo cum eo vnitur, non separatur ab eo per leue artificium. Aut calcinetur & lauetur omnis ex ipso solubilis aluminositas, corruptionis infectionē adducens per modum solutionis iam dictum. Dehinc verò ab illo sublimetur arsenicum mundatū per sublimationem aliquam, & reiteretur multoties, quovsq; cum eo aliquid ex illo figatur. Dehinc verò cum solutione lithargyrii alterna vice imbibatur, cōmiscendo & agitando, & assando alterna vice, & vltimò reducēdo cum igne, quē docuimus in Iouis reductione à calce sua. Ex hac enim exhibet albus, mundus, & fusibilis. Aut solum cum arsenico sublimato in calce sua reducatur & exhibet albus, mundus, & fusibilis. Sed eandem artificem expedit adhibere cautelam, quemadmodum in Veneris reiteratione sublimationis ab ea arsenici figētis se in illius profundo docuimus. Dealbatur & similiter per Marchasitam & Tutiam cum ingenio & industria, quæ tibi narrauimus. Sed horti dealbatio aut mundatio non est sufficiens.

Prosequentes igitur præmissorum ordinem, Medicinam Lunæ substantiā citrinantē in ordine primi generis narremus cum veritate certa. Et est scilicet medicina, quæ eidem in profundo adhæret, & adhærendo colorat siue per naturam propriā, siue per artificium huius magisterij. Narremus igitur medicinam, quæ ex sua radice innata illi adhæret. Deinde verò artificia, per quæ facimus rem cuiusq; generis adhærere, cum ingressione firma. Elicimus autē illam aut ex sulfure, aut ex arg. viuo, aut ex amborum cōmissione: sed per sulfur diminutē quidem magis, per argentum verò vinū perfectius. Elicitur autem & similiter per quasdam res minerales, quæ non sunt huius generis, quem admodum est vitriolum & cuperofa, quod & gūma cupri, aut eiusdem stillicidium nuncupatur. Afferamus igitur in proximis modos omnes medicinarū quæ ex arg. viuo consurgunt: Deinde verò quæ ex sulfure, aut ex amborum cōmissione: vltimò verò & eam, quæ ex gūma cupri, aut similibus. Est igitur modus eius, quæ per arg. viu. fit talis. Sumatur præcipitatum, per præcipitationem mortificatum & fixum. Deinde verò ponatur in furnum magnæ ignitionis, admodum conseruationis calcium, quem docuimus, donec rubescat in similitudinem vsifur. Si verò non rubuerit, tolle argentiviu non mortificati partem, & cum sulfure reitera sublimationem illius. Sit tamen sulfur ab omni impuritate mundatum, & arg. viu. similiter. Et postquā vigesies illius sublimationem reiteraueris super ipsum præcipitatum, illud dissolue cum aquarum acumine dissolvente, & iteratò illud calcina, & iteratò dissolue, donec exuberanter sufficiat. Post hoc Lunæ partem dissolue, & cum soluta fuerit, solutiones cōmisce & coagula, & super Lunæ fusionē projicias. Citrinabit enim citrinitate peculiōsa multum. Si verò argentū viuum in præcipitatione rubuerit, ad projectionem suæ perfectionis, sufficit administratio dicta sine cōmissione reitigentis illud. Per sulfur verò rubificatur, sed illius est rubificatio difficilis, & laboriosa immensē. Citrinatur verò & Luna cū Martis solutione similiter. Ad hoc autem nos inducit operis necessitas, vt prius calcinemus illum & figamus quod laboris est copia. Dehinc verò hac eadem preparatione administremus & eadem projectione super Lunæ substantiam infundamus. Et tamen non resultat eius citrinatio fulgens, imò fusca & liuens, citrinitate mortifera. Eius verò quæ per vitriolum aut cuperofam perficitur, citrinationis modus est talis. Tollatur illorum vniuscuiusq; quantitas certa, & illius sublimetur pars, quæ sublimari potest, donec cum expressione sublimetur totali. Post hoc verò iteratò quod sublimatū est, sublimetur cū modo ignis illi appropriati, vt ex eo figatur pars post partem, donec maior illius figatur pars. Postea verò calcinetur cum ignis cautela intentione, vt possit illi maior ignis ad perfectionem administrari. Post hoc verò soluatur in aquam rubicundissimā, cui non est par. Dehinc verò ingenieris, vt illi ingressum in Lunare corpus exhibeas. Et hæc ingenia tibi sufficienter monstrata sunt, si perfecti fueris operis exquisitor, quod scripsimus. Et quia res huius videmus Lunæ profundē & amicabilem adhærere, considerauimus, & est certum, has esse de illorum radice: & ideo per illas alterari contingit. Hæc utiq; sunt medicinae omnes primi ordinis, quas attulimus. Possunt tamen illarum plures multiplicari modi, salua pigmentalium rerum in modorum varietatis essentia. Argenti quippe viui non est medicina in hoc ordine primo, cum non sit medicina, ipsum alterans vnica differentia, imò in cōplemento totali omnino. Quidam verò plures inuenerunt medicinas, sed vnā ex duobus necessariò euenire contingit. Quod aut ex eisdem, aut ex eadem naturam habentibus, illos medicinam creare necessarium est. Aut medicinam compo-

componunt, quæ ei quod non est, æquipollet cum alteratione sua, & quæ nec mundo confert, nec mundi partibus, donec motor in sublimi naturæ mobili quæleuerit incorruptus.

De Differentijs proprietatum medicine secundi ordinis.

Cap. LXXX.

Restat igitur ad secundi ordinis medicinas transire, cum sermonis sui exigentiæ sufficientia vera, & manifestis probationibus, cum experiētia vera. Cum sit igitur medicina alia corporum mutandorum, alia verò argēti viui perfectè coagulabilis: prius omnium medicinas corporum narremus cōplete: Dehinc verò ad ipsius eiusdem arg. viui medicinam coagulabilis in Soli ficum Lunificumq; verum. Est igitur secundi ordinis medicina, quæ quidem imperfecta, sola perfectionis vnica differentia cōplet. Verum cum multæ sint corruptionis causæ in vnoquoq; imperfectorum corporū, videlicet in Saturno quidem sulfureitas volatiua, & argenti viui fuga, per quæ corruptionē adduci necessariò accidit, & illius terreitas: fiat medicina, quæ quidem alterum eorum aut ex toto tollat, aut palliando decoret, relictis solis alijs imperfectionis causis. Quia igitur corporum est aliquid impermutabile, quod in corporū radice innatum est, quod per secundi ordinis medicinam tolli nō potest: ideo omnis illa medicina, quæ illud de commisto tollit, non secundi ordinis, sed tertij, & maioris ordinis appellatur medicina. Et quia superfluitates fugientium inuenimus per calcinationis modum tolli, & per reductionis reiterationē terreitatem non innatam: ideo necesse fuit medicinam secundi ordinis inuenire, quæ quidem innatum palliet, & durum remolliat, & molle induret, in duris scilicet & mollibus, secundum complementum non sophisticum, sed Solificum, aut Lunificum verum imperfectorum corporū, perfectè constituat. Cum pateat igitur in corporibus solis quidem mollibus per ingenia artificiorū huius operis non posse liquefactionis festinantiam tolli, nec impuritatem in principiorum sui radice innatam, necessariò euenit medicinam percunctari, quæ quidem in proiectione illorum tenuitatem inspisset, & inspissando ad suæ liquefactionis ignitionis sufficientiam induret, in duris spissitudinem attenuet, & attenuando ad fusionis velocitatem sufficientem cum proprietate ignitionis adducat, & vtriusq; generis corporum fuscedinem palliando decoret: & hoc in album, illud verò in citrinum transformet perfectissimum. Non autem diuersificatur hæc medicina à tertij ordinis medicina, nisi per minoris præparationis imperfectionem. Et nō diuersificatur à se, quod in diuersorum corporum proiectione, & pigmentorum acceptatione constat, sed in modo præparationis. Similiter & alia eget præparationis industria corporum mollium medicina tenuitatem inspissans, alia verò durorum attenuans spissitudinē. Hæc quidem ignis consumptiui modo, illa verò humiditatis conseruationis administratione eget.

De Medicina Lunari & Solari pro corporibus imperfectis.

Cap. LXXXI.

Afferamus igitur sermonem vniuersalem de medicina huius secundi ordinis completum cum determinatione certa & vera, & prius omnes Lunares omnium à perfectione diminutorum corporum, cum differentijs. præparationis eorum: dehinc verò Solares cum proprijs similiter differentijs. Probauimus autē iam ex nostris sermonibus, sulfur cuiusq; generis perfectionis esse corruptiuum. Arg. quippe viuum, perfectiuū est in operibus naturæ cōpletis regiminibus. Igitur & naturam mutantes minimè, sed imitantes, in quibus nos sequi est possibile operibus: & argentum similiter in huius operis magisterio viuum assumimus, in cuiusq; perfectionis medicina, Lunari scilicet & Solari, tam quidem imperfectorum, quàm & ipsius argenti viui coagulabilis:

Cum autem iam ex nouissimè dictis sermonibus duplicem medicinae differentiam diximus: aliam quidem corporum, aliam verò arg. viui verè coagulabilis: hinc quidem corporum prius, deinde verò argenti viui narrationem medicinae tradamus certam. Est igitur per se huius medicinae materia cuiusque generis vnica: & est quod iam sufficienter notum est. Assume igitur illud, & si vis ad Lunarem secundum ordinem tibi promissum, exercitatum te redde, & preparato illud cum modis huius magisterij notis. Quorum intentio est, vt puram ex illo substantiam diuidas, & partem quidem figas, partem verò ad cerandum omittas: & sic totum magisterium prosequendo, donec compleas tentatam illius fusionem. Quòd si se subito fuderit in duris, perfecta est: in mollibus verò è contrà. Hæc enim medicina super imperfectorum vnumquodque proiecta, in Lunare perfectum mutat corpus, si quidem præuenient huic medicinae præparationes notæ: Si verò non, diminutum relinquit: sed perficit in altera perfectionis differentia tantum, quantum ex huius generis medicinae ordinis administratione dependet. Quantum verò ex tertij, non præueniente administratione aliqua, perficit in projectione sola. Solaris verò huius secundi ordinis medicina imperfectorum cuiusque corporum est eadem materia, & administrationis eodem regimine communicans. In hoc tamen differentiam habet scilicet in maiore partium per modos proprios digestionis subtiliatione, atque sulfuris subtili præparationis regimine administrati commistione, cum materia modò nota additio. Et est regimen scilicet ipsius, purissimi sulfuris fixio, & solutio eius per modum. Cum hoc enim tingitur medicina, & cum hoc proiecta super vnumquodque à perfectione diminutorum, complet in complemento Solari, quantum ex huius secundi ordinis medicinae præparatione dependet, administratione præueniente nota & certa ipsius à perfectione diminuti corporis. Et super Lunam quoque proiecta, perficit eam in complemento Solari peculiOSO multum.

De Medicina coagulante argentum viuum.

Cap. LXXXII.

Secundum igitur præmissorum ordinem restat ex operis complemento, quod in primis nos determinaturos exhibuimus, ad medicinae argenti viui coagulantis ipsum, narrationem transire. Dicimus igitur quòd ex eiusdem illius elicitur materia, scilicet ex noto in capitulis huius operis multiplicibus. Et illud, ideo, quia quum fugituum sit argentum viuum de facili, absque inflammatione aliqua, medicina egeat, quæ subito ante fugam eius in profundo illi adhæreat, & illi per minima coniungatur, & illud inspisset, & sua fixatione illud in igne conseruet, quousque adueniat illi maioris ignis tolerantia, eius humiditatem consumentis, & conuertat illud per hoc beneficium in momento in Solificum & Lunificum verum, secundum illud, ad quod medicina fuerit præparata. Quum igitur non inueniamus aliquid magis illi conuenire, quàm ipsum, quod suæ naturæ est: ideo propter hoc æstimauimus cum eo medicinam illius posse compleri, & ingeniati sumus formam medicinae illi per ingenia præstare. Et est scilicet, vt præparetur cum modis suis iam dictis cum diuturnitatis laboris instantia, qua omnis illius subtilis substantia & purissima, alba quidem in Luna, citrina verò intensa in Sole perhibeatur perfectè. Et hoc quidem non completur, vt citrinum creet, sine mistione rei tingentis illud, quæ suæ est naturæ: Dehinc verò cum hac purissima argenti viui substantia, perficiatur cum huius magisterij operis ingenijs, medicina, quæ maximè argento viuo adhæreat, & fundatur facillimè, & illud coagulet. Couertet enim hoc

hoc in Solificum & Lunificum verum, cum præparatione illius præhabita. Sed ex quibus maximè hæc argenti viui substantia elici possit, solet quæri. Et nos quidem respondentes narramus, quòd in quibus est, ex illis elicitur. Est autem tam quidem in corporibus, quàm & in ipso argento viuo secundum naturam, cum vnus sint reperta naturæ. Sed in corporibus difficilior, in viuo argento propinquior, non autem perfectior. Igitur cuiuscunq; generis sit medicina, tam quidem in corporibus, quàm in ipsius argenti viui substantia, lapidis preciosi indagatur medicina.

Quomodo Medicinis ingressio per artificium concilietur. Cap. LXXXIII.

Sed quoniam contingit quandoq; medicinam commisceri, quandoq; verò non, ideo modum permiscendi narrabimus, scilicet qualiter vnaquæq; res in corpus profundissime ingressum acquirat, aut vnaquæq; medicina non intrans. Et est modus per dissolutionem eius quod ingreditur, & per dissolutionem eius quod non ingreditur, & per commissionem ambarum solutionum. Facit enim ingressuum esse omne illud cuiusvis generis, quod illi per minima coniungitur. Hoc autem per solutionem completur, & completur per solutionem fusio in rebus non fusilibus: & ideo magis apta sunt ingredi & alterare. Et hæc est causa, quare quasdam res calcinamus, quæ non sunt de natura harum, scilicet vt melius soluantur, & ob hoc soluantur, vt melius ab eis corpora impressionem suscipiant, & ab eis similiter per hæc præparentur & mudentur. Aut ingressum damus his, quæ sua spissitudine ingredi non permittuntur cum multiplici sublimationis reiteratione spirituum non inflammabilium super illa, Arsenici videlicet, & Argenti viui non fixorum, aut cum multiplici reiteratione solutionis eius, quod ingressum non habet. Est tamen bona cautela ad ingressum rebus impermiscibilibus dandum, vt solvatur corpus, de cuius intentione per has mutari & alterari, & solvantur res, quarum intentionis sit ingredi cum alteratione. Non fiat tamen omnium partium solutio, sed quarundam: dehinc illud & non aliud imbibatur corpus vice post vicem. Per hoc enim beneficium in id solum ingressum habet necessario, non autem in quocunque alio corpore necessario hoc contingit. Ex his igitur modorum ingenijs, necesse est rem quamlibet ingressum, quo ex illius naturæ pendet beneficio, habere, & alterare cum permissione inuenta. Per hunc igitur sermonem, decem medicinarum completur numerus, cum suæ traditionis sufficientia.

De Medicina tertij ordinis in genere. Cap. LXXXIII.

Restat igitur nos ad tertij ordinis medicinam transire. Est autem huius ordinis medicina duplex, scilicet Solaris & Lunaris. Et est tamen in essentia vna, & agendi modo similiter: & ideo vnica medicina nuncupatur à nostris veteribus, quorum scripta perlegimus. Est tamen additamentum citrinantis coloris, qui à Sulfuris fixi mundissima perficitur substantia, differentia inter hæc & illam, Lunarem scilicet & Solarem, hæc quidem in se continet, illa verò non. Est tamen hic ordo tertius maioris operis ordo appellatus: & illud ideo, quia maioris sagacitatis industria in illius administratione, & perfectionis præparatione est, & labore longiori ad veritatis complementum indiget. Et ideo non diuersificatur huius ordinis medicina à secundij ordinis in essentia vllatenus nisi per subtilissimos præparationis gradus in creatione illius, & per diuturnioris laboris instantia. Et hos gradus omnes narrabimus cum complemento sermonis, & præparationis modum completè cum causis suis, & experientijs manifestis: & modorum gradus administrationis pluris huius tertij ordinis. Alio etenim gradu eget Solaris medicina in pigmentorum præparatione completa, alio verò Lunaris. Hæc quidem Sulfuris administratione tingentis eam illa verò non,

De Medicina Lunari tertij ordinis. Cap. LXXXV.

Primò igitur administrationis modum Lunaris medicinae narremus. Et est, ut accipias lapidem illius notum, & per separationis modum illius purissimam partem diuidas, & seorsum ponas. Dehinc verò eius quæ purissima est partis aliquid figas, & aliquid ex illa relinquant: & cum fixa fuerit, solve quod ex illa solubile fuerit: quod verò non fuerit solubile ad calcinationem mittas, & abhinc super idem solutionem reitera, donec iterum quod ex ea solubile est, solvatur omnimodè. Sic igitur ordo iste servetur, quousque maior solvatur quantitas. Post hæc verò solutiones omnes simul commisce, & coagula. Dehinc verò leuiter assando, in ignis temperamento conserva, quousque illi maior ad illius exigentiam ignis ministrari possit. Post hoc verò primum solutionis ordinem serva, quousque iteratò totum solvatur quod ex eo est solubile, & iteratò coagula, & iteratò in ignis temperamento conserva, quousque iteratò illi possit ignis maior ad eius perfectionem administrari. Omnes igitur hos ordines præparationis super illa quater reitera, & ultimò calcina per modum suum: & sic preciosissimam lapidis terram sufficienter administrando reexisti. Deinde verò servatae partis non fixæ cum hac terræ parte administratae quantitatem per ingeniorum subtilem coniunge modum per minima. Et sit ingenium hoc intentionis leuationis eius per modum sublimationis dictum, quousque fixum cum non fixo levetur totaliter. Quod si non eveniat, addatur illi iteratò vicissim non fixæ partis quantitas, quousque ad elevationem illius sufficiat. Cum igitur elevata fuerit, reiteretur illius sublimatio, quousque per hanc administrationis reiterationem figatur totum. Cum igitur totum fixum fuerit, iteratò cum non fixæ partis quantitate post quantitatem combibe, per ingenium tibi notum, quousque totum iteratò levetur. Igitur iteratò figatur, quousque præstet facilem, cum ignitione sua. Hæc enim medicina est, quæ omne à perfectione diminutum corpus, omneque cuiuscumque argentum viuum generis, in Lunare perfectissimum transformat corpus.

De Medicina Solari tertij ordinis. Cap. LXXXVI.

Solaris igitur huius medicinae præparationi, non adurentis sit additamentum sulfuris, per modum figentem & calcinantem, cum astutia industria administrati perfectè, atque solutionis modum multiplicem, cum reiteratione multa, quousque mundum fiat: his quidem administratione perfecta præueniente, quæ per sublimationem perficitur. Et est huius scilicet additamenti modus, per reiterationem partis non fixi lapidis, sublimationis, cum ingenio coniungendi quousque eleuetur cum ea, & iteratò cum illa figatur ut stet: & quanto huius complementi exuberantia ordo reiteratur pluries, tanto & huius exuberantia medicinae multiplicatur magis, & illius magis augetur bonitas & multiplicatur illius augmentum perfectionis maxime. Et nos quidem, ne mordeamur ab impijs, complementum narramus totum huius magisterij, sub brevissermone completo & noto. Et est illius intentio, ut per sublimationis modum mundetur perfectissimè lapis & illius additamentum & ab hinc quidem cum ingeniorum modo volatium ex eis figatur. Dehinc verò fixum volatile fiat, & iteratò volatile fixum. Et in hoc ordine completur arcanum preciosissimum, quod est super omne huius mundi scientiarum arcanum, & thesaurus incomparabilis. Et tu quidem exerciteris ad illum, cum laboris instantia maxima, & cum diuturnitate meditationis immensæ. Cum illa enim invenies, & sine illa non. Et huic quidem medicinae reiteratio bonitatis administrationis, cum talis cautelæ industria potest in præparatione lapidis evenire, quousque argentum viuum mutet in infinitum Solificum verum & Lunificum

tum, & non dependet nisi in multiplicatione illius. Iam igitur laudetur sublimis naturarum Deus benedictus & gloriosus, qui nobis omnium medicinarum reuelavit seriem, cum illarum experientia, quam illius instigationis bonitate & nostri laboris instantia perquisiuius, & oculis vidimus, & manu tetigimus complementum illius nostro magisterio indagatum. Sed & si quidem hanc palliauius, non miretur doctrinae filius. Non enim illi palliauius, sed malis & improbis eam tali sermone tradidimus, quem latere insipientem necessario accidit: & eodem ad illius inuentionis perquisitionem prudentes alio. Filij igitur doctrinae perquirite, & hoc excellentissimum Dei donum vobis solis seruatim inuenietis. Filij insipientes nequitiae & maliuolae prauitatis, immense ab hac scientia fugite, quoniam est vobis inimica & aduersa, & vos in miseriam paupertatis constituet: quoniam vobis penitus hoc Dei donum diuinae prouidentiae iudicio est occultum, & denegatum omnino. Perquisitis ergo omnium medicinarum modis, nostri propositi prosequentes intentum, ad eas quae huius magisterij perfectionem notificant, cum probationum causis ab hac transcendendum est.

TERTIA ET VLTIMA PARS HUIUS SECUNDI

Libri, de Probationibus perfectionis.

Diuisio dicendorum. Cap. LXXXVII.

Praetermissis igitur manifestis experientijs, de quibus narrationem non facimus, cum omnibus sunt notae & certae absque ullius sagacitatis ingenio, poteris sciret, & coloris, & extensionis per malleum: artificiorum experientias tentemur, cum cautela, an sit huius artis administrationis proiectio, complementum cum veritate adducens, quae sunt scilicet Cineritium, Cementum, Ignitio, Fusio, Super vapores acutorum expositio, Adurentis Sulfuris mixtione probatio, Extractio, Calcinationis & reductionis reiteratio, & Argentui viui facilis aut difficilis susceptio. Primum igitur secundum ordinem inchoandum: dehinc verò secundum eundem ad alia, secundum promissionem perfectae curramus cum causis eorum notis.

De Cineritio, quare quaedam corpora in eo perdurent, quaedam non Cap. LXXXVIII.

Dicamus igitur sermonem de Cineritio, cum suis omnibus causis manifestis, & suae confectionis modo. Est autem sola Solaris & Lunaris substantia, in Cineritij perdurans examine. Perquirentes igitur horum corporum perfectorum veras substantiae differentias, & causas similiter Cineritij, quare quaedam magis, quaedam verò minus in huius magisterij examine à perfectione diminutorum perdurent, percunctabimur. Est tamen à nobis sufficienter narratum horum duorum secretum corporum in profundo illorum substantiae. Est scilicet, quod illorum prima radix multa fuit argenti viui quantitas, & purissima illius essentia, & subtilissima prius, postea verò inspissata, donec cum ignitione fusionem suscipiat. Quaecumque igitur à perfectione diminuta plus terreatatis habent, minus in hoc perdurant examine: quaecumque verò minus, plus. Quoniam haec quidem magis adhærent, propter eorum partium subtilitatem, maxime se permiscentem & vniuentem. Et similiter quae maioris tenuitatis sunt corpora, aut econtra quidē, quae maioris spissitudinis corpora, quam quae in perfectione consistunt, necesse est de commisto separari omnino, quia non sunt eiusdem fusionis, & ideo separantur. Et quidem quae minoris sunt Argentui viui quantitate participantia, facilius de commisto separantur. Patet

igitur, quod cum sit multæ terreitatis Saturnus, paucæq; argenti viui quantitatis, facilisque tenuitatis liquefactionis, quæ maxime perfectioni examinis cineritij sunt opposita, ideo inter cætera corpora minimè in cineritij artificio in commisso perdurat, imò citissimè separatur & cedit. Ideoque cum inter cætera à perfectione diminuta corpora magis cedat, per hoc magis proprius est huius magisterij examini, & illud ideo, quia citius cedit, & citius imperfectorū vnumquodq; secum de commisso trahit. Et propter hoc saluatur maior perfecti quantitas ab ignis examinis combustionem forti, quia non quiescit spacio temporis longo perfectum in consumptione, examinis: & ideo ex eo per plumbi examen minus comburitur, & facilius depuratur. Quia verò louis substantia, pluris argenti viui capax extitit, & minore terreitatis quantitate, maioreq; puritate illius, atque subtiliore substantia participans, ideo magis in commisso saluatur quàm Saturnus & Venus, quia magis commisso in profundo adhæret. Et hæc est causa, quare multa perfecti deletur quantitas, priusquam ab illo separetur coniunctus. Venus verò fusionem cum ignitione præstat. Sed quia tardior est illius quàm perfecti fusio, ideo separatur de commisso, tardius tamen quàm Saturnus, propter ignitionem substantiæ suæ fusibilis. Quia verò minoris est argenti viui quantitatis quàm Iupiter, & maioris terreitatis, & substantiæ spissioris, ideo facilius quàm Iupiter de commisso tollitur, quoniam in profundo magis Iupiter quàm Venus adhæret. Mars verò fusionem non habet, & ideo non permiscetur, quod propter suæ humiditatis priuationem contingit. Sed & si propter ignis vehementiam illum permisceri contingat, quia humiditatem non habet, Lunæ aut Solis humiditatem combibendo, ei per minima vnitur, ideo licet terreitatem inultam, & argenti viui paucitatem, & fusionis carentiam habeat, non separatur ab eis per artificium leue. Per hoc igitur artificis dilatur industria, ad cuiusque corporis rectificationem veram, si rectè eius quod scripsimus efficaciam nouerit. Si verò fantastice super illud intellectum contraxerit, nihil ex eo veritatis cognoscet. Sunt autem duo in huius examine perdurantia perfectionis corpora, Sol scilicet & Luna, propter bonam compositionem, quæ per bonam missionem resultat, & illorum puram substantiam.

Cineritij examen, quomodo sit componendum & exercendum. Cap. LXXXIX.

NArremus igitur modum illius. Et est vt tollatur cinis cribellatus, aut calx aut puluis ossium animalium combustorum, aut horum omnium commistio, aut quorundam. Dehinc itaq; cum aqua madefiat, & super illud prematur manus, & fiat stratum firmum & solidum, & in medio strati fiat rotunda fouea & solida, & super illius fundum spargatur vitri triti quantitas aliqua. Deinde verò exiccari permittatur, & cum sicca fuerit, ponatur illud de cuius intentione sit tolerare huius examen, in foueam dictam, & super illam carbonum ignis fortis succendantur, & super faciem examinabilis suffletur corporis, donec fundatur. Quo fuso, Saturni partem post partem propinquamus in illud, & super illud suffletur cum flamma fortis ignitionis. Et dum videris illud agitari, & motu concussionis forti non est purum. Expecta igitur, donec totum evanescat plumbum. Quod si evanuerit, & non cessat illius motus, non est depuratum. Iteratò igitur super illud plumbum proijce, & super illius faciem iteratò suffla, donec plumbum separetur. Quod si non quieuerit, iteratò post plumbi protectionem, sufflationem in illius faciem procura, quousq; quiescat, & videas illud mundum & clarum in superficie sua. Post hoc verò carbones aperi, & igne dissipa, & in faciem eius aquam perfunde, hoc enim perfecte examinatum inuenies. Et si quandoque in sufflatione huius

hulus examinis vitrum proleceris, melius & perfectius depurabitur, quoniam sordes tollit, & illas infiscat. Potest tamen loco vitri sal proijci, aut borax, aut alumen aliquod. Similiter & confici potest huius examen cineritij in crucibulo terreo, & in circuitu illius sufflari, & super faciem eius similiter, vt citius conflectur examinandum. His igitur sufficienter narratis, ad cementi examen transeamus cum causis suis, & suis experientijs manifestis & notis.

De Cemento, quare quedam corpora plus, quedam uerò minus illud perferant. Cap. XC.

Diximus autem, quòd corpora quædam magis, quædam uerò minus, per ignis comburuntur calcinationis modum: vt quæ pluris sunt Sulfuris quantitatem combustibilis continentia, magis: quæ uerò minus, minus. Quia igitur Sol inter cætera corpora minoris & Sulfuris quantitatis: ideo inter cætera omnium mineralium corporum minimè per ignis inflammationem comburitur. Luna uerò post Solem inter omnia corpora reliqua minus est Sulfuris quantitatis participans, pluris autem quàm Sol: Igitur, minus potest se cundum hoc inflammationis ignitionem temporis spacio longo tolerare quàm Sol, & res per consimilem comburentes naturam. Minus Venus: quia Sole & Luna pluris est Sulfuris, & terreitatis maioris, ideo minus inflammationem ignis tolerat. Iupiter uerò minus Venere, plus uerò Sole & Luna sulfureitatis & terreitatis participat, & ideo minus per inflammationem Venere comburitur, plus uerò Sole & Luna. Saturnus uerò plus terreitatis & sulfureitatis per naturam in commistione seruauit, quã nunc dicta corpora: & ideo citius & facilius omnibus dictis inflammatur corporibus, & per inflammationem comburitur uelocius, propter hoc, quòd sulfureitate maximè habet coniunctam & loue magis fixam. Mars uerò non per se, sed per accidens non comburitur. Cum enim cum multæ humiditatis commiscetur corporibus, combibit illam, propter suæ humiditatis carentiam: & ideo coniunctus non inflammatur, nec comburitur, si non inflammabilia nec combustibilia sint corpora sibi vnita. Si uerò combustibilia sint illi commista corpora, secùdum naturam suæ combustionis, necessariò euenit Martem comburi & inflammari. Cum igitur ex rebus constitutur inflammabilibus cementum, patet causa illius inuentionis necessaria: & fuit, vt omnia combustibilia adurerentur. Cum igitur vnum solum sit corpus incombustibile, solum illud, aut ad illius naturam præparatum, in cemento saluatur. Durant tamen quædam magis, quædam uerò minus in cemento. Quæ uerò magis, & quæ minus, nota sunt cum causis dictis. Durant igitur plus Luna, minus uerò Mars, adhuc uerò & minus Iupiter, minus uerò adhuc Venus, minimè uerò Saturnus.

Cementi examen quomodo sit componendum & exercendum. Cap. XCI.

Narremus igitur Cementi modum. Cumq; cognitu nobis sit maximè necessarius in perfectionis examine, dicimus quòd illius compositio est cum inflammabilibus rebus. Et sunt huius generis res omnes denigrantes & fugientes, & penetrantes, & comburentes: sicut est vitriolum, sal ammoniacum, & æris flos, & lapis fictilis antiqui contriti, & sulfuris minima quantitas, aut nihil, & virilis vrina, cum similibus acutis, & penetrantibus. Incementantur igitur hæc omnia cum vrina virili, & super corporis illius tabulas tenues ponuntur, de cuius intentione sit probationis examinari iudicio. Dehinc uerò tabulæ conclusæ in fictili vase extendantur super cratem ferream, ita tamen, quòd vna ex eis alteram non tangat, vt liberè ignis virtus ad illas percurrat æqualiter, & sic triduo in igne forti conseruetur fictile. Cautela tamen adhibeatur, vt igniantur tabellæ, sed non fundantur. Post tertiam autem diem tabellas

omni impuritate mundas inuenies, si in perfectione illarum extiterit corpus. Si verò non, corruptas omnino & calcinatione combustas. Quidam tamen ponunt ad inflammationem tabellas, absq; compositionum cemento, & depurantur similiter, si perfectionis sint corpora. Si verò non, comburuntur omnino. Longiori tamen combustionis spacio in hoc ultimo egent examine, quod sola ignis inflammatione perficitur, quàm quæ cimenti examinantur iudicio. Sed cum Luna quidem à Solis natura non multa distet differentia, pauco administrationis modo in iudicio cum illo quiescit. Et neque separatio corporum fit ab inuicem in his duobus examinibus generibus, nisi propter diuersitatem compositionis substantiarum eorum: quia ex eo resultat fusionis diuersitas, & spissitudo & raritas: quæ quidem separationis sunt causæ, quia fortem propter illorum compositionem non corrumpitur illorum substantia à substantia corporis extranei, cum non fiat illorum per minima mistio. Et ideo necesse est, illa de commisto à se inuicem separari, sine corruptione totali illorum essentia. Quamobrem administratio corporum imperfectorum completa, dignoscitur, cum eiusdem fusionis, & ignitionis, & soliditatis, administrationis reperta sunt ingenio.

De Ignitione. Cap. XCII.

Restat igitur ut capitulum de Ignitione tradamus. Dicimus igitur quoniam corpora maximæ perfectionis cum ignitione determinata, reperta sunt ignem suscipere, ante fusionem illorum. Et ideo dicimus, si alterationem illorum completam adinuenire conamur, necesse est ad fusionem illorum corpora administrata redigere. Et est scilicet, ut priusquam fundantur perfectionis corpora, ignitionem suscipiant cum inflammatione celestini coloris amoenitatis, priusquam perueniat illorum ignitio ad albedinem ignis, quam oculus nequaquam possit conspiciere. Patet igitur ignitionem illorum perfectam compleri ante fusionem cum rubore intenso, & non cum albedine quam non possit conspiciere oculus. Si enim priusquam igniantur administrata fundantur corpora, in complemento non sunt. Si verò & igniantur cum labore & ignis expressione forti, non est illorum administratio vera: Et hoc quidem in mollibus. Idem verò in solo Marte contingit colligi. Non enim non ignibilia de facili ignitionem preparationis modo suscipiunt, neq; non fusibilia fusionem rectam, quam in perfectis secundum naturam inuenimus. Et si cum ignitione flammam amoenitate celestini coloris non pretendunt administrata, non est illorum completa administratio. Et si minuitur aliquid ponderis, coloris, pulchritudinis, ignitionis, & similium ex preparamenti differentiarum bonitatis inuentum astutia, non fuit sufficiens artificis indagatio. Reiteratò igitur inquirat, donec inueniat cum modis diuina bonitate collatis.

De Fusione. Cap. XCIII.

INfusionis igitur narratione sufficientiam tradamus, secundum quòd examen est corporum omnium ad ignitionem illorum certam. Dicimus igitur quòd vnica est perfectionis Fusio cum ignitione, sed non cum cuiusq; ignitionis genere, sed cum ignitione in qua non albescit omnino corpus, & cum ignitione in qua non fit fuscedo igni adueniens, & in qua non subito post ignitionem fundatur, & liquefcat corpus ut fluat. Igitur cum se fuderit corpus ex minima ignis pressione debilis, aut sine ignitione, aut cum ignitione fusca, huius preparationis necesse est corpus imperfectionis esse, vnumquodque imperfectorum corporum, in artificio diminuto. Et si post fusionem infrigidari omittatur, & omnino subito in nigredinem illius vertatur ignitio, & ob hoc quidem prius quàm durefcat, ignitionem perdat, non est in complemento corpus,

corpus, cuiuscunque generis illud extiterit. Sed iudicari quidem expedit mollitiei hoc corpus existere ex imperfectionis corporum generibus. Et si quidem cum ignis laboriosa expressione fortis & violenti fiat illius ante fusionem ignitio & radio fulgoris inestimabilis albescentis omnino, iam non perfectionis, sed duritiei alteratum est corpus. Et ob hoc quidem si post illius fusionem ab igne tollatur, & subito induretur, ut non fluat, manente illius ignitione fulgida iam non Lunaris & Solaris perfectionis corpus existit, cuiuscunque generis & preparationis corpus fuerit administratum, sed sub Martis differentiarum natura ponatur. Patet igitur ex iam dictis, triplicem in fusibilibus ignitionem ante liquefactionem substantiarum, illorum experimento recolligi: Vnam scilicet fuscam, alteram verò rubeam & claram, albißimam verò tertiam, radio fulgentem. Prima quidem est mollium, secunda perfectorum, tertia verò durorum corporum ratione & experimento probatur. Sed & qui harum omnium ignitionum desiderat gradum perquirere, omnia fusibilia complet corpora, & ignis consideret sufficientiam ad fusionis perfectionem completam, & considerando recolligat omnium signorum fusionis gradus differentiam, & sic quidem inueniet: aliter verò non. Et hoc quidem tibi adducatur exemplar in omnibus à nobis determinatis atque determinandis examinationis maneribus. Et hæc itaque de Fusione dicta sufficiant.

De Expositione corporum super vapores acutorum Cap. XCIII.

PROsequentes igitur sermonis complementum, de corporum Expositione super acutorum vapores narremus. Dicimus igitur, quòd perfectionis videmus corpora super acutorum vaporem exposita, acrium videlicet, ponticorū & acetosorum: similiter omnino aut nihil florere, aut amoenissimum caelestinum florem emittere. Sed Solem purissimum non florere: Lunam verò aut Solem nō purum, super acutorum vapores exposita, florere comperimus, & caelestinum amoenissimum, amoenius Solem quam Lunam. Et ob hoc igitur naturam imitantes, & nos similiter in præparatis colorem caelestinum creamus corporibus, qui per argenti viui bonitatem perficitur, ut sufficienter à nobis narratum est in præcedentibus nostri sermonis. Quæcunque igitur præparata corpora super vapores acutorum extiterint, & caelestinum non creauerit amoenitatis colorem, non sunt in preparationis complemento totali. Itaque est ex corporibus quoddam, quod rubeum fuscum, aut citrinum fuscum viriditati admixtum colorem in examine ponticorum floret in superficie sua, ut huius generis est Mars. Quoddam verò viridi fuscum in superficie floret, caelestinū admixtum turbido, & huius generis est Venus: Quoddam verò album fuscum, & huius generis Saturnus comperitur: Quoddam verò album clarum, & huius generis est Iupiter. Quia igitur maximè perfectum corpus, minimè floret, aut nihil, & si quid floret, tardissimo tēporis floret spacio: Et Iupiter quidem omnium tardissimè inter diminuta à perfectionis complemento corpora, gummositatem suam floret: Ideo per huius magisterij examē cōsideramus Iouem, maximè perfectioni approximare in opere maioris ordinis. Per hoc igitur examen perquiri poterit, in quo pertractatum temperamētī genere cōsistat corpus, si recte horum consideraueris ordinem, quæ narrauimus in hoc capitulo: Sin autem non, tuæ imputa temeritatis insipientiæ.

De Extinctione ignitorum. Cap. XCV.

IN Extinctionis igitur examine narrationem adducamus totalem. Est tamen multiplex illius experientia, in qua cognoscitur vtrum in perfectione magisterium consistat. Primum igitur, si ignitum corpus in liquore extinguatur, & Lunare quidem album non fiat, & Solare citrinum fulgidum, sed in

alienum mutetur colorem, non est in complemento alteratio magisterij. Vt si quidem in reiteratione suę ignitionis & extinctionis in aquis salium aut aluminum cuiuscunque generis administratione creatis, scoriam nigredini affinem in sua superficie prætenderit: aut extinctione illius in sulfuribus, & ab extinctione, ignitionis reiteratione multa, evanuerit: aut nigredine foeda se infecerit: aut omnino per mallei compulsionem se confregerit, fallax est operis artificis. Aut si ex salis ammoniaci, & viridis aeris, & puerilis urinae mistionis cementatione, aut in natura consimilium, & ad ignitionem positum, & post ignitionem & extinctionem sui, ad extensionem similiter Lunare vel Solare ex toto colorem amiserit proprium, aut scoriam creauerit, in corruptione constat corpus adhuc permanere Sophistica. Vnam tamen generaliter tibi tradimus regulam certam, quod tam in dictis quam à nobis dicendis examinibus, si quid ex perfectionis differentiis alteratum commutauerit corpus ponderis, videlicet aut coloris, non recte, sed fantastice indagavit artifex opus: quod non peculiosum sed perditionis est potius.

De adurentis Sulfuris admistione. Cap. XCVI.

EX Sulfuris igitur mistione, vtrum in perfectione consistat magisterium, approbatur similiter, quia experientia nostra inuenimus Sulfur corporibus commistum, quædam magis; quædam verò minus comburere: & quædam à combustionem illius redire: quædam verò non, nostro comperimus artificio. Et ex hoc itaque differentia notari potest inter ipsa à perfectione dimissa corpora præparata in complemento sophistico. Igitur cum inter cætera corpora cuiusque inuenimus generis, Solem minimè per Sulfur comburi. Abhinc verò & postea Iupiter, deinde verò Luna, post hoc Saturnus, & facilius quidem his omnibus Venus, facillimè Mars per Sulfuris oleaginitatem comburitur. Ideo per hoc notatur quod magis, quod minus naturæ perfecti approximatur. Et ex diuersitate colorum post corporum combustionem perquiri potest, in quo alteratum genere ex suæ naturæ radice corpus consistat: quoniam Sol quidem citrinum intensum, aut rubeum clarum, Luna verò nigrum cælestino admistum, Iupiter verò nigrum, modica rubedinis tinctura admistum, Saturnus verò nigrum fuscum, multo rubori & liuiditati admistum, Venus verò nigrum, liuiditati admistum, multa præexistente combustionem Sulfuris, pauca verò præexistente combustionem nitidissimè, & amœnum violaceum protendit ex Sulfuris commistione colorem, Mars verò in omni combustionis genere nigerrimum fuscum colorem creat. Ex reductione autem à Sulfuris combustionem notatur diuersitas similiter in corporibus. Quædam verò redeunt, quædam verò ignis expressionem à reductionem cum Sulfure recedunt, aut totaliter, aut eorum quantitas maior: quædam verò in suæ naturæ corpora, quædam verò in aliud quam suæ naturæ redeunt à combustionem ad corpus. Redeunt ad proprii naturam corporis, à Sulfuris combustionem Sol & Luna, recedunt autem Iupiter & Saturnus. Iupiter autem aut totaliter, aut secundum sui maiorem partem. Saturnus verò non ex toto recedit, sed quandoque maior, quandoque verò minor illius deletur pars. Horum autem contingit diuersitatem existere propter naturam rerum & corporum, & administrationis eorum in opere præparationis differentiam, quia scilicet ex subita ignis expressionem de reductionem Iouem deleri contingit: Ex successiva verò & paulatua, & Saturnum & Iouem saluari. Eorum tamen reductio in alieni corporis potius quam proprii naturam vergit. In clarum quidem videlicet antimonium Iouis, in fuscum verò Saturni conuerti reductionem, repertum experientia nostra extitit: Venerem verò minui, in ignis reductionis impressionem: Mars
tem verò

tem verò magis contingit. Sed Veneris quidem est reductio ponderosa, & citrina fusca, & mollis, nigredinem participans, cum sui augmento ponderis corporis. Ex his igitur perquiri poterit omnium alteratorum natura corporum.

De Calcinatione & reductione. Cap. XCVII.

DE Calcinationis igitur & reductionis reiterationis examine dehinc perquirendum. Innuimus igitur, quòd perfectionis reperta sunt corpora in Calcinationis & reductionis reiteratione ex bonitatis differentijs, nihil coloris, ponderis, aut quantitatis, de qua curandū sit nimium: aut fulgoris perdere quātum eunq; reiteretur ad illa operationis illarum multiplicitas. Et ideo si per reiterationem modorum Calcinationis & reductionis à calce, ex omni metallorum alteratorum genere, bonitatis differentijs perdant aliquid, astimandum putes sophisticè perquisitionem artificem indagasse. Quamobrem igitur ad illas exerciteris, vt eas cognoscas.

De facili susceptione Argenti viui. Cap. XCVIII.

IAm igitur vobis patuit veridicè, maximā Argenti viui quantitatem continētia perfectionis existerē corpora: & ideo maximè Arg. viuo amari. Quamobrem autumandum corpora magis perfectioni approximare, quæ magis ambicabiliter Arg. viuum cōbibunt. Et huius est signum Arg. viui facilis susceptio à Solari aut Lunari perfectionis corpore. Ob huius igitur rationis causam, si quidem alteratum corporis de facili in sui substantiam Arg. viuum non suscipiat, à perfectionis maximè complemento distare necesse est.

Recapitulatio totius artis. Cap. XCIX.

Quia pertractauimus huius magisterij causarum sufficientiæ experientias notas, secundum nostri propositi sermonis exigentiā: Restat nos ad complementum totius operis diuini peruenire in capitulo vno, & in summam contrahere sermonis abbreviati in capitulis dispersum magisteriū. Dicimus igitur, quòd totius operis intentionis summa nō est, nisi vt sumatur lapis, in capitulis notus: deinde verò cum operis instantia assidue tur super illum opus sublimationis primi gradus: & per hoc mundatur à corrumpente impuritate, & est scilicet sublimationis perfectio, vt cum ea subtilietur lapis, donec in vltimam subtilitatis puritatem deueniat, & vltimò volatilis fiat. Ab hinc verò cum fixationis modo figatur, donec in ignis asperitate quiescat. Et hic secundi præparationis gradus meta consistit. Sed & tertio similiter lapis administratur gradu, qui in vltimo consistit præparationis complemento, scilicet vt iam fixū lapidem cū modis sublimationis volatilem facias, & volatilem, fixum, & fixum solutum & solutum iteratò volatilem, & iteratò volatilem, fixum, quousq; fluat & alteret in complemento Solifico & Lunifico certo. Ex reiteratione igitur præparationis huius gradus tertij in medicina, resultat bonitatis alterationis multiplicatio. Ex diuersitate igitur reiterationis operis super lapidem in gradibus suis, resultat multiplicationis bonitatis alterationis diuersitas, vt ex medicinis quædam quidem sui centuplum, quædam verò ducentuplum, quædam trecentuplum, quædam verò millicuplum, quædam verò infinitum Solificum & verum perfectionis Lunificum transmutet corpus. Abhinc igitur & vltimò tentetur, vtrum in perfectione consistat magisterium.

Quem modum Author in arte tradenda seruauerit. Cap. C.

Sed ne nos quidem mordeamur ab inuidis, narramus quòd non tradidimus scientiam nostram sermonis continuatione, sed eam sparsimus in diuersis capitulis. Et hoc ideo, quòd eam tam probus quàm improbus, si cōtinuè fuisset tradita, vsurpasset indignè. Et eam similiter occultauimus, vbi magis aperte locuti fuimus, non tamen sub ænigmate, sed sub plana sermonis se-

ric artificē allocuti fuimus, & tali sermonis modo eam adscripsimus, quā solius Dei altissimi, benedicti, sublimis & gloriosi, & nostræ, qui illam scripsimus, mēti recolligi accidet: aut diuinæ gratia bonitatis perfusi, quæ cui vult largitur, & subtrahit. Non desperet igitur doctrinæ filius, quia si illam quæret, eam inueniet: non doctrinæ, sed proprii motus indagatione naturæ: Quia qui per suæ industriæ bonitatem quæret, scientiam inueniet: Qui verò per librorum insecutionem quæsiuerit, tardissime ad hanc perueniet artem preciosissimam. Quia nobis solis, artem per nos solos inuestigatam edidimus, & non alijs, verissimam tamen & omnino certam. Solū igitur prudentes ad artem allicui-mus, & per ingenia à nobis tradita viam inuestigationis eisdem exposuimus. Non autē eam inuentam nisi solis nobis scripsimus, sed & inuentionis modum & modorum ingenia. Per ea igitur quæ tradidimus, exerceat se bonæ mentis artifex, & Dei donum altissimi se adinuenisse letabitur. Ad artis igitur excelsę perquisitionem hæc dicta sufficiant.

Libri secundi Summæ perfectionis Gebri,
Finis,

GEBRI ARABIS PHILOSOPHI SOLER-

TISSIMI, RERVM QVE NATVRALIVM PERI-

*tissimi Regi Xapēas liber; quem inscripsit de inuentione veritatis suę per-
fectionis, incerto interprete.*

De sex proprietatibus rerum, ex quibus medicina elicitur. Cap. I.



Onsiderauimus in nostris voluminibus, ex secretis principiorum naturalium proprietatibus, quin etiam per experientiam nostram & inuestigationem inuentionis nostræ omnimodò certam, quòd ea, ex quibus elicitur nostra medicina, in corporibus trāsmutandis habeant in se has qualitatū proprietates. Primò, quòd habeant terram subtilissimam in se, & incombustibilem, aptamq; ad figendum, omnimodò fixam cum suo proprio radicali humore: Secundò, humiditatem aeream & igneam vniformiter illi terrę coniunctam sic, quòd si vnum fuerit volatile, sit & reliquū, & quòd ipsa humiditas sit super omnes humiditates expectans ignis calorem, vsq; ad sui sufficientis inspissationis terminum completum, quo ad indigentiam completionis ipsius cum permanentia inseparabili terrę sibi annexæ, sine evaporatione. Tertiò, quòd humiditatis dispositio naturalis sit talis, quòd per beneficium suæ oleaginitatis in omnibus suarum proprietatum differentijs, terram sibi annexam, conuersione vtriusque in alterum homogenicę, sic contemperet vnctuosę, & vnione totali, & vinculo coniunctionis inseparabilitatis æqualiter, vt post finalis præparationis gradum fusionem bonam præstet. Quartò, quòd hæc oleaginitas sit tantæ puritatis essentia, & ab omni re combustibili seu vrente artificialiter emundata, quòd omnia cum quibus per minima coniungitur, non comburat, sed à combustionē præseruet. Quintò, quòd claram & splendidam habet tincturam in se, albam vel rubeam, mundam & incombustibilem, stabilem & fixam, quòd ignis nequaquam valeat ipsam permutare, neq; sulfurea adustiuā seu acuta corrodentia ipsa corpora corrumpere & deoedare. Sextò, quòd totum compositum inceratum cum suo complemento finali, sit tantæ subtilitatis, materięq; tenuitatis, quòd post finalem suæ decoctionis terminum, in proiectione tenuissimæ maneat fusionis
admo-

ad modum aque & penetrationis profundæ, usque ad ultimum rei permutabilis cuiuscunque fixationis ipsum extiterit in complemento, & cum vicinitate sua seu affinitate adhaereat suo simili naturaliter, cum inseparabili consolidatione contra impressionem ignis in ipsa hora, sua spiritualitate corpora in volutum reducens.

De septem Medicinæ proprietatibus. Cap. II.

His consideratis, inuenimus inuestigatione nostra, septem proprietates rerum in nostro lapide necessarias & opportunas, & sunt hæc, oleaginitas, materiæ tenuitas, affinitas, radicalis humiditas, puritatis claritas, terra figens, & tinctura. Prima verò differentiarum proprietas, est ipsa oleaginitas dans in projectione vniuersalem fusionem, & apertionem materiæ. Nam primum quod necessarium est post medicinæ projectionem, est ipsius medicinæ subita & conueniens fusio, quæ cum oleaginitate minerali perficitur ac inuisceratur. Secunda est materiæ tenuitas, siue ipsius subtilitas spiritualis, tenuissime fluens, in fusione ad instar aquæ penetrans in profundum rei alterabilis, quia secundò post fusionem medicinæ, necessaria est ingressio eius immediatè. Tertia est affinitas siue vicinitas inter Elixir & rem transmutandam, dans adhaerentiam in obuiatione sui similis & retentione, quia tertio post medicinæ ingressionem immediatè adhaerentia conueniens est & necessaria. Quarta est radicalis humiditas, ignea, congelans, & consolidans partes retentas cum adhaerentia sui similis, vniione omnium partium consimilium inseparabiliter in æternum: quia quartò post adhaerentiam, opportuna est partium consolidatio cum sua radicali humiditate viscosa, & necessaria. Quinta est puritatis claritas mudificatiua, dans splendorem eminentem, in combustionem existentem, non adurentis. Nam post consolidationem partium purificarum relinquitur, quod ignis actualis habet comburere omnes superfluitates extraneas, non consolidatas: quare sequitur purificatio immediatè, & est necessaria. Sexta est terra figens, temperata, tenuis, subtilis, fixa, incombustibilis, dās fixationis permanentiam in solutione adhaerentis cum eo, stans & perseverans contra ignem: quia sextò necessaria est immediatè fixio post purificationem, & opportuna. Septima est tinctura dans colorem splendidum & perfectum, album, aut citrinum intensum, & Lunificationem, seu Solificationem rerum transmutabilium: quia septimò post fixationem necessaria est tinctura splendida, & alterius color tingens, seu tinctura colorans materiam conuertibilem in verum argentum, vel aurum cum omnibus suis differentiis certis & positis.

Diuisio totius Libri in quatuor particulas. Cap. III.

Sufficienter ad artis exigentiam disputauimus contra negantes artem, & de principijs naturalibus, quæ sunt de intentione naturæ in metallorum procreationibus & de corporibus, & eorum procreationibus, & præparationibus, & ultimò de medicinis, & examinationibus eorum transmutatorum, vtrum in perfectione steterit complementum, in Summa nostra perfecti magisterij: Et ibidem scripsimus modum inuentionis artis, & nostrorum ingenia, secundum veritatem quam vidimus, & tetigimus. Hic verò nunc de perfectionis inuentione tractabimus, & declarabimus speciali modo ea quæ necessaria sunt in hoc nostro magisterio, & modum præparationis eorum pondere & mensura, & probatione certa non coniecturali. Volumus autem hunc librum nostrum in quatuor particulas diuidere. Et in prima de medijs mineralibus, & eorum præparationibus tractare sufficienter, ut sint apta in extractione spirituum, & corporum imperfectorum: In secunda de spirituum mundificationibus, & præparationibus integris eorundem: In tertia de imperfectorum præparationibus diuersis secundum exigentiam operis complementi: In quarta de omnibus medicinis specialiter pro quolibet corpore in Solem & Lunam

transformando, cum proiectione, pondere, & mensura, secundum necessitatis exigentiam ad operis complementum.

PRIMA PARTICULA.

De Mediorum Mineralium preparatione. Cap. IIIL

Sal commune dissolvatur in aqua fontis clara, & per filtrum distilletur, & congeletur in vase terreo, vel plumbeo, vel alio metallo. Sal petrae dissolvatur in aqua fontis, & per filtrum distilletur, congeletur in vase vitreo usque ad ipsius fusionem crystallinam. Sal nitrificum sic preparatur: dissolvatur in aqua fontis clara, & distilletur per filtrum. Sal gemmae dissolvatur, ut prius congeletur in terreo vase vitreato. Sal alkali verum, fit de zozia dissoluta & per filtrum distillata & cocta ad tertiam partem, & descendit sal in parvo tempore ad fundum vasis ad modum crystalli, & est preparatum. Similiter fit sal alkali apud aliquos. Accipiunt cinerem clauellatam, pondera quinq; & calcis viue vnum, & extrahunt totum lixiuium, & distillant & congelant, hoc reiterant semel, & est preparatum. Sal ammoniacum fit ex quinq; partibus urinae humanae, & parte vna sudoris eiusdem, & parte vna salis communis, & parte semis fuliginis lignorum, his simul coctis usque ad consummationem humiditatis, sublima Salem ammoniacum verum & vtilem, hunc iterum in sudore dissolue, & congela, & sublima a sale communi semel, & est preparatus. Sal Tartari fit de facibus vini distillati calcinatis, tartaro ex eis dissoluto & congelato, & est preparatum. Sal urinae, fit ex facibus urinae distillatae calcinatis, & iterum in aqua sua dissolvitur & congelatur, & est preparatum: & magni iuramenti. Multi diuerfimode tractant de salium preparationibus, nos autem inuentione nostra inuenimus has preparationes salium breuiiores, subtiliores, & vtiliores ad nostrum propositum prosequendum, cum ex omnibus rebus vere calcinatis, sales per solutionem extrahantur, quae per viam praebatam preparari tenentur. Sufficiat igitur nos transire cum his magis vtilitatis. Alumen glaciale vel rochae, duplicem habet preparationis modum, vnum pro corporibus calcinatis abluendis, alium pro spiritibus sublimandis. Primo modo sic preparatur: Dissolue ipsum in aqua clara fontis, & distilla per filtrum, & coque ad eius tertiam partem, & pone in paropsidibus vitreatis, & descendit circa latera vasis, et in profundo alumen preparatum crystallinum. Secundus modus est, ut alumen in vase terreo coquatur, quousque humiditas euanescat, & inuenies album spongiosum, & leue preparatum pro sublimationibus, & alijs diuersis operationibus. Alumen plumosum, dissolvitur & congelatur ut prius, & est preparatum. Nunc de preparationibus atramentorum inuestigare expedit, cum multum necessarium sit illud, quod per ea colligimus in tincturis & ligamentis spirituum & aliorum quae ad illud spectant. Atramentum nigrum dissolvitur in aqua bullente, & per filtrum distillatur, & congelatur, & est aptum. Cuperosa dissolvenda est in aceto distillato, clarificanda per filtrum, & congelanda, & sic est munda. Vitriolum Romanum alia preparatione non indiget, nisi quod in aliquibus casibus tenetur in igne mediocri & rubificatur. Amplius est certum, quod a corporibus imperfectis extrahuntur diuersa nobis necessaria, & sunt adminicula perfectionis in casu, quae indigent preparatione, & primo de cerussa plumbi: Cerussa plumbi diluenda est in aceto distillato, purificanda deinceps a grossioribus, & illud quod ut lac emanauit, congelandum in Sole, vel lento igne, & est preparatum. De albo Hispanico, stanno, minio, eodem modo fit, sunt enim in vrina distillata diluenda, & ad modum cerussae preparanda, & sunt preparata. Viride aeris in aceto distillato, solvatur, & rubificatum limpide

Impidē congelandum erit lentissimo ignis calore, et est præparatum et aptū. Crocus ferri dissoluendus est in aceto distillato, et clarificandus: hæc aqua rubicunda croci congelata, dat tibi crocum aptum. Aes vstum tritum et ablutū cum aceto distillato, per modum quem insinuauimus in præparatione cerussę tibi subueniat. Lithargyrium in aceto distillato solutū, clarifica & cōgela, quia bene præparatum est, quod iterū quemadmodū alia prænotata dissoluere poteris, & eis vti, dissolutis & congelatis, & in hoc est inuestigatio profunda. Antimoniū calcinatur, dissoluitur, clarificatur & congelatur, & teritur, est præparatū. Lapis lazuli calcinatur & abluitur tritus, & est purificatus. Lapis amathites, ignitur & extinguitur sæpius in felle taurino. Bolus armenus teritur & dissoluitur vt cerussa, & congelatur. Cinnabari semel sublimandū est à sale cōmuni, & sic est præparatum. Tutia calcinatur & soluitur in aceto distillato, et est optimē præparata.

SECUNDA PARTICULA, DE SPIRITuum mundificationibus. Cap. v.

TRactauimus in prima particula de eis, quæ nobis necessaria videbantur in inuētiōe nostra certa, ad spiritū et imperfectorum corporū præparationem sufficienter. Intendimus hic nunc ampliare sermonē de Spirituum sublimationibus seu præparationibus cuiusq; speciei, quoad nostri magisterij indigentia completā. Ne discedas ab hac nostræ inuētiōis doctrina quā in meditatione profunda, et in operibus vidimus maximē nobis necessariam, et omnino certā. Hic verò pondera et specialem modum in eorum præparationibus et sublimationibus inuestigamus, cum experientia omnino certa, et primò de sulfure, et de suo compari, et sic de alijs per ordinem.

De Sulfuris præparatione. Cap. VI.

Sulfur viuum, clarum, & gūmosum tere subtilissimē, & coque in lixiuio facto de cineribus clauellatis & calce viua, colligendo superius cōbustibilitatem eius oleagineam extrahendo, quovsq; clarum videtur: quo facto extrahe, & moue cum baculo, & cautē extrahe illud, quod cum lixiuio egressū habuerit, partes grossiores inferius relinquendo. Illud autem extractum, infrigida parum, & impone ei quartam eius de aceto bono, & ecce totum congelabitur vt lac. Lixiuum extrahe clarū quoad poteris, residuum ad lentū desicca ignem, & serua. De factū administratione hunc modum serua. Ad lib. i. sulfuris huius præparati, accipe de squamis ferri bene calcinatis rubeis lib. i. aluminis rochæ bene calcinati lib. i. & salis communis præparati librā semis. Hoc totum incorpora bene terendo cum aceto, vt sit liquidum, quod coque, mouendo, quovsq; totum bene denigratum fuerit, & desicca, tere optimē, & pone in aludēle cum largo cooperculo, & sit cooperculum alembici cum magna zona & larga, ad eleuationem spirituum conseruandam, sitq; aludel altitudinis pedis vnus cum dimidio, ne calor ignis alembici zonam attingat, & sic sublima, vt docuimus in Summa perfectionis nostræ. Collige autem quod in zona collectum fuerit densum, quod verò ad latera vasis superius in alembico adharet leuē & puluerizabile, proijce, quia combustibile & fœdum ac defœdans est. Collectum verò per se pone in phialam, & coque super cineres tandiu, donec humiditas combustiua paulatim deleatur, & serua mundē, quia perfectē mundificatum est.

De Arsenici præparatione.

Cap. VII.

Elus compar Arsenicum, post contritionem bulliēdum est in aceto, & ibi dē tota pinguedo cōbustibilis extrahenda & desiccāda. Sume deinde lib.

vnam cupri calcinati, & semis aluminis calcinati, et salis communis preparati tantum vt aluminis, et tere cum aceto vt sit liquidum, et coque vt in sulfure, et sublima in aludel sine alembico, et sit longitudinis vnus pedis: collige album et densum clarum, et lucidum, et serua, quia satis est aptum.

De Argenti viui preparatione.

Cap. VIII.

Argentum vitrum sic sublima. Sume de eo libram vnam, vitrioli rubificati lib. duas, aluminis roche calcinati lib. 1. & salis communis lib. semis, & salis petre quartam partem, & incorporatum sublima, & collige album densum, clarum, & ponderosum, quod circa vasis spondilia inuentum fuerit, & serua, vt tibi de alijs scripsimus. Sed si in prima sublimatione inuentum fuerit turbidum vel immundum, quod tibi accidere poterit propter tuam negligentiam, illud cum eisdem facibus noueris iterum sublimare, & serua.

De Marchasite preparatione.

Cap. IX.

Marchasita trita ponatur in aludel magni fundi ad digiti spissitudinem, & primo sulfur cum lento igne collige, & cum cessauerit, vigora ignem renouato cooperulo, & ascendet, quod argenti viui locum obtinet, vt tibi plenarie scripsimus in perfectionis nostre Summa completa.

De Tutie preparatione.

Cap. X.

Tutia puluerizata in aludelo posita magnae ignitionis administratione, sublimatur, & fit bona. Sal ammoniacus sublimatur a sale communi, vt in Practica de Salibus tibi scripsimus. Arg. vii. ita sublimatur rubicundissimum: Recipe libram vnam Mercurij, & libras vitrioli rubificati duas, et libram salis petre, simul mortificato, et sublima etiam ab alumine roche calcinato, et sale petre cum eisdem ponderibus. Et est magnum nostre inuentionis secretum nec sit pratermittendum, quin consideratio facum sit notanda in sulfuris sublimatione & sui comparis, quod sulfur sublimatum a calce cupri, magis dealbatur, quam a calce ferri. Et sic inuestigandum est de arsenico, nam a ferro sublimatur magis rubeum. Possunt etiam sublimari a vitriolo & alumine calcinato, & cum sale communi et sale petre commistis, et ita sufficienter tradidimus spirituum preparationes artificiosas, non modice.

TERTIA PARTICULA HUIUS LIBRI

quomodo corpora sint preparanda. Cap. XI.

Tertiam nostram particulam ponimus imperfectorum corporum preparationem completam, et inuestigamus modum, qualiter preparari debeant, vt perficiantur, quo ad complementum primi ordinis vel secundum per se sine medicina: Secundo preparationem eorum ad recipiendam medicinam albam vel rubeam.

De Preparatione Saturni.

Cap. XII.

Saturnum calcina cum sale communi preparato fustum, cum spatula ferrea agitando, quousque in cinerem vertatur, coque per diem naturalem, et sit aliquantulum ignitus, et non multum, ablue cum aqua dulci complete, de inde calcina per triduum, donec intus rubificetur, & si vis ad album, cum aqua aluminis albi imbibe, & reduc cum oleo tartari, vel eius sale. Si vero ad rubeum, imbibe cum aqua croci ferri, & viridis aeris predicto, et reduc cum sale tartari, vt prius, et hoc itera quousque sufficiat.

De Preparatione Iouis.

Cap. XIII.

Iouem calcina vt Saturnum. Et albifica eius calcem, per triduum vt in Saturno, nec errabis in eius reductione, quia difficilis est, nisi fiat in furno illorum, qui per cineritia, vel cementa reducunt, et fit ad libitum. Scias tu inuestigator huius operis, quod preparationes facum reducibilium plenarie in

hoc

hoc libro conscripsimus, cum totus iste liber sit practicus cum inuestigatione certa compilatus. Sed in Summa nostra præserruauimus nobis alium stylū magis Philosophicum, cum ibidem vt Theoricus, hic verò vt Practicus purus, artem completè inscripsimus. Vt autem artifex errare non possit, subiunge illud quod reducere quæris, scilicet tantum, quantum illud quod præstare habet reductionem, & calcem diuisam coadunare: sed in tincturis est alia consideratio. Nam tingens multiplicandum est super tingendum, donec tinctura appareat quod considerabis in corpore vel medicina: & hoc est vnū de secretis nostris. Postquam reduceris hæc duo plumba, & inueneris splendorem & colorem, & omnia alia ad volitum tuum fortè ignitione carebunt, & vt consequaris intentum, incipe sic: Dissolue tutiam calcinatam, & stannum calcinatum, & has aquas misce, & cum hac aqua imbebe calcem stanni, vice post vicem, sic cum induxeris octauam partem tutiæ in totam calcem, reduc in corpus, & vide si ignitionem habuerit, bene quidem, si verò non, reitera, donec ignitionem habuerit. Et omnes aquas dissolutiuas spirituum & corporum ponā in fine libri huius, & quodlibet eius pro suo genere: nec mireris, quòd dispersimus huius practice specialia in diuersis voluminibus, cum ab improbis hanc artem fugare conamur. Cum talck vel Mercurio præcipitato, vel vtilius cum Luna pura ad hoc deducta calcinando & soluendo peruenimus ad horum durorum corporum, ignitionem & duritiem completā cum splendore inenarrabili. Scias tamen, quòd sola speculatio, quæ multum valet in Summa nostra, in hac nostra inuentione parum prodest. Sed terere, coquere, assare, inhumare, calcinare, fundere, destruere, construere, corpora emundare, cum his clauibus aperies occultas feraturas arcani nostri, si ne quibus ad huiusmodi conuiuij epulas non vocaberis. Destruere sine ira, & complebis cum lætitia.

De Preparatione Martis.

Cap. XIII.

MArtem sic præpara: Tere libram vnā limaturæ eius, cum libra semis arsenici sublimati. Imbebe illud cum aqua salis petreæ & alkali, ter reiterando, funde violenter, & habebis ferrum album, itera quovscq; sufficienter liquecat, cum dealbatione peculiaris.

De Preparatione Veneris.

Cap. XV.

Veneris purgatio duplex est, vna quidem ad album, alia verò ad rubeum. Ad album purgatur sic: Calcina ipsam solo igne, quemadmodum tradidimus in Summa nostra perfectionis. Sume ipsam calcinatam, tere lib. i. cum vncijs quatuor arsenici sublimati, & imbebe cum aqua lithargyrj ter vel quater, & reduc cum sale petreæ ac oleo tartari, & inuenies corpus eius album splendidum pro medicina suscipienda. Est & alia præparatio eius ad rubeum. Tere libram vnā limaturæ eius cum vncijs quatuor sulfuris, vel laminas eius cum sulfure cemetando, & sic calcina & ablue cum salis aqua & aluminis, & cum reducentibus reduc in corpus mundum, aptum ad tincturam rubeam. Est etiam tertia præparatio eius: Calcina ipsam solo igne, & tunc dissolue partem eius, & tantum tutiæ calcinatæ dissolue, & cum dissolutione imbebe quater vel pluries residuum calcis, vel cum sola tutia dissoluta, sic quòd intret tutia ultra calcis mediū, & sic reduc cum reducentibus, & habebis corpus mundū & splendidum, & cum paruo adminiculo ducitur ad statū altiore, si verus inquisitor fueris veritatis. Est & quarta præparatio eius, ex se ipsa calcinata rubea, solo dico igne, facias viride intesum, quod flos cupri nuncupatur. Illud autē viride dissolue cum aceto distillato, & congela, congelatū cum reducentibus reduc, quod aptū erit ad multa, si inuestigatio tua nō erit negligēs, in operibus similibus per nos datis. Hunc verò librū cōposuimus, vt sit introductorius Summæ

nostræ, vel ea absente sit totius conclusio finalis, ad complementū vtriusque medicinæ. Nā hīc ponimus practicā gradatim, illic verò theoricā speculationis nostræ, modo magis generalī, cum demonstrationibus manifestis ordinatam.

QUARTA PARTICULA HUIUS

libri de Medicinis. Cap. XVI.

Secundum ordinem præmissorum practicabimus in hac quarta particula nostra, iterum inuestigationis modum componendī medicinam quamlibet, albam videlicet & rubeam secundum naturam & proprietatem corporis transmutandī, vel ipsius Mercurij cum omnibus suis pertinentijs occultis & manifestis. Et in secundo vel tertio ordine, nihil sophisticum recipit hic liber noster, cum de veritatis Inuentione intituletur. Quamobrem primò de Elixirijs albis incipiemus.

De Medicinis albis pro Ioue & Saturno.

Cap. XVII.

Medicina alba pro Ioue præparato. Sume Lunæ purissimæ lib. 1. Mercurij viui lib. 8. & amalgama, quo factō, ablue cum aceto distillato, & sale communi præparato vsq; ad colorem cælestinum, vel lazuri, quo ablato, extrahe de Mercurio quantum poteris, exprimendo per pannum spissum, & appone Mercurij sublimati duplum Lunæ tere sufficiēter, & coque in phiala vitrea cooperta per diem & noctem, extrahe, tere, & iterum coque, frange phialam, & separa illud quod sublimatum est ab inferiori puluere quasi rubeo & caue de nimio igne, aliās totum funderetur in massam nigram, puluerem pone super porphyritem, & adiunge ei duas partes ammoniaci præparati, & partem vnā Mercurij sublimati, tere trituratione bona, & imbebe cum aqua salis alkali, vel aqua salis petrae, si zozam non inueneris, & pone ad distillandum cū imbibitum fuerit cum lento igne, & extrahe totam aquam, sic vt remaneat sicut pix fusa, redde illi aquam, & sic ter faciēdo: Deinde extrahe & tere super lapidem, & desicca multum, imbebe cum oleo ouorum rectificato vel desiccato, vel cum oleo salis alkali, vel petrae, vel tartari, donec fundatur cum ingressu & projice vnā partem super quinq; stanni præparati, & est Luna perfecta in secundo ordine absque errore.

Item alia medicina super Iouem. Sume talck calcinatū, & tere cum sale ammoniaco, ana, & sublima ter vel quater, & dissolue cum aqua, qua imbebe Lunam calcinatam, vt in prima medicina fecisti, toties donec bibat suum pōdus & da ei ingressum cum oleis prædictis, & projice vnā partem super decem partes Iouis præparati, & videbis intentum. Tertia medicina Iouis fit cum vna parte Lunæ dissolutæ in aqua sua, videlicet stillicidiij cupri & salis petrae, vt in fine habetur, cui adiunge duas partes talck dissolutæ, vel tutia calcinatae, & dissolutæ, recipiendo aquam ter vel quater, congela, & incera cum arsenico sublimato, quovsq; fundatur, & projice vnā partem super octo partes Iouis præparati. Et si vis has medicinas projicere super Saturnum præparatū ad album, tunc minue Saturnum in suo triduo, & fac vt in Ioue.

De Medicinis Solaribus pro Ioue & Saturno.

Cap. XVIII.

Prima igitur medicina Solaris sic fit: Calcina Solem, amalgamando prius cum Mercurio, velut in Luna, extrahe Mercurium per pannum, tere cum duplo salis cōmunis præparati, pone super lentum ignem, vt recedat Mercurius, extrahe salem cum aqua dulci, & desicca, & sublima ab eo tantum salis ammon. reddēdo sibi quater, tunc dissolue in aqua vitrioli, & petrae, & iam eni vt in fine libri huius habet. Solue crocum à ferro extractum per calcinationē, vel cuprū calcinatū rubeum. Iunge has aquas, ana, extrahe aquā per distillationē, & redde sibi quater: vltimò desicca, & imbebe cum oleo tartari rectificato, vt in

vt in

vt in fine libri huius, quovsq; fluat vt cera, & tingit quatuor partes obrise: Secūda fit in Sole soluto, vt in prima, & viridi factō de cupro, calcinato & dissoluto ana, mistis & inceratis, distillando & reiterando, & in fine incera cū sulfure præparato, quovsq; fundatur vt cera, & tingit octo partes Saturni splendide.

Tertīa fit ex auro soluto, & sulfure soluto, & viridi dissoluto, mistis & præparatis vt in secunda, & in fine ceratis cum oleo capillorum præparato, vel ouorū quia vna est via, & cadit vna pars super decem Saturni. Possunt etiā hæ medicīnæ proijci super Iouem præparatum in rubeum, & erit ita splendidissima perseverans materia, vt opus finissimum, secundum eius gradum. Nam hæ medicīnæ alterant in secundo ordine, vt retulimus.

De Medicinis albis pro Venere & Marte.

Cap. XIX.

TRanſeamus nunc ad Veneris medicīnas, & Martis, & primò de medicīnis horum ad album. Sume argenti, vt supra, calcinati partem vnā, tere cum duabus partibus arsenici præparati, & vna parte Mercurij præcipitati, & imbebe cum aqua salis petreæ, lithargyrii, ammoniaci, ana, quovsq; pondus suum biberit, & desicca & incera cum oleo albo, vt in alijs, quovsq; fluat, & cadit vna pars super quatuor Veneris vel Martis præparatorum. Secunda medicīna fit ex Luna calcinata, & tantum Iouis calcinati & soluti, misce, desicca, & incera cum duplo horum arsenici sublimati, quovsq; fundatur. Tertīa fit ex Luna calcinata, vt supra, arsenico & sulfure sublimatis & tritis, cum tantumdem salis ammoniaci, quod sublima ter ab eis, & proijce vnā partē super sex horum duorum corporum præparatorum.

De Medicinis rubeis pro Venere & Marte.

Cap. XX.

Solaris verò medicīna fit, vt sumas tutiæ lib. i. calcina & dissolue in aqua vitrioli & petreæ, tum cum ea aqua imbebe calcem Solis, vt bibat eius duplū distilla recipiendo aquam, & hoc quater reddendo: vltimò incera cum oleo capillorum, vel felle taurino, & viridis æris præparato, & erit excellens, purum & laudabile. Tu autem porrige manum ad nostra dicta, aliter in uanū studes, & recipe in corde, in nostris voluminibus intentionem nostram, & videbis nos verum inuestigasse.

De Medicina tertij ordinis ad album.

Cap. XXI.

Hinc verò ad tertij ordinis gradū ascendemus. Et primò de Medicīna Lunari, tam pro corporibus imperfectis perficiendis, quā pro ipso Mercurio in veram Lunam coagulando. Primò dissolue Lunam calcinatam in aqua dissolutiva vt prius, quo factō, coque eam in phiala cum longo collo, non obturato ori per diem solum, vsq; quo consumetur ad eius tertiam partē aquæ, quo peracto, pone in loco frigido, & deuenient lapilli ad modū crysalli fusibiles, & hoc est arg. reductum ad Mercurium nostrum fixum & fusibilem, de quo recipies vncias 4. de arsenico albo præparato vncias sex, & de sulfure præparato vncias duas, & misce simul bene terendo cum eo salis petreæ, & ammoniaci, & pone in phiala cum longo collo per septimanam, & indurabitur vt pix: extrahe, & iterum incera tertia vice, & inuenies illud oleū fustum infra triduum, & cum infrigidatum fuerit frange, & extrahe, & inuenies laminam fixā fluentem vt cera, & est primus gradus. Iterum appone tantum vt prius de noua materia, & iunge cum isto fermēto, & fac vt prius, & sic tertio & quarto. Et inuenies medicīnā, cuius bonitas est magna & excellens: cadit enim super decem cuiuslibet corporis, vel ipsius Mercurij in Lunam veram. Hunc autē lapidem custodi, & ratiocinare per modum à nobis traditum in Summa nostra, & peruenies ad altiora. Nec enim proposuimus, cuncta in vno solo monstrare volumine, cum liber librum exponat & declaret.

De Medicina Solari tertij ordinis.

Cap. XXII.

Medicina verò Solaris fit ex Sole dissoluto, & præparato ad modum Lunæ cui appone sulfuris soluti partes tres, arsenici partem vnā, vt in fine habetur, per omnia faciendo vt in Lunari capitulo, & erit medicina tingēs omne corpus, & ipsum Mercurium in verum Solem, vel amplius, secundum modum iam tibi traditum. Lege & perlege Summā perfectionis nostræ, & inuenies modum regiminis tibi ordinatum, vt in infinitum tingas, si ingenium acutum possideas, nec discurre hinc inde in diuersis Philosophorum dictis ambiguis. Nam omnes ad vnā tendunt perfectionem, tibi à nobis sufficienter traditā. Experiri poteris, si tantum valeas, sin autem, recede, quia damnum incurres, & inanitionem.

De Aquis solutiuis, & oleis inceratiuis.

Cap. XXIII.

Flli doctrinæ perquire experimenta, nec desine, quia fructū in eis inuenies millecuplum, quia tibi soli hunc librum scripsi, quem complere volo cum aliquibus aquis & oleis, in nostro magisterio. multum necessarijs: cum ijs sigillabimus librum nostrum de perfectionis inuentione: Et primò cum aqua nostra dissolutiua, de qua mentionem fecimus in Summa nostra, cum loquuti fuimus, de Dissolutione cum aquarum acumine. Primò sume libram vnā de vitriolo de Cypro, & lib. semis salis petreæ, & vnā quartam aluminis lamenī, extrahe aquam cum rubigine alembici: nam dissolutiua est multum, & vtere ea in capitulis prælibatis: fit autem multò acutior, si cum ea dissolueris quartā salis ammoniaci, quia soluit Solem, sulfur & argentum. Aqua alia philosophica nostra inceratiua. Sume oleum distillatum ab ouorum albuminibus, tere cum medietate salis petreæ, & ammoniaci, ana, & fit optimè, vel cum sale alkali misce, & distilla vt prius, & in quantum hoc plus reiteraueris, tanto melius inceratur: aut cum oleo tartarino, coniunge oleum prædictum, & distilla oleum inceratiuum album. Oleum inceratiuum rubeum. Sume oleum vitellorum, seu capillorum humanorum, cui adiunge tantum salis ammoniaci, & iterum distilla, & hoc ter, & erit oleum rubicundissimum inceratiuum. Oleum viridis aeris fit, cum viride aeris dissoluitur in aqua salis ammoniaci, & cum illo congelato admisce oleum vitellorum, & distilla, & hoc ter renouando, & habebis oleum viridis aeris ad incerandum aptum & vtile. Oleum fellis fit, extrahendo à felle oleum, vt à capillis humanis, per omnia faciendo vt in alijs. Et non dico, quòd ista dent humiditatem radicalem mineralem, vt probauimus in sulfure & arsenico, sed saluant tincturam à combustionē, donec ingrediatur, & postea fugiunt in expressione ignis, vt à nobis alibi narratum est. Quicumque artifex secundum dicta nostra, in hoc libro nostro tradita, perfecte & studiosè fuerit operatus, inueniet post complementum operis sui, nos verum inuestigasse, & in hoc liber noster terminatur, qui de Inuentione veritatis seu perfectionis intitulatur.

GEBE.

F I N I S.

**GEBERI ARABIS PHILOSOPHI SOL-
LERTISSIMI, RERVMQVE NATVRALIVM PE-
RITISSIMI, LIBER FORNACVM AD EXERCEN-
dam *χημείαν* pertinentium, interprete RO-
DOGERO HISPALENSI.**

Prefatio, diuidens librum in tres partes.

Cap. I.



CONSIDERAVIMVS consideratione non fantastica, nos to-
tam artē tradidisse in voluminibus nostris. Sed ne ob inuidiā
mordeamur, hunc librū Fornacum præscripsimus, in quo tra-
ctabimus practicā manualementem, tam in spirituum, quam cor-
porum preparationibus, vt artifices leuius contingere valeāt
ad operis complementum. Cū ergo vltima consideratio in
rerum cognitione magis propinquarū consistat, & in modo
operandi, & res à rebus regimine ignis extrahi possunt: Et quum ad hanc rem
peruenire non possumus, nisi separando superflua à contento desiderato, scilicet
sulfuris combustibilitates & terreitates corpus quodlibet infundātes: Hinc
est quod primò singulos operandi modos tractabimus, vtpote, qualis furnus
cum suis instrumentis spectet ad quamlibet rem præparandam, vsque ad ope-
ris complementum cum regimine ignis illi appropriato, & qualia vasa perti-
neant ad propositum, vt artifex perficere possit suam operationem. Secundò
quæ res præparandæ sunt, vt ex simplicibus seu commistis verū Solem vel Lu-
nam generare valeat cum splendore. Tertiò narrabimus illa quæ perfici pos-
sunt cum alteratiuis, & quæ naturaliter alterantur cum complemēto totali: Et
modum permiscendi cum proportionē debita, & cum medicinis longo tem-
pore ad hæc preparatis. In fine autem pertractabimus recapitulationem
omnium experimentorum nostrorum, cum quibus peruenimus ad notitiā
veritatis huius.

PRIMA PARS HVIUS LIBRI
de modis operandi.

De Furno calcinatorio. Cap. II.

Flat Furnus calcinatorius quadratus in longitudine quatuor pedum, in lati-
tudine trium pedum, & sit spissitudo parietum dimidij pedis in hunc mo-
dum. Ponantur ergo Luna, Venus, Mars, vel aliæ res calcinandæ in patel-
lis terreis de fortissimo luto, de quo crucibula fiunt, vt possint in ignis asperita
te stare, vsque ad calcinandi totalem combustionem. Calcinatio thesaurus rei
est, nec te tædeat calcinationis. Studeas autem in nostris voluminibus quæ di-
ximus. Per calcinationem mundificantur corpora imperfecta, & per reductio-
nem calcinati in solidā massā. Et tunc projiciatur medicina nostra super ea,
& gaude.

De Furno sublimatorio. Cap. III.

Flat Furnus sublimatorius, videlicet per modum in Summa nostra de spiri-
tuum Sublimatione prius traditum completè secundum hanc formam.
In sublimatione sulfuris debet cooperculū sublimatorii facere cum ma-
gno libero cōcauo cannali interius ad modum alembici sine naso. Nam aliter
descenderet totum sublimatum ad fundum vasis præ nimio calore. Nam in fi-
ne sublimationis non ascendit sulfur, nisi cum expressione, vsq; ad ignitionem.

aludelis, & nisi sublimatum in cannali retineretur superius cum leuiter fundatur, descenderet iterum per uasis latera, vsque ad fundū, & sic nihil inueniretur sublimatum, vt notum est expertis.

De Furno distillatorio.

Cap. IIIL

FVrnus distillatorius est idem cum furno sublimatorio. Ignis autē administrandus est secundum exigentiam rei distillandæ. Modum autem sufficienter descripsimus distillatorium tam mineralium, quàm vegetabilium, in Summa nostra perfectionis.

De Furno descensorio.

Cap. V.

FVrnus autem descensorius fit in hunc modum. Et est apud nos inter fusores cineritiorum & cementorum mirabiliter vñtatus. Reducunt autē omnia corpora calcinata, combusta, soluta, & coagulata per hunc furnum in solidam massam: Imò cineritia & cementa, & testæ seu crucibula, in quibus sæpius fufum, est argentum ad recuperationem illius metalli imbibit.

De Furno fusorio.

Cap. VI.

FVrnus fusorius, in quo omnia corpora leuiter funduntur per se, & est furnus iste multū vñtatus inter fusores monetarios, necnō & aurichalcū in his furnis funditur & tingitur cum tutia vel calamina, vt notū est expertis.

De Furno solutorio.

Cap. VII.

FVrnus dissolutorius fit cum cacabo aquæ pleno cum instrumentis ferreis in quibus artificiosè tenentur alia instrumenta, ne cadant, in quibus sit omnis dissolutio, & hæc est forma furni & vasorum.

De Furno fixatorio vel Athannor.

Cap. VIII.

Fiat Furnus fixatorius ad modum furni calcinationis, & sit patella profunda terrea plena cineribus cribellatis. Sit autem vas cum materia fixanda bene sigillatum in medio cinerum situata, sic quòd spissitudo cinerum subtus & superius & in circuitu sit ad spissitudinem quatuor digitorū, vel secundū illud quod fixare desideras: Quia maior ignis requiritur in vno q̃m in alio fixādo. Per hunc furnum & per hanc viā perueniunt antiqui Philosophi ad opus magisterij, quod notum est verè philosophantibus, quod per nos est satis monstratū sufficienter in libris nostris, illis qui fuerint veritatis inuestigatores. Et hæc est figura Athannor. Qui verò in huiusmodi potest magis ingentari, non excuset se ab hoc per nostram traditionem.

SECUNDA PARS DE REBUS

FRAEPARANDIS.

De Preparationibus spirituum mediorum mineralium et aluminum.

Cap. IX.

IN hoc capitulo dicam præparationes spirituum, & primò Mercurij. Si autē perfectè desideras eum sublimare, ad librā eius pone salis cōmunis lib. duas & semis, & salis petreæ libram semis, mortifica totum, simul terendo cum aceto, quovsq; nō appareat in eo de viuo aliquid, & sublima vt scis, quia vtile. Sublimatur autē Mercurius rubeus, scilicet libra vna eius, ab vna libra salis petreæ & lib. vna vitrioli, cum quibus optimè teritur & sublimatur rubeus & splendidus. Sublimatur autē arsenicum, scilicet libra vna, à libra vna limaturæ Veneris, & salis cōmunis libra semis, aluminis calcinati quarta libræ vnus. Mortificentur cum aceto super ignē mouendo, quovsq; totum denigretur, & iterum imbebe, desicca mouendo, & hoc ter: sublima azymū, & vtile. Sulfur autem decoctum in lixiuio & exiccatum, sublimatur cum eisdem facibus, sicut arsenicū excepto quòd loco limaturæ Veneris ponitur limatura Martis, vel batitura squamæ eius, in vase prædicto. Sal autē ammoniacum à sale cōmuni sublimatur quousque ponderibus impositis, Tutia verò & Marchasita, atq; corpora imperfecta su-

cta sublimantur, vt narratum est in Summa nostræ perfectionis. Sales verò & alumina præparantur, & bauratia, & vitriola, vt in libro nostræ Inuestigationis sufficienter scripsimus.

De Calcinatione Iouis.

Cap. X.

Iupiter specialiter calcinatur sic: Sit testa magna super furnum situata, & stano imposito cum tantundem salis communis præparati, & aluminis rochæ calcinati. Moueas semper cum spatula ferrea perforata, quovsq; totum fuerit incineratum. Cribra & pone in igne, & sit semper ignitum, quovsq; optimè dealbetur, & serua.

De Calcinatione Saturni.

Cap. XI.

Saturnus eodem modo calcinatur vt Iupiter, sed calx eius rubificatur vt minium, quam serua.

De Calcinatione Veneris.

Cap. XII.

Venus sic calcinatur: Ponitur in furno calcinationis prædicto, vel in sua limatura, vel per se, vel cum arsenico puluerizato, vel cum sulfure, inungendo cum oleo communi, & sic calcinatur per tres vel quatuor dies igne fortissimo. Calcinatum percutite, vt cadat à tabulis, residuum calcina, calcinatum & tritum recalcina, quovsq; optimè rubificetur, & serua.

De Calcinatione Martis.

Cap. XIII.

Mars quidè calcinatur per eius limaturam in prædicto furno, quovsq; optimè rubificatus fuerit vt puluis impalpabilis sine tactu. Et dicitur crocus Martis.

De Calcinatione mediorum mineralium.

Cap. XIII.

Omnia atramenta, sales, alumina, & tutiæ genera cum tartaro, & alijs diuersis calcinantur in furno dicto Calcinatorio, cum igne mediocri, vel forti secundum exigentiam rei calcinandæ, vt patet in lib. de Inuestig. perfecti magisterij, sed omnia corpora calcinantur, vt in Testamēto nostro.

De Ablutionibus calcium corporum combustorum.

Cap. XV.

Ablutio omnium corporum combustorum & calcinatorum sic fit: Habeas primò vas terreum vitreatum, magnū, impletū aqua dulci calida. Cum qua ablue calcem quamcunq; corporis calcinati, fricando sæpius, vt totū sal, & alumen dissoluatur, tunc cum residuum fecerit, euacua aquam cautè, ne aliquid de corpore exeat lotionem. Calcinatum iterum impone in aquam calidam, & reitera vt prius, quovsq; bene & perfectè ablutum fuerit, & serua.

De Incerationibus calcium ablutorum.

Cap. XVI.

Incerationes calcium ablutorum fiunt sic: Calcem ablutam desicca, post dissolue in aceti distillati libris duabus, salis communis, aluminis glaciei, salis gemmæ, ana, vncias duas, & quatuor libras calcis ablutæ prædictæ, desiccatae imbibere, quovsq; totam imbibere aquam prædictam, desicca, & serua.

De Reductione calcium in solidam massam.

Cap. XVII.

Reductio illius calcis ablutæ & incerate sic fit: Calcem inceratam ablue cum vrina distillata, quovsq; extraxeris sales, & alumina cum spurcitiis corporis calcinati, qua desiccata, ipsam imbibere cum oleo tartari, in quo dissolue ad libram vnā olei, vncias duas salis ammoniaci, & vnciam vnā salis petreæ. Sint autè calcis libræ quatuor, & talis imbibitio fiat per vices desiccando & imbibendo, & desicca, & descende in descensorio magno, & reduc in solidam massam, corpus purgatū, à sulfureitate combustibili, virtute ignis calcinatis: & à terrestreitate foetida, virtute salium, quæ in reductione secum retinent terræ feculentiam, corpore purificato ab immundicijs accidentibus, quæ ei superuenerunt in minera sua. Quod autè in radice suæ generationis ei innatū fuerat spurcitiæ palliari poterit cum medicina, cuius maior pars arg. viu. substantiam in se contineat, vt à nobis monstratum est sæpius in Summa nostra, ad artis exigentiam.

De Solutionibus corporum preparatorum, & de eorum coniunctionibus certis, cum proportionem certa, ut meliora appareant cum fulgore, post eorum reductiones. Cap. XVIII.

CVM dupliciter corpora ad perfectionem reducatur, aut per preparationis modum, & comistione perfectorum cum imperfectis, aut per medicinam ad hoc preparatam: Hic verò narrabimus, quare perfectum imperfectum perficit. Et etiam imperfectum ad perfectum reducitur cum preparationibus à nobis generaliter demonstratis: & has preparationes in hoc capitulo specialius tractare proponimus sufficere. In primis narramus, quòd corpus, ut prædictum est, mundatum per calcinationis & reductionis modum, vel limari oportet, vel in granulas diuidi, ut notum est: Quoniam post fusionem projicitur super tabulam minutè perforatam super aquam frigidam, dictam aquam fortiter mouendo. Et iste est modus noster. Hanc granulaturam dissolue in aqua dissolutiua nostra, quæ fit ex sale petreæ & vitriolo quantum eius medium, vel limaturam eius dissolue in aquam limpida, appone fermenti præparati tertiam eius partem, extrahe aquam & redde, & hoc septies. Et postquæ reductum est in corpus, affina per suum examen, & gaudebis de hoc quod generasti. Et quia pertractauimus de corporum imperfectorum administratione perfecta, nunc speciales regulas de quolibet corpore dabimus, veriores & certas. Primò de Ioue incipientes dicimus: Postquam præparaueris Iouem & reduxeris eum, dissolue illum in aquarum acumine, quo dissoluto, ut prædicimus, ad eius nouem partes, adiunge de salck calcinato & soluto, partem vnā, aquas claras commiscendo. Hoc autem rectifica, aquam per alembicum septies, extrahendo & reddendo. Et cum ultimò rectificatum fuerit, da ei de aqua salis petreæ imbibendo & desiccando, & reduc in corpus mundum, ignitionem & cineritium expectans. Si enim arg. viu. præcipitatum & dissolutum, cum Luna dissoluta coniuxeris, & Ioui dissoluto, ut diximus, apposueris, inuenies post reductionem corpus nobile pertractatum, sub proportionem prænominata. Saturni autem regimen, completur eo præparato & dissoluto, cum tertia eius fermenti rubei dissoluti, quibus ut prius præparatis, corpus quidem pulchrum te inuenisse lætaberis. Veneris quidem regimen specialius pertractantes, narrauimus quòd eam præparatam & dissolutam rectificabis septies vel pluries, aquam ab ea distillando & reddendo. Qua coagulata, fac inde viride nobilissimum cum sale ammoniaco in aceto distillato. Illud autem viride in vase Martis rubifica & dissolue iterum, cui adiunge Lunæ præparatæ & dissolutæ tertiam partem eius, fermenti aquam post extrahendo & reddendo septies, hoc autem reduc in corpus & gaudebis. Martis autem regimen est, ut Veneris, sed propter eius maximam foeditatem nihil boni in eo expectabis. Lunæ verò regimen est, quòd eam dissoluas & coagules septies, vel ad minus quater. Et ad eam dissolutam, adiunge aquas fixas rubificantes, quas narrauimus, & inuenies corpus aptum solare, quia cum Solè conuenit, & remanet cum eo quietè. Et sit tuum adiutorium Venus optimè purgata & dissoluta, cum ab ea extrahatur sulfur mundissimum, tingens & fixum. Et dico tibi quòd Mercurius purificatus, & fixus, habet palliare foeditatem corporum imperfectorum: fixum verò sulfur extractum à corporibus purum, colorare cum splendore. Et ex hoc magnū secretum tibi elicias, quòd ipse Mercurius atq; Sulfur extrahi possunt, tã à perfectis, quàm imperfectis corporibus debite præparatis. Sunt enim ad hoc adminicula, spiritus purificati & media mineralia, ut opus ad perfectionem reducatur congruè, necnon & peculiòse multum.

TER.

CUm autem sufficienter pertractauimus omnes modos imperfectorum corporum cadentes in secundo ordine, nunc ad tertij ordinis metas est transeundum. Quæ autem sint medicinarum, & quales secundi & tertij ordinis, sufficienter demonstratum est in libro nostro Perfecti magisterij, ubi demonstrauimus demonstratione competenti & vera, lapidem nostrum de Argenti viui substantia esse procreandum, & hoc sufficienter, vt theoricus speculatiuus. Hic verò practicam manifeste referabimus enodamus, & est, vt studeas Lunam vel Solem resolvere in aquam suam siccam, quam vulgus Mercurium vocat: Et hoc, vt duodenaria proportio contineat partem solam corporis perfecti. Nam si cum igne lento, hæc bene rexeris, inuenies per quadraginta dies corpus illud in meram aquam conuersum. Sginumque suæ perfectæ dissolutionis est nigredo desuper apparens. Si verò vtrunq; opus albū & ruberū, perficere conaris, vtrunq; fermentum per se modo iam dicto dissolue & serua. Et est nostrum Arg. viuū de arg. viuo extractum, quod volumus pro fermento. Pastam verò fermentandam extrahimus more solito ex imperfectis corporibus. Et ex hoc tibi tradimus regulam generalem, quod pasta alba extrahitur de Ioue & Saturno: pasta verò rubea ex Venere & Saturno. Est autem vt in fermento corpus quodlibet per se dissoluendum.

De Regimine Iouis & Saturni. Cap. XX.

ET quia in hoc capitulo demonstrabimus regimen Iouis & Saturni: Primo innuimus quod hoc caput est ad album, & est modus talis: Accipe lib. i. Iouis mundissimi, & funde, quo fuso impone duodecim libras Mercurij bene mundati, mouendo totum vt commisceatur, quod pone in phiala cum collo vnus pedis, in furno Athannor: Et aliam phialam Saturni sic præparati, & subiice ignem lentum per septimanam. Et habebis pastam dissolutam, aptam ad fermentandum à fermento albo, secundum proportionem, quam monstrabimus ad præsens. Sint pastæ Iouialis quatuor partes, Saturni tres, fermenti albi pars vna. Ista dissoluta, vt diximus, misceantur per minima, & ponantur in putrefactione, in modum dissolutionis nostræ ignis mediocris per septem dies, quibus extractis & bene mistis, per pannum liquidiora exprime, quod verò remansit spissum, in Chemia bene sigillatum, pone in Athannor, sicut prius, per tempus prædictum, & sic ter, quousque biberit totam aquam suam. Tunc pone in Chemiam in furno fixationis per duodecim dies, tunc extrahe, & reduc cum reductibus. Et illud inuenies, quod antecessores nostri maximo studio inueniunt, generans generatum. Idem autem in cineritio cum plumbo affina: Et inuenies corpus albedine perfectum, generans perpetuosum simile. Cuius expositionem vnā cum cæteris meis antecessoribus, cum eo quod scripsimus, successoribus relinquo.

De Regimine Veneris & Saturni. Cap. XXI.

Sint pastæ Veneris librae tres, Saturni librae duæ, fermenti libra vna, his optime dissolutis, fiat commistio per minima, quæ serua calore, vt in albo dictum est, extrahe aquam, & quod in panno remansit, pone in Chemia optime sigillatam per tres septimanas. Extrahe reddendo sibi tertiam partem aquæ suæ reseruata, & coque vt in capit. præcedenti. Et sic ter. Cum autem biberit totam aquam suam, pone in orobo ad figendum. Et cum fixum fuerit, reduc cum reductibus corpus paratum ad augmentandum & tingendum.

De Regimine Martis. Cap. XXII.

CVM Martis solutio nimium inueniatur difficilis, propter quā, plures modos, & diuersa etiā alia experimenta per nos facta, in fine huius libri pertractabimus. Sint ergo Martis pastæ libræ duæ, Veneris libræ quatuor, Saturui lib. 4. misceantur sine fermento, & coque per septem dies, & inuenies totum siccum. fige, & pone cum medietate eius lithargyrj triti, & commisti simul in reductorio, & inuenies corpus minerale, & multum vtile, si ea sapias, quæ pertractauimus sæpe.

De Regimine Lunæ. Cap. XXIII.

Regimen Lunæ est, vt reducatur de minera sua ad nobilius, & hoc vt dissoluas eam: de qua accipe lib. 3. Veneris dissolutæ lib. 4. fermenti dissoluti lib. 1. coniunge aquas, coque per septem dies cum lento igne, in orobo clauso, vt in Marte, cum tota aqua sua, deinde fortifica ignē paulatim per alios septem dies, & sit quasi sublimationis. Sed per alios septem dies da illi parum fortiolem ignem, vt figatur tota aqua cum eo, quem puluerē in pauca quantitate reduc: & si retinuerit secum partē Mercurij, (quod leuiter scire poteris, si calcinare sciueris) bene quidem: si verò non, iterum ad figendū impone, quousq; sufficiat: hoc autem reduc cum reducētibus rubeis: Et Lunam coloratam, transmutatam, & fixam inuenies, quam honora. Nam si bene studueris in nostris voluminibus, inuenies per considerationem nostrā, super quæ actionem suam fundare debeat verus inquisitor.

De Regimine Mercurij. Cap. XXIIII.

Regimen Mercurij fit duobus modis. Primò ipsum bene lotum & purificatum, amalgamabis cum nostra subscripta proportionē certa. Secundus modus est, vt ipsum distilles, & inde aquam vitæ facias. Quantū ad primum modum, hæc est proportio. Sint Mercurij vnciæ 48. Solis vncia vna, Lunæ vncia vna, Veneris vncia vna, Saturni vnc. vna. Funde hæc corpora, primò Venerem, & Lunam, secundò Solem, tertio Saturnum. Extrahe ab igne, & sit in magno crucibulo, habeasq; dictum Mercurium bene calefactum in alio & cum indurare coeperit, infunde paulatim Mercurium, mouendo cum baculo, & reimponēdo super ignem, & mouendo, quousq; bene fuerit amalgamatum cum Mercurio toto. Pone ad dissoluendum per septem dies, extrahe aquā cum panno, residuum fac volatile, supponendo ignem ignitionis. Istud iterum imbebe cum aqua sua tota, & pone ad generandum, iterum ad desiccandū per quadraginta dies, & inuenies lapidē, quem pone ad figendum, & habebis lapidē augmentabilem, vsq; in infinitum. Custodi ergo hunc librum à filio tuo quia iste exponit cuncta, quæ scripsimus in diuersis libris nostris.

De Fermento Lunæ ad azymum. Cap. XXV.

Fermentum Lunæ ad azymum fit, cum Luna dissoluta fuerit, in aqua sua corrosiua. Et si hanc aquam decoxeris ad tertiam, & in aere posueris per se in balneo, vel in fimo per aliquot dies, erit oleum Lunæ, & ipsum fermentum quod serua ad album.

De Fermento Solis ad rubeum. Cap. XXVI.

Fermentum Solis fit, cum Sol dissolutus fuerit in aqua sua, & decoctus, atq; præparatus secundum capitulum prædictum fermenti Lunæ: erit fermentum Solis ad rubeum, quod serua.

De Fermento fermenti tam albi, quàm rubei, super Mercurium. Cap. XXVII.

Compositio medicinæ nostræ, quæ dicitur Fermentū fermenti super Mercurium, fit per hunc modū ad albū: Accipe fermentū Lunæ, quod est eius oleum

oleum, & appone duplum eius arsenici sublimati, & in aqua dissoluti, quibus appone Mercurij dissoluti quantum arsenici, commisce aquas, easque pone super ignem per diem ad incorporandum. Deinde extrahe aquam per alembicum, & redde. Et hoc quindecies sic incendo, & erit currens, ut cera fusibilis. Tunc appone tantum ceræ virginæ fusæ, & commisce, & projice super Mercurium lotum, secundum quod tibi videbitur expedire. Nam illud resolutum augmentatur in virtute & pondere. Si autem ad rubeum sit hoc fermentum fermenti, dissolue Solem in aqua sua (compositiones autem omnes aquarum illarum, & aliarum rerum, sufficienter sunt tradite in libro nostro, de Perfectionis inuentione, & dissoluendi modus, quare hic omisimus) quo Sole dissoluto ad partem eius appone duas partes Sulfuris dissoluti in eadem aqua simul, & tres partes Mercurij dissoluti. Sintque omnia ista veraciter dissoluta in aquam clarissimam, quibus mistis coque per diem, ut fermententur, deinde extrahe aquam, quindecies semper reddendo, incera cum cera crocea virginæ, id est oleo sanguinis, vel oleo ouorum, ad medium, projice super Mercurium crudum, secundum quod videbitur tibi expedire. Scias utique si hanc medicinam perfeceris, secundum modum tibi traditum in tertio ordine Summæ nostræ de Medicina Mercurij congelatiua, inuenies per reiterationem operis, & per subtiliationem eius, quod una pars tingit Mercurij infinitas partes, in Solem altissimum nobiliorem omni Soli naturali.

Recapitulatio experimentorum authoris. Cap. XVIII.

Cum intendamus in hoc nostro volumine declarare cuncta dubia, quæ accidere possunt cuilibet artifice, concludam librum meum, cum omnibus veris experimentis per me probatis, & expertis. Et per has operationes veras percipere poterit investigator nouus, veritatē seu falsitatē receptorum diuersorum sophisticorum, ne tempus suum exponat vilitate, & bona similiter, in falsificorum receptionibus. Et primò de spiritibus solis postea de alijs consequenter modis suis, tam de corporibus quam de spiritibus. Sed istud capitulum diuisum est in duo. Primò narramus experientiam antiquorum per nos expertam: Secundò rectificationes eorum omnium. Sed ad ea quæ sunt albedinis, est prius insistendum, pro ut nos incepimus. Bona dealbatio. Recipe Realgaris vnciam vnam, Argenti viui sublimati vncias tres & semis, Tartari calcinati vnciam vnam, tere & incorpora, & pone in phialam cum longo collo vnius pedis, sic quod duo digiti intrare possint, & sit lutata, & pone super ignem coopertam cum panno. Fac primò ignem lentum per quartam horæ, deinde subtus & in circuitu, augmenta ignem, quousque furnus vltèrius ardeat cum ignitione, infrigidatum frange, & quod metallinum inueneris, extrahe & collige magnam copiam: Quia iam dicam tibi modum, qualiter hæc medicina rectificetur vtiliter. Dealbatio artificiosa. Super Tutiam sublimato vnam partem Mercurij sublimati, & duas partes Arsenici sublimati quousque habuerit ingressum. Hoc Venerem dealbat clarè, & speciosè multum. Item alia. Cum lithargyrio dissoluto imbebe Mercurij sublimati partes tres, Arsenici sublimati partes duas, quousque fiant octo pondera. Cui adiunge Arsenici sublimati alia octo: tere simul, & funde cum oleo Tartari & dealbabis Venerem præparatam ad libitum. Item alia. Arsenicum metallinum cum tantundem calcis Lunæ, tere, & imbebe cum aqua salis ammoniaci, & desicca, & tere & post dissolue salē Tartari in aqua salis petre, cū quo oleo imbebe medicinam, desicca eam ter incendo, & desiccando, & gaudebis de hoc, quod nunc narrauimus. Item alia nostra. Iouem calcinatum, ablutum, & desiccatum, toties imbebe cum Arsenico metallino, cum medietate eius Mercurij subli-

matī, quousque fundatur, & intret Venerem: nam ipsam dealbat splendide, præparatam. Item. Super Tutiam calcinatam, dissolutam, & coagulatam, sublima Arsenicum sublimatum album, sic quod Arsenici sint tres partes, Tutia verò vna, reiterando sublimationem super ipsum quater: nam habet ingressum cū illis: adiunge Mercurij sublimati medietatem totius, terendo & incerando quater cum aqua salis ammoniaci, petrae & tartari, ana, cum quo coagulato cementa laminas Veneris præparatas, & funde, & erit res valde pulchra. Item alia. Venerem calcinatam & inceratam tere, cui adiunge Arsenici sublimati, & dimidiam partem Mercurij sublimati: quibus bene titris, & mistis, adiunge partem de aqua Ammoniaci, incerando super marmore, post desicca & sublima. Sublimatum redde facibus iterum imbibendo. Et sic ter, in quarta vice imbebe cum aqua petrae, & sublima id, quod sublimari patitur, reitera, donec fustum maneat in fundo, illud autem in cupro præparato, resplendet cum nitore. Item. Super calcem Veneris præparatam, toties sublima Arsenicum sublimatum, quoad aliqua pars Arsenici remaneat cum eo, in asperitate ignis. Illud autem imbibitum cum aqua petrae, & ultimò inceratum cum aqua Lunæ & Mercurij præcipitati, in fine cum oleo tartari rectificati, quousque fluat, Martem dealbat mirifice, et intrat secundum ordinem, si sagaciter ambulaueris in conuallibus huius artis. Dixi nanque alibi, quòd si Mercurij ubique præcipitati obtineat in commisto, splendidius ambulabis, præcipue si fermentum album dissolutum, cum Mercurio dissoluto, post aliqualem eius fixationem, adiunctum fuerit per medium incerationis, inuenies te iuxta viam ambulasse. Et quia probauimus Iouem qualitercunque præparatum, in toto primo ordine totaliter inutilem, quaecumque sibi magisterium superuenerit, etiam Saturnum & Martem: propter hoc in Summa nostra, dedimus eum medicinae tertij ordinis subseruiturum, quia excellentissimè ibi decoratur, ut sepius est probatum in Summa perfectionis nostræ, & iam infinitos modos de facto probauimus, & sciimus. Aptiora tamen descripsimus de ipsius Veneris dealbatione.

Ludi Mercuriales. Cap. XXIX.

Nunc autem incipiam de Ludis Mercurialibus. Fac cementum de lithargyrio argenteo, & sale alkali de zozā, hoc pone in crusibulo ad spissitudinem digiti, ibidem pone globum amalgamationis Mercurij & Lunæ, superpone residuum cimenti, ut sit globus in medio cimenti. Desicca, luta, & pone in lento igne per medium diem, paulatim ignem vigorando, sicque de vespere, usque ad crepusculum calere incipiat, cum modica ignitione extrahe, & in cineritio affina, & erit Luna in pondere, & surditate, & fixatione multum melior. Item. Lunam amalgama cum Mercurio, cui adiunge tantum Saturni, quantum est Lunæ, pone in crusibulo alio, sic, quòd tres quartæ sint vacuæ, superpone oleum sulfuris, & coque usque ad olei consumptionem: post tene per duas horas in igne mediocri, & generabitur ibi lapis niger cum paruo rubore, hunc lapidem fac transire per cineritium, & Lunam inuenies augmentatam in pondere, surditate & fixatione. Item aliud præmeditandum. Lunam amalgamatam cum Mercurio tere cum duplo eius arsenici metallini: cui adiunge Veneris amalgamatae proportionem decuplam, Lunæ scilicet & arsenici: tere totum, & fige, & reduc in corpus, & bene tibi erit.

Citrinatio Lune. Cap. XXX.

Postquam duximus in cognitionem illorum albantium cum magisterio: Nunc ad citrinationem Lunæ accedamus, specialius quam in Summa nostra. Zyniar nostrum Philosophicum ex Venere præparata deductum, dissolue

aqua dissolutionis Lunę, cui adiunge medium eius Mercurij rubificati per sublimationem, & aliquantulum fixati & dissoluti, Lunę autem dissolutę quantum ipsum zyniar appone, quibus fermentatis per diem, extrahe aquam per distillationem & redde, & hoc decies. In fine coagula & reduc in corpus, & gaudebis ab inuento. Aliter. Solue ipsum zyniar & crocum nostrum præparatum cum Mercurij sublimatione, quousque rubescat, adiunge tantum salis ammoniaci, & sublima ter ab illo croco, quod dissolue. Sint autem crocus & zyniar ana, cui adiunge tantum de Luna dissoluta, quantum de duobus: fac ut in præcedenti incerando, & reduc, quia leue. Item. Alium modum tibi tradimus lauiorem. Recipe croci & zyniar dissolutorum ana, adiunge tantum auri dissoluti, incera ut prius. In fine congela, & da illi quartam eius de oleo salis petra, & projice tantum Lunę, & erit tinctura cum citrinali aspectu. Aliter autem & optime. Fac aquam de zyniar nostro, & de illo croco nostro, & imbebe calcem Solis & Lunę ana, quousque biberint eorum pondus. In fine incera cum oleo ammoniaci & petra, & reduc in corpus nobile. Item. Sublima ammoniacum à viridi nostro, cui tunc adiunge crocum & zyniar, ex quibus bene commistis, sublima bis vel ter, ammoniacum extractum de prædicto, & in fine dissolue totum, cui adiunge tertiam auri dissoluti, incera ut prius, & congela: Et projice supra Solem & Lunam, ita quod Lunę sint duę partes, Solis autem una, & erit bonum.

Finis libri Fornacum.

DOCTISSIMI VIRI ROGERII BACHO-

NIS DE ALCHEMIA LIBELLVS CVI

titulum fecit, Speculum Alchemie.

P R A E F A T I O.

MULTIFARIAM, multisq; modis loquebantur olim Philosophi per sua scripta, quum velut in ænigmate, & quasi nebulosa voce scientiã quandam præ cæteris nobilem, nobis penitus obumbratam reliquerunt, & sub desperationis velo negatam omnino, & hoc non sine causa. Quare ego præcipio, ut præ omnibus aliorum scriptis, super ista septem capitula, transformationem metallorum in se continentia, mentem tuam firmiter fundes, & eorum principium, medium, & finem sæpius in corde reuoluas, & subtilitatem talem in eis inuenies, qua adimplebitur animus tuus.

De diffinitionibus Alchemie. Cap. I.

IN pluribus Antiquorum codicibus plures inueniuntur istius artis diffinitiones, quarum intentiones nos in hoc capitulo considerare oportet. Nam Hermes de hac scientia dicit: Alchemia, est scientia corporea, ex vno & per vnum simpliciter composita, preciosiora adinuicem per cognitionem & effectum coniungens, & eadem naturali commistione in genus melioris conuertens. Alius quidam dicit: Alchemia, est scientia docens transformare omne genus metalli in alterum: Et hoc per medicinam propriam, sicut patet in multis Philosophorum libris. Quare Alchemia, est scientia docens facere, & generare quandam medicinam, quæ Elixir nuncupatur, quæ quando projicitur super metalla, seu corpora imperfecta, perficit ipsa completè in momento projectionis.

De Principijs naturalibus, & procreationibus mineralium. Cap. II.

Secundò principia naturalia, & procreationes mineralium perfectè declarabo. Vnde primò notandum est, quòd principia mineralia in mineris sunt Argentum viuum & Sulfur. Ex istis procreantur cuncta metalla, & omnia mineralia, quorum multæ sunt species, & diuersæ. Sed dico quòd natura semper proposuit, & contendit ad perfectionem auri. Sed accidentia diuersa superuenientia transformat metalla, sicut in multis inuenitur Philosophorum libris satis apertè. Nam secundum puritatem & impuritatem prædictorum duorum, scilicet Argenti viui, & Sulfuris, pura & impura metalla generantur, videlicet: Aurum, argentum, stannum, plumbum, cuprum, ferrum. De quorum natura, videlicet puritate & impuritate vel immunda superfluitate, & defectu, talia accipe vera. De natura Auri. Aurum quidem est corpus perfectum, ex Argento puro, fixo, claro, rubeo, & ex Sulfure mundo, fixo, rubeo, non adurente generatum, & nullum habet defectum. De natura Argenti. Argentum est corpus mundum, purum, ferè perfectum, ex Argento viuo puro, ferè fixo, claro, & albo, & de tali Sulfure procreatum, & deficit ei pauca fixatio, & color cum pondere. De natura Stanni. Stannum est corpus mundum imperfectum, ex Argento viuo puro, fixo, & non fixo, claro, albo in suo manifesto, & rubeo in suo occulto, & de tali sulfure procreatum, & deficit ei sola de coctio siue digestio. De natura Plumbi. Plumbum est corpus immundum & imperfectum, ex Argento viuo impuro, non fixo, terreo, sæculenno, aliquantulum albo in manifesto, & rubeo in occulto, & ex tali Sulfure adustibili ex aliqua parte procreatum, & deficit ei puritas, fixatio, cum colore & ignitione. De natura Cupri. Cuprum est corpus immundum & imperfectum, ex Argento viuo, impuro, non fixo, terrestri, adurente, rubeo non claro, & ex tali sulfure generatum: & deficit ei fixatio, & puritas cum pondere, habetq; nimis de colore impuro, & terrestritate non adurente. De natura Ferri. Ferrum est corpus immundum & imperfectum, ex Argento viuo impuro, nimis fixo, terrestri adurente, albo & rubeo, non claro, & ex tali Sulfure generatum, & deficit ei fusio, puritas & pondus, & nimis habet de sulfure fixo immundo, & terrestritate adurente. Hæc ergo iam dicta Alchemista quilibet notare debet,

Ex quibus propinquius materia Elixiris sit elicienda. Cap. III.

Inam dictis, sufficienter determinata est procreatio, tam perfectorum quam imperfectorum metallorum. Nunc ad materiam imperfectam perficiendam eligendamq; redeamus. Cum ex capitulis præcedentibus satis notum sit, quòd ex Argento viuo & Sulfure cuncta procreentur metalla, & quomodo ipsorum impuritas immundiciaque corrumpit, & cum nulla res metallis adhiberi debeat, quæ non ex ipsis sit composita seu orta, satis nobis apertè relinquitur, quòd nulla res extranea, quæ ex his duobus non sumpsit originem, potens est & sufficiens ipsa perficere, vel eorum transmutationem facere nouam. Quare admirandum est, quòd aliquis prudens suam fundat intentionem super animalia, siue vegetabilia, quæ valde sunt remota, cum inueniantur mineralia satis propinqua. Nec credendū est omnino, quòd aliquis Philosophorū, posuerit artem in prædictis remotis, nisi similitudinariæ. Sed ex prædictis duobus fiunt metalla cuncta, & nihil eis adhæret, nec eis coniungitur, nec ea transmutat, nisi quod ex illis est. Et sic de iure oportet nos accipere Argentum viuum & Sulfur, pro lapidis nostri materia. Nec Argentum viuū per se solum, nec Sulfur per se solum, aliquod generat metallum, sed ex amborum commistione diuersa metalla diuersimodè procreantur, & mineralia multa,

Ergo

Ergo ex amborum cōmīstione materia nostra constat eligenda. Sed finale nostrum secretum, est excellentissimum & maximè occultum: Ex qua re minerali debeat fieri propinquius & vicinius: Et hoc ipsum eligere sollicitè tenemur. Pono igitur, quòd eligatur materia nostra, primò ex vegetabilibus, vt sunt herbae, arbores, siue omne progrediens è terra, Tunc oportet inde prius fieri Argētum viuum, & Sulfur, per longam decoctionem, à quibus, & à quorum operatione excusamur: Cum nobis natura proponat Argētum viuū & Sulfur. Et si eligeremus ex animalibus, vt sunt sanguis humanus, capilli, vrina, egestio, oua gallinarum, & omnia quæ ex animalibus procedunt, oporteret etiam ex ipsis fieri Argentum viuum & Sulfur decoquendo, à quibus excusamur, vt prius. Sin eligeremus ex medijs mineralibus, vt sunt omnia genera Magnesiarum, Marchasitarum, Tutiarum, Atramentorum, seu vitriolorum, aluminum, Bau-rach, salium, & aliorum multorū, oporteret similiter, vt ex prædictis, Arg. viuū inde fieri & Sulfur decoquendo, à quibus, vt ab alijs præcedentibus excusamur. Et si eligeremus aliquem ex septem spiritibus per se, vt solum Argentum viuum, aut Sulfur solummodò, aut Argentum viuum, & vnum è duobus Sulfuribus, aut Sulfur viuum, aut auripigmentum, aut Arsenicum citrinum, aut rubeum solum vel compar, nequaquam perficeremus, quia cum nunquam natura perficit aliquid, sine amborum commīstione æquali, nec nos, à quibus tunc, vt à prædictis Argento viuo, & Sulfure, in sua natura excusamur. Finaliter, si eligeremus ipsa, quodlibet, sicut est, oporteret nos commiscere secundum debitam proportionem, quam humanum ignorat ingenium, & postmodum decoquere, ad coagulationem in solidam massam. Et ideo excusamur à receptione amborum in sua propria natura, videlicet Argenti viui & Sulfuris, cum ignoremus dictarum proportionem, & inueniamus corpora in quibus inuenimus prædicta proportionata, coagulata & coadunata debito modo. Hoc secretum tene secretius. Aurum est corpus perfectum & masculinum, sine superfluitate aliqua aut diminutione. Et si imperfecta, sola liquefactione sibi commissa perficeret, esset Elixir ad rubeum. Argentum est etiam corpus ferè perfectum & foemineum, quòd si etiam imperfecta ferè perficeret sola fusione vulgari, esset Elixir ad album, quod non est, nec esse potest, quia solummodò perfecta sunt. Quòd si illa perfectio esset commiscibilis imperfectis, non imperfectum cum perfectis perficeretur, sed potius illorum perfectio cum imperfectis diminueretur, & imperficeretur. Sed si essent plusquam perfecta, vel in duplo, vel in quatruplo, centuplo, vel vltra, interim perficerent imperfecta. Et quia natura sēper operatur simpliciter: Perfectio in eis simplex est, & inseparabilis, & incommiscibilis, * nec arte ad opus abbreviandum ponerentur in lapide pro fermento, & reducerentur tunc in pristinum, quū summè volatilis superat summā fixi. Et quia Aurum est corpus perfectum, ex Argento viuo rubeo, claroque, & ex tali Sulfure, ideo non eligimus ipsum pro materia lapidis ad Elixir rubeum, eo quòd ita simpliciter est perfectum, sine mundificatione ingeniosa, & tam fortiter digestum, & coctum naturalī caliditate, quod cum igne nostro artificiali vix in Aurum & Argentum operari valeamus. Et quanuis natura aliquid perficiat, tamen intimè mundificare, seu perficere, ac purificare ignorat, quia simpliciter operatur super illud, quod habet. Quare si eligeremus Aurum vel Argentum pro materia lapidis, vix aut difficulter inueniremus ignem in eis agentem. Et licet non ignoremus ignē, tamē ad intimam sui mundificationem & perfectionem peruenire non possemus, propter sui fortissimam compactionem, & compositionem naturalem: quare excusamur à receptione primi ad rubeum, seu secundi ad album, cum inue-

niamus rem, vel corpus aliquod, ex tam mundo, vel mundiore sulfure, & argēto viuo, super quod natura parum, vel minimum est operata, quod cum igne nostro artificiali, & experientia artis nostrae, ad congruam sui decoctionem, mundificationem, colorationem & fixationem cum ingenioso nostro opere, super hoc continuato, valemus peruenire. Eligenda est ergo materia, in qua est argentum viuum mundum, purum, clarum, album, & rubeum, non ad complementum perductum, sed commistum æqualiter & proportionabiliter, per modum debitum cum sulfure tali, & in massam solidam congelata, vt cum ingenio & prudentia nostra, igneque nostro artificiali ad mundiciam sui intimam & ad ipsorum puritatem peruenire possimus, & talem efficere, quod ipsa post operis complementum sit millies millesies fortior & perfectior, quam ipsa corpora simplicia caliditate naturali decocta. Esto igitur prudens. Nam si in capitulis meis subtilis & ingeniosus fueris, in quibus manifesta probatione, & aperte materiam lapidis cognoscendam demonstraui, gustabis illud delectabile, super quod Philosophorum intentio cadit tota.

De modo agendi, & igne moderando, & continuando. Cap. IIII.

CRedo te inuenisse, si non es durissimæ ceruicis, & velo ignorantiae totaliter perfusus, vel insipientiae, per verba iam dicta, certam Philosophorum materiam, lapidis benedicti peritorum, super quam operatio Alchemiae est adhibenda, cum imperfecta conamur perficere, & hoc cum plusquam perfectis. Et cum nobis natura tradidit imperfecta solummodo cum perfectis oportet nos, plusquam perficere materiam in capitulis notam cum nostro opere & labore artificiali. Et si ignoramus agendi modum, quid est in causa, quod non videmus qualiter natura, quæ olim metalla perfecit, frequenter operatur? Videmusne quod in mineris per continuatam caliditatem quæ in montibus mineralium est, aque grossities in tantum decoquitur & inspissatur, vt fiat per tempus arg. viuum? Et ex pinguedine terræ per eandem decoctionem & caliditatem generatur sulfur? Et quod per illam caliditatem perseveranter super ipsa continuatam, ex prædictis secundum ipsorum puritatem & impuritatem, cuncta generantur metalla? Et quod natura tam perfecta quam imperfecta cuncta, sola decoctione perficit, siue facit metalla? O nimia dementia, quid vos, rogo, cogit per aliena regimina melancholica & fantastica velle perficere prædicta? Quemadmodum quidam dicit: Vt vobis qui vultis superare naturam, & metalla plusquam perficere nouo regimine seu opere orto ex capitiuitate vestra insensata. Et Deus naturæ dedit viam linearem, scilicet decoctionem continuam, & vos insipientes ipsam imitari spernitis, vel ignoratis. Item. Ignis & azot tibi sufficiunt. Alibi. Calor omnia perficit. Et alibi. Coque, coque, coque, & non te tædeat. Et alibi. Fiat ignis vester blandus & mitis, qui per singulos dies semper æqualis ardendo perduret, nec inuale scat, sin aliter, sequeretur maximum damnum. Et alibi. Patienter & continue. Et alibi. Tere ipsum septem vicibus. Et alibi. Scias quod vna re, videlicet lapide, vna via, scilicet coquendo & vno vase totum magisterium terminatur. Et alibi. Igne teritur. Et alibi. Hoc opus multum creationi hominis assimilatur. Sicut enim infans in principio leuioribus nutritur cibis, ossibus autem confortatis, semper fortioribus: Sic & magisterium istud, primo indiget igne lento, quo semper in decoctionis essentia qualibet est agendum. Et quanuis semper loquamur de igne lento, reuera tamen sentimus, quod in operis regimine paulatim & vicissim vsque ad finem augmentandus & maiorandus est ignis.

De Qualitate uasis atq; fornacis. Cap. V.

Terminum, modumq; agendi iam determinauimus, nunc de vase ac fornace, qualiter & ex quibus fieri debeāt, audire licet. Cum natura naturali igne in mineris metalla decoquat, decoctionē illā sine vase ad hoc apto denegat. Et si naturam sectari proponimus in coquendo, quare vas eius esset reſciēdū. Videamus ergo primò, qualis locus sit generationis metallorū. Manifeste percipitur in mineralium locis, quòd in fundo montis est calor, æqualiter perdurans, cuius natura est semper ascendere, qui in ascēdendo semper desiccatur ubiq; & coagulat aquā spissiore, seu grossiorē in ventre, seu uenis terre siue mōtis absconditā in arg. uiuum. Et si illius loci pinguedo mineralis ex terra huiusmodi calefacta fuit congregata in uenis terræ, currit per mōtem, & est sulfur. Et ut videre licet in uenis prædictis illius loci, illud sulfur ex pinguedine terræ, ut prædictum est, generatum, obuiat etiam arg. uiuo (ut etiam scriptum est) in uenis terræ, & aquæ spissitudinem mineralis procreat. Ibi per calorem in montem æqualiter perdurantem, longo generantur tempore diuersa metalla secundum loci diuersitatē. In mineralium verò locis inuenitur caliditas semper durans. Ob hæc de iure nobis notandum constat, quòd mons mineralis externus est ubiq; clausus in se ipso & lapideus, quia si calor exire valeret, nequaquā metalla procrearentur. Si ergo naturā imitari intendimus, habemus necesse tali modo furnum, adinstar montium, non magnitudine, sed caliditate continua prouidere, ita quòd ignis impositus, cū ascendit, exitū non inueniat, & reuerberet calor vas, materiā lapidis cōtinens in se, firmiter clausum. Quòd vas rotundum debet esse cum paruo collo, de vitro, vel de terra aliqua, naturā siue compactionem vitri repræsentantem, cuius os cum tali coopertorio, & bitumine debet esse signatum vel sigillatum. Et sicut in mineris calor immediatē non tangit materiā sulfuris, & arg. uiui, quia terra montis inter est ubiq; sic immediatē ignis tangere non debet vas in se materiā continens prædictorū sed in alio vase similiter clauso, illud est ponendum, ut ita materiā superius & inferius, & ubicunque sit, melius & aptius, calor temperatus attingat, unde Aristoteles dicit in Lumine luminum, quòd Mercurius in triplici vase est coquendus, & quòd vas de vitro sit durissimo, vel, quod melius est, de terra naturam vitri possidente.

De Coloribus accidentalibus et essentialibus in opere apparentibus. Cap. VI.

Exquisita lapidis materia, modum agendi certum cognosces, per quem modum, per quod regimen lapis decoquendo, in coloribus diuersis sæpius transmutatur. Vnde quidā ait: Quot colores, tot nomina. Secundū diuersos colores in opere apparētes, per Philosophos eius nomina variata sūt. Vnde in prima lapidis nostri operatione, est putrefactio appellata, & fit lapis noster niger. Vnde quidā dixit: Cū inueneris ipsum nigrum, scias quòd in nigredine illa albedo occultata est, & tunc oportet illā extrahere à subtilissima illa nigredine eius. Post verò putrefactionē rubescit, nō rubedine vera, de quo quidā ait: Sæpius rubescit & sæpius citrinescit, & sæpius liquescit, & sæpius coagulatur, ante veram albedinem. Et seipsum etiam dissoluit, seipsum coagulat, seipsum putrefacit, seipsum colorat, seipsum mortificat, seipsum uiuificat, seipsum denigrat, seipsum dealbat, seipsum rubore decorat cum albedine. Fit etiam viridis, unde alius ait: Coque cum donec natus viridis tibi appareat, & est eius anima. Et alius. Scias quòd in viriditate anima illa dominatur. Apparet etiam ante albedinem color pauonis, unde quidam sic ait: Scias quòd omnes colores qui in mundo sunt, aut excogitari possunt, apparent ante albedinem, & deinde albedo sequitur vera, unde quidam ait: Cum autem purus de-

coquatur donec veluti oculi piscium elucescat, eius utilitas expectanda erit, & tunc lapis in rotunditatem est congelatus. Alius autem ait: Cum inueneris albedinem supereminentem in vase, esto certus quod in albedine illa rubedo occultata est, & tunc oportet te illam extrahere: veruntamen coque, donec totum rubeum fiat. Est enim inter veram albedinem & veram rubedinem, quidam cineritius color, de quo dicitur: Post albedinem errare non potes: nam augmentando ignem ad cineritium peruenies, de quo alius dicit: Ne cinerem vilipendas, nam Deus reddet tibi liquefactum. Et tunc ultimò Rex diadematè rubeo coronatur, N V T V D E I.

De Modo proyiciendi medicinam super quolibet imperfectorum. Cap. VII.

REI promissæ finem perfectè compleui, videlicet magisterij magni, ad Elixir excellentissimum rubeum & album faciendū. Finaliter de modo projectionis, quæ operis est complementum, & læticia desiderata & expectata, tractare nos oportet. Et rubeum quidem Elixir, citrinat in infinitum, ac omnia metalla transmutat in aurum purissimum. Album verò Elixir dealbat vsq; in infinitum, & quodcunq; metallum ducit ad albedinem perfectam. Sed sciendum est, quod vnum metallum magis est remotum à perfectione quàm aliud: Et aliud propinquius alio, & vicinius. Et quantis quolibet metallum per Elixir ad perfectionem reducatur, tamen leuius, citius, & melius, & perfectius propinqua reducuntur, quàm multum remota. Et cum inueniamus metallum propinquum & vicinum perfectioni, excusamur per ipsum à multis remotis. Quæ verò metalla remota & propinqua, & quod propinquius & vicinius perfectioni sit, in capitulis meis, si sapiens & ingeniosus fueris, satis aperte inuenies, & veraciter determinatum. Et proculdubio qui in hoc meo Speculo intantum est ingeniatus, quod sua industria inuenire scit materiam veram, bene sapit super quod corpus ad perfectionem sit proyicienda medicina. Nam præcursores istius artis, qui eam per suam Philosophiam inuenerunt, demonstrant digitis satis manifestè viam linearem, & denudatam cum dicunt: Natura naturā continet: Natura naturam superat: Et natura obuians suæ naturæ latatur, & in alienas transmutatur naturas. Et alibi. Omne simile applaudit suo simili, quia similitudo dicitur causa amicitiae, de quo multi Philosophi notabile secretum reliquerunt. Scias quod anima corpus suum citò ingreditur, quæ cū corpore alieno, nullatenus coniungitur. Et alibi. Anima enim citò corpus ingreditur suum, quam si cum alieno corpore coniungere statueris, incassum laborabis: Nam & ipsa vicinitas magis est lucida. Quia enim corporea, in regimine fiunt incorporea, & econuenso, incorporea corporea, & in complemento totum corpus fit spirituale fixum: & quia Elixir illud spirituale euidenter, siue album, siue rubeum ultra naturā suam tam multum est præparatum & deductum, non est mirum, quod incōmiscibile est corpori, super quo solummodo proyicitur liquefacto. Graue est etiam pricere super mille milia & ultra, & illa incontinenti penetrare & transmutare. Quare vobis vnum secretum magnum & occultum iam tradam. Commiscenda est pars vna cum mille corporis vicinioris, & hoc totum includatur firmiter in vase apto, & pone in furno fixationis, primò cum igne lento, & semper augmentando ignem per tres dies, donec inseparabiliter sint coniuncta. Et hoc est opus trium dierum. Tunc iterū & finaliter proyicienda est pars quælibet istius vna super alias mille partes cuiuslibet corporis vicinioris. Et istud est opus vnus diei, seu vnus horæ, vel momenti. De quo semper mirabilis est laudandus Deus noster in æternum.

F I N I S.

RICHARDI

RICHARDI ANGLICI LIBELLVS VTILIS.

summi Regi Xaverio, Cui titulum fecit, Correctorium.

Prefatio, quomodo ars imitetur naturam. Cap. I.



Vm omnis rerum emendatio illius rei naturam augmentet, cuius est: Ideo in multis Philosophorum datis, per artem emendatur natura, vltra suum motum, quem habuit in prima forma. Et tamen nulla res laborare potest, nisi media te natura; cum ipsa natura in arte occulte & intrinsece laboret per artis administrationem: per hoc sequitur, emendationem naturae virtutis esse augmentationem, & artis laborem, illius rei emendationem. Quoniam natura perficit suum gradum, quem naturaliter perficere potest, & illum praeterire nequit, nisi ipsa natura impedita fuerit per artis impedimentum. Quauis enim ars naturam non transcendat, faciens nouam naturam, per simplicem laborem, tamen ars transcendit naturam, quoad illam naturam, quam potest proprie subtiliare. Et ideo dicitur: Ars imitatur naturam, non quod nouam aedificet, sed quod illius naturae virtutem subtiliet. Ad haec incipit ars proficere, vbi natura deficit, subtilem naturam in re inclusam detegere, & ipsam manifestare. Cum natura generat metalla, tincturas generare nequit, quauis bene tincturam in se plenam occulte contineat. Vnde Philosophus: Natura continet in se, quibus indiget, & non perficitur, nisi moueatur arte & operatione. Quare in nostro opere ars non est aliud, quam adiuuamen naturae. Quod patet in multis artium operibus Laicorum: Vbi natura primum producit lignum: Secundò, vstio ignis de ligno cinerè: Tertiò ars de cinere vitrum. Et hoc totaliter intelligendum est. Si in cineribus ista prima materia vitri occulta non fuisset, ars nequaquam vitrum inde produxisset, aut perfecisset, sine natura praehabita. Et sic perpendes, quod è nullis rebus aliquid elici potest, quod in ipsis non existit: Ideo omnis species, in sua specie, & omne genus, in suo genere, & omnis natura, in sua natura, naturaliter virtutis affectat augmentum, & fructum affert iuxta naturam suam, & non in alia natura sibi contraria, cum omne seminatum suo semini correspondeat, hoc dicimus quo ad generationem. Non generatur ab homine, nisi homo, nec ab aliquo tali, nisi simile sibi, & quo ad naturam imitandam per artem, non facit hoc aliqua res simpliciter laborans per ministerium naturae, nisi per naturae illius complexionem: quoniam si aliena natura peior introducitur, immediate ars simpliciter non imitatur naturam, sed ille peiores naturae extraneae inficiunt illam naturam, & statim non fit ex ea, quod fieri credebatur: Quoniam omne peius laborans in aliqua re, nititur melius destruere, & omne melius laborans in aliqua re, nititur peius perficere. Et ideo vnicuique artificii naturam imitari necesse est, & illius naturam cognoscere, cuius rei naturam ars sua imitatur, alioqui factae per artem, ipse naturam dignoscitur emendare.

Studium Philosophiae esse necessarium ad hanc artem. Cap. II.

Studium secundum doctores amouet ignorantiam, & reducit humanum intellectum ad veram scientiam, & cognitionem cuiuslibet rei. Ergo in primis necesse est, per studium huius suavis operis, scientiam acquirere, & per Philosophica dicta ingenium acuere, cum in ipsis sit cognita via veritatis. Si ergo laborantes laborem non despexerint, fructum inde proueniētem dulciter gustabunt. Qui verò studere adhorruerint, laborando perpendant in suis cogitationibus: Vtrum ars ipsorum sit naturae imitatio, praecipue illius rei, cuius naturam ars illorum emendare debet. Nam praeter naturae imitationem

impossibile est ipsis secreta Philosophorum ad perfectum finem perpetrare: Sicut de his loquitur Philosophus. Hi transeunt ad practicam, sicut alinus ad foenum, nesciens ad quid porrigat rostrum, nisi in quantum sensus exteriores, sine intellectu, per visum & gustum ad pabula deducunt. Sic ipsi alim sine veris principijs, & studijs fructuosis, ac naturarum cognitione, quarunt perficere opera naturæ, & secretum secretissimum totius naturalis Philosophiæ, ac opus optimum, quod hominem ornat moribus, ditat beneficijs, auxiliatur pauperi, & corpus humanum incolume conseruat præbens ei sanitatem. Et postea subditur, de illius occultæ naturæ medicinâ. Et ideo omnes huius artis beneficium diligentes, studijs insistere tenentur, & ex libris veritatem exhaurire, & non ex fabulis fictis & operibus mendosis, cum hæc ars nullatenus veraciter inueniatur (quanuis hominibus multæ sophisticationes appareant) nisi post terminum studij, & Philosophicorum dictorum cognitionem, seu per scientis fidelem informationem cum docetur. Qui enim in legendis libris deses extiterit, in præparandis rebus promptus esse non poterit. & ultra, Non bene potest de leui practicæ assuescere, cuius mens in studijs reuiv de sudare.

De Principijs naturalibus. Cap. III.

Non est autem hæsitandum, hanc artem habere vera principia naturalia, cum ipsa natura corpora metallica formet in minera, quod patet per Aristotelem quarto Meteoron, ubi distinguit corpora mineralia in quatuor species: In lapides, in liquefactiva, in sulfura, & sales: Et horum quædam sunt raræ substantiæ, & compositionis debilis, & quædam fortis substantiæ, & quædam eorum ductilia, & quædam non. Et quæ illorum rationes generationis sint, patet ibidem, ergo hic non est necesse poni.

Quot sint partes Mineralium. Cap. IIII.

Distinguntur autem corpora mineralia specialiter in duas partes, scilicet in partem metallicam, id est metalla, quæ originem ex Mercurio ducunt, ut Aurum, Argentum, Cuprum, Stannum, Plumbum, & Ferrum, & dicuntur mineralia maiora: Et in partem mineralem, quæ originem ex Mercurio non ducunt, ut sales, atramenta, alumina, vitriolum, arsenicum, auripigmentum, sulfur, & similia, & dicuntur mineralia minora, sunt tamen corpora non metallica: quum manifestum sit, quod maiora mineralia, id est, corpora metallica, originem habeant ex sulfure & argento viuo, secundum magis & minus depurato. Et nunc ponam differentiam eorum generationis, & dicam unde originem habeant, quod tamen sufficienter patet in multis Philosophorum libris.

De Metallis, quæ originem ducunt ex Mercurio in genere. Cap. V.

SVNT autem ductibilia, omnia liquabilia metalla, quæ originem ducunt ex Mercurio. Nam materia eorum, est substantia aquea, mista cum substantia terræ, commistione forti, & non potest vnum ab altero separari: quare congelatur substantia aquea illius cum frigore magno post actionem caloris, & ideo ductibilia sunt, & fabricabilia. Sed non congelatur sola aqua, nisi siccitate, quæ alteravit aqueitatem & terreitatem, cum in ipsis humor non est nimis vinctuosus: nam congelatio eorum est ex siccitate terrestri, ideo non faciliter soluitur, nisi per actionem caloris vehementem in ipsis, secundum quod sunt fortius ac fortius commista.

Quomodo Metalla ex Mercurio fiant, in specie. Cap. VI.

Rerum natura omnium liquabilium genera, naturaliter operata est ex Mercurio, vel argento viuo, & sui sulfuris substantia, eo quod proprium est argenti viui quod coagulatur ex vapore, siue ex calore sulfuris albi

albi, vel rubei non vrentis. Vnde Aristoteles in quarto Metheoron: Si sulfur album non vrens fuerit, congelat Mercurium in argētum bonum. Si sulfur purum cum rubore clarum, & in eo vis igneitatatis simpliciter non vrentis, congelat Mercurium in aurum purissimum, quoniam omne siccum naturaliter ebibit suum humidum, vt in suis partibus sit consummatum. Vapor ergo sulfuris, argentum viuum coagulantis ex sua substantia, est terreus, subtilis, aerēus, decoctus, & digestus à commistione prima sibi vnita à coctione caloris. Postea eleuata, decocta & digesta, donec habeat vim sulfuream coagulandi Mercurium in corpora metallica, secundum quod sulfur fuit simplex vel adurens, quod perfectionem vel imperfectionem in metallis causat, vt postea apparebit. Exemplum de his, quod ipsorum prima materia, sit argentum viuum, quoniam quum liquefit per calorem, cōuertitur in ipsum. Certum quippe est, ipsa antea fuisse argentū viuum, quia omnis res, de eo, in quod resoluitur, est. Nam glacies conuertitur in aquam calore mediante, necessarium est ergo, prius aquam, glaciem fuisse.

De Generatione Sulfuris, Mercurij, & quæ ex eis oriuntur metalla, in generali, & quomodo perfecta ab imperfectis differant. Cap. VII.

Hic notandum est, quod Sulfur prouenit ex pinguedine terræ, in minera per temperatam decoctionem inspissata quousq; induretur & sicca fiat. Et cum indurata fuerit, Sulfur vocatur. Argentum verò viuum in sua radice prima, est compositum ex terra alba, subtili, nimium Sulfurea, cum aqua clara fortiter admista, & vnita tali vnione per minima, quousq; humidum temperetur à sicco, & siccum ab humido æqualiter, donec fiat substantia vna, non quiescens in superficie plana, nec adhæreat tangenti propter siccitatem, quæ alterauit aqueitatem in ipso. Est autē homogenium in natura, quia aut totum remanet in igne, & fixum, aut totum euolat in fumum, cum sit incombuibile & aerēum, & hoc est signum perfectionis: & ideo cum postea de terra sulfurea decurrit, calefactum superius ascendit. Vnde in sua natura est, vt per calorem sublimetur. Veruntamen continua sublimatione nimium sublimando depuratur, decoquitur, & inspissatur, ac per sulfur album & rubeum gradatim congelatur, quod quidem Sulfur dissoluitur multoties, & postea congelat argentum viuum, & illius sublimatione inceratur caloris actione, donec vix in millibus annorum successiue, & operatione naturæ in perfectum metallum congeletur. Et sic quidem ipsa natura in vasis mineralibus, mediante calore, operatur metalla. In istis ergo operibus naturam imitari oportet quicumq; vult medicinam perficere ad imperfectorum perfectionem, licet ista corpora differant in compositione sua ab argento viuo, quæ ab eo generantur eodem modo, quo ipsum fuerit purum vel impurum, & Sulfure mundo vel immundo, sibi extraneo, vt dictum est. Si enim argentum viuum coagulatur à Sulfure albo, nō vrent, erit argentum. Si coagulatur ex Sulfure puro, in quo est vis igneitatatis, similiter non vrentis, erit aurum. Si verò Sulfur fuerit malum & debile, & Mercurius bonæ substantiæ, conuertit ipsum in æs. Si verò argentū viuum fuerit porosum, terreum, & immundum, & Sulfur etiam immundum, foetidum & terreum, & fixæ substantiæ, fit ex ipso ferrum, quod postea non funditur. Stannū verò videtur argentum viuum bonum habere, Sulfur verò malum, non bene mistum, & quasi non bene congelatum. Plumbum verò habet argentum viuum malum & grossum, mali saporis & foetidum, ac debilis virtutis: Vnde affludū per ignis violentiam corrumpitur. Sic differunt corpora metallica ab argento viuo, secundum quod ipsis inest Sulfur extraneum, vel adurens, vel simplex. Et sic consideratur, quæ virtus sit in ipsis. Cum enim multa quantitas

Sulfuris sit infectio, & multa quantitas arg. viui in ipsis dignoscitur esse perfectio, cum sit incombustibile & aerium, quoniam Sulfur comburit & comburit, & perfectionem omni tempore impedit. Hæc de verbo ad verbum sunt Philosophorum dicta super Aristotelem in quarto Meteoron. Credendum est autem, quod ipsorum Philosophorum veritas in aliquo mendacio nunquam est reperta. Sic faciens ars sequitur viam naturæ, ex quibus elici veritas potest, nec est credendum fabulis fictis, nec operibus mendosis, ab opere naturæ omnino extraneis, vt dicitur: Qui credit in mendacium, & non secretis Philosophorum, perdit tempus cum opere, & labores.

De formatione Mineralium, quæ originem ex Mercurio non ducunt Cap. VIII.

SVnt autem media mineralia secundum quod dictum est, quæ originem ex Mercurio non ducunt, id est, ex Mercurio propinquo, & debilis substantiæ, & horum quædam sunt sales, quæ liquefiunt humido facilliter, vt alumē & chalcanthū, sal simplex, & sal ammoniacus, sal petreæ lapidis, & omnia genera salium. Et quædā sunt vinctuosa, nec liquefiūt solo humore facilliter, vt auripigmentum, arsenicum, sulfur, & alia sulfurea. Nam aqueitas sulfurorū est cōmixta cum terra viscosa, commistione forti, cum feruentia caloris, donec facta sunt vinctuosa, & postea coagulata sunt ex frigore. Atramenta verò composita sunt ex sale & sulfure & lapidibus. Creditur in eis esse vis mineralis aliquorum liquabilium, quæ ex eis fiunt, vt chalcanthū & calcatar, quæ generantur ex maioribus granis atramenti, & non solvuntur, nisi solvatur falsedo cum ipsis, quæ est in ipso sulfure, & postea congelatur in frigore, & istud iam accipit vim mineralem, ab aliquibus corporibus naturaliter in terra: quod accipit vim ferream erit rubeum, vel terreum, & calcatar. Quod autem vim aream accipit, hoc erit viride aeris, vel chalcanthum. Vnde est possibile ista duo, scilicet calcatar & chalcanthum ab ipso generari. Quauis autem omnia prædicta participant in vi minerali cum metallis, tamen corpora metallica artificialiter ex ipsis fieri non possunt, cum alterius sint naturæ, & cum eis ex vna materia propinqua originem non duxerint. Non tamen nego, quin cum ipsis possint metalla purgari aut dissolui, ac sophistica forma per ea introduci, vt in ipsis errent homines. Potest quoque plumbi nigredo siue immundicia abstergi, veruntamen plumbum semper manet plumbum, quauis videatur argentum, & introducant in eo nouas qualitates alias, vt appareat argentum. Sic artifices etiam possunt facere congelationes per ea, id est, ex Mercurio humidum extrahere cum rebus siccis, vt videatur Mercurius coagulatus, sed ista coagulatio est pessima. Philosophorum autem coagulatio, non humidum exiccat, sed Mercurium suæ radicalis humiditatis consumptione coagulat. Audi quid dicat Aristoteles. Sciant artifices Alchemie, species rerum transmutari non posse, sed similia illis facere possunt, & tingere rubeum citrino, & album tingere colore rubeo, donec fiat multum simile auro, vel argento, vt hi qui coniungunt stannum, cuprum, & Mercurium, & inde faciunt aurum sophisticum. Sic expolitio, per minora mineralia non est impossibilis, aut vapor caloris, ponderis, etiam diminutio contra hæc non stant, sed contra verum aurum & argentum, quæ nequaquam in natura & arte conceduntur fieri, nisi reductione corporum in primam materiam: sic species rerum transmutari possunt, vt postea Aristoteles subdit, & hoc non fit per solam liquefactionem, sed per congelati Mercurij resolutionem cum admistione sui spiritus, corpus in Mercurium transformatur.

De generatione Sulfuris vulgi, et simplicis, et Mercurij. Cap. IX.

Cum iam dictum sit, quod sulfur in metallis est impedimentum, nunc pono differentiam in Mercurij generatione & sulfuris, quauis ex vtraque parte causent metallum, scilicet Mercurius essentialiter, & sulfur ex parte accidentali, tamen illud sulfur adhuc est duplex, viuum & adurens. Viuum causat metalla, quauis vnum differt ab alio secundum quod plus existit viscositate terrae infectum, cum tamen sulfur simplex viuum, causans aurum & argentum non est nisi vapor calidus & siccus, generatus ex purissima siccitate terrestri, in quo omnibus modis predominatur ignis, & illud dicitur elementum cum Mercurio metallorum. Sed generatio sulfuris vulgi differt a generatione Mercurij, ut dictum est, quod aqueitas sulfuris vulgi est commista cum terrestritate viscosissima, cum feruente calore, & facta sunt vinctuosa. Sic generatio Mercurij differt in parte secunda a generatione sulfuris istius, cum sit generatus ex terra subtilissima, albilissima, sulfurea, cum limpidissima aqua, quam terra parit, admistione fortissima, ita quod vnum ab altero separari non possit, donec non quiescat in superficie plana, nec adhareat tangenti propter siccitatem terrae, quae alterat aqueitatem ratione fortis admistionis, & ideo est elementum cum sulfure simplici, omnium ductibilem. Vel proprie, simile est aliquibus ductilibus, & ideo propter concordiam aliquam ipsorum generationum, commiscetur sulfur Mercurio, & vnum alterat aliud in natura. Quare vnumquodque corpus metallicum, in se sulfur expresse habere dignoscitur & Mercurium. Cum liquefcit calore mediante, apparet Mercurij substantia & sulfuris, maxime in colore, & cute rubea superius natante. Sed proprium naturae vnius est adherentia alterius, cum vnum sine alio metallum generare non possit. Et in quantum sulfur sit magis simplex, in tantum magis gaudet & cohaeret Mercurio simplici ac mundo, ut fortius vnum cum alio coniungatur, & sic tunc perfectiora ex ipsis generantur metalla.

Quod impossibile sit media mineralia artificialiter fieri metalla. Cap. X.

Sed quia in praecedente capitulo determinatum est, minora mineralia artificialiter non posse fieri metalla: Ideo propter maiorem veritatem, restat hoc fortius probandum. Primo sic: Quia minora mineralia de prima metallorum materia, quae est Mercurius, non sunt generata. Cum autem generatio eorum cum generatione Mercurij in primo differat in forma & materia & compositione: Ideo etiam metalla fieri non possunt: Quia vnius speciei vna est materia prima, & sperma ex quo generatur. Sed prima pars antecedentis patet, quia minora mineralia non sunt generata ex Mercurio, ut patet per Aristotelem & Auicennam. Ideo si deberent fieri metalla, oporteret quod primo transiret in materiam primam metallorum. Sed quia artificialiter id fieri non potest: Ideo metalla minime erunt. Sic secunda pars antecedentis sufficienter patet, ut declaratum est in praecedenti capitulo. Secundo ad idem: Quia minora mineralia principium artis artificialiter fieri non possunt, quod est Mercurius, ideo etiam medium & finem non pertingunt, quae sunt metallum & tinctura. Consequentia tenet: Quia nutrimentum in homine per generationem non potest fieri homo, nisi prius conuertatur in sperma, & sic addito suo simili novus generatur homo. Sed quia minora mineralia a metallis extraneae sunt naturae, quauis in aliqua vi minerali participent, tamen debilioris sunt virtutis, & adustibilia: Ideo natura metallica de ipsis non gaudet, sed ea respuit. Conseruat autem ea quae suae naturae sunt. Verbi gratia, Si miscerentur aqua & terra tunc separantur ab invicem, quia terra petit fundamentum, cum sit grauis &

ficca, aqua verò superficiem. Et nequaquā artificialiter sic possunt coniungi, quæ sunt duæ naturæ stent in vna natura coniunctim, quanvis aqua possit abluere, & mundare terram. Sed quod siccitas terræ artificialiter mutetur in humidum aqueum, credi impossibile est, licet terra madefiat aqua. Sic minora mineralia possunt coniungi cum metallis, & ea purgare, & aliquomodo nouam formā introducere, sed cum ipsis permanere, & illud immaturum maturare natura nō concedit. Quare fatui sunt, qui tot & tam diuersa negotia, & sophisticationes ad decipiendum homines adducunt, scilicet res impropotionabiles, quæ nec naturam dant, nec eam recipiunt, scilicet secundinas, testas ouorum, crines, sanguinem rufi hominis, basiliscum, vermes, herbas, sterus humanum, & sic de infinitis generibus sterorum, volentes cum pessimis optima perficere, & naturæ defectum cum his adimplere. Sed quia in his naturalibus, nec aliquatenus talium vnquā veram materiā imaginando sunt perscrutati, volentes sterus seminare & metere triticū, quod satis videtur impossibile, vt dicitur, Quæ seminauerit homo, hæc & metet. Ergo si sterus seminat, sterus inueniet. Quare nō est mirum, quod nullus in tali stercore perficit, cū sint delusi, & omnes ipsis adherentes. Semina igitur aurum & arg. vt afferant fructū, cum labore tuo, mediante natura, quia ipsum habet, & est illud quod queris, & nulla alia res mūdi: cū alia omnia sint foetida, & naturæ cedant per ignis assiduitatē & examen. Sunt & aliqui Alchemistæ in minoribus mineralibus laborātes, scilicet in quatuor spiritibus, vt in sulfure vulgi & arsenico, auripigmēto, & sale ammoniaco volentes ex his tincturas perficere, sed illud minimē facere possunt, vt patet per diffinitionē naturæ. Quia tingere non est aliud, quā tingens tinctū in naturā suam transformare, & secū sine vlla separatione permanere, docēs naturā praeliari contra ignem persequentē, & ita, vt natura tingentis & tincti concordet, verbi gratia: si ex auro vel argento tinxeris plumbum vel stannū, vel aliquod tale, quod concordat in naturis, quia originē ex vtraque parte ex Mercurio duxerunt: & cū maturū immaturo coniungitur, cum maturo perficietur in talia via. Sed cū isti quatuor spiritus sint alterius naturæ cum metallis, vt sufficenter prius dictum est: Ideo si tingunt, tunc quæro, vtrum debeāt conuertere, vel conuerti. Si conuerti, tunc tinctura non est, vt prius patuit per eius diffinitionem: si autem conuertere, tunc tingendum conuertet in suam naturam, & hæc est terrena, naturæ metallicæ contraria, ideo tingendo, metallum facere non potest. Quod aut tingens tingendum conuertat in suam naturā, probatur, quia omne generans naturaliter generat sibi simile, sed quia natura quatuor spirituum generans, est terrea, igitur generabit sibi simile, quod etiam erit terrea materia sicut ipsum. Sic etiam omnē aliam tincturam fatuā, quæ non inuenitur in proprietate metallicæ naturæ, despicias cum vīs alijs naturæ extraneis, quia in ipsis non est aliud, nisi rerum consumptio, temporis perditio & laboris, cū omnia ista apparenter sint metalla, & non existenter, quæ per minora mineralia, vel consimilia sunt præparata. Et ergo stultū est, querere in re, quod antea nō fuit in illa, sicut verum aurum & argentū in rebus foetidis & adustibilibus.

De differentia sulfuris vulgi, & Philosophorum simplicis, non adurentis Cap. XI.

Nunc querendum est de differentia sulfuris simplicis Philosophorum nō adurentis, & sulfuris vulgi. Cū philosophus generaliter loquatur: sulfur coagulat Mercurium. Vtrum omne sulfur Mercurium coagulet: Dicendum est quod non. Quia omne sulfur vulgi, secundum Philosophum, metallis est contrarium. Item Auicenna: Non intrat in magisterium nostrum, quia nō est ortum ab eo, cū semper inficiat, denigret, & corrumpat, quocumque modo per

do per artificium præparetur. Est enim ipsum ignis infectus. Ergo si figitur, fusionem impedit, nec est impossibile corpori coniungi, cuius exemplum cernitur in ferro, quod sulfur fixum, grossum, immundum in se habere dignoscitur. Si verò calcinatur, in terream redit substantiam, vt puluis mortuus, & quomodo posset alijs metallis vitam inspirare? Habet enim duplicem superfluitatem inflammabilem substantiam, & terream fæculentiam. Igitur per hoc considera sulfur vulgi, & non Philosophorum, cum sit ignis simplex, viuus, viuificans alia corpora mortua, & ea maturans, & ita quòd naturæ defectum supplet, cum ipsum sit per se superflue maturitatis, secundum quod in sua natura est perfectum & per artificium magis ac magis depuratum. Vnde iterum Auicenna: Tale sulfur non reperitur super terram, nisi quantum existit in istis duobus corporibus Sole & Luna. In Sole autem perfectius, quia magis est digestum & decoctum. Philosophi autem subtiliter sunt imaginati, quomodo ex istis corporibus perfectioribus sulfura illa elici possent, & ipsorum qualitates melius purgari per artem, vt hoc fieret in arte, mediante natura, quod antea in ipsis non apparuit, quanuis plenarie occulte habuerint. Et hoc nequaquam fieri concedunt sine corporis solutione, & in primam materiam reductione, quod est argentum viuum, ex quo facta sunt ab initio, & hoc sine vlla admittance rerum extranearum cum extraneæ naturæ lapidem nostrum non emendent, quoniam nihil cõuenit rei, nisi quod propinquius est ei, cum sit medicina simplicis, ac mineralis naturæ, ex aqua Mercuriali producta, in qua aurum & argentum prius sunt soluta. Verbi gratia: Si in simplici aqua congelata glacies ex niue* creauit virtus, in ea soluitur per calorem, & redit in primam substantiam aqueam, & sic aqua tingitur ex virtute, quæ occulta fuit in glacie. Si autem glacies non resoluitur per calorem in aquam, non coniungitur aquæ, in qua iacet, nec illa aquam tingit sua virtute, quæ in ea ante coagulata fuit ex parte specierum. Sic eodem modo si corpus non resolveris in Mercurium per Mercurium, occultam virtutem ex eo habere non potes, puta, sulfur digestum, & decoctum per opus naturæ in minera. Sic lapis est vnus, vna medicina, quæ secundum Philosophos dicitur Rebis, id est ex bina re, scilicet ex corpore & spiritu albo vel rubeo, in quo multi fatui errauerunt, diuersimodè exponentes illud:

Est Rebis in dictis rectissima norma figuris;

Id est, duæ res, & hæ duæ res sunt vna res, id est aqua coniuncta corpori, qua corpus soluitur in spiritum, id est in aquam mineralem, ex qua factum est ab initio: & sic ex corpore & spiritu, fit vna aqua mineralis, quæ dicitur Elixir, id est, fermentum, quia tunc aqua & spiritus est vna res, ex qua fit tinctura & medicina omnium corporum purgandorum, quod multis fatuis videtur impossibile. Igitur ex vnare, quæ est aqua corporis, & spiritus, medicina perficitur. Vnde Versus:

Hæc fallit multos sua per problemata stultos.

Ars unam poscit rem, quam quiuis bene noscit.

Hanc optant plura rem, res sic est tamen una.

Illi non similis præest, precio quoq; uilis.

Nec contemnenda, nam perficit illa stupenda.

Hanc tu fixare debes, & in igne domare;

Sic quòd & ascendat, & rursus ad infima tendat.

Dissipa rem captam, per rem prius hanc satis aptam.

Leniter extractam, sic massam contere factam.

Hæc non festinet, sed temporis ordine fiat.

Item alij versus, quòd corpus grossum fiat spiritus subtilis, id est fixum volatile: & è conuerso, volatile fit fixum,

Aspera res lenis quoq; fit uasis in amoenis.

Que dum calcatur, tamen à doctis adamatur.

Alij versus, quod viceversa fit fixum.

Sed dum fixatur hæc res, et in igne domatur,

Hanc tegit umbra sua, rerum substantia quinta.

Id est fermentum secundum, qualiter incepisti, taliter finias cum fermento. Alij versus de Inceratione, cum funditur, tunc omnia cum eo funduntur.

Omnia coniungit, si funditur, omnia fundit.

Et sequuntur plures versus secundum Albertum, ad quos remitto studiosos. Et sic exposui tibi quid sit Rebis, & Eltxir, & Medicina, & unde dicantur, & quæ sit aqua Philosophorum, ex qua viua fiunt elementa postea, & è conuerso vnum fiant. Versus,

Quatuor ex uno fiunt, et quatuor unum.

Hæc sunt secreta, sic gaudebis sine meta.

Et si secundum Philosophos habemus naturam sulfuris & Mercurij super terram, ex quibus aurum & argentum factum est sub terra. Ex his dictis videtur, quomodo ars imitatur naturam, & per nullum alium modum.

Quomodo sulfur album et rubeum existat in Luna et Sole.

Cap. XII.

Cum sit dictum, quod sulfur Philosophorum rubeum existat in Sole, per maiorem digestionem & sulfur album in Luna per minorem digestionem. Vnde Philosophus: Citrinitas non est aliud quam completa digestio. Nam calor agens in humidum, primo generat nigredinem, & agens in siccum generat albedinem, quam albedinem ignis transcendit, agens in eo, purissimam citrinitatem causat. Et hæc omnia in plumbi calcinatione attendi possunt. Etiam dicit Philosophus, quod iam actu vnumquodque perfectorum corporum suum sulfur bonum cum Mercurio contineat, scilicet aurum aureum, & argentum argenteum. Ideo sulfur album per citrinitatem fit aureum, eo quod sulfur rubrum, id est ignis substantia est ibi, qui hoc album plus digessit, & sic sulfur album & rubeum ex vtraque parte existit in Sole. Quare ignis est summa eius perfectio, ut in igne generati. Et ideo amicabiliter congaudet natura sua igneæ naturæ. Vnde queritur: Vtrum aliqua res extraneæ hoc in corporibus possint causare? Cum ars non sit aliud, mediante natura, nisi coctio & digestio illius nature per simplicem laborem. Verbi gratia. De mane cum surrexi, & video urinam meam albam, iudico me nimis parum dormiuisse, repono igitur me ad dormiendum, & accepto somno, vrina fit citrina, & hoc nullo alio modo fit, nisi per digestionem caloris naturalis in me existentis. Sic sequere naturam per artem similiter decoquendo, digerendo & maturando & subtiliando, cum iam actu contineat natura in se ignem naturalem, quo maturatur, hunc alia res non habent, & eum dare non possunt. In Luna verò non est, nisi sulfur simplex album non tantum digestum sicut rubeum, cum non sit nigredine priuatum per actionem caloris, quem in se naturaliter continet, sed ignis species est oblecta, & oculta, agens tam in arte, quam in natura, & è conuerso. Et ideo non est impossibile, quod ars, mediante natura, hoc plus digerat & perficiat, cum naturaliter natura appetat perficere: sed per se non potest, nisi iuuetur arte & operatione: quauis isti labores, ut credo, non perueniant ad hominem duræ cervicis. Quia boni laboratores raro inveniuntur: Et ideo non fit verum argentum & aurum nisi fiat ita digestum & decoctum, vel ut medicina, cum qua tingitur, & in melius melioratur peius. Quia omnium Philosophorum intentio est, cum meliori peius perficere. Quod fatui contrarie intelligunt, quia cum peiori melius perfici-

perfecte nituntur, & hoc querunt in re, quod nunquam fuit in illa, scilicet aurum & argentum in stercorebus, & in rebus adustibilibus, & hoc faciunt sophistice, ut appareant hominibus vera, ut dictum est prius.

Quod in alijs corporibus aëris, non est utile hoc sulfur querere, cum in ipsis non sit. Cap. XIII

Quari verò non immerito potest, utrum in alijs aëris corporibus, hoc sulfur, scilicet album & rubrum, ad Mercurium tingendum elici possit. Dico quod non. Quia prius dictum est, quod in ipsis non est aliqua materia maioris temperantiae, & minoris facis, quam in istis duobus corporibus, quibus insunt radices tingentes, quibus uti possis ad tingendum, sed cum alijs non tingas, cum prius dictum sit, quod in se contineant sulfur foetidum & adustibile, & non virtualis naturae, sicut in istis, cum omnis ars non valeat nisi praehabita natura, quam sequatur. Posses tamen purgare metalla imperfecta cum minoribus mineralibus, & cum purgata essent, non haberent auream vel argenteam naturam in se, quia decoctio vel digestio, aurea non fuit in eis, sicut in istis duobus corporibus, nec sulfur ita maturum, & ideo ipsis immaturis succurrendum est cum maturo, ut maturentur. Igitur non tingunt, sed tinguntur, quia tinctura auri vel argenti, in ipsis habet proportionabilem naturam, quia cum eis originem ex Mercurio duxerunt. Ex his manifeste patet, quod minora mineralia tingere non possunt. Quia si corpora imperfecta metallica, quae conveniunt cum auro & argento ex parte Mercurij, tingere non possunt, nec naturam auream siue argenteam infundere, quomodo tandem illa facere possent, quae non conveniunt in aliqua natura cum eis? & ideo non est tingendum, nisi cum illis, quibus inest virtus tingendi. Tinge ergo cum auro & argento, quia aurum aureum, & argentum argenteum tribuit colore & naturam. Quare omnia alia despicias, cum in ipsis nullus fructus sit, sed solum rerum perditio, nec non temporis & laboris.

Quod aurum curet infirmitates, et alia corpora metallica. Cap. XIII

Cum autem inter vulgares & dictos Philosophos aurum famam teneat, quod in prima sua dispositione manens, lepram curet, & plures alias virtutes habeat, hoc non est nisi propter completam eius digestionem, quia excellentia ignis in eo agens omnes malos humores consumit in corporibus aëris existentes, tam in calidis quam in frigidis causis. Sed hoc argentum facere non potest, quia tantam superfluitatem ignis non habet, & tantum non est digestum, & coctum naturali maturitate. Tamen isto non obstante igne in se occulte & virtualiter habet, sed non ita plene, quia adhuc ignis non vincit alias qualitates elementares sicut in auro. Et ideo argentum in sua prima dispositione manens, non curat lepram ita potenter, nisi prius per artem digeratur, quo usque habeat summos gradus auri, & omnem maturitatem. Quare alia egra corpora metallica, minus curant infirmitates, secundum quod magis differunt in perfectione & maturitate ab eis. Aliud minus, aliud magis differt, & secundum hoc minus curant, quod est ex defectu sulfuris infecti, foetidi & vrentis, ex quo in genere coagulationis facta sunt ab initio, & ideo non curant, cum ignis in ipsis ita infectus sit, elementaribus facibus, & vrens, cum admixtione aliarum elementarium qualitarum.

Nunc ad propositionem primam virtutis auri curatis. Cum autem tanti vigoris sit promulgatus, & hoc in prima sua dispositione manens: Quid est mirum, si in medicina (sicut expertum est) per artis ministerium sequentis naturae, redigatur?

& eius virtus subtilietur per digestionem decoctionis, & qualitatum purgandarum, quod plures ac infinitas, seu omnes ægitudines tunc habeat curare. Quod patet per Arnoldum de Nouailla expertissimum medicum huius summi operis, qui Dominum Apostolicum, Dominum Innocentium à peste incurabili cum hac medicina tinctum, & opere naturæ per artis ministerium, non est aurum, aut argentum vulgi, quoniam additur eis additio magna, in prosperitatibus multarum utilitatum, ad omnem ægitudinem cuiuslibet generis expellendam. Et nominanter has assignauit virtutes. De senefacit iuuenem, & senem reuirescere facit naturam, conseruat sanitatem, roborat infirmitatē omnem corporis, expellit ægitudinem, venenū declinat à corde, arterias humectat, liuidam immunditiem à pulmone dissoluit, vulneratū consolidat, sanguinem mundificat, lapidem frangit, contēta in spiritualibus purgat, si caput reumaticum est, purgat à fluxu, stomachum in calore naturali confortat. Et si ægritudo fuerit vnus mensis, sanat eā in vno die vel hora: si verò ægritudo fuerit vnus anni, sanat eam in octo diebus: si verò morbus fuerit antiquus longo tempore, cum alijs medicinis incurabilis, sanat eam in dimidio mense. O felix scientia cum sciente. Quare non immeritò hæc medicina super omnes alias medicorum medicinas est querenda, quia qui habet eam, incomparabilem habet thesaurum, & in salubri constellatione natus est, in hoc seculo diues, diuitijs infinitis super reges & principes huius seculi. Quis non diligeret talia, quæ sanum & longæuum se vtentem, supra omnes medicorum medicinas conseruant: cum ipsum ditent, & alios non depauperent. Hæc sunt bona iusta coram Deo & hominibus, non per vsuram acquisita, seu fraude & deceptione mendacium, ac per mercimonia in deceptionem plurimorum, vt in omnium aliorum bonorum acquisitione, quia hæc ars est speciale donum Dei, vt dicitur: Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit. Sed è contrario, ait beatus Augustinus ad omnes alios Alchemistas, qui homines sophisticationibus deludunt: Vos deceptores estis, & sententia excommunicationis aggrauati, cum vestra opera, elementa falsa sint & mala. Et excludēs seu saluans artifices naturam imitantes, quanuis pauci huius artis veritatē summè cognoscere valeant, vt supra ad propositum dictum est de virtute huius medicinæ. Sic truffatores in stercore aurum & argentum quærentes in libris ipsorum proprijs, quos & ipsi propriè composuerunt, & ipsos tamen compoluisse Philosophos testantur, quod veritas non testatur, quoniam veritatem posuerunt: Quum veritas Philosophorum (vt dictum est ab aliquo) in forma mendacij non cernitur vnquam fuisse reperta, sed semper naturæ motum & modum imitantur. Sic enim in libris vestris scribitis in arte Alchemiæ. Caueas tibi ab odore eius, ne te interficiat. Ecce qualis medicina, quæ quum viuificare deberet, mortem inducit. Quare hoc non est mirum, quod sit res toxicatiua, cum antea ex stercoreibus & venenosis receptis sit composita. Videte fatui, quomodo vestra opera differant ab operibus naturæ. Quare tantum fatigamini in huiusmodi rebus altis, ad quæ peruenire non poteritis taliter laborando: nisi miraculosè fieret contra naturam, vt accidit beato Ioanni, qui de virgis fecit aurum & argentum, confusus in potentia Dei, & de arena maris lapides preciosos. Dico enim vobis, qualis est medicina, tale fit & aurum & argentum. Cum merdam seminaueritis, merdam metere visi estis, & apparentias sophisticationum. Reuertamini fratres ad viam veritatis, qui eam ignoratis, quoniam propter vosmetipsos consulo studere & laborare, sapientum dicta reuoluendo, ex quibus veritas elici potest, & non casualiter, aut temere opera accedite, per hoc quod scribitur, Recipe hoc vel illud, id est merdam, & fac stercus. Scitote

Scitote quòd hæc ars à Philosophis occultè tradita est, propter eius nobilitatem, & non æstimate eam in foro esse venalem, aut vendendam & emendam, sicut libri vestri multarum falsitatum continēt. Vnus emit, alter vendit, discas mihi merdam, & ego te docebo stercus. Sic permerdatus alium permerdat, & omnis mundus existit quasi permerdatus. Volentes ergo alios ditare, vos ipsi infinitis paupertatibus estis subiecti. Fratres reuertamini, cum Sapiētia cognoscat vos errare cum libris vestris. Philosophorum verò libros perlegite, & perlectos repetite. Si autem repetitos non intellexeritis, non Doctores, seu Philosophos reprehendatis, sed vestræ ignorantiae calumniam reddatis.

*Quòd duo particularia tantum sint vera in hac arte, quorum primum
est in Mercurio. Cap. XV.*

Primum vniversaliter omnibus intuentibus, ad quas præsentes peruenerint declaro, quòd in totius huius artis serie, non sunt nisi duo particularia quæ particulariter perficiuntur secundum Philosophos & naturā. Quauis deceptores infinitas sophisticationes, dealbationes, & rubificationes faciant, quibus fideles deluduntur. Primum particulare, tam in albo, quā in tuteo, existit in Mercurio, sine administratione medicinae perfectæ, licet corpus, cū quo perficitur, in se ipsius tincturam contineat particulariter, si moueatur arte & operatione, veluti natura requirit. Primum quod in natura particulariter ex vtraque specie perficitur est, cum Mercurius sit prima materia omnium metallorum, compositus ex terra alba nimum sulfurea & aqua clara, & ideo albedo terræ transpareat limpiditatem aquæ, & sit color in eo albissimus, vt docet experientia, & hic sit immaturus, possibile est ex eo fieri Solem & Lunam. Vnde Philosophus: Admisceatur alijs corporibus metallicis, quia sunt de materia eius, & ipsa generata sunt ab eo, & ideo per artificium illud sibi potest mittere digestam naturam in eum, vt cum eis perficiatur: Et sic quibus completitur metallis fit similis ipsis, sine aliqua admistione extranea, cum simpliciter natura congaudeat suæ naturæ, & nō per aliud medium extraneum, scilicet cum Sole Sol, cum Luna, Luna, cum Venere Venus, & sic de alijs, quia vnumquodque mittit in illum vim suam, etiam, quia continet in se sulfur suum bonum immaturum, quod per artē maturatur. Quare alia metalla sic coagulata & infecta per sulfur: particulariter, sicut ipsum Sol & Luna fieri non possunt. Prima ratio est Si enim corpora imperfecta metallica transformarentur & admiscerentur cum Sole & Luna, tunc ipsorum mercurius haberet illud in se præhabitu sulfur malum, & si purgarentur, adhuc in tantum purgari non possent, quòd reducerentur in mercurium, sicut ante talem superfluitatem, nec etiam posset corpus perfectum in eo dissolui. Et cum in eo dissolui non posset, naturis ex vtraque parte seratis, vnumquodque in examinatione ab altero separaretur, ex quo non haberet in se naturam perfectam occultè, cum qua solutiones propriæ ipsorum perficere possent, mediante arte, vt alia corpora perfecta subuenirent cum natura sua, quæ naturaliter est perfecta. Secunda ratio: Si insoluta adiungeretur perfectis corporibus, minus aurum & argentum fieri possent, cū naturaliter per congelationem ex vtraque parte, naturæ eorum seratæ sint: & cum non sit medium aperiens illas naturas, nec vna vis in aliam coniungi possit naturali coniunctione, nec mitti, ita vt redeant in mercurium, ex quo ex vtraque parte originem duxerunt: Ideo per asperitatem ignis abinuicem separantur, scilicet per combustionem naturæ imperfectæ, & per resistentiam naturæ perfectæ, vt bene cernitur. Sed cū cōiungere volueris, facias medium per mer-

t

curium, qui dissoluit & aperit naturas, ut simpliciter vnum possit transire in aliud, & perfectam vim mittere in imperfectum, ut secum perficiatur. Et hi sunt labores viæ particularis, quibus aurum & argentum fieri potest, sed vniuersaliter non. Nota. Mercurius crudus dissoluit corpora, & reducit ea in primam materiam, sed Mercurius corporum hoc facere non potest. Est enim propter cruditatem sui sulfuris, quod in prima habuit alba terra, ex qua cum aqua clara factus est ab initio, quia illud crudum semper appetit corrodere, quod suæ naturæ vicinior est: primò aurum, secundò argentum, & sic de cæteris. Quare alter Mercurius corporum sic facere non potest, quia per congelationem illud crudum sulfur, quod antea fuit in illo, est alteratum in natura, & ideo non corrodit sicut primum, nec seratum aperit, & ideo vna vis non mittitur in aliã, sed vnumquodque manet per se, quanuis confluxualiter sint coniuncta, secundò naturaliter ex vtraque parte sunt serata. Quare in examinatione, & per asperitatem ignis imperfectum comburitur, cum vna natura alteri succurrere non possit. Sed cum arg. viu. crudum hoc facere possit, scilicet naturas seratas aperire, ut vnaquæque res suæ naturæ vicinior sit ad iuuamen: Ideo si dissoluerit argentum, inueniet argenteam naturam, & si aurum, inueniet auream naturam, si plumbum plumbeam, & sic de alijs, per ipsorum sulfur congelatur, ut dicit Philosophus, & simile fit illis. Si verò ista corpora quæ suam naturam participant, scilicet imperfecta non possunt ipsum perficere, minimè ista, quæ suæ naturæ non sunt, nec in minerali cum eo participant, sicut tu quæris in multis stercoreibus. Et ideo est particulariter possibile ex eo fieri argentum & aurum, & in alijs corporibus non, ut audiuiisti. Nota. Duplex est solutio corporum in Mercurium. Per Mercurium scilicet in Mercurium, & in aquam mercurialem. Prima solutio requiritur ad particularia, secunda ad vniuersalia. Prima solutio corporum in Mercurium, non est aliud, nisi congelati resolutio, id est, quod per solam solutionem seratum aperitur, propter ingressum vnius naturæ in aliã, & ista resolutio est in particularibus. Secunda solutio est in aquam mercurialem, & hæc est in vniuersalibus, & ista non fit per solam solutionem sulfuris immaturi in Mercurium, sed per putrefactionem corporis & spiritus in calido & humido. Cum putrefactio omnium rerum naturam adinuicem ligatarum, sit solutio & separatio, & sic separentur partes adinuicem ligatæ, ut vnaquæque pars separetur ab alia. Et hoc fit per solutionem elementorum, quæ in generatione Mercurij sunt connexa, scilicet aquæ & terræ. Et eadem partes cum purgatæ fuerint in natura per conuersionem coniunguntur, & plus se diligunt, propter ipsorum mundificationem quam antea: quanuis ista separatio fieri non possit in corporibus, nisi per spiritum. Et sic ars transcendit naturam in vna via, quod artificialia subitò fiunt, cum tamen naturalia antea prolixè facta fuerint. Non credas, quod sint elementa vulgaria, sicut aqua nubis, & consimilia, sed humidum aqua, frigidum terra, calidum aer, siccum ignis. Et sic sunt in naturis rerum elementarum cum nequaquam ars possit partes ita naturaliter separare, quod simpliciter in elementa secundum quod fuerint, transmutentur, cum primò natura mutauit vnã qualitatem in aliã. Taliter ars bene separare potest, ut humidum à sicco, frigidum à calido separetur. Sed tamen vna qualitas adhuc de naturalis commistione possidet naturam alterius in aliqua parte, per hoc possunt per artem viceuersa coniungi, sicut diuisa sunt. Si enim vna qualitas non participaret naturam alterius, scilicet aqua naturam terræ in frigiditate, & aer aquæ in humiditate, & sic de cæteris: Tunc sequeretur, quod naturale opus esset totaliter destructum, cum simplicia essent elementa, sicut antea fuerunt ante Mercurij generationem: et ars destruxisset naturam, à capite incipiens, scilicet ab auro & argen-

argento, vsq; ad primum, id est arg. viuū, & vltra ista principia ad simplicia elementa, secundum quod antea fuerunt ante Mercurij generationem, quod tamen ita remotē in arte est impossibile. Et si esset possibile, tunc sequeretur, quod de nouo extra primam materiam, Mercurij scilicet metallorum, ars componeret elementa, & viceuersa generaret Mercurium, sicut destruxisset, quod est impossibile artificialiter fieri. Sed bene ars destruit à capite vsq; ad pedes, id est Mercurium à pedibus ædificans vsque ad caput, in subtiliori forma naturalis substantiæ, quàm antea fuit. Sic diuiduntur species rerum, cum in aliam formam transmutantur, quàm antea fuerunt, quod dicit Aristoteles. Sciant artifices Alchemiæ, species rerum transmutari non posse, quod verum est, vt ipse confirmat, nisi in primam materiam conuertantur, id est in argentum viuū, & vltra hoc non consulo, cum fieri sit impossibile.

De secundo Particulari, quod est in Luna.

Cap. XVI.

Q Vum superius dictum sit, quod Luna contineat in se sulfur album, sicut aurum, cum ignis species sub albedine in eo obiecta sit: ideo omne argentum est possibile fieri aurum, vt dicit Philosophus. Non est aurum, quod non prius fuerit argentum. Sic argētum continet in se aliquas qualitates indigestas, quæ possunt ab eo purgari, ita quod per artem particulariter transeat in Mercuriū fixum, id est in vicinissimam naturam auri, quia tunc omne illud continet in se, quod & aurum, per appositionem sulfuris rubei Philosophorū, per hoc plus digeritur, & citrinatio in eo causatur in adfunctione corporis perfecti, cum fuerint simpliciter vnus naturæ. Hoc autem in alijs corporibus fieri est impossibile, cum tantam vicinitatem naturæ perfectæ non habeant, sicut ipsum: *Quia est impedimentum in generatione ipsorum per sulfur adustibile, & foetidum, nec ipsa sunt medium, de quo loquitur Philosophus: Non fit transitus ab extremo in extremum, nisi per medium, id est ex Mercurio non generatur aurum, nisi prius fuerit argentum, nec in se habent sulfur ignis simpliciter non vrentis, sed sulfur adurens, & ideo in Mercurium fixum particulariter transformari non possunt, cum semper prædictum sulfur ea comburat per ignis examinationem. Et sic habes rationes, quomodo particulariter aurum & argentum fieri possunt.*

De Sophisticis particularibus.

Cap. XVII.

A Ristoteles dicit: Sciant artifices Alchemiæ, species rerum transmutari non posse, sed similia illis facere possunt, & tingere rubeum citrino, vt videatur aurum, & album tingere, donec sit multum simile auro, vel argento. Possunt quoque plumbi immunditias abstergere, vel alterius corporis, vt videatur aurum & argentum, verum tamen plumbum semper manet plumbū, cum in se non habeat aurum & argentum, sicut prius dictum est, vt hi, qui accipiunt salem ammoniacum, vel alia minora mineralia, vt in ipsis errēt homines, sed aurum & argentum sophisticum faciunt. Coniungunt enim stannum & cuprum cum Mercurio, vt appareat hominibus argentum, & aliquo modo fabricabile, & in igne examinabile, secundum eos, qui in igne experti sunt, qui tamen in hoc deluduntur, & in examinatione naturæ. Adustibile & foetidum, secundum quod est, veram naturam argenteam non habet in se, sicut apparet in colore & in examinatione aliquo modo. Prima ratio est: cuprū continet in se Mercurium mundum aliquo modo, nisi in quantum in sulfure existit defectus, quia sulfur foetidum & adustibile habet, quod in quantum adustibile, comburit, & ru-

bedinem non ratione digestionis habet, sed ratione sulfuris rubei, & immundi, tamen Mercurius habet substantiam præ sulfure, & ideo tardius in igne deficit, quàm plumbum vel stannum, quoniam Mercurius resistit, nisi in quantum violentiam patitur à sulfure sibi commisto. Et quòd per plumbum citius comburitur, hoc est ratione Mercurij plumbi imperfecti, quia infectus Mercurius cum infecto sulfure, sicut plumbum est, quærit aliquid vicinum suæ imperfecti, & quum argentum & cuprum commista sunt, in argento non inuenit aliquam rem infectam, sicut in cupro, ubi inuenit primò sulfur adurens, cui citius commiscetur. Et in commistione vniuersali Mercurius cupri magis inficitur, quum plumbum sit ex vtraque parte, scilicet Mercurij & sulfuris infectum, & plus malum, citius adhæreat malo, quàm bono. Et in quantum maius malum malo cohæret, intantum debilius, & peius erit. Et ideo citius coadhæret cupro, quàm argento, inficiens, & comburens illud, cum natura cupri & argenti, vt audiuisti, ex vtraque parte sint serata, peiori subuenire non possunt, Et ideo comburitur cuprum ab argento, quæ fluctualiter coniuncta fuerunt. Naturaliter autem ex vtraque parte naturæ eorum sunt serata. Et sic bene plumbum comburit cuprum ab argento, quod tardius separatur sine plumbo, quoniam in quantum magis comburitur, in tantum debilius erit, & combustibile. Sed in coniunctione stanni cum cupro & Mercurio, Mercurius aperit aliquo modo naturas seratas, & coniungit hæc duo, scilicet stannum & cuprum. Nam quum ex vtraque parte aliquo modo mundum habèant Mercurium, & sulfur malum debilitèr commistum, coniungitur Mercurius Mercurio: sed quia habet potentiam sulfuris, variando colorem cupri, qui existit in sulfure, ita quòd noua forma appareat, & iam ita citò sulfur comburi non possit, sicut ante ipsum Mercurium, & Mercurius crudus coagulatur per ea, & alteratur cum ipsis in natura, sic vt aliquo modo appareat argentum, quanuis verum argentum non est, quum in eo non fuerit debita digestio & decoctio, & sulfur non sit ita simplicis, & virtualis naturæ, sicut ipsum argentum viuum, quum aurum & argentum ex vtraque parte sui Mercurij & sulfuris sufficienter sint digesta, & bonæ maturitatis, & in omni digestionè perfecta. Sic habes argentum sophisticum ex stanno, cupro, & Mercurio, & si tunc admiscerent aliquos pulueres minorum mineralium, tunc magis debilitarent sulfur, & sic non esset impossibile, quòd Mercurius ageret super potentiam naturalem, sed semper in fine diminuitur, & comburitur in igne, quum sulfur non sit virtualis naturæ, sicut ipse Mercurius, sed semper occultè comburens, & inficiens Mercurium, quanuis Mercurius sit suppeditatus, & sic postmodum in stercus redeat, secundum quòd stercus fuit. Sic intellige, quomodo verum aurum, & argentum differant ab auro, & argento sophistico, quanuis plures sophisticationes fiant eodem modo per alia metalla in rubeo, vel in albo, adiunctis medijs mineralibus, vel aliquot ipsorum. Sunt verò ipsi laborantes delusi, æstimantes bonum secundum apparentiam: hoc facit ipsorum ignorantia, quòd non cognoscunt naturas

metallorum.

De via

DEternitate prologo huius artis, & particularibus eius: nunc dicemus de via vniuersali, in qua ars imitatur naturam. Est autem via vniuersalis, vt audiuiſti ſuperius, poſſibilis in naturis metallorū plantare ramos, in quibus creſcunt flores miri odoris & roſulæ tam albæ, quàm rubæ. Primum autē incipere, eſt ſoluere lapidem in ſuam primam materiam, & eſt coniunctio corporis & ſpiritus, vt ex eis fiat vna aqua mercurialis. Vnde Auicenna: Primum incipere, eſt ſoluere lapidem in ſuum Mercuriū. Vnde Rasis philoſophus: Niſi corpora ſoluas, in vanum laboras, ſcilicet argentum & Mercurium, ad Elixir album: & aurum & mercurium ad Elixir rubeum. Et hoc in balneo rorido, ratione putrefactionis, vt corpora viſcoſitate aquæ mercurialis ſoluantur. Vnde Parmenides: Cum coniuncta eſt in vnum permanens aqua, cum qua fuit ab initio, poſtea ſequitur elementorum diuiſio, & ipſorum purgatio. Vnde Alb. Magnus: Quatuor ex vno fiunt, & quatuor vnū: id eſt ex aqua mercuriali. Tertium eſt terræ mūdicatio, de quo dicit Morienus philoſophus, Hæc aqua cū terra ſua putreſcit, per hoc magiſterium totum dirigitur. Vnde Rasis philoſophus: lunge ſiccum humido: humidū eſt aqua, ſiccum verò terra. Poſtea ſequitur terræ ſublimatio, de qua dicit Parmenides philoſophus: Ipſum dealbatum citò igne ſublimare, vt exeat ex eo ſpiritus, quem in ipſo inueneris, & terra maneat calcinata, de qua terra dicit philoſophus Parmenides & Morien. Sic cinerem qui eſt in fundo, ne vilipendas, quia eſt diadema corporis tui, & permañentium cinis. Sic ſunt quatuor elemēta ſic præparata, vt ſuperius intellexiſti. Nec coniunxeris ea ante ipſorum mundificationē, cum propter eorum immunditiam ſeparentur, quod dicit Aſcanius: Spiritus non coniunguntur corpori, donec à ſuis immunditijs perfectè fuerint denudati. Et fermentum album & rubeum coniunguntur ſecundū quòd elementa ſunt alba vel rubea. Si alba, tūc requiritur ignis: ſi rubea, tunc elementa per ignem rubificantur, vt ipſa digerat maturet, conſolidet, & abſorbeat ſordes aquarū in coniunctione. Habeat proportionabiles virtutes quatuor elementorum, terræ in frigiditate & ſiccitate, aquæ in frigiditate & humiditate, aeris in humiditate et caliditate, ignis in caliditate & ſiccitate. Ignis & terra extrema ſunt elementa. Aqua & aer ſunt media elementa, quæ coniunge per debita & vera pondera, vt plus diligant ſe quàm antea: primò terram cum aqua, ſecundò aerem cum igne. Et ſic conuerte naturas, & quod quæris, inuenies. Tunc terra habilis eſt ad ſoluendum, aqua efficax ad mundandum, oleum vel aer, in quo portatur ſpiritus, ad miſcendum: ignis ad tingendum. Sic corpus retinet ſpiritum, ſicut ſpiritus retinet animam, cum adiunctione fermenti.

P I N I S.

3

**SEQVITVR LIBELLVS ALIVS ΠΕΡΙ
 ΧΡΥΣΟΥ VTISSIMVS, ET RERVM METALLICA-
 RVM COGNITIONE REFERTISSIMVS, ROSARIVS MI-
 NOR INSCRIPTVS, incerti quidem, sed harum tamen rerum
 non imperiti authoris.**

PRAEFATIO.

Aenigma de arte Alchemiae, et de modo tractandi authoris. Cap. 1.



INQVIT author libri, qui Rosarius dicitur. Descendi in hor-
 tum meum, vt viderem plantas diuerforum nascentium, & in
 ter flores caeteros Rosarii mei, inueni rosam niueam seu albā,
 *itemq; sanguineam seu rubedine decoratam, elegi pulcherri-
 mam, & inspexi, quod pauca & rara, quia non germinauerāt
 mala punica. Dixiq; voce non tacita: Reuere, reuere
 Hortulane, reuere & augmenta Rosarium meum, per totum horum multi-
 plica, seu de nouo construe & planta, vt decoretur hortus albis & rubeis rosis
 splendentibus, superfluisq; abstractis & reiectis, vtilibus & necessarijs diligen-
 ter intende. Ipse autē Hortulanus rosarum plātas separauit, & replantauit, au-
 gmentauitq; duplicādo, triplicādo, quadruplicādo, & sic vicissim multipli-
 cādo, vsq; ad albedinem plenam, & deinde ad rubedinem perfectā. Sed hoc
 totum per augmentationem plantarum, quod mihi placuit. Innuebat autē ad-
 huc non satisfecisse. Quicquid tamen circa hoc erat scibile, mihi plenarie de-
 monstrauit: Posuitq; idem tempore debito rosas albas & rubeas in terra sua,
 dimisitq; eas increfcere in terram suam, dico propriam, vnde egrediebantur.
 Et in primo anno subsequenti, egressa est planta, quae annuatim mille milia ro-
 sarum produxit. Et ecce hortus meus iā rosarijs impletus est, educētib; suf-
 ficienter pro me rosis, & pro omnibus inrantibus annuatim. Deo itaq; reddo
 laudes & gratias Hortulano gratas. Et in hoc codice, caeteris meliori, qui non
 sine causa Rosarius intitatur, cuncta quae vidi, & vera probavi, intelligenti-
 bus, sapientibus, & artifice idoneo perfectē scribā, vt quicunq; per portas, Hor-
 tulano mediante, ad hunc Rosarium ingressus fuerit, non solum de rosis parte
 habebit, sed videbit etiam artes cunctorum operantium in Rosarium album,
 vel rubeum, & per consequens acquirēt discretionem discernendi circa hō
 intentionem scripturarum omnium, vbiq; magisterium obscurum videbit
 tur & manifestum. Nam in hoc est veritas omnino nuda, & etiam vestita. Nu-
 da scientibus & discretis in propinquiōrib; naturis minerarum: Vestita autē
 stultis, in remotioribus, imō impossibilibus naturis vegetabilium, & animalium
 secundum solum textum magistrorum, artem inuidē obscurantium laboranti-
 bus. Perfectam enim vobis scribo veritatem, & operationes certas, & veras &
 integras, sine deuiatione aliqua.

*Admonitio, Cauenda duo genera seductorum, et quod ars consistat in
 Mercurio fixo: Cap. II.*

SEd verē verē, multi venient pseudophilosophi post me, qui seducunt opē-
 rantes, quorum in genere, tantummodō duos inuenio, scientiam istā coo-
 perientes. Primus est ignorans artem, & sophisticus: Secundus verō sciēs
 & philosophus inuidus. Primus componit libros deceptorios, deceptiones
 suas & sophistica testificantes, & scribit super capita ipsorum titulos Philoso-
 phorum bonorum, vt videantur habere bonam artem, & Elixir perfectum. Et
 vt ma-

vt magis credantur ab hominibus, ferunt pulueres lapidum, albi vel rubei, & tractant aurum & argentum, sed sequentes deficiunt in operationibus, dum probant scripta illorum. Secundus est totus inuidus, & composuit libros de illis, quæ magis remota sunt à veritate, ad prolongandum homines à via vera, in quantum potest, studetque probare dicta sua per solas rationes, quæ videntur insipientibus esse certissimæ: ille ponit artem in herbis, & plantarum fructibus. & in multis vegetabilibus, extraneis & remotis. Vel vt videatur nobis relinquere veram artem, magis Philosophicè loquitur, accipiens fundamentum super quatuor elementa, quæ sunt materiæ Philosophicæ, eaque à multis extrahit, velut à vegetabilibus, & animalibus, & à multis alijs extraneis, videlicet ab o-uo, à capillis, à sanguine, à stercore, ab vrina, à spermate, à bufonibus, & ab alijs multis, quemadmodum scripta illorum demonstrant, & declarant. Vel ponit vnum pro alio, vel similitudinariè, vel ad planum, & ponit totam artem vel in principijs prædictis, vel in medijs mineralibus remotis, vt est atramentum, sal borax, alumen, Marchasita, Magnesia, Tutia, & alia mineralia multa. Et quanuis prædicta iuuant ad festinationem quandoque, & ad mudificationem seu ad coloris augmentationem, tamen inuident, qui ea ponunt pro materia Philosophica completa. Et sic detegunt artem, vel etiam operiunt, & seducunt insipientes, vt vilipendant artem: aut quauis accipiant veram materiam, & naturam mineralem, tamen per diuersas eorum operationes fictas & impossibiles, seu ineptas, prohibent insipientem peruenire ad complementum. Et o- uelli Alchemiæ artem comparantes per totum vt supra, creditis expectandum bonum, & transmutationem bonam, & veram, ab eo quod citò ab ignis combustionem destruitur, & in cineres redigitur? An non dicitur, quod sulfur & auripigmentum citò comburuntur? & ab ignis combustionem citò consumuntur? Sed azot semper diutius manet incombustum. Perfectum in metallis, est argentum viuum fixum, vt supra.

De eodem quod Mercurius fixus perficiat, & diuisio operationum, & libelli in duas partes. Cap. III.

IAm probaui apertè, & secundum rectam veritatem, quod defectus in metallis, est defectus argenti viui, fixi, & puri, & quicquid eligitur in hac arte ad perficiendum, est causa illius, & ergo in ipso est perfectio, & non in aliquo alio. Scias hoc, ne trade obliuioni, vbicunque inueneris ipsum, tene pro lapide maiori, cui nulla res similis existit, nec potest facere quod facit. Si est correctum, corrigit, si fixum, figit: si liquidum, soluit: si spissum, coagulat: si tinctum, tingit. ipsum enim præcellit cuncta corpora in puritate. Et qui posset poenam sustinere ignis, faceret ex eo cum sulfure suo congelato, Elixir excellentissimum. Accipitur viuum & mortuum, sed purum est semper eligendum, quod viuum est. Multæ operationes ex eo fiunt, quæ diuiduntur per duo. Prima fit cum adiutamine: Secunda ex se solo, sed natura procedit cum suo sulfure. In duobus verò capitulis binas operationes perfectè complebo. Et scribam quæquid probaui, vel feci, vel vidi. Ex dictis Philosophorum nihil teneo ad præsens, nisi quod affirmant dicta mea, quia veritatem dicam, & liber factus sum ab inuidia. Intelligat ergo qui vult dicta mea.

PRIMUM CAPVT.

Promissio et diuifio dicendorum de operationibus Alchemie. Cap. I.

IN primo capitulo dicam cunctas operationes, quæ egrediuntur de materia cum auxilio diuino &cet. Nullum sophisticum hunc librum intrabit, ponam semper regimen, ad perfectionem perducens. Multa siquidem sunt coadiuantia. Dico breuiter, quod adiuuamen calcinationis est hoc. (& primò dicam de corporibus).

De Calcinatione Saturni, et Iouis. Cap. II.

Saturnus & Iupiter calcinantur cum adiutorio ignis primò, & cum industria artificis, & hoc igne non superante suam fixationem, in vase terreo, fortè, mouendo cum baculo ferreo, donec sint incinerata. Cineres imbibuntur, cum aquis acutis mundantibus. Ad rubeum valet vrina humana purificata aqua sanguinis, vel acetum rubeum. Ad album valet acetum album, aqua salis communis, & aluminis: & alia acerba multa post imbibitionem desiccantur ad ignem vel Solem, donec peruenerint ad calcem albam vel rubeam. Item calcinantur cum adiutorio salium, & illa calcinatio bona est, & per adiutorium vitrioli & aliorum acutorum. Calcinantur etià cū adiutorio sulfuris, seu auripigmenti, & illa est melior. Sed optimè calcinantur cum Mercurio sic: Primò amalgamentur, & terantur, & abluantur cum acutis, vsque ad emendationem perfectam, deinde misceantur cum salibus acutis terendo, & cum aluminibus & alijs acerbis, & exiccantur & erodantur, deinde deponatur faldedo, cum ablutione. Sit tamen Mercurius, priusquam desiccatur, cum sale per sublimationem extractus, & sic remanet calx alba, qua melior esse non potest. Et regulam tibi do generalem, quod qualitercunque calcinetur Iupiter cum igne, facit calcem albam, Saturnus semper rubeam, nisi cum acutis fuerit dealbata.

De Calcinatione Veneris et Martis. Cap. III.

Venus & Mars cum adiutorio ignis calcinantur, primò in furno reuerberationis, si ponatur intus limatura illorum: per flammæ reuerberationem calcinatur, & fit de Marte crocus ferri, quod dicitur ferri cementum. De Venere, æs vltum simplex, vel χαλκός κικαννίμος. Calcinantur etiam per ignitionem & extinctionem in acutis, donec totaliter conuertantur in squamas, quæ admodum Iupiter & Saturnus calcinantur per abstractionem suæ scoriz, deinde imbibitur calx cum acutis & falsis, donec fuerit rubeum & mundum. Potest etiam Veneris calx dealbari & Martis. Calcinatur etiam cum sulfure & auripigmento, mistis cum laminis, vel cum limatura illorum, quin etiam cum salibus, aluminibus, & alijs corrosiuis. Et præparatur calx cum ablutione, & desiccatione, donec fuerit ad libitum. Calcinantur etiam multum bene per ignitionem & extinctionem in Mercurio, & quicquid in qualibet extinctione abradi potest, abraditur cum cultello, & iteratur opus, donec sit ad libitum. Et præparatur cum ablutione & desiccatione cum salibus, & abstrahendo Mercuriū, & fiet calx optima. Et scias, quod calx corporis nō figitur, nisi calcinetur cū igne. Et hoc dico, quia omnia corpora possunt calcinari super vapores acutorum, vel cum acutis, sed melior calcinatio corporū fit cum Mercurio.

De Calcinatione Solis et Lune. Cap. IIII.

SOL & Luna calcinantur ad modum Veneris & Martis, sed quod melius est, & optimum, per amalgamationem cum Mercurio, & ablutionem, & desiccationem, vel per abstractionem Mercurij per sublimationem, sicut est narratum. Spiritus verò non possunt calcinari, nisi prius sint fixi.

De

De Calcinatione aliarum rerum & misturarum. Cap. V.

Calcinantur & aliae res multae ad extrahendam tincturam ex illis, & ut subtilentur illarum partes & mudentur. Et scias quod quodlibet corpus per se calcinatur, & si aliqua coniungantur, & calcinentur simul, fit calx mirabilis in effectu. Ne obliuiscaris hoc, tenta, & optimum retine. Hoc de his sufficit.

De Sublimatione spirituum. Cap. VI.

Sublimantur & spiritus & media mineralia, cum adiuvamine. Spiritus sublimantur vel a salibus, vel ab atramentis, vel ab aluminibus, vel a corporibus, vel ab istis mistis. Et nota, quod sublimatio fit causa purificationis tincturae. Si sublimantur spiritus cum immundis, immundantur: si cum adherentibus, remanet magis fixi cum tinctura inferiori, quod quaerimus. Unde de necessitate oportet ut mudentur prius per acuta, & per lauacrum, aut per unicam separationem impuri a puro. Cogitate diligenter super hoc. Nam illud medium est secretum. Spiritus mundificatos cum calcibus puris corporum sublimare, donec figantur, & videbitis me verum dixisse.

De Sublimatione corporum imperfectorum. Cap. VII.

Sublimantur corpora cum adiutorio ignis, & hoc expressione ignis. Et hoc fit ad habendam materiam mundam temperatam. Nam quod nimis est volatile, & terrestreitas immunda, diuiduntur per sublimationem, & remanet substantia temperata, ut dixi, quam quaerimus. Sublimantur etiam cum rebus eleuantibus, cum sulfure, auripigmento, Mercurio, & alijs spiritibus. Et illud dico cum corporibus non fixis, ut sunt Iupiter & Saturnus, qui sine face, vel re aliqua possunt sublimari, & cum quolibet praedictorum: & Venus & Mars quae sublimantur cum praedictis.

De Sublimatione corporum perfectorum. Cap. VIII.

Sed notandum praecipue, quod corpora fixa possunt etiam sublimari, scilicet Sol & Luna. Sed causae elevationis est, ut haec purificemus, vel sulfure vel auripigmento, vel argento viuo, quod ea facit ascendere citius per reiterationem, & velocius figantur. Et hoc est secretum intimum, quod dico pro certo, & omnes fere celant. Dico tamen: Corpora debent fieri incorporea in ascendendo, & incorporea corporea in descendendo. Maxima industria est, de corpore facere spiritum, & econuerso. Sed verum est, quod si summa volatilis superat summam fixi, finaliter reuertetur in corpus spirituale, vel album vel rubeum. Verum non sum inuidus, nam denudaui omnino.

De Fixatione. Cap. IX.

Figitur autem omne volatile cum mundatur per iuuamen ignis, videlicet decoctione diurna, & hoc est meum secretum, aut per alicuius rei fixae adiutorium, hoc est per imbibitionem, & reiterationem praedictorum, ut in sublimatione narraui satis aperte. Et hoc est vnum de secretis meis magnis. Corpora etiam figuntur, ut praefiguraui calcinando vel coquendo solo igne.

De Distillatione. Cap. X.

Distillantur autem multa pro adiuvamine operis istius. Distillatur aqua a vitriolo viridi vel Romano, a sale petrae, & alumine plumoso, quae maxime valet pro adiutorio istius operis: cum ipsa enim soluuntur mirabiliter omnia corpora cruda & calcinata, & spiritus calcinati vel fixi, solutione mirabili & pulchra. Distillatur & aliae aquae multae, & olea, de salibus, atramentis, aluminibus, & alijs rebus multis, mineralibus, vegetabilibus & animalibus, sicut inuenitur in libris Philosophorum de hac arte tractantium.

De Solutione. Cap. XI.

Soluuntur omnia corpora & spiritus cum adiutorio aquae corrosivae super praedictae, vel cum alijs aquis corrosivis, quae multis sunt modis, & quia

talía in multis inueniuntur Philosophorū libris satis veraciter & aperte, excusamur de illis in hoc nostro Rosario tractare. Sed hoc teneas amice mi, quod melior sit solutio in igne in finis calore, & cum Mercurio viuo, & aqua vitæ, dū ablutus est, sed in primo dicitur venenum seu res mortifica.

De Ceratione. Cap. XII.

CErantur corpora calcinata cum corporibus resolutis, & hoc imbibendo & cerando, & quanuis multæ sint imbibitiones corporum, tamen melior fit cum Mercurio, scilicet quando est aqua viua depurata. Et melior inceratio fit cum azot viuo, & gutta saponis. Nam aqua corporis, cū corpus reductū sit in Mercurium, dicitur sanguis, & qualicūq; modo aliquid cum oleo inceratur, non valet quicquā, nisi oleum prius sit fixū, & incōbustibile factum, & istud oleum non habetur nisi ex metallis fixis: scias hoc excellentissimum secretum, & quod magis carum apud Philosophos inuenitur.

De Coagulatione. Cap. XIII.

Coagulatur cūcta resoluta cū adiutorio ignis, & hoc in vasis firmiter clausis, sed tene à me hoc secretum, quod res perfectè coagulata est, quæ fluit cū ignitione conuenienti, & cum expectatione examinis ignis. Sin autē nō, reitēra opus, & peruenies per reiterationē ad propositū, domino annuente.

De Particularibus ad album in genere. Cap. XIII.

ECce narraui tibi cunctas operationes veras & necessarias in opere huius artis ad laborem abbreviandum, & adiuuandā naturā generaliter. Modò satisfaciam, specialia & particularia meliora enodabo in hoc capitulo. Primò ergo quomodo corpora augmētantur, & postea de abbreviatione temporis & laboris, & Elixir. Et quia nullo modo potest fieri rubeum verū, nisi præcedat albū, talia verò ad augmentādas rosas albas, vt fiat Luna perfecta, tibi dono. Primò desiccandum est corpus Lune, & hoc per calcinationem quam narraui. Et ista est causa, vt humiditas istius, cum quo proponimus augmentare ipsam, radicabilius & firmitus illi adhæreat sine separatione, deinde calcinandū est aliud corpus non fixum, cum quo proponis operari, & hoc vt per eam figuratur. Nam volatile in ipsis euolat per calcinationem ignis, & remanet terra azyma & munda. Per eandem etiam calcinationem deletur vinctuositas glutinosa, & immunditia de corpore, & reducitur in statum pristinum, & remanet terra munda, non adurens, nec denigrans corpora. Deinde resolu calcem Lunæ in aquam mundam & claram, sicut demonstraui tibi in Cap. Dissolutionis. Secundò calcem azymam cuiusuis corporis similiter resolu, aquas coniunge & illam bene cōmistam congela in massam albam, & in fine congelationis descende per botum. Et melior modus est iste, quā vnquam probaui. Accepi vnā partem corporis fixi, & tres partes non fixi, Item resolutam calcem Lunæ, & aquam etiam corporis non fixi, iterum coniungebam istam aquam, coniunctam composui cum prima massa prædicta iterum calcinata, & resoluta, & erat tunc augmētata prima pars, & tres sui partes: illud totū congelatū feci secundo descēdere, illud opus reitēraui quindecim vicibus, nec meliorem Lunā Deus vnquam creauit, tenui ipsam auro cariorem. Inueni etiam aliū modū leuiorem multum, videlicet imbibendo calcem corporis non fixi, cum aqua calcis Lunæ, terendo vel cerando super marmor, bene desiccando, & descendendo. Et iterum secunda vice nouam calcem non fixi, imbibendo, cum resoluta calcis nouæ Lune, apponendo calcem primæ massæ, videlicet vnā partē istius cū tribus partibus alterius, deinde desiccando & descēdendo, & reitērando per quindecim vices. Sic enim perueni ad Lunam multo meliorem naturā.

rali. Propterea probaui & alium modum adhuc multo leuiorem, videlicet resoluendo Lunam calcinatam in aquam, & imbibendo cum illa aqua calcē corporis non fixi, terendo & desiccando, & descendendo. Iterum reiteraui hoc opus de noua materia, & quando desiccatum erat, posui super tres partes, de nouo desiccato, cum parte vna massæ præcedentis generatæ, nihil tamen de reiterationibus omisi, & inueni in decima quinta vice Lunam bonam, æquipollentem naturali. Homo etiam bene potest transire, si vult melius, cum decem reiterationibus, vel circiter, quanto plus tamen reiteratur opus metallicum, tanto melius. Et scias quod prædictæ resolutiones optimè fieri possunt cum aquis corrosiuis, sed semper melior resolutio fit cum Mercurio. Scias hoc, O quàm multa bona procedunt ex corporibus cū Mercurio amalgamatis. Hæc iam dixi in generali, nunc verò de quolibet corpore simpliciter tractabo.

De Particularibus ad album in specie. Cap. XV.

Accipe vnam partem Lunæ, & quinque partes vel sex Martis, & descende simul per botū, vt prædictum est, & habebis bonam Lunam. Accipe vnā partem Lunæ, & duas partes, vel tantundem de Venere, & descende per botū simul, vt prædictum est, & habebis bonam Lunam. Accipe partem vnā Lunæ, & tres partes Saturni, & fac descendere per botum simul, per modū prædictum, & habebis meliorem Lunam. Accipe vnā partem Lunæ, & tres partes Iouis, & fac descendere ista adinuicem per botum, sicut narratū est ante, & est Luna optima, æquipollens naturali in omni examine sine fine. Si fidelis est sermo meus, estote memores animæ meæ, propter ea, quæ dixi. Item, aliter etiā fieri potest optima operatio per amalgamationē Mercurij. Lunam desiccata amalgama cum Mercurio, ana, sed sint in duplo, Mercurij vel amalgamationis Martis, & pone sex partes istius cum vna parte primæ: totum amalgamatum simul decoque, donec Mercurius sit separatus, & descende, & reitera hoc opus quindecim vicibus, & erit Luna bona. Amalgamatur etiam Luna cum Mercurio, sicut prædixi, & Venus etiam amalgamari debet ad modū Martis, duæ partes istius, & vna amalgamationis sublimetur, & descendatur per modū iam dictum, & cum opus iam quindecies reiteratum est, erit Luna bona. Amalgamatur Luna præcipue cū Mercurio, & Saturnus cum eodem ana, & tres partes ipsius cum Luna pone, sublimando & descendendo, & reiterando per præscriptum modum, & peruenies ad Lunam meliorem. Amalgamatur præcipue Luna cum Mercurio, & Iupiter cum eodem, ana, & sint de ipso tres partes, cum vna parte Lunæ, & per reiterationem sublimationis, pro Mercurij separatione & per reiterationem descensionis operis peruenies ad Lunam meliorem de mundo. Prædicta verò sufficiunt in albarum rosarum augmentatione.

De Particularibus ad rubeum in genere. Cap. XVI.

Ad augmentandas rosas rubeas procedamus. Prima regula generalis est: pone in omni opere rubeo Solem, quemadmodum Lunam in azymo. Sed notandū, quod calces quorundā corporū solo ignis adiutorio rubificantur, quorundam non. Quorum rubificantur, sunt hæc: calx Martis, Veneris, & Saturni. Calx verò Lunæ, Iouis, & Mercurij fixi, non rubificatur solo adiutorio ignis, in hoc capitulo primo, sed in capitulo nostro secundo, & vltimo in magno videlicet magisterio, calx illorum rubificatur ad libitum, & tingunt sine mensura. Ecce thesaurus Philosophorum. Rubificantur tamen in hoc capitulo primo, cum rebus tingentibus, sicut sunt sulfur, atramentum, aqua ferri, & oleum rubicundum Philosophicum à mineralibus seu vegetabilibus, vel animalibus extractum. Et talis modus est operandi, sicut in albo Lunæ, sed in hoc opere Sol est calcinandus & dissoluendus. Soluatur & omnia cor-

pōra nō fixa calcinata. Et per eandem calcinationem rubificata in aquis corrosiuis vel dissoluentibus, dico rubicūdioribus, aquas cōiunge, & congela, & descende in massam rubeam, vt de albo fecisti, & reitera hoc opus, vt de azymo fecisti, per quīdecim vices, & habebis operationem perfectam. In hoc enim opere seruare poteris omnem modum operandi, quē in albo narraui, & istud est in his quæ rubificari possunt cum adiutorio ignis. Et quod omnes calces corporum rubificari possunt, cum adiuuamine multarum rerū tingentium, restat hīc nobis dēclarare. Sed quia de talibus, quā plurima bona & vera reperiunt in lib. Philosophicis istius artis, & aquæ rubedine tingentes, pulueres, & olea, cū quibus calces tam sæpe imbibuntur, desiccantur, soluuntur, & congelantur, & descenduntur, vsq; ad rubedīnē. Ergo videtur nobis superfluum de illis tractare: Solis tamen tincturam specialem, ad satisfaciendum, à me accipiatis.

Particulare ad rubeum in specie. Cap. XVII.

IN aquam salsam calidam, postea in dulcem calidam, finaliter in acetum multoties, puta viginti vicibus limaturā Martis lauate, quousq; sit clara, bene munda, & ponite eam in vase vitreo, vel vitreato, cū optimo aceto albo, per plures dies, quousq; per hoc multū rubescat, quod erit citō. Tunc totum ponitur in distillatorium vitreū, & distilletur sæpius, quousq; illa limatura totaliter euanescat. Nam sublimabitur proculdubio cum aceto iam dicto, & transibit tota illa limatura in aquam rubeā, stetq; præterea in quiete per aliquod dies: hæc aqua Lunam preparatam & fuscā tingit mirabiliter in calorē rubeum, & in qua libet reiteratione operis, calces cum hac aqua imbebe, & exicca, solue, congela & descēde, donec tinctura sit sufficiens, & ista aqua est mineralis & corporea.

Fit & alia bona per hunc modum: Sumatur de vitellis ouorum libra vna, & de sanguine humano recenti libra vna, & duę libræ de capillis humanis bene mundis, permisce ista in vitreata rotūda. Deinde recipe salis ammoniaci bene triti, duas libras, & cōmisce omnia simul, & illa vitreata ponantur in illa cū cinere cribellato, & accendantur sub ea ignis lenis, & cum totū resolutum fuerit in aquam, tunc projice de sulfure citrino super illud, quantum est mediētas omnium medicinarū: remoueat tunc vas ab igne velociter, mouēdo totum simul, postea projice totū in cucurbitam ad distillandum, & toties distilla super facibus, commiscendo cum aqua, quæ ab eis distillatur, donec omnia remaneant in fundo sicca. Istud mistum & tritum cum calcibus dissolutis congelatum, tingit peculiosē, & ista est tinctura vegetabilis, seu animalis.

Apostrophe ad Lectorem, et oratio ad Deum. Cap. XVIII.

ECce Amice mi dilecte, ecce quā multa bona iam narraui, ex his quæ in Rosario meo continentur. Non vales tamen adhuc per prædicta, ex illo aliquas accipere rosas. Nam fossatis profundissimis, murisq; fortissimis, ac propugnaculis multis Rosarius meus tam fortiter est firmatus, quod nemo per aliquod ingenium intrare valet, nisi per septem portas firmissimas & metallicas, multis clauibus mirabiliter clausas. O clementissime Deus ac misericors, si iam aliquid peccaui, respice super me oculis benignitatis tuæ, quia tu solus cognoscis corda hominum, & me iam istud dixisse ex fonte misericordię solo. Et deprecor te humiliter & deuotē cælestis pater, vt non intret in corda iniquorum: sciant autem filij sapientiæ & intellectus, quod Hortulanus meus, gratia Spiritus sancti paracleti infusus & repletus, solam mihi clauem demonstrauit, per quam cunctæ portæ in ictu oculi mirabiliter, & quasi miraculosē aperiantur, in mei Rosarij capitulo primo. Et gratiam, quam mihi Hortulanus meus fecit sua benignitate, piē & amicabilem scribam omnibus doctis & intelligentibus.

Composi-

Accepit enim Hortulanus tres herbas, quas generatas inuenit in loco Rosarij ex eadem terra, de qua Rosarius est egressus, & erant Chelidonia, Portulaca marina, & Mercurialis. Ex his tribus composuit clauem prædictam, quem modum componendi, uobis perfectissimè enodabo. Recipe duas libras utriusque uiridis, & duas salis petreæ, & unam libram aluminis plumosi, terendo quodlibet per se. Deinde conjunge. Postea habeas aludel uitreum bene lutatum, exterius circumquaque luto sapientiæ, & pone in eo puluerem prædictorum, & alembicū desuper uitreum, iuncturas firmiter cum bono luto sigilla, ut respirare non ualeat, & pone super furnum distillationis dando illi lentū ignē. Distillatur enim prima aqua primo, quam recipias in phialam uitream cum longo collo, sitque phiala cum alembico sigillata cum luto prædicto, continua ignem lentum, donec alembicus intus colore citrino sit coloratus, & istud est signum aquæ secundæ. Primam deinde aquam cum sua phiala depone, & obstrue cum cera, & appone nouam phialam, quam firmiter sigillabis augmentando ignem, donec alembicus intus rubescat, quod signū est aquæ tertiæ fortissimæ. Depone phialam cum aqua secunda, & sigilla, & appone nouā phialam spissam cum collo multum longo, sigillando firmissimè cum luto optimo, & augmentando ignē semper, donec tota aqua fuerit egressa, quam depone, & sigilla firmiter os cum luto figulorum, & usui reserua.

Laudes Aquæ fortis prædictæ.

Cap. XX.

Ista est aqua fortis, preciosissima, uirtuosa, quæ dicitur aqua corrosiua, & uerè clauis est, per quam solam cunctarum septem portarum metallinarum, uidelicet Rosarij metallica aperiantur in momento. Cum ista clauē minerali potes referare septem portas prædictas, & intrare Rosarium, & accipere rosas albas uel rubeas de quacunque planta uolueris, secundum uelle tuum. Et indubitanter qui clauem istam secum habuerit, cuncta in Rosario existentia, ipsi cognita erunt. Intellige quod dico, & prepara ei hospitium in medio cordis tui, ut intus per eum hospitetur. Cum ista aqua laudabili corrosiua potes in momento resolvere cuncta corpora, tam cruda quam calcinata, omnes spiritus, & omnia mineralia, necnon lapides preciosos, & congelare quando uolueris, ut prædictum est in una hora. Ista enim aqua tales habet effectus mirabiles & laudabiles, quod resoluit solidum, & reddit liquidum, mundat immundum, corrodit superfluum, figit fugitiuum, consolidat disgregatum, augmentat tincturam azymam optime, & rubeam, omnia penetrat, durum molliciat, & molle indurat, & discordantes concordat, & est clauis totius huius artis, in hoc capitulo nostro. Quid dicam de ipsa? Eius laudes inueniuntur interminabiles. Valet & aqua prima & secunda ad multa in hac arte: coniunge ambas simul, nec meliorem rem habere potes in mundo, ad abluendum calces corporum quascunque. Quia omnis immunditia, nigredo, corruptio, & sulfureitas adurēs, per eam tollitur. In facibus uerò est maxima tinctura, studeas in ipsis: nam in eis est magnum arcantū. Imbibe feces cum tota aqua, prima & secunda, & dimitte stare, & incorporari per quatuor dies, & iterū distilla per præscriptū modum, & habebis plus de aqua forti corrosiua, quam prius habuisti, & hoc est finale secretū. In hac enim aqua resoluuntur cunctarum tincturarum coadunandæ, earum enim aqua tunc admisceri potest cum aquis corporum calcinatorum & resolutorum. In ea enim resoluuntur Saturnus & iupiter, Mars, & Venus, Mercurius, Luna, & Sol. Per ipsam etiam melioratur ziniar, & multa alia, cum quibus opus abbreviatur, coloratur, augmentatur. Et hæc de prima parte primi capituli sufficiunt. Ad ipsam tamen complendam, de secunda ipsius parte, & ultima tractabo. Nam bene sequitur Elixir cum iuuamine, post omnium corporum perfectam augmentationem.

u

Corpus putrefactum, & deinde cum calore temperato, cumq; retentione seu reservatione suae humiditatis radicalis philosophice calcinatum dissolue. Sicq; tamen prius mundatum ab omni re corruptente, & hoc erit in principio operis, & istud est de azymo, sicq; calx alba corporis uicinioris imperfecti, fermentum quoq; azymum bene mundatum, & calcinatum azimum resolu ut primum. Aquae mundandae sunt ab immunda face, tunc coniungendo in phialam ut tream cum stricto collo & alto, cuius os firmissime sigilletur. Pondus etiam est notandum, suntq; semper partes quatuor imperfecti, & una perfecti. Ponenda est autem phiala cum aqua in furno coagulationis, donec totum coaguletur in lapidem coagulatione bona, & fixa. Et habes tunc plantas Rosarij tui unius anni. Item secunda uice resolu nouam materiam, ut prius in eadem proportionem, lapidemq; coagulatum iterum resolu, sicq; ana de istis. Aquas resolutas coaduna, & unitas congela per praetactum modum, & habebis plantas duorum annorum. Tertiò resolu de materra noua, ut prius in pondere lapidis anni primi, & coniunge cum lapide duorum resolutum, cōgela ut prius, & habebis Rosarium tenerissime florentem, & decem rosas producentem. Quartò nouam resolu materiam ut prius, semper in proportionem equali lapidis primi anni, & coniunge aquas anni tertij lapidis, & congela ut prius, & habebis lapidem quadriennij uiginti flores rosarum producentem, & hoc fac quintò, & Rosarius quinquennis triginta producit rosas. Sextò & producet centum rosas. Septimò, ducentas rosas. Octauò, trecentas rosas. Nonò, mille. Decimò, duo milia. Undecimò, tria milia. Duodecimò, centum milia. Decimo tertiò, ducenta milia. Decimo quartò, trecenta milia. Decimo quinto, mille milia. Et sic in die decima quinta, habebis opus Lunae perfectum. In rubeo, siue ad rubeum, semper operaberis in calosis corporum rubificatis, & resolutis, & cum resolutione Solis. Sed tene hoc meum finale secretum. In quantum plus tinctura cum adiutorijs augmentatur, tantò altius tingit. Stude & proba in arte praedicta, & eris breuiter fortunatus. De cunctis autem iuuantibus & auxilijs huius artis, manifestè satis in prima parte istius capituli primi dictum est, ideo mei Rosarij capitulum finio.

SECUNDVM CAPVT.

Perfectionis causam, solum Mercurium esse.

Cap. I.



DICTVM est superius, quòd huius artis preciosissimae finalis intentio est, meliorare metalla imperfecta, & ad gradum perducere supremum. Et imperfectio & corruptio eorum progreditur ex defectu boni & puri argenti uiui fixi, sicut multoties dixi, & omnes dicunt philosophi periti. Relinquitur itaq; ipsum solum esse perfectum. Eligamus ergo ipsum, & perficiamus, quemadmodum tunc fecerunt philosophi, qui perfectionem habebant. Ipsum solum, quicquid scribitur, est lapis quem philosophi laudant ubiq; quem occultant in infinitis parabolis, & scripturis fictis & similitudinibus, & detegunt eum cum magnis suis philosophijs. Et tam talem inspirauit mihi spiritus Dei gratia, quòd cum duobus uerbis eius, omnes libros philosophicos, de hac arte exponam. Ecce uerbum Spiritus sancti: MERCURIUS, EST LAPIS QVEM HONORANT PHILOSOPHI. Diuisum est cor meum, & sicut librum aperiens legat quilibet & intendat. Solum argentum uiuum quærimus. In ipso enim totum est quod desideramus, ergo suam in se continet tincturam. O quam preciosa creatura est illa, & delectabilis, Deus enim meliorem non creauit, praeter animam rationalem. Habet in se corpus, animam, & spiritum.

& spiritum Corpus stat, anima uiuificat, spiritus tingit. Ista sunt in Mercurio sole ex aqua grossitie, uel sulfuris puri non urentis congelato. Mercurius ergo lapis noster est, nec alia res esse potest, quem aquam siccam nominamus, eo quod uel sulfuris azymi, uel rubri uniformiter est inspissatus, à quo cuncta corpora trahunt originem; ex ipso enim fiunt, & in ipsum reuertuntur. Verbi gratia: Sol ex Mercurio uiuifico fit, & iterum reuertitur in argentum uiuum per ingenium, & sic de cunctis corporibus habet fieri.

De differentia Mercuriorum.

Cap. II.

Sed dico uobis istud, quod argentum uiuum ex Sole factum, maioris est uirtutis incomparabiliter, & uelociorem dat fixationem, quam illud quod non erat corpus, semper tamen est argentum uiuum de argento uiuo, & est calidum, & humidum, & masculinum. Argentum uero uiuum ex Luna factum, dat fixationem uelocem, quod est frigidum, siccum, & foemineum. Argentum uero uiuum quod non erat corpus, ex quo tamen generantur corpora, non differt ab alio argento uiuo, nisi in sola digestionis, & per ipsum solum, non aliter, omnia corpora in argentum uiuum reuertuntur.

Similitudo Viam uniuersalem insinuans.

Cap. III.

Cuncta nascentia seu plantæ ex terra egressæ, nonne semper ad terram reuertuntur? & hæc postquam in eadem terra fuerint iterum per tempus putrefactæ, tunc totum est terra. Sed non qualem uirtutem illa terra habet. Videmus enim quod ex terra frumentum nascitur, habens stipulam & grana multa, & si tunc artificialiter stipulæ in terram reponuntur, cum simus factæ fuerint, uidemus quod totus fimus reuertitur in terram per putrefactionem. Sed grana reseruata, si iterum ponantur in eadem terra stipularum suarum prædicta, multo magis augmentantur, quod expertis agricolis constat. Sic corpora submersa in Mercurium per conuenientem putrefactionem reuertuntur in argentum uiuum, quod prius fuerunt, & postea grana metallica, in eadem terra putrida projecta multiplicantur, & innumerabiliter crescunt.

Practica Caliginis obducta.

Cap. IIII.

Modus uero agendi talis, est ad modum naturæ. Argentum uiuum nostrum uel sulfuris azymi uel rubei non urentis congelatum seu inspissatum, in præparato est mundandum ab omni sorde & superfluitate, quæ per ingenium deleri potest: & illud ingenium est sublimatio, quæ sic fit. Ponatur lapis in uase aperto super medio crem ignem, agitando ipsum Mercurium, ut tota humiditas superflua euolet, quæ est in eo accidentalis, ex qua opus corrumpetur, & hoc non omittas, & tunc remanebit (postquam totum aquosum & indigestum, quod nunc in eis erat uolatile, erit depositum, cum igne non superante suam radicalem fixationem) substantia temperata inter fixum & non fixum, apta pro opere isto comprehendendo. Sitque semen seu fermentum mundissime purgatum, cuius una pars sufficit ad duodecim lapidis purgati: fiat amborum ingeniosa amalgamatio: deinde totum amalgamatum ponatur in uase fortissimo, uitreo, cum collo stricto, aut in terreo, uitri densitatem seu compactionem sustinens, quod melius est, sitque os firmiter sigillatum: Fiatque furnus magnus philosophicus, & spissus, in cuius medio ponatur uas fortissimum, amplum, terreum, potens in igne durare, in illo sunt locanda cuncta uasa, materiam continentia, & tunc cooperatur furnus, sitque superius cum spisso cooperculo clausus, sicut in illius summmitate foramina tria, uel quatuor ad summum delegandum, subijciatur ignis lentus perseveranter. Ignis lentus dicitur, qui lapidis fixationem nequit suberare, & ignis regimen tale debet esse, quod plumbum in ipso continue remaneret fufum. Et hoc solum manifestum. Per tale namque regimen habebis incensum dignum quatuor diebus completum.

putrefactionem. Nigredo quoque est signum putrefactionis approbatum. Adhuc per predictum regimen, habebis secundum signum, quod erit rubedo durans per triginta dies, in illis uero diebus complebitur perfectio. Tertium autem signum est uiriditas, quod in caliditate complebitur predictio regimine, in septuaginta diebus, inter tertium uero signum & inter quartum, apparebunt omnes colores qui excogitari possunt, tunc fit ibi matrimonium, copulatio, & spiritus & animæ coniunctio, tunc enim dominantur simul, & quodlibet prius per se, sub suo signo; scilicet in primo signo dominabatur corpus, in secundo signo spiritus, in tertio anima. Tempus coniunctionis regimine modicum augmentato, erit completum in septuaginta diebus omnino, & superueniet signum quartum, quod erit azymatio utilis, transibuntque cum augmentato regimine, centum quadraginta dies, & erit completum albedinis signum quod diximus. Si postea continuaueris regimen cum augmento, uidebis inter quartum & quintum cineres discoloratos, sint tamen chari apud te: nam Deus reddet illis liquefactionem, infundendo spiritum suum igneum, & uidebis, cum Deus uoluerit, signum quintum, claritate & rubedine splendida inenarrabiliter decoratum. Time Deum, & honora eum de tua substantia.

De Tinctura perfecte proprietatibus. Cap. V.

Multa quidem in hoc Rosario meo narrata sunt, ad operis cognitionem habendam, & ignorantes ad magisterium ueritatis introducendos. Et quia nihil in eo ponitur superfluum, nec ipsum uolo mittere diminutum * Respice rubeum completum, & rubeum a sua rubedine diminutum, & omnem rubedinem fixi, & non fixi, mortui, & uiui, mineralium, uegetabilium & animalium, respice uiuum uiuificantem, & mortuum mortificantem, album albificantem, & rubeum rubificantem, atque imperfectum perficientem. In quantum autem albedo perfecti augmentatur, in tantum tingit in albedinem, & sic de rubeo. Sed nota, & considera qualia sint corpora, & quid eis in sua liquefactione adhiberi possit, & secum perseueret, & permaneat in examine, neque enim omne azymum, nec rubeum tingit corpora in Lunam & Solem. Tinctura corporis talis esse debet, quod ipsa cum corpore liquefacto commisceatur, & ipsum liquefactum ingrediatur, quemadmodum ipsummet corpus faceret cum eodem. Tinctura ergo debet esse substantia corporea, ex corporibus extracta, uel per beneficium mediorum mineralium uegetabilium, seu animalium augmentata, in re semper corporea. Verissima ergo tinctura albedinis est sulfur, ex Luna uera albidissimum, & perfectissima tinctura rubedinis, est sulfur: ex Sole uero rubicundissimum. Est ergo unum possibile, sicut & aliud. Hoc scit artifex prudens & discretus.

Epilogus seu recapitulatio omnium dictorum.

Cap. VI.

Si per iuuamen argenti uiui crudi, frigidi & humidi, & per ipsius beneficium extrahitur sulfureitas calida, sicca & munda, comburens omnia causa suæ uitæ adurentis, remanet argentum uiuum purum, & coctum in corporibus, ui sulfuris congelatum. Sic per iuuamen alicuius argenti uiui, extrahitur a Luna uel Sole sulfur purissimum, & remanet sulfur azymum uel rubeum, tingens nigredines & fixum. Cuius una pars tingit duas, uel tres, uel quatuor uel sex partes cum iuuamine primæ partis in Lunam. Pars uero una rubei tingit argenti uiui cocti in primo cap. secundum puritatem ipsius argenti uiui partes duas, uel tres, uel quatuor, uel sex, ut de albo. In secundo uero & ultimo cap. tingit una pars sulfuris Lunæ uel Solis partes mille corporis, id est argenti uiui cocti, & uis istius sulfuris per artificis industriam in tantum augmentatur cum igne uel cum iuuamine, quod post complementum tingit super mille, uel mille milia & ultra, tamen solo igne cuncta perficiantur. Nam omnis tinctura alba uel rubea debet recipere colorem ab igne, aliter non ualet. Iuuamenta autem sunt lapides tales, cum quibus tincturæ puritas, & fixio augmentatur, uidelicet oua, capilli, sanguis, argentum uiuum,

tum uiuum, fulfur, auripigmentum, sal ammoniacus, atramentum, alumen, sal nitri, tinkar, tutia, marchasita, magnesia, &c. Non tamen putes aliquod istorum sufficiens pro opere per se solum complendo. Sunt enim adminicula, & quasi adiutores, cum quibus, & cum quorum iuuamine, corpora mundantur & rectificuntur, tinguntur & complentur, & sunt quasi coadiutores & mediatores corporum coniungendorum, quorum preciosiora & meliora apud nos semper sunt inuenta, oua & capilli, & sanguis iuuenis masculi, ex quibus quatuor extrahuntur elementa, quæ, postquam rectificata sunt, suppleant defectum Elixiris ex metallis præparati, nec metalla per se, nec lapides perficiuntur. Sed ex his quatuor elementa extracta pro oleo ponuntur in lapide, aut pro anima tincta: Calx uero corporum metallorum præparata, pro corpore azymo uel rubeo. Spiritus uero albus uel rubeus ex corporibus extrahitur, uel figitur & præparatur ab ipsismet spiritibus. Si cæteris autem lapidibus abluitur lapis & mundatur, figitur & tingitur, & rectificatur, in operis festinatione. In commistione uero proportionata prædictorum præparatorum resultat noua forma, & sic fit Elixir, in quantum materia plus quam Sol naturalis, est digesta & tincta.

Finis Rosarij minoris, incerto auctore.

LIBER SECRETORVM ALCHEMIAE
COMPOSITVS PER CALID, FILIVM IAZICHI,
translatusex Hebræo in Arabicum, & ex Arabico in Latinum,
incerto interprete.

Prefatio de difficultate Artis.



RATIAE sint Deo omnium creatori, qui nos conduxit, & recoluit, & docuit, & intellectum, & scientiam nobis dedit. Nisi Dominus nos custodiret, & conduceret, essemus sine custodia, & sine doctore tamquam erronei, imò huius mundi nihil sciremus, nisi ipse nos doceret, qui principium est, & scientia omnium, sua potentia & bonitate super populum. Qui dirigit & erudit quem uult, & reducit sua misericordia ad uiam iustitiæ. Misit enim nuncios suos ad tenebras, & uias explanauit, & sua misericordia repleuit suos diligentes. Scias, frater, quod hoc nostrum magisterium de lapide secreto, & officium honoratum, est secretum secretorum Dei, quod celauit suo populo, nec uoluit ullis reuelare, nisi illis, qui fideliter tanquam filij meruerunt, & qui eius bonitatem & magnitudinem cognouerunt. Qui enim secretum Dei postulat, necesse est ei hoc secretum magisterij plus quam aliud. Et sapientes qui illud assequuti fuerunt, aliqua de ipso celauerunt, & aliqua reuelauerunt. Sic enim inueni sapientes antecessores, in hoc cōuenientes in suis libris honoratis. Vnde scias, quod discipulus meus proprius, Musa, honorabilior omnibus apud me, in ipsorum libris multum studuit, & in opere magisterij laborauit, unde aggrauauit ipsum eiusdem compositio, & in ea multipliciter dubitauit, & ignorauit similiter rerum compositionis naturas. Et supplex ac humilis pro ipsa, à me explanationem petijt, & directionem eiusdem. Ego autem eidem nihil in ea respondi. Nec uolui discernere, sed præcepi ei, ut libros philosophorum legeret, & in eis quod à me petierat, indagaret. Ipse uero abiens, legit plusquam centum libros, prout inuenire potuit, libros uidelicet ueridicos, secretos, nobilium philosophorum, & in eis quod petijt non potuit inuenire, qui tunc remansit ideo stupefactus, & quasi extra mentem

positus, etiam per annum continuè in ea perscrutando. Ex quo igitur discipulus meus Musa, qui inter philosophos, in gradum & modum sapiētīz meruerat computari, sic in compositione eius dubitauit, & hoc ei contigit in ea: quid faciet igitur, uel inspiens, rerum naturas non intelligens? neq; rerum complexiones cognoscens? Cum autem hoc uiderem de meo discipulo præelecto, & charissimo, motus pietate & dilectione eiusdem, quin etiam nutu & uoluntate diuina, edidi hunc meum librum in obitu meæ mortis, in quo prætermisi dicere quedam, quæ antecessores philosophi retulerunt in suis libris. Et dixi quedam quæ ipsi celauerunt, & nullo modo dicere, aut referare in scriptis suis uoluerunt. Et explanauit, & exposui quedam, quæ ipsi cooperuerunt, suis dictis obscuris & figuratis. Et uocaui hunc meum librum Secretorū Alchemiæ. In quo nominauit quicquid necesse est inquisitori huius scientiæ, siue magisterij, iuxta linguam, eius intellectui conuenientem, atq; sensui inquirentis. Et nominauit in hoc libro, quatuor magisteria magis alta, & meliora, quàm sapientes fecerunt. Quorum sunt Elixir, unum minerale, & aliud animale: alia uero duo residua sunt mineralia, & non sunt Elixir unum, quorum est artificium lauandi, quod uocant corpora. Alterum quidem est, facere aurum ex azot uiuo, cuius factura & generatio, est secundum generationem siue ordinem generationis in mineris, in corde & interioribus terræ existentibus. Et hæc quatuor magisteria atq; artificia, explanauerunt sapientes in libris suis de compositione huius magisterij. Sed de eis defuit multum, & de eius operatione noluerunt in libris suis ponere, uel si inuenit, non potuit intelligere, & nihil grauius inuenit quàm illud. Et ideo dicam in hoc meo libro ipsam, eiusq; factum. Qui ergo hunc meum librum legerit, legat aliquid geometriæ, & eius mensuras addiscat, ut clibanorum fabricam rectè componat, nec modum eorum excedat, per augmentum uel diminutionem, & quantitatem ignium sciat, & modum siue etiam gradum uasis operis. Similiter uideat & cognoscat, quid sit radix penitus & principium magisterij, & est eidem, tanquam matrix animalibus, quæ in ea generantur, & capiunt creationem pariter ac nutrimentum, quod prædictum est. Nisi res magisterij inueniat sibi idoneum, destruetur factum atq; opus eius, & eius operarij quæsitum non inuenient, nec ipsa res proderit in effectum generationis, quia cum non inuenerit causam generationis, siue radicem, & ipsam caliditatem, continget in operationibus casus destructionis. Hoc idem in quantitate ponderum est contingens, quæ, cum disconuenit in composito, partibus quidem eiusdem naturæ terminum transcendentibus, per augmentum uel diminutionem, destruitur cum ea proprietas compositi, & fit effectus compositi cassus atque uacuum. Et ego ostendo tibi unum exemplum: Nonne uides quòd in sapone, cum quo panni abluuntur & mundificantur, & fiunt albi, generatur in sui recta compositione hæc proprietas, propter æqualitatem, & rectas compositiones, & debitas compositi, quæ participant in longitudine & latitudine? unde propter hanc participationem conuenerunt, & tunc apparuit, quòd erat in ea de ueritate ad factum, & nota fuit inde uirtus quæ prius latebat, quam uocant proprietatem, & est uirtus ablutionis, in composito generata. Cum uero quantitas ipsius compositi transcendit suum terminum, & per additionem uel diminutionem, transgreditur ipsa uirtus æqualitatis terminum, & exit ad contrarium, secundum distemperantiam compositi. Et ita in compositione nostri magisterij intellige.

De quatuor Magisterijs artis, scilicet, solutione, congelatione, albibificatione, & rubificatione.

Cap. I.

ET incipio dicere artificium maius, quod uocant Alchemiam, & certificabo dictum meū, & nihil celabo, nec tacebo hinc dicere de eo, nisi illud quod non conuenit dicere, nec est nominare. Dicimus igitur, quòd artificium maius, sunt quatuor

quatuor magisteria: prout dixerunt sapientes, uidelicet, Soluere, Congelare, Albificare, & Rubificare. Et hec quatuor quantitates sunt participes, quarum due similiter sunt inter se participes, similiter & alie due. Et utraq; harum duplicium quantitatum habet aliam quantitatem participem, quae est maior quantitas participis post has duas. Et uolo dicere, pro ijs quantitatibus, quantitatem naturarum, & pondus medicinarum, quae soluuntur & congelantur per ordinem, nec intrat diminutio, nec additio. Sed haec ambae, scilicet solutio & congelatio, erunt in una operatione, & unum factum meruerunt, & hoc ante compositionem: sed post compositionem ipsarum opus erit diuersum, sed haec solutio & congelatio, quas nominauimus, sunt solutio corporis, & congelatio spiritus, & sunt duo, & habent unam operationem. Quia spiritus non congelatur, nisi cum solutione corporis, & similiter corpus non soluitur, nisi cum congelatione spiritus. & corpus & anima, quando coniunguntur in simul, agit uterque eorum in suum socium, factum sibi similem. & exemplum est huius, aqua & terra, quia aqua cum terrae coniungitur, conatur ad soluendum eam cum sua humiditate, & sua uirtute & proprietate, quae in ea sunt, & facit eam subtiliorem, quam prius erat, & reddit eam sibi consimilem: nam erat aqua subtilior terra. & similiter facit anima in corpore, & eodem modo inspissatur aqua cum terra, & fit consimilis terrae in densitate, quia terra spissior est aqua. & scias, quod inter solutionem corporis, & congelationem spiritus, non est differentia temporis, neque opus diuersum, ita quod sit unum sine alio, sicut non est inter aquam & terram in sua coniunctione pars temporis diuersa, quod cognoscatur, uel separaretur una ab alia, in eorum operationibus, sed eorum est unus terminus, & unum factum, & una & eadem operatio circuit super ipsa duo, & simul, ante compositionem. & ideo dixi ante compositionem, ne putet, qui hunc librum legerit, & audierit solutionem & congelationem, ut dixi, quod sit compositio quam nominauerunt Philosophi, quia sic esset in errore sui facti, & suae scientiae. Quia compositio in hoc artificio seu magisterio, est coniunctio siue matrimonium congelati spiritus cum corpore soluto, & eorum coniunctio, & eorum passio est super ignem. Nam caliditas est eius nutrimentum, & anima non dimittit corpus, nec cum eo coniungitur omnimoda coniunctione, nisi per mutationem utriusque a sua uirtute & proprietate, & post conuersionem suarum naturarum. & haec est solutio & congelatio, quam prius Philosophi uocauerunt. & scias, quod hanc solutionem & congelationem iam celauerunt sapientes, & loquuti fuerunt in ea subtili ratione, ex dictis obscuris & coopertis, ut sensus inquisitoris ab ipsorum intellectibus elongaretur: & hoc esto exemplum dicti Philosophorum cooperti & obscuri in eis. Vngite folium cum toxico, & uerificabitur in eo uobis principium officij, siue magisterij eiusdem. Et, Operamini corpora fortia cum iure soluto, quousque utrumque eorum conuertatur ad suam subtilitatem. Similiter & dictum sapientis in eisdem est. Nisi conuerteritis corpora in subtilitatem, ut sint subtilia, & tactu impalpabilia, non dirigitur uobis, quod queritis. & si trita non fuerint, reuertamini ad operationem, quousque terantur, & fiant subtilia: quod si hoc feceritis, uobis quod cupitis dirigitur: & hoc modo plura uerba talia de eis posuerunt. Nec ullus probantium potuit attingere ullatenus hoc factum talis celamenti, quousque apparuit ei bona aperitio documenti ostensua, remoto dubio praecedenti. & similiter nominauerunt compositionem, post solutionem atque congelationem. Postea etiam dixerunt, quod compositio non completur, nisi cum matrimonio & putrefactione: & iterum ipsorum dictum postea docuit pro solutione & congelatione & diuisione, & pro matrimonio & putrefactione & compositione: & hoc est, quia compositio rei est origo & uita. Nisi enim esset compositio, non produceretur res in esse. & diuisio est separare partes compositi. & sic separatio fuit

sua coniunctio. Et dico quòd in corpore non morabitur spiritus, nec in eo erit; nec cum eo ullatenus remanebit, quousque ipsum corpus habeat ex subtilitate & tenuatione, ut habet spiritus. Et cum iam ipsum attenuatum fuerit & subtiliatum, & exierit à sua densitate, & spissitudine ad tenuitatem, & à grossitie & corporeitate, ad spiritualitatem, commiscebitur tunc spiritibus subtilibus, & imbibitur in eis, & sic uterque euadent unum & idem, & non separabuntur, sicut nec aqua mista aquæ. Ponatur quòd duæ quantitates participes, quæ sunt in solutione & congelatione, maior sit anima, & minor sit corpus, postea adde quantitati, quæ est anima, quantitatem quæ est in corpore, & participabit quantitati primæ, & erunt in uirtute participes solummodo, & operare eas, sicut operati fuimus, & inde habebis quod cupis, & uerificabitur tibi linea, sicut dixit Euclides. Postea accipe eius quantitatem, & scias eius pondus, & adde ei de humiditate, quantum possit bibere, cuius humiditatis non habemus hîc pondus determinatum. Postea operare eas operatione dissimili, primò uidelicet imbibendo & sublimando, & hæc operatio est illa, quam uocant albificationem, & uocant eam Yharit, id est argentum & plumbum album. Et cum iam albificabitur hoc compositum, adde ei de spiritu quantum est mediū totius, & reduc ad operationem, quousque rubesciat, & erit tunc de colore alufur, quod est nimis rubrum, & assimilauerunt eum sapientes auro. Et effectus huius ducit te ad dictum Aristotelis, qui dixit suo discipulo Arda. Lutum quando albificatur, nominamus ipsum Yharit, id est, argentum, & quando rubificatur, nominamus ipsum Temeynchum, quod est aurum. Et albedo est, quæ tingit cuprum, & facit eum Yharit. Et illa rubedo est, quæ tingit Yharit, id est argentum, & facit eum Temeynchum, id est, aurum. Vnde qui poterit soluere illa corpora, & subtiliare, & albificare, & rubificare, & ut tibi dixi, cōponere imbibendo, & ad idem conuertere, consequetur magisterium, & faciet factum, quod dixi, sine dubio.

De rebus & instrumentis, huic operi necessarijs & opportunis.

Cap. II.

ET oportet te scire uasa in hoc magisterio, scilicet Aludela, & Sapientes uocant coemeteria, seu cribratoria, quia in eis diuiduntur partes, & mundantur, & in eis perficitur & completur, depuratur res magisterij. Et quodlibet horum habeat clibanum sibi conuenientem, & utrumque eorum habeat similitudinem & figuram operi competentem. Et iam omnia nominauit, & modum & formam eorum docuit Mezleme, & plures Philosophorum in libris suis. Et scias, quòd sapientes in hoc conuenerunt in suis dictis, & celauerunt per signa, & fecerunt inde plures libros, & instrumenta, quæ sunt necessaria, in his quatuor prædictis. Et sunt duo. Vnum est cucurbita cum suo alembico: & alterum est aludel, quod est benefactum. Et similiter quæ sunt eis necessaria, sunt quatuor. Et sunt corpora & animæ, & spiritus, & aquæ. Et ex his quatuor, est magisteriū, & factum minerale. Et sunt explanata in libris sapientum, & abstuli ab hoc meo libro, & nominauit in eo, quod non nominauerunt Philosophi. Et qui aliquantulum intellectus habuerit, sciet quæ sunt illa. Et non feci hunc librum ignaro, & nescienti, sed composui ipsum prudentibus, & sensum & sapientiam habentibus & scientibus.

De naturis Rerum ad hoc magisterium pertinentium.

Cap. III.

ET scias, quòd Philosophi nominauerunt ea pluribus nominibus. Vnde quidam eorum nominauerunt ea mineras, & quidam animale, quidam autem herbale, & quidam per nomen naturarum, hoc est naturale. Alij quidam uocauerunt ea quibusdam nominibus ad libitum, secundum quod eis uidebatur. Etiam scias, quòd

quòd earum medicinz sunt naturis propinquaz, prout dixerunt Philosophi in libris suis, quòd natura propinquat naturæ, & natura assimilatur naturæ, & natura coniungitur naturæ, & natura submergitur in natura, & natura dealbat naturam, & natura rubificat naturam, & generatio cum generatione retinetur, & generatio cum generatione uincit.

De Decoctione & eius effectu.

Cap. IIII.

ET scias, quòd Philosophi nominauerunt in suis libris decoctionem. Et dixerunt, quòd faciant decoctionem in rebus. Et illud est, quòd eas generat, & mutat à suis substantijs & coloribus ad alias substantias, & ad alios colores. Et non transgrediaris, quod dico tibi in hoc libro, & procedes recte. Respice, frater semen, quod est in uita hominum, qualiter in ipsum operatur Solis caliditas, quousque exit ex eo granum, & comedunt homines, & alia animalia. Postmodum operatur in ipsum in homine natura cum sua caliditate, & reddit carnem & sanguinem. Et nostra operatio magisterij est sic. Vnde nostrum semen, quod à sapientibus est sic, quod sua perfectio, suusque processus est ignis, qui est causa uitæ & mortis, qui non tribuit ei uitam, nisi cum intermedio, & sua spiritualitate, quæ non commiscetur, nisi cum igne. Iam uerificaui tibi ueritatem quam uidi atque feci.

De subtiliatione, solutione, coagulatione, & commistione Lapidis, & eorum causa, atque fine.

Cap. V.

ET scias, quòd nisi subtiliaueris corpus, quousque fiat aqua totum, non rubiginabitur, nec putrefiet, & non poterit congelare animas fugaces, cum tetigerit eas ignis, quia ignis est qui eas congelat, cum auxilio ipsius ad ipsas. Et similiter præceperunt Philosophi soluere corpora, & soluimus, ut adhæreat caliditas eorum profunditatibus. Postea reddimus ad soluendum ipsa corpora, & ad congelandum post eius solutionem, cum re quæ ei appropinquauit, quousque coniungamus omnia commista bona & idonea commistione, quæ est quantitas temperata. Vnde coniunximus ignem & aquam, & terram, & aërem: & quando commiscuit se spissum cum subtili, & subtile cum spisso, remansit alia cum alijs, & conuersæ fuerunt suæ naturæ pares, cum prius essent simplices, quia pars quæ est generatiua, addit & tribuit suam uirtutem in subtili, quod est aër, quia adhæsit cum suo consimili, & est pars generationis: Vnde accepit potestatem ad mouendum & ascendendum. Et potuit frigiditas in spisso, quia amisit caliditatem, & exiuit ab eo aqua, & apparuit res super ipsum. Et exiuit humiditas ascendendo, & subtile aëris, & commiscuit se cum eo: quia est suum consimile, & suæ naturæ. Et quando corpus spissum amisit caliditatem & humiditatem, & potuit super ipsum frigiditas & siccitas, & comminuerunt se suæ partes, & diuisæ fuerunt, & non fuit humiditas, quæ coniungeret ipsas partes diuisas, elongauerunt se partes. Et postea pars quæ contraria frigiditati, quia continuauit, & immisit suam caliditatem & suam decoctionem ipsis partibus, quæ sunt terræ, & in eis ipsius posse ualuit, siue potuit, & habuit dominium & uictoriam super frigiditatem, & latuit frigiditas, quæ prius erat in corpore spisso per uictoriam caliditatis super eam, conuersa fuit pars suæ generationis, & facta fuit subtilis & calida, & conata fuit siccare cum sua caliditate. Et postea subtile, ascensor naturarum, cum amisit calorem accidentalem, & accidit ei frigiditas, tunc conuersæ fuerunt, & inspissauerunt se, & descenderunt ad centrum, & coniunctæ sunt naturæ terrestres, quæ se subtiliauerunt, & conuersæ fuerunt in suam generationem, & imbiberunt se in eis, & coniunxit humiditas illas partes diuisas, & conata est terra siccare illam humiditatem, & obfedit eam, & prohibuit ne exiret ab ea, &

apparuit quod erat absconsum super eum, & non potuit humiditas separari retentione siccitatis. & similiter inuenimus, quod quicquid est in mundo, retinetur per suum contrarium, uel cum suo contrario, scilicet caliditas cum frigiditate, & siccitas cum humiditate. Postea cum quilibet eorum obsedit suum socium, commiscuit se subtile cum spisso, & factæ fuerunt illæ res una substantia, scilicet sua anima calida & humida, & suum corpus frigidum & siccum. Postea conata fuit soluere & subtiliare cum sua caliditate, & sua humiditate, quæ est sua anima: & conata fuit claudere & retinere cum suo corpore, quod est frigidum & siccum. & sic super hoc circuit & conuertitur officium huius. Iam asserui tibi ueritatem, quam uidi & feci, & præcepi tibi, ut conuertas naturas à sua subtilitate, & suis substantijs cum caliditate & humiditate, quousq; conuertantur ad aliam substantiam, & ad alios colores: & non transgrediaris quod in hoc libro dicitur, & proccedas rectè in magisterio, prout cupis.

De fixatione Spiritus.

Cap. VI.

ET scias, quod corpus cum commiscet se cū humiditate, & ipsum inuenit ignis caliditas, conuertitur humiditas super corpus, & soluit ipsum, & tunc non potest spiritus ab eo exire, quia imbibit se cum igne. & spiritus sunt fugaces, quousq; corpora cum eis commiscantur, & conantur pugnare cum igne, & eius flamma. & parum tamen cōueniunt istæ partes, nisi cum operatione bona, & continuo & longo labore, quia naturæ animæ est tendens sursum, ubi cētrum animæ est. & quis est ille ex probatoribus qui ualeat duo, uel diuersa coniungere: quorum centra sunt diuersa, nisi post conuersionem naturæ earundem, & mutationem substantiæ, & rei à sua natura, quod est graue querere? Ergo qui potuit conuvertere animam in corpus, & corpus in animam, & commiscere cum eo spiritus subtile, tinget omne corpus.

De decoctione, cōtritione, & ablutione Lapidis.

Cap. VII.

ET scias illud, quod est multum necesse in hoc secreto atq; magisterio, est decoctio, cōtritio, atq; cribratio & mundificatio, atq; cum aquis dulcibus ablutio. Vnde qui aliquid huius operatus fuerit, mūdificet ipsum bene, & abluat atq; mundificet ab eo nigredinem, & tenebras quæ apparent super ipsum in eius operatione. & corpus subtiliet, quanto plus poterit, postea miscebit cum eo animas solutas, & spiritus mundos, quousq; sibi placeat.

De quantitate ignis, & eius commodo, & incommodo.

Cap. VIII.

ET cognoscat similiter quantitates ignium: & commodum rei huius, & incommodum eiusdem, prouenit à commodo ignis. Vnde dixit Plato in suis Sermonibus, in libro suo. Ignis addit perfectio commodum seu profectum, & corrupto incōmodum seu corruptionem. Vnde cum fuerit eius quantitas bona idonea, proficiet, & cum multiplicauerit in rebus, ultra modum corrūpet ambo, scilicet perfectum atq; corruptum: & hac de causa oportuit sapiētes mittere medicinas suas super Elixir, ad prohibendum & remouendum ab eis cōbustionem ignium, & eorum caliditatem. Et dixit Hermes patri suo. Pater timeo ab inimico in mea mansione. Et dixit: Fili, accipe canem masculum Corascenem, & caniculam Armeniæ, & iunge insimul, & parient canem coloris cæli, & imbibe ipsum una siti ex aqua maris, quia ipse custodiet tuum amicum, & custodiet te ab inimico tuo, & adiuuabit te ubicunque sis, semper tecum existendo in hoc mundo & in alio. Et uoluit dicere Hermes, pro cane & canicula, res quæ conseruant corpora à combustionem ignis, & eius caliditate. Et sunt illæ res, aquæ ex calcibus & salibus, quarum facturæ inueniuntur in libris sapientum de hoc magisterio.

magisterio. Et aliqui ex sapientibus nominauerunt eas aquas marinas, & lac uolatilium, & his similia.

De separatione elementorum Lapidis.

Cap. IX.

INde oportet o frater, quem Deus honoret, ut accipias lapidem honoratum, uel pretiosum quem nominauerunt sapientes, & magnificauerunt, & absconderunt, & celauerunt. Et ponas ipsum in cucurbita cum suo alembico, & separa eius naturas, hoc est, quatuor elementa, terram, aquam, aërem, & ignem. Et sunt ea, corpus & anima, spiritus & tinctura. Et cum separaueris aquam à terra, & aërem ab igne, serua utrumque duorum per se, & accipe quod descendit ad fundum uasis, & illud est fæx, & ablue ipsam cum igne calido, quousque auferatur eius nigredo, & recedat eius spissitudo, & albifica ipsam albificatione bona, & fac ab ea euolare additiones humiditatum, & tunc conuertetur, & deueniet calx alba, in qua non erit obscuritas tenebrosa, nec immunditia, nec contrarium. Postea redi ad naturas primas, quæ ascenderunt ab ea, & mundifica eas similiter ab immundicia & nigredine atque contrarietate, & reitera super eas multoties, quousque subtilientur, & purificentur & attenuentur. Et cum hoc feceris, iam misertus est tibi Deus. Et scias, frater, quod hoc officium est unus lapis, super quem non intret Garib, id est, aliquid aliud. Cum eo operantur sapientes, & de eo exit, cum quo medicatur, quousque compleatur. Non commiscetur cum eo aliquid, nec in eius parte, nec in toto. Et hic lapis inuenitur in omnitempore, & in omni loco, & apud omnem hominem, cuius inuentio non aggrauat inquirentem, ubicunque sit. Et est lapis uilis, niger & foetens, non emptus precio, & sine aliquo, non existit leuis in pondere, & uocant eum Origo mundi, quia oritur, sicut germinantia. Et hæc est eius reuelatio, atque apparitio inquirenti.

De natura Lapidis & eius origine.

Cap. X.

Accipe ergo ipsum, & operare ipsum, ut dixit philosophus in suo lib. quando nominauit eum sic: Accipe lapidem non lapidem, uel qui non est lapis, nec est de natura lapidis. Et est lapis, cuius minera generatur in capite montis, & philosophus uoluit dicere montes pro animali. Vnde dixit, Fili uade ad montes Indiarum, & ad suas cauernas, & accipe ex eis lapides honoratos, qui liquefiunt in aqua, quando commiscentur ei. Et illa aqua est ipsa, uidelicet, quæ sumitur ab alijs montibus & illorum cauernis. Et sunt filii lapides, & non sunt lapides, sed nominamus eos per similitudinem, quam habent ad eos. Et scias quod radices minerarum ipsorum sunt in aëre, & eorum capita in terra, & quando euelluntur à suis locis, audietur, & erit rumor magnus, & uade, fili, cum eis, quia cito euanescent.

De commistione elementorum separatorum.

Cap. XI.

ET incipe compositionem, quæ est circuitio totius facti: nam compositio non erit, nisi cum matrimonio, & putrefactione. Et matrimonium est, commiscere subtile cum spisso. Et putrefactio, est assare, terere, & rigare, quousque commisceantur insimul, & fiant unum, ita quod non sit in eis diuersitas, nec separatio, de aqua mista aquæ. Et tunc conabitur spissum retinere subtile, & conabitur anima pugnare cum igne, & pati ipsum: Et conabitur spiritus submergi in corporibus, & fundi in eis. Et oportuit hoc esse, quia corpus solutum, cum commiscuit se cum anima, commiscuit se cum ea, cum omnibus suis partibus, & alia in alijs intrauerunt cum sua similitudine, & conuersa fuerunt unum & idem. Et ideo oportuit, quod accidat animæ de commoditate, & de durabilitate, & permanentia, quæ accidit corpori in loco commistionis. Et similiter spiritui in hoc statu uel permanentia animæ & corporis, conueniens fuit accidisse, Quia spiritus cum commiscetur cum ea, cum labore operationis, & commiscitæ fuerint partes eius cum omnibus partibus aliorum duorum, quæ sunt, uidelicet anima & corpus, tunc conuersa fuerunt, spiritus & alia ambo, unum quid, & indiuisibile, secundum substantiam integram, cuius saluæ fuerunt sum

naturæ, & conuenerunt suæ partes, unde cum obtinuerit istud compositum corpori soluto, & ipsum consequuta fuerit caliditas, & apparuit super faciem eius, quod erat in eo ex humiditate, & liquefactum fuerit in corpore soluto, & transiuit in ipsum, & commiscuit se cum eo, quod est de natura humiditatis, incendit se, & defendit se ignis cum eo. Vnde cum tunc ignis uoluerit cum eo suspendi, prohibebit eum apprehendere se, id est, adhærere cum spiritu admisto aquæ suæ. Et ignis non adhærebit ei, quousq; sit purum. Et similiter aqua, ex sua natura fugit ab igne, & quando ipsam consequitur ignis, & uult eam auolare, & sic fuit corpus causa retinendi aquam, & aqua causa retinendi oleum, quod non comburetur nec consumetur. Et fuit oleum causa retinendi tincturam, & fuit tinctura causa præcisa faciendi apparere colorem, & causa demonstrandi tincturam, in qua non est lumen, nec uita. Vnde hæc est uita recta & rei perfectio, & Magisterij, & hoc est quod quæsiuisti. Scias igitur & intellige, & inuenies quod quæris, si Deo placuerit.

De solutione Lapidis compositi.

Cap. XII.

Sed postea philosophi subtiliauerunt se ad soluendum ea, ut bene se commiscerent, corpus & anima. Nam omnia quæ simul sunt in contritione & assatione, & rigatione, habent uiciniam & colligationem adinuicem, ideoq; potest ignis assumere naturam à debiliore quousq; deficiat & euanescat, & similiter reuertitur super partes fortiores, quousq; remaneat corpus sine anima. Vnde quando sic soluuntur & congelantur, accipiunt partes adinuicem, partes suas magnas uidelicet atq; paruas, & fuit hoc ex eis complexio, & est eorum assumptio, & sic conuersa fuerunt illa duo unum & idem. Et quando sic fuit, assumit ignis ab anima, quantum assumit à corpore, nec addit, nec diminuit, unde fuit per ea perfectio. Ex eo necesse est et capitulum proprium in scientia Elixiris, scilicet dictum, de soluendo corpora & animas simplices. Quia corpora non intrant super animas, & erunt retinacula eis, & excusabunt eas ab omni opere sublimandi, figendi, atq; retinendi, & commiscendi, & his similia, nisi cum mundificatione prima. Et scias quod solutio non transcendit hos duos modos: aut enim est extrahere interius rerum ad suam superficiem, & erit pro hoc solutio, & est exemplum ad hoc, quod argentum est frigidum & siccum in sua apparentia, & quando apparet suum interius, est solum, quia est calidum & humidum: aut dicta solutio est corpus acquirere humiditatem accidentalem, quam non habebat, & addit suam humiditatem cum ea, & ideo soluunt se suæ partes, & erit pro eo solutio.

De coagulatione Lapidis soluti.

Cap. XIII.

Et dixerunt aliqui ex sapientibus: Congela in balneo congelatione bona, quam tibi dixi, & est sulfur luminosum in tenebris, & est hiacynthus rubens, & toxicum igneum, & interficiens, & est Elixir, quod super nullum remanet: Et leo uictor, malefactor, & ensis scindens, & theriaca sanatrix, uel sanans omnem infirmitatē. Et dixit Geber filius Hayen: Quod omnes operationes huius magisterij sub sex cōtineantur rebus, quæ sunt fugare, fundere, & incerare, & dealbare, ut est marmor: & soluere & congelare. Et illud fugare, est fugare & remouere nigredinem à spiritu & anima. Et fundere, est liquefactio corporis. Et incerare, est propriè corporis & eius subtiliatio. Et dealbare, est fundere citò corpus propriè. Et congelare, est congelare corpus cum anima præparata. Rursum, fugare cadit super spiritum & animam: & fundere & dealbare, & incerare & soluere, cadit super corpus. Et congelare cadit super animam, & intellige.

Quod unus sit tantum Lapis, & de eius natura.

Cap. XIII.

Dixit Bauzan philosophus Græcus, cum interrogauerūt eum: Nunquid germinans potest fieri lapis? Dixit sic: Duo scilicet primi lapides, Lapis alkali, & lapis noster, qui est uita illi, qui ipsum scit, & eius factum. Et qui nesciuit, &

non

non fecit, & non certificabitur: quomodo nascatur, aut putabit lapidem, aut qui non comprehendit super omne quod de modis huius lapidis dixi, iam parauit se morti, & pecuniam suam perditioni. Quia nisi hunc lapidem honoratum inuenierit, non consurget alius suo loco, & non uincet naturæ super ipsum. Eius natura, est caliditas multa cum temperamento. Vnde qui ipsum sciuit, iam docuit ipsum, & qui ipsum ignorauerit, non docuit ipsum. Habet autem proprietates & uirtutes multas. Nam ipse mundificat corpora ab additionibus accidentium & gritudinum, & conseruat substantias saluas, ita quod non appareat, neque uideantur in eo turbationes contrariorum, nec fugimentum sui uinculi. Hic est enim sapor corporum & eorum spiritus, & eorum anima, quando commiscetur cum eis, soluit ea sine detrimento. Hic est uita mortuorum, & eorum resurrectio, medicina conseruans corpus, & purgans superfluitatem. Et qui ipsum sciuerit, sciatur & qui nescierit, nesciat. Nam huius officium non consurgit precio, nec associatur uenditioni, seu emptioni. Intellige eius uirtutem & ualorem atque honorem, & operare. Et dixit quidam sapiens: Non est tibi datum à Deo hoc magisterium, solum pro tua audacia, fortitudine & ualiditate, sine omni labore. Nam laborant homines, & Deus tribuit fortunam hominibus. Adora ergo Deum creatorem, qui tibi tantam gratiam suis operibus benedictis uoluit exhibere.

Modus operationis lapidis ad album.

Cap. XV.

Cum ergo uolueris hoc magisterium honoratum facere, accipe lapidem honoratum, & pone eum in cucurbita, & cooperi eum alembico, & clade eam bene cum luto sapientiae, & dimitte exiccare, quod sic facies, quotiescunque clades cum luto sapientiae, postea mitte in stercore calidissimo: deinde distillabis eum, & pones sub eo recipiens, in quod distilletur aqua, & dimittes sic, quousque tota aqua distilletur, & exiccabitur humiditas, & poterit siccitas super eum. Postea extrahes eum siccum, & seruabis aquam, quæ distillauit ex eo, quousque tibi sit necessaria. Accipiesque corpus siccum, quod remansit in fundo cucurbitæ, & tere ipsum, ponesque in uase chalcofolario, cuius quantitas sit secundum quantitatem medicinae, & subhumabis eam in stercore equino humido excellentissime calido, prout potest, & sit ipsum uas clausum bene cum pila & luto sapientiae, & sic dimittas ipsum esse ibi. Et cum noueris quod uoluerit infrigidari sterminus, parabis aliud calidissimum, & in eo pones dictum uas. Sic facies cum eo quadraginta dies, renouando saepe sterminus calidum, cum necesse fuerit, & soluetur medicina in se, & fiet aqua spissa alba: & cum sic eam uideris, scias eius pondus, & adde eidem quantum est medietas ponderis ipsius de aqua, quam prius seruasti, & clade tunc ipsum uas cum luto sapientiae, & iterum reducat sterminus equinus calidum: quia in eo est humiditas & caliditas, & non omittas (ut prius diximus) renouare sterminus, cum infrigidari inceperit, quousque compleantur quadraginta dies. Quia tunc medicina congelabitur in simili quantitate dierum, quibus soluta fuit prius. Postea accipe eam, & scias pondus eius integre, & accipe quantitatem eius de aqua, quam prius formasti, & tere corpus, & subtilia, & pone aquam super ipsum. Et iterum remitte in stercore equino calido, per unam septimanam & dimidia, & sunt decem dies, tunc extrahes, & inuenies corpus sambibisse aquam. Postea tere ipsum & pone super ipsum de ipsa aqua, quantum prædictum est. Et subhuma eum in stercore, & dimitte ibi per alios decem dies. Postea extrahes, & inuenies ipsum corpus quod iam biberit aquam. Postea, ut prius tere, & pone super ipsum de prædicta aqua, iuxta quantitatem prædictam, & iterum subhumabis in stercore prædicto, & dimittes ibi per decem dies, & postea extrahes. Et sic facies quarta uice, tunc cum iam quarto complebitur hoc, extrahes & tere, & subhumabis eum in stercore, quousque soluat: deinde extrahes, & reitera adhuc semel, quia tunc est origo perfecta, & iam compleuit suum factum. Tunc uero cum

ſe fuerit, & adduxeris rem o frater, ad hunc ſtatum honoratum. Accipe ducentas quinquaginta drachmas plumbi uel ſtanni, & funde ipſum. Deinde cum liquefacta fuerit, proijce ſuper ipſum unam drachmam de Cinnabari, id eſt de hac medicina, quam adduxiſti ad hunc ſtatum honoratum, & hunc ordinem altum, & retinebit ipſum ſtannum ſeu plumbum, ne euolet ab igne, & albificabit ipſum, & extrahet ab eo ipſius detrimentum, & eius nigredinem, & conuertet ipſum in tincturam permanentem perpetuo. Deinde accipe unam drachmam de iſtis ducentis quinquaginta, & proijce ſuper ducentas quinquaginta ſtanni aut latonis, ſeu cupri, & conuertet ipſum in argentum melius, quam de minera, & hoc eſt magis quod facere poteſt, & ultimum, ſi Deus uoluerit.

Conuerſio predicti Lapidis in rubrum.

Cap. XVI

ET ſi uolueris hoc magiſterium ad aurum conuertere: Accipe de hac medicina, quam (ut dixi) adduxiſti ad hunc ſtatum honoratum, & ad hunc ordinem altum, pondus unius drachmæ, & hoc ſecundum modum exempli tui ſuperius dicti. Et pone eam in uaſe chalcofolario, & ſubhumabis eam in ſtercore equino per quadraginta dies, quia ſoluetur: poſtea dabis ei ad bibendum aquam corporis ſoluti, primo quantum eſt medietas ſui ponderis, poſtea uſquequo congeletur, ſubhumabis in ſtercore calidiſſimo, ut prius dictum eſt. Deinde per ordinem facies in hoc capitulo auri, ſicut feciſti ſuperius in capitulo argenti. Erit aurum, & operabitur aurum, ſi Deus uoluerit. Cuſtodifili hunc librum ſecretiſſimum, & non ponas ipſum in manus ignorantium ſecretum ſecretorum Dei, quia perficies quod uolueris. Amen.

F T N I S.

LOCI ALIQVOT PRACTICAE EX GEBERO DECLARATI PER
doctum et expertiſſimum ſenem Ioannem Bryceſchum Vrceanum.

PRO declaratione modi operandi: Recipe calcem ferri, libro 2. cap. 2. & in lib. Inueſtigationis, & in eodem 2. lib. cap. 7. 14. & lib. 1. cap. 14. & ſubtiliter eam tere, libro 2. cap. 7. & 8. & libro 3. cap. 17. & lib. 4. cap. 4. & in libro Inueſtigationis, cap. de Preparatione iouis, & in ſequentibus: & cum aqua comuni toties laua illam, donec aqua exeat clara, libro 3. cap. 2. ante finem; & cap. 13. 15. & 18. & libro 4. cap. 5. & libro Inueſtigationis, cap. de Preparatione acetri acerrimi & ſequentibus, & maxime in cap. Preparationis Veneris: ubi dicit, quod toties lauetur, donec aqua exeat clara: & quantum multis in locis ſcat, ut lauetur aceto, ipſe intelligit de lotione ſulſuris & argentiuiui: ſed uult etiam ſignificare, quod ſimiliter calx lauetur cum aqua: cum lota fuerit, deſiccetur bene ad Solem, ut in libro Inueſtigationis, cap. de Preparatione Veneris, & ſequentibus. Poſtea pone materiam illam in bocis plantis fundum, uel plantis in fundo, ſeu plani fundi, altitudinis unius digiti tranſuerſi, lib. 2. cap. 10. & ſuper illam pone acetum diſtillatum, quod ſuperet digitos quatuor ſupra materiam, libro 2. cap. 15. libro 3. cap. 7. lib. 4. cap. 4. & 8. in proœmio lib. Inueſtigationis in fine, & in eo toto libro: & co operantur ne reſpirent, & ea ſepelias in ſano equino medio critter calido, lib. 2. cap. 15. & ibi maneant elſciter dies quindecim, & poſtea per diſtillationem filtri, aut per inclinationem uaſis extrahere quod ſolutum eſt in aceto, & pone in bocis magno, & ſi elſcitur, deſicca materiam & tere etiam ſubtiliſſime, & ſuper eam pone etiam acetum diſtillatum, & ſic fac ter, ut ſupra: & totam materiam ſoluta pone ſimul in magnis bocis, ut habes ſupradicto loco, & quotidie comoue materiam donec clarificetur, poſtea diſtilla per filtrum, ut habes lib. 2. in fine 12. cap.

postea pone partem illius materię rubeę & putrefactę in uno aut duobus uas-
 sis, similibus uasis putrefactionis lib. 2. cap. 8. ordinatis cum suis capellis & fur-
 nis in balneo cum suis recipientibus pro recipiendo aceto quod distillabit. Et ad-
 uerte, quod a parte superiori recipientium, inuenies arg. uiuum sublimatum, ut
 est illud uulgi, & simile uidebis in uasis putrefactionis, quanuis illud arg. uiuum
 nullius sit utilitatis, & quemadmodum deficit acetum, reponere de illo rubeo, do-
 nec totum posueris: & in summitate aceti, quotidie sublimabuntur una uel duę
 pelliculę, primò nigrę, postea diuersorum colorum: libro secundo, cap. 13. & in
 libro Inuestigationis, cap. de Pręparatione Iouis. & pelliculę illę sunt oleum sul-
 furis: libro primo cap. 14. & libro quarto, cap. 20. & sunt sulfur calcinatum, libro
 primo, cap. 13. libro tertio, cap. 1. & 6. & semper proijce infundum eas pelliculas
 sulfureas, libro secundo, cap. 8. 13. 18. Et in libro Inuestigationis cap. de Prępara-
 tione Iouis, & sequentibus: quoniam illud est sulfur fixum, libro primo, cap. 13,
 & libro tertio, cap. 1. 6. 8. & proijciuntur in fundum pelliculę, si moueatur uas pa-
 rumper, & tantum stet in fundo, donec sit mundum & purificatum, libro secun-
 do, cap. 18. & libro Inuestigationis, cap. de Pręparatione aceti acerrimi & sequen-
 tibus: Quoniam suum sal, acetum, & ignis, mundificant corpora sulfurea, libro
 primo, cap. 13. lib. 2. in proœmio, & cap. 14. libro quarto, cap. 5. & in fine proœmij
 lib. Inuestigationis & sequentibus. Et quando sulfur fuerit mundatum, extrahe
 cap. de Pręparatione aceti acerrimi, in libro Inuestigationis, & sequentibus. & se-
 para sulfur ab aceto & a sale, & pone sal in storta lutata, & primò cum lento igne
 separa aqueitatem, libro secundo, cap. 3. & 7. postea muta recipientem, & ignem
 auge, libro secundo, cap. 8. 9. 11. 13. in libro Inuestigationis, cap. de Pręparatione
 Iouis, donec totum oleum simul cum aqua Mercuriali distilletur, & descendat in
 recipientem, libro primo, cap. 13. libro secundo, cap. 8. 9. 12. in libro Inuestigatio-
 nis, cap. de Pręparatione Iouis. quoniam in eo oleo ineest sulfur purum & mun-
 dum dictum arsenicum & Venus, libro primo, cap. 10. & 17. & lib. 2. cap. primo,
 libro 3. cap. 8. & 15. in libro quarto, cap. 4. in fine, in libro Inuestigationis, cap. de
 Pręparatione Iouis & sequentibus. in fundo bocis remanent terre salis dicti Mer-
 curij libro 1. cap. 12. libro 2. cap. 2. 7. 9. 11. In tertia causa descensionis lib. 3. cap. 6. 7. 13.
 in libro Inuestigationis, cap. de Pręparatione aceti acerrimi & sequentibus.
 & illud est Mercurius fixus & terreus lib. 3. cap. 6. Sed illę terrę separantur a Mer-
 curio per lauationem, id est cum aceto distillato, distillando per filtrum, libro 1.
 cap. 19. libro 3. cap. 2. 8. 9. 13. 18. in libro Inuestigationis, cap. de Pręparatione aceti
 acerrimi & sequentibus. postea congela in urinali per balneum, & tunc sal aut
 Mercurius est pręparatus, lib. Inuestigationis per totum, & in Testamento. Ha-
 bes ergo sulfur, arsenicum, & argentum uiuum pręparata, sed te oportet separa-
 re arsenicum ab aqua Mercuriali mediante balneo, libro 1. cap. 12. lib. 2. cap. 12. ta-
 men pro maiori comoditate pones duplicem furnum, sulfur & argentum uiuum
 pręparata in bocciula ultimę fixationis, & facies commistionem & unionem om-
 nium spirituum & elementorum libro 1. cap. 7. & pones illa super ignem lentum
 & siccum, donec aqua Mercurialis, dicta sal armoniacus, & sal dissolutum, subdi-
 liet & soluat prędictum sulfur libro 2. cap. 15. lib. 4. cap. 10. in libro Inuestigatio-
 nis. cap. de Pręparatione Iouis, & sequentibus. & ut prędicti spiritus possint uni-
 ri & cōiungi per minima, libro 1. cap. 13. 17. libro 2. cap. 15. lib. 4. cap. 4. 6. 9. 10. 11. 14.
 Postea cum capello extrahe aquam Mercurialem, aut dimitte collum apertū, do-
 nec ea exhalet lib. 1. cap. 7. lib. 2. cap. 7. 16. 17. & postea claude os colli bocciule, ut
 non respiret: & collum debet esse lōgum & corpus rotundum, lib. 2. cap. 14. in fi-
 ne, & cap. 16. 17. & pone bocciulam in scutella cinerum in cōuenienti furnello, &
 subter fac ignem lucernę, ut primò possit coagulari, & postea fixari, lib. 1. cap. 7,
 libro 2. cap. 15. 16. 17. 18. lib. 4. cap. 10. 11.

Experientia igitur dedit modos operandi, uidelicet primò calcinationem ferri, (seu scoriz illius melioris, quæ à fabris secus uias in cumulum proijcitur) secundò sublimationem sulfuris sui, tertio descensionem & distillationem salis sui, quarto solutionem sulfuris sui, quinto coagulationem spirituum solutorum, sexto fixationem Elixir, septimò cerationem sulfuris & Elixir cum sale preparato, id est, ferro calcinato: in quo ferro sunt omnia metalla philosophorum. Ignis ipsa turpia transformat ab obscuritate ad claritatem, ab immundicia ad mundiciem. Perspicuum quanto magis comburitur, tanto magis fit perspicuum. Quocumq; tempore, quocumq; loco, & quocumq; calore expoliantur imperfecta metalla omnia à sulfure corrumpente, statim perficiuntur in aurum. Nam uera autem Alchymia, scientia est, qua metallorum principia, causæ, proprietates, & passionēs omnium radicatus cognoscuntur, & quæ imperfecta & incompleta, mista, & corrupta sunt, in uerum aurum transmutantur.

F I N I S.

LIBER DE MAGNI LAPIDIS COMPOSITIONE ET

OPERATIONE, AVTHORE ADHVC
INCERTO, SED TAMEN DO-
CTISS. CAP. I



AT V R A L I S Philosophiæ partem secretam, sci-
entiam videlicet famosam, inclytam & gloriosam,
insipientibus occultam, sed pijs ac prudentibus ma-
nifestam scribimus, qua pauperibus & inopibus sub
ueniri possit: Hoc autē succincti sermonis eloquio *Operis claritas.*
non penitus occulto, nec penitus manifesto, non ta-
men sub ænigmate, vel figura, sed potius sub plana
sermonum serie: tali tamen, quod hoc prudentes nō
lateat, mediocribus autē profundissimum sit, fatuos
verò miserabiliter excludat: ne improbus æque ac

probus tam excelsam scientiam vsurpet indignè. Artificem verò huius scientiæ *Artifex qualis
esse debeat.*
oportet esse subtilissimi ingenij, & naturas metallorum eorumq; generationes
infirmities, & imperfectiones in suis mineris scire, & cognoscere, antequam
perueniat ad hanc artem, si in tribus ordinibus medicinarum, vel lapidum vo-
luerit esse perfectus. Sed quia priorum duorum ordinum medicinae sunt sophi-
sticae, & non tollunt de commisto, relinquitur vnica sola, quæ est de tertio or-
dine: & dicitur vnica & vera omnino, & certa: quia sola tollit de commisto, &
lapis magnus & preciosus philosophicus, seu medicina summa & preciosa, à Phi-
losophis appellatur: de qua sola Philosophi scripserunt in suis libris, & loquuti
sunt, alijs medicinis & lapidibus prætermisissis: ideo nos, ipsos imitantes, tantum
intendimus de hoc lapide magno, vel medicina summa loqui in hoc libro, om-
nibus alijs prætermisissis. *Ordinum trium
Lapidis qui opti-
mus.*

Non accedat autem ad ipsam indagandam artifex grosso ingenio, & duro *Qui ab hoc ar-
tificio negocio.*
repletus, nec avarus, nec sumptibus parcens, vel expensis, nec vir duplex, om-
nino variabilis à proposito, nec nimis festinus, nec infirmus, aut impotens ma-
nibus vel oculis, aut nimis antiquus, nec ita pauper, vt habere non possit vnde
hanc sumptuosam scientiam indagare possit: sed potius sit doctrinæ filius, vir *Artificis mores
& conditio.*
subtilissimo ingenio decoratus, sufficienter locuplex, largus, sanus, firmus in
proposito, patiens & mitis, temperatus, & sufficienter suis membris & organis
bene dispositus & ordinatus. Nec tædeat artificem huic libro sæpius stude-
re, et ex eo verum intellectum extrahere, & extractum in corde suo secretè ge-
rere, perpetuæq; memoriæ commendare, postea operari. *Libro huic se-
pius studendum*

Nō enim solū per libros ipsam conuenit indagare, quia qui per libros ipsam
solū sequitur, tardissimè eam inueniet, eo quod libri istius scientiæ non sunt
scripti ad doctrinam ipsius, sicut libri aliarum scientiarum, sed sunt tantum quā-
tum figuræ ipsius scientiæ, quia scripti sunt suboccultè, & diuersis ænigmati-
bus, metapōricè & figuratè. Et hoc totum ne per ipsos verè sciatur, cognosca-
tur & tradatur, quod hæc scientia est vera & omnino certa: vnde nullus Philo-
sophorum vnquam hanc scientiam scripsit, vt est, sed tantum alliciunt artifices
ad ipsam indagandam & inquirendam: quidam autem ipsorum minus clarè,
quidam magis occultè, nunquam autem magis manifestè. *Ex omnino solis
libris artificum
non perfici.*

Et ideo non trademus ipsam scientiam, nisi nobis solū: sed tamen per hæc
quæ dicemus, alliciemuste, fili doctrinæ, ad ipsam indagandam, & veraciter

A

*Ars quomodo
inuenienda*

*Artifici non de-
sperandum, & à
sophisticis operi-
bus omnino ca-
uendum.*

*Sciētia hæc pro
quibus data.*

Nota

inueniendam: non tamen propter hoc desperet doctrinæ filius, quia si ipsam quærat per ea quæ in libro sunt scripta, proculdubio ipsam inueniet, non autem per viam doctrinæ, sed proprio motu indagacionis naturæ, cum maiorum sumptuum interpositione, & cum magna instantia laborum, & meditatione continua, atque poena. Sunt enim multa obstacula ipsius tam famosæ scientiæ, quæ impediunt artifices ipsam indagantes, omnino præcauenda in hac vera indagacione: et maxime cum in desperationem lapsus artifex, inclinatur ad opus sophisticum faciendum, à quo omnino est præcauendum, & in hac vera indagacione penitus intendendum. Qui autem ipsam consequi meruit, merito philosophus in hac arte philosophiæ nuncupatur, & ea semel facta, nullatenus ipsam reiterare à prudenti opifice contingit. Pro solis enim pauperibus à Deo hæc nobilis scientia est tributa: & si reges & principes eam scirent, nullus philosophorum de cætero attingere posset. Post studium verò huius libri continuum, & ipso intellecto, opus incipere oportet artificem studiosum, & per opus hæc scientiam præcellam subtili ingenio indagare, & ea inuenta omnino certa & vera, non sophistica, ipsam secretissimè celare, & custodire, & cautè & prudenter loco & tempore in suis necessitatibus ea uti: quia qui thesaurum publicè portat & vitur, cupit depreddari.

C A P. I I.

*Dimidium facti
qui bene cepit,
habet.*

*Principia scien-
tiæ
Principium me-
tallorum, & ge-
nerationis mo-
dus.*

*Elementa quo-
modo in metallis*

CV M enim vniuscuiusque rei principium & medium debitum sumpserit effectum, finis inde laudabilis comprobatur. Et philosophus dicit, quòd ignoratis principijs, cætera etiam subsequētia ignorantur: ergo à contrario cognititis, cognoscuntur. Et in primo Ethicorum dicitur, Quòd qui scit principium alicuius rei, scit ferè vsq; ad fines eius. A principijs ergo & medijs tam præcellæ scientiæ est ordiendū, vt ea effectu debito terminetur, vt inde finis succedat consummatio gloriosa. Sunt autem principia istius famosæ scientiæ eadē quæ naturalia in metallis: Metallorū autē principia sunt ista, sub quæ fundatur ars in suis actionibus in ipsis formadis. Materia verò principalis omnium metallorū in suis mineris, de qua ipsa generatur & causantur, est aqua sicca, quæ aquam uiuam, vel argētum viuum aliter nominamus, & spiritus foetens, quem aliter sulphur appellamus: non tamen in natura sua pro ut sunt in suis mineris creata, quia in locis suis vbi generantur, nullum metallum inuenitur, sed potius ista materia est quædam substantia naturaliter à natura creata, habens in se naturam & substantiam istorum duorum: & ex ista tali materia vel substantia duorum prædictorum procreata, generatur & creatur quædam substantia subtilis fumosa in visceribus terræ & venis mineralibus, vbi congregantur & detinentur. Et deinde adueniens virtus mineralis super ipsam fumosam materiam, eam congelat & vnit se cum ea vnione inseparabili & firma per decoctionem naturalem, & mineræ temperatam, non solum cum plurimo vtriusque, sed in plurimo vtriusque, ita quòd nec humidum prædictum, scilicet arg. viuum a sicco, scilicet à prædicta substantia sulfuris, nec siccitas ab humido possunt de cætero separari. Ex his patet quòd in metallis sunt quatuor elementa naturaliter, & quòd sunt homogenea: quia nihil aliud sunt quàm fumi subtilissimi per decoctionem naturalem in suis mineris congelati & fixi, & in metalli naturam alterati, conuersi, & mutati. Item patet quòd humidum radicale metallorum in eorum calcinatione propter homogeneitatem & fortem vnionem elementorum ad inuicem in ipsis non consumitur, nec separatur, sicut consumitur & separatur humidum lapidis, quia non est vnitum in eis cum sicco in plurimo vtriusq;. Et sic patet quòd humidum lapidum est volatile & fugitiuum ab igne, humidum verò metallorum est fixum & permanens in igne. Item in generatio

ne metallorum substantia sulfuris prædicta se habet per modum agentis, substantia verò arg. viui se habet per modum patientis. Et sic patet quòd sulfur est pater mineralium, arg. autem viuum mater.

C A P. III

Ex prædictis omnibus à prudētī artifice subtiliter intuētī colligitur, quòd natura in metallis creandis & formandis habet quandam substantiam vel materiam, videlicet arg. viuum, & sulfur, vt est dictum: ex qua materia facit naturaliter exire in mineris illam fumosam substantiam, seu materiam subtilem, quæ postea artificio ipsius naturæ, vt est dictum, conuertitur in metallū. Illa verò prima materia à qua fumosa prædicta materia generatur & exit, est quoddam corpus: & illa fumosa ab ea generata est quidam spiritus: & sic natura facit de corpore spiritum, & sic facit ascendere à terra in celum, idest rem corporalem facit spiritualement. Et quia postea hanc materiam spiritualement natura cōuertit in metallum, vt est dictum, tunc facit de spiritu corpus: & sic facit descendere de cælo in terrā, idest rem spiritualement facit corporalem in suis operationibus & actionibus. In omnibus autem istis operationibus verè nō possumus & propriè ipsam naturam sequi, sed per quandam similitudinem ipsam sequi tenemur in operationibus istius scientiæ, quod magis propriè, prout expedit arti nostræ, hoc est attentius faciendum.

Mirabilis naturæ in generandis metallis modus.

Item patet quòd omnia metalla quantum ad radicem naturæ sunt eiusdem substantiæ vel materiæ, & tamen non sunt eiusdem formæ, & hoc est propter infirmitatem & sanitatem, mundiciem & immundiciem, paucitatem & quantitatem ipsius substantiæ arg. viui & sulfuris in vnione & commistione naturali, & propter naturam minerarum diuersarum, ac longam vel breuem ipsius naturæ decoctionem. Et hæc in vniuersali de generatione naturali metallorū diximus. Si autem hæc in particulari quis scire voluerit, videat Philosophū 4. Meteororum cum suis cōmentatoribus, & Albertum de mineralibus, & summam Geberi philosophi, quæ est de perfectione magisterij huius artis.

Metallorū identitas, ex diuersitate unde.

Particularis metallorum scientiæ unde petenda.

C A P. II II.

H V I V S verò famosæ sciētīæ radicalia principia super quæ fundatur, sunt ista, videlicet, Quædam materia vel substantia propria arg. viui & sulfurum fumosa & subtilissima, ex natura prædictorum duorum per nostrū artificium generata, limpidissima, clara tanquam lachryma, in qua latet & habitat spiritus quintæ essentīæ, ut inferius dicemus. Non tamen est ista substantia ipsum sulfur, nec ipsum arg. viuum, prout sunt in natura sua in mineris suis, sed est quædam pars ipsorum duorum, quæ non est arg. viuum vel sulfur. Quæ substantia prædicta fumosa & volatilis in propriam substantiam aliam arg. viui & sulfuris fixam & firmam, quæ est patiens ignem, nec eum fugiens, sed in eo perseverans, figitur & massatur: quæ postea per decoctionem temperatam & cōtinuam, & per magisterium huius scientiæ cum alijs ad hoc conuenientibus cōgelatur in lapidem fundentem, fluentem, tingentem, & in igne perseverantem. Quidam philosophi dicunt, quòd ex solo arg. viuo sine admistione sulfurum, hæc materia fumosa generatur, sed hoc est idem, quia arg. viuum habet in se naturaliter sulfur rubeum mistum: & hoc sulfur rubeum ab albedine ipsius propria manu separauimus, tetigimus, & vidimus. Attamen Philosophus, qui dicit, quòd ex sola substantia mercurij sine additamento substantiæ sulfurum lapidis elicitur vel generatur, non hoc intelligit de substantia fumosa prædicta, in qua latet spiritus quintæ essentīæ quem quærimus quo tingamus, sed de substantia fixa & firma lapidis, quæ est terra ipsius, in qua figitur idem spiritus: quæ terra ipse lapis spiritualis imprægnatur in ventre ventī per magisterium huius

Principia scientiæ metalliæ.

Opinio recitata

Nota

Quid uentus sit, vide infra Ca. 16

*Elementorum
usus in hac scien-
tia.*

*Elementorum
transmutatio*

*Ars optimè na-
turā imitatur.*

*Operatio parti-
cularis hunc tra-
ditur.*

*Nota experto
credendum.
Elixir precedit
lapidem, ex quo
modo*

*Elixir quid
Lapis quid*

artis, ut inferius ostendetur. Nullo modo substantia fumosa prædicta potest naturaliter elici, nisi ex substantiis prædictorum duorum arg. viui & sulfuris insimul admistis. Item aqua & ignis in hac scientia sunt agentia, unde oportet scire aquam & ignem coadiuvare simul: terra & aer sunt patientia: aqua & ignis sunt agentia: aqua est masculus, & terra est foemina: Sol est pater ipsius, & Luna mater. In hac operatione huius scientiæ pluribus rebus indigemus, quibus non indiget natura & sic in omnibus sequi naturam non valemus. Ex his patet quod in illis quibus indigemus, sunt quatuor elementa, unde oportet scire elementa convertere unum in aliud, alterare vel mutare, videlicet, facere de humido siccum, & de sicco humidum: de frigido calidum, & de calido frigidum: aliter opus huius scientiæ non posset aliquo modo vel aliter consumari. Item nota quod faciendo generari prædictam fumosam materiam à substantiis prædictorum duorum, scilicet mercurij & sulfuris, & suorum adiutorum, quod dicta substantia simul unita est quodammodo corpus, à quo exit ista fumosa substantia: nam fecit artifex ascendere à terra in cælum quandam materiam vel substantiam corporalem in materiam vel substantiam spirituales: & cum postea ipsa materia vel substantia spiritualis facta congelatur, & fixatur, & in lapidem convertitur, tunc facit descendere de cælo in terram & materiam vel substantiam spirituales iteratim facit corporalem. Et sic patet, quod sicut natura facit de corpore spiritum, & de spiritu corpus in generatione mineralium metallorum: ita & nos in generatione artificiali lapidis mineralis per artificium nostrum mirabile, facimus corpora spiritus, & spiritus corpora. Et hoc est quod dicit Aros, Facite corpora spiritus, & invenientis quod queritis. Ex his clarè liquet, quod principia & operationes istius scientiæ similia sunt principiis et operationibus naturæ, tamen indigemus pluribus alijs quam natura.

C A P. V.

DA T I S ergo principijs de generatione metallorum, ac materia operationum in eis, atque istius inclitæ & famosæ scientiæ in uniuersali: nunc de operatione istius artis & magisterij in particulari videamus. Totum opus magisterij magni lapidis philosophici, & occulti duas habet partes operationis: Prima est de operationibus Elixir, & dicitur primum opus: Secunda pars est de operatione lapidis, & dicitur secundum opus, quod aliter & in alio vase fit: & terminata prima operatione Elixir, incipit istud aliud, quod est secundum, de operatione lapidis. Quidam philosophi in libris suis primo tradiderunt secundum opus scilicet operationem lapidis, postea primum opus, quod est de Elixir. Et quidam modò loquuntur de vno opere, modò de reliquo, scienter intrinsecando se, & sua intentionem obscure persequentes, & obscurius exponentes, ut inquisitores fatuos & duro ingenio vel grosso existentes deciperent, hancque & merito famosam scientiam penitus occultarent, & prudentes ad eam allicerent, & eis manifestarent. Nos autem rectum ordinem in hac operatione lapidis prout proprijs digitis probauimus, & tetigimus, & oculis vidimus, tenebimus in hoc libro. Prius enim necessarium quod res elixentur, hoc est in Elixir conuertantur, antequam in operatione lapidis intendatur, aliter ad inuentionem & operationem magni & veri lapidis nullatenus quis attinget. Vocauerunt autem quandoque philosophi in libris suis Elixir lapidem, & lapidem Elixir, non facientes differentiam nominum inter utrumque, ut fatuos excæcarent, & tamen dixerunt veritatem. Quare verè Elixir est primum & principale fundamentum & radicale lapidis preciosi quod postea per operationem secundam conuertitur in ipsum lapidem preciosum, vel medicinam summam, quæ sola de commisto & infirmo & imperfecto metallorum tollit, et ea reducit ad sanitatem & perfectionem summam, super quæ projecta fuerit: & realiter conuertit & transmutat in iunificum vel solificum verè secundum.

secundum colorem ipsius lapidis. Philosophi autē diuidunt Elixir vel lapidē, & dicunt quod habet corpus, animā & spiritum: & sunt hæc vnita in ea vnitione naturæ, cui per artificium ministramus, quod sic agat. vnde nos nō facimus Elixir nec lapidē, sed natura, cui ministramus materiā, de qua agit. Corpus vocāt terrā debitā lapidis, quod dicitur secretū lapidis vel Elixiris, quod aliās fermentū vel nutriticē ipsius appellamus. Ex his colligit, q̄ ex substantia arg. viui & sulfuris subtilissima & puriss. & ex terra nostra, Elixir cōponit, & lapis cōsistit.

Corpus quid nō
cetur.
Elixir ex quibus
fiat.

C A P. VI.

ELIXIR autem in hac scientia dupliciter cōsideratur. Est enim Elixir ad album, & Elixir ad rubeum. De Elixiri ad album prius est videndū, & primo de eius speciebus, ex quibus cōponitur. De speciebus verō Elixiris albi, Philosophi variē tradiderunt, & diuersis nominibus ipsas species nominauerunt. Quandoq̄ enim pro speciebus nomina colorum ipsarū specierū ipsas species nominauerunt, ita quod multum ampliauerunt nomina istarū specierū & in tantū, quod ob earum nomina multiplicata & dicta ab earum coloribus, vel naturis, plures & diuersæ species conuenire videantur, quanq̄ non oporteat: sed semper aliquid addentes vel subtrahentes, vt fatuos deciperent inquisitores. Quidam autem posuerunt & quæsierunt hanc præcellam scientiam in vegetalibus vel materialibus: sed quanuis istud sit possibile per naturam, nō tamen eis possibile est, quia potius eis in laborando vita deficeret, q̄ quod laboratum ad finē deducere possent. Quidam autē quæsierunt ipsam in lapidibus, gēmis, vitris, salibus, baurachijs, & similibus: quod impossibile est, & contra naturæ principia hoc in talibus reperire: quanuis quandoq̄ alteratio in prædictis reperiatur, post tamen longum laborē. Quidam aliquando in spiritibus tantū, videlicet in mercurio & sulf. cum suo compari arsenico & sale armoniaco ipsū quæsierunt. Et quidā alij in omnibus corporibus metallorū. Et quous isti duo ultimi in parte bene quærāt, & nō in toto, & alij duo in toto malē quærāt: ideo omnium istorū secta rationibus est uacua. Nos autē prætermisiss omnib. prædictis certū numerū specierū quæ cōueniūt ad hoc Elixir, in hoc libro nominabimus.

Duplex Elixir

Errorum causa.

Vegetabilia.

C A P. VII.

QUATVOR autem species sunt, & nō plus, nec minus, quæ ad hūc Elixir conueniunt cōponendum, videlicet arg. viui, sulfur citrinū fugiens sulfur viride fixū habens ventrem nigrū intellectu, quous clarum in visu videatur, & sulfur album fixū: & hæc tria sulfura sunt fundentia & fluentia sicut cera. Istarū autē specierum optimæ vel meliores sunt nouæ quā antiquæ. Bonum sulfur viride est, quod in grossis frustis reperitur, & cum frangit̄ habet fractionem clarā, viridem, & est lucidum ad modū vitri. Et propter hoc à Morieno Philosopho almagra, hoc est, vitrū appellatur ratione colorum sui, cum tamen non sit vitrū in rei veritate, sed simile ei in fractione est: sulfur album fixū melius est cum fuerit bene albū, fracturam habens albā, lucentē & clarā, & est per grana oblonga non multū, sed parum grossa. In grossioribus granis melius est sulfur citrinū fugiēs: & sulfur viuum melius est quod fuerit in grossis frustis clarum & nō petrosū. Mercurius autē venalis habebatur apud Parisios, quando incepti artem istam, valens sing. lib. solidos duos Parisiēses. Vna autē lib. sulf. viui sexdecim denarios: libra verō aliorū duorum simul mistorū vel compositorum quatuor solidos. lib. deniq̄ sulf. viridis duos denarios. lib. sulf. albi quatuor solidos. Et ita patet, quod istæ species non sunt magni pretij. Omne enim quod magno precio emitur, in hac scientia non oportet quærere, vt dicit Morienus philosophus. Nomina istarum trium vel quatuor specierū & eorū cōpositio nulli fatuo, vel insipienti reuelantur: dimittendi enim sunt in suis erroribus.

Species ad Elixir

Boni sulfuris ratio, & species.
Morienus philosophus

Mercurius.
Precia specierū.

Que non reuelanda & quibus

bus: quia qui per alias species quærunt hanc præcellam scientiam, ipsam nõ inuenient, nec ad ipsam attingent, donec Sol & Luna in vno corpore redigatur, quod sine præcepto diuino impossibile est euenire.

CAP. VIII.

COMPONITVR autem arg. viuum cum sulfure viuo citrino, ita quod in simul alterantur quodãmodo à sua natura prima, & veniunt vnũ & idẽ in vna massa rubea, quã tunc vocamus Terram rubeam ponderosam: & ex hinc amplius non sunt, nec conueniunt nisi tres species in hac arte. De hac autẽ dispositione seu compositione primæ alterationis harũ duarum specierũ loquitur Morienus in lib. suo ad Regem Ali: & dicit, Fac vt fumus albus, idest, mercurius, fumum rubeum, idest sulfuris capiat, & simul ambo effunde & coniunge, ita quod par pondus apponatur & c. Sed quia hæc compositio, siue dispositio, videlicet ista terra rubea, lucida, pōderosa, tota composita venalis inuenitur: ideo non curamus laborare circa ipsius compositionem, sed ipsa prætermittitur, ad alias veniamus. Aliæ duæ species non componuntur, donec in opere huius artis ponantur. Quamlibet autem istarum specierum vocauerunt Philosophi Lapides in suis libris, & hoc propter similitudinem quam habent ad ipsos, non quod sint lapides in natura.

Prima cōpositio

Lapis non lapis

CAP. IX.

EMPTIS autem à te & habitis, fili doctrinæ, his tribus speciebus, accipe lib. vnã duodecim vnciarum de sulfure viridi fixo, & tere super marmorem, vel alibi vbi melius poteris, & reduc ad puluerem minutũ in quantũ poteris, & natura eius exigit, quo contrito serua & pone ad partem. Secundo accipe tres vncias, id est quartam partem vnus libræ duodecim vnciarum de sulfure albo fixo, & eodem loco tere per minuta, sicut de alio fecisti, & serua ad partem. Tertiò accipe tres vncias de terra rubea, lucida, ponderosa, quæ est cōposita ex sulfure & mercurio, vt dictum est, & in eodem loco pista & tere eam: donec in ea nihil lucidũ appareat, & fiat puluis minutus, rubicundissimus, ponderosus, & serua ad partem per se, sicut de alijs fecisti. Hoc autem opus contritionis vocatur à Philosophis Hyems. nam hyems omni fructu & virtute naturali agente destituitur, & ita istud opus contritionũ destitutũ est omni operatione agente Elixir, quia adhuc nihil est commissum de prædictis. Et ita patet, quod hyeme semper incipitur Elixir, & omni tempore est hyems, & Elixir potest incipi, & operari.

Hyems quid in hac arte.

CAP. X.

OPERATIONE hyemis completa, vt dictum est & terminata, tũc ista tim sine interuallo incipit opus de compositione, & admistione istarum specierum per manus hominis artificis, & sic fit. Omnes istos pulueres istarum specierum simul iunge & misce per minima super marmore: non enim credimus alibi hoc bene prout decet posse fieri, ita quod tota materia videatur esse rubea, & quasi vna eademq; substantia. Et postea istam totam materiam rubeam diuide in duas partes æquales, & ita quælibet pars continebit nouẽ vncias, idest dimidiam lib. duodecim vnciarum cum tribus vncijs, idest cum quarta parte ipsius libræ. Singularem autem pars huiusmodi præparationis & cōpositionis ponatur in vase suo proprio ad hoc destinato, & est istud vas vrinale duplex, quod venale inuenitur. In tali enim vase semper sic facimus opus istud scilicet quod vas alembicus vitreus situetur, ita quod os vrinalis non subintret os alembici, sicut fit in omnibus distillationibus, sed potius os alembici subintret os vrinalis, & ab eo circumdetur: & ibi deinde lutetur & iungatur alembicus cum luto philosophico, deinde dimittatur lutum desiccari & indurari, vel

Specierum com mistio.

Vasorum situatio non vulgaris

ad h.

ad ignem cautè desiccetur & induretur, ita quòd alembicus nō possit ab eo separari: relutetur iterum super illud lutum siccatum, & desiccetur vt prius, ita vt spiritus nullo modo per iuncturas exire nec fugere possit. Et de hoc nullum vidimus securum in ista iunctura nisi nostrum per cautelam nostrā, quæ talis est: Post omnes enim desiccationes luti, accipe ceram communem, & de ea circumda desuper totum lutum desiccatum, & deinde cum ferro calido funde ceram super lutum sapienter & cautè, provt hoc exigit, & de cætero nō timebis ne de spiritu per lutum aliquid amittas: Sic autem fecimus multis modis in hoc opere. Vocatur autem præsens opus istud à philosophis opus Veris, quòd sicut res in Vere vniuersaliter & naturaliter simul vniuntur ad fructificandum vnaquæq; secundum suam naturam, ita et hîc res ex quibus Elixir componitur, in hoc opere vniuntur ad fructificandum vel generandum lapidem philosophicum. Et sic patet, quod opus Veris in Elixir, finita hyeme statim incipit, & omni tempore post illud, potest & debet statim incipi.

*Lutatio fortis.**Veris opus.*

C A P. XI.

HÆC autem compositio manualis artificis prædictarum trium specierum facta, vt est dictum, caret proprio nomine: vnde si proprium nomen haberet, Philosophi eam proprio nomine nuncuparent: sed quia non habet, ideo nominauerunt ipsam, Lapidem benedictum (qui tamen nō est lapis, nec habet naturam lapidis) ex eo quòd res ex quibus componitur habent similitudinem ad lapides, et ex eis creatur lapis benedictus. Quidam nominauerunt ipsam, Lapidem mineralem, vegetabilem, animale: Mineralem, quia res ex quibus componitur sunt materia mineralia in sua natura: Vegetabilem, ex eo quòd corpus habet animam & spiritum, vt animalia. Quidam dixerunt ipsam esse nigrum & foetens, eo quòd habet ventrem nigrum, & ex spiritu foetenti componitur. Quidam alij dixerunt ipsam esse Chaos, & voraginem mundi, vel massam confusam, eo quòd sicut totus mundus creatus fuit in vna massa quatuor elementorum confusa, quæ postea per separationem ipsorum facta ex creatione apparuit mundus distinctus, pro vt est: ita & in hac compositione confusa siue massa, sunt quatuor elementa confusa & simul mista, quibus ab ea per artificium separatis, incipit apparere distinctè Elixir, quod tot & pluribus alijs diuersis nominibus, ipsorum philosophorum diuersitas nominavit, nos autem eam Terram rubeam appellamus.

*Anonyma compositio.**Lapis benedictus captus.**Lapis cur dicatur mineralis.**Vegetabilis Niger, foetens**Chaos etc.*

C A P. XII.

AD residuum operationis huius Elixir veniendum est, & dicitur Aestas, eo quòd sicut res naturæ in æstate per calorem ipsius, & caliditatem exeunt à terra, & ascendunt in aerem, vt veniant ad Autumnum, id est ad maturitatem & perfectionem, ita & in hoc opere res Elixir per calorem, vel per caliditatem ignis de hac terra exeunt, & ascendunt in aerem, vt postea perveniant ad Autumnum, & ibi perficiantur. De hac enim operatione dicit Philosophus, Accipe lapidem qui non est lapis, nec habet naturam lapidis, & separa elementa. Et Aristoteles ad Alexandrum Regem dicit in libro de Secretis secretorum capitulo penultimo, O Alexander, accipe lapidem mineralem, vegetabilem, & animale, & separa elementa.

Aestas.

Ergo à separatione elementorum incipiendum est, & faciendum est hoc opus. Ab ista ergo terra rubea, separanda sunt elementa, videlicet, purum ab impuro, diaphanum ab opaco, clarum à turbido: Et hoc fit isto modo, videlicet, Hac terra posita in duobus vrinalibus cum suis alembicis

Terra rubea

*Ignis gradus pri-
mus.*

Nota

lutatis, vt dictum est, tunc singulare vas ita præperatum pone in alutello super cineres cribellatos: ita quòd spissitudo cinerū, spissitudinem parui digiti auricularis sub fundum vasis non excedat. Sit autē alutel siccum & bene sigillatū cum luto, super furnū ad hoc bene dispositum & firmum, vt dicemus. Quodlibet autem vas suum propriū habeat alutellum atq; furnum. Et in furnis compone ignem rectē sub medio culorum alutellorum. Sit autem ignis iste ita temperatus, quòd tenere possis manū tuā ad culum alutelli intus furnum super ignem sine combustione & periculo manus, & sit continuus: quia si tu dares in principio talem ignem turbatiuum, quòd materia in vase funderetur antequā spīritus eius humidus ab ea euolaret, & antequam materia in fundo vasis desiccaretur, frangeretur vas, & sine dubio spīritus exiret, & totum amitteretur: Et ideo multum est cauendum, & cum maxima diligentia & cautela iste ignis exponendus & continuandus est.

C A P. X I I I.

Destillatio

Cornu cerui qd.

*Aque primæ
cognitio.*

*Vasorum recipi-
entium forma.*

VASIBVS autē prædictis sic cum igne in suis furnis dispositis, vt dictū est, tunc vapor istius materiæ ascendet in alembico sursum in furnū subtilissimum, & fumus ibidem conuertetur in aquā limpidā, serenā, & claram tanquam lacrimā, habentem in se omnium prædictarum rerum vel specierum à quibus regeneratur: quæ cū generata & causata fuerit in alembico, descendet per cornucervi, id est, per nasum ipsius alembici, qui factus sit largus atq; grossus circa alembicum, & acutus, gracilis, & recurvus circa finem ad modum & similitudinem vnus cornu cerui. Primæ guttæ istius aquæ descendentes vsq; ad sexdecim, vel plus, nullius sunt valoris, & ideo non recipiuntur, sed cadere dimittuntur: Et si volueris scire certum tempus recipiendi ipsam aquā, post sexdecim guttas ipsius vel circa dimissas cadere, accipe laminā cultelli modicum calefactā, id est tepidā, & pone ad nasum alembici, & tene ibi, & expecta donec vna gutta super laminā cultelli cadat: quæ si bulliat & nigrescat super laminā, tunc est tempus recipiendi, si non, non: adhuc enim in ipsa aqua antequam recipiatur est multum de phlegmate, à quo oportet quòd purgetur aqua ista, nec purgatur verè, donec habeat signum istud prædictum: signo verò inuento in ea, tunc ad recipiendum ipsam debes habere duo vasa de vitro præparata, habentia fundum rotundum, restrictum, & collum longum ad mensuram dimidij pedis vel circa, & ita largum, quòd pollicem vel digitum possis intra figere. Sint autem ista duo vasa formata ad modum vnus phialæ, & sint spissa & fortia: aliter enim aquam retinere non possent, quoniam præ nimia virtute & fortitudine ipsius frangerentur: & hæc vasa pone sub vasis alembicorum, & fac intrare ipsos, & iunge in collis vasorum quantum poteris, & vt melius tibi videbitur, & obtura cum panno lineo sicco, & non cū luto: nec sint nimis stricti, quia possent frangi virtute aquæ, & recipe aquam.

C A P. X I I I I.

*Ignis secundus
gradus.*

*Gradus tertius
flammeus.*

CONTINUANDVS est autē ignis ille debilis per vnum diem & noctem in hac debilitate vel circa. Postea, non subito, sed paulatim infortiandus est vsq; in duplum, vel plus si necesse fuerit, & in hac augmentatione continuandus est & tenendus donec rubescat alembicus: & cū appa- ruerit rubeus, tenendus est in illa rubedine, & ignis in illo statu continuandus, donec tota aqua exeat vel ferè: & tunc infortiandus est ignis tertio, & faciendus cum flamma, vt partes aquæ grossiores & fortiores exeant: & talis ignis flammeus & fortis continuandus est per sex horas vel circa, donec tota aqua fortis & spissa exierit, & terra licca sine humore apparebit, & remanebit: & sic erit aqua & plenè facta.

Nomina

CAP. XV.

NOMINATUR aqua ista sic facta nomine matris suæ, videlicet lapis: sed hic purus, ille autē impurus. Item vocatur aqua mercurij, & aqua sulfuris, ex eo quòd ex ipsis generatur. Item vocatur fumus, ventus, oleū, aqua, aer, ignis, vita, anima, & spiritus, & mercurius noster, quem quærimus, qui est ignis cōburens: soluit omnia corpora vno regimine, idest uno opere, videlicet opere Autūni subsequente: & pluribus alijs nominibus philosophi ipsam nominauerūt ex causis legitimis & rationibus, quæ relinquimus tuæ industrie causa breuitatis. Iste vocatur à philosophis Lapis benedictus, qui nō est lapis nec habet naturā lapidis: & hæc ideo vocatur lapis, quia philosophi vocant lapidē omne illud à quo per artificium possunt elementa separari: quia separatione facta ex ipsis, per eorū coniunctionem in hoc magisterio alchymico, scilicet in opere Autūnali sequenti, suscitatur quedā substantia ad modū lapidū, qui per admistionem humidī cum sicco generantur, vt patet in hoc opere sequenti. Itē dicitur Benedictus, quia ex elementis separatis & postea cōiunctis, vt postea dicemus, superest quedā essentia quinta, quæ spiritus lapidis appellatur. Et quia spiritus nō apparet nec tangitur, nisi assumpto corpore in aliquo elemento, ideo iste spiritus propter nobilitatē naturæ suæ accipit corpus in nobiliori & superiori sphaera elementorū, scilicet in sphaera ignea, vel ignis, remanēte ipso tamē in natura sua spiritali: & ideo nō est ignis, nec habet naturam igneam quantū de se, est tamen in igne habitans. Et iterū quia istud corpus sphaericū igneum propter sui subtilitatem & puritatē adhuc à nobis nō potest videri, ideo instrumentis idoneis mediāte operationis industria, eius subtilem substantiā cōuertēdo, cōponendo, & condensando, & desiccādo ab ipsa substantia, videlicet à materia prædicta sublimādo, & destillando, ut est dictū, in aquæ speciē conuertitur, & emanat: & emanādo à superfluitate sui phlegmatis separatur, & mūdā, vt superius est ostēsum. In hac enim aqua adhuc nō sunt quatuor elementa, sed tria tantū, videlicet aqua, ignis, & aer, & insimul hæc tria vno regimine coniunctim ab immunditia sua & superfluitate separātur, videlicet à terræ suæ foetulentia purgātur & separātur: in hac enim separatione aquæ elementū aquæ vocamus, ipsius aquæ humiditatē. Aerē appellamus aqueæ naturæ, quæ facit omne corpus ad modū gummi fluere, & ideo oleum nominatur. Ignē in ea dicimus esse illam virtutē qua comburit, calcinat, & soluit corpora, in quo igne habitat & iacet spiritus lapidū prædictus: Separatis ergo istis elementis à sua terra & factis spiritalibus cū spiritu quintæ essentia, & in aquā conuersis, vt dictū est, coniungēda sunt in terrā, prout in sequenti melius declarabitur, ut similiter ipsa terra efficiatur spiritalis cum spiritu prædicto, sicut alia tria elementa,

Aque prime nominata nomina.

Lapis quidapud philosophos.

Cur benedictus & essentia quinta.

Elementorum aquæ distinctio.

CAP. XVI.

AD compositionem istorum triū elementorum cum quarto, id est cū terra nostra veniendū est: & hæc est cōpositio quā occultauerunt omnes philosophi, & vocatur matrimoniū corporū & spiritus, eo quod in hac operatione coniungitur spiritus quintæ essentia latens in tribus elementis prædictis, vt est dictum, cum corpore, id est cum terra nostra: ita quòd coniunctio ipsius corporis, id est terræ nostræ fit spiritalis, idest de natura spiritus & subtilis: & spiritus de natura terræ, & tunc perficitur, idest incipit perfici virtus & natura spiritus quem quærimus, qui dicitur quintum ex quatuor generatum, secundum quod dicit Philosophus, Vis eius integra est, si versa fuerit in terram, ergo & c. Fit autem compositio seu matrimonium non manibus hominum, sed per opus naturæ: cui naturæ per artificium & magisterium istud mirabile, talem materiam, vt hoc operetur, & faciat, ministramus,

Matrimonium corporū & spiritus.

*Tollendam esse
moram.*

Autumni opus.

*Impregnatio la-
pidis.*

Ventus quid.

Debet autem fieri ista compositio statim, postquam aqua est facta, nec expectari debet ad hoc compositum faciendum ultra duas horas, quia cito euanescit virtus spiritus istius, nisi per compositionem ipsius cum corpore retineretur. Et ideo oportet quod cito fiat. Item vocatur hoc opus Autumni, eo quod sicut in Autumno fructus naturæ ad perfectionem naturæ perueniunt, ita & hæc aqua ad perfectionem deducitur in hoc opere compositionis & matrimonij. Item appellatur impregnatio lapidis, quia cum sit hoc matrimonium, vel compositio, seu coniunctio istius spiritus cum corpore, impregnatur lapis, idest, corpus vel terra nostra, de isto spiritu quintæ essentia in ventre venti, idest in ventre aquæ prædictæ, quæ dicitur ventus, anima, oleum, & aer &c. in qua ipse spiritus habitat, ut est dictum. vel e contrariò iste spiritus habitans in aqua prædicta impregnatur isto corpore, idest, terra nostra: in ventre venti, idest ventre aquæ prædictæ, quæ dicitur ventus: cum ipsa terra vel corpus efficitur per solutionem ipsius in ipsa aqua de natura ipsius aquæ. Et hoc est quod dicit Philosophus, Portauit illud, idest spiritum quintæ essentia, vel terram nostram, ventus idest aqua prædicta, quæ destillando prius fuit fumus vel ventus: in ventre suo idest intra se: & sic patet quod alibi dicit Philosophus, quod istud quod est inferius, est sicut quod est superius, ad præparanda miracula rei vnius, scilicet lapidis

C A P. XVII.

*Alphidius autor
Aros.*

SIC autem fit, et est, corpus istud: primò tenendū est firmissimè, quod terra illa vel feces, à quibus exiuit hæc aqua trium elementorum, non assumitur, sed projicitur, cum nullius sit valoris, ut dicit Alphidius, Facem projice. in alia enim hæc aqua plantatur, & radicitur. Et sic patet quod dicit Aros, quod opus istud in vno incipit, & alio terminatur. Accipiat autem terra nostra, & primò ab ea tollantur omnes eius humiditates superflua, & ab ea separantur, & euolent, donec fiat alba, lucida, & in omni parte munda & affinata. De hac tali terra sic purificata, sume duas uncias in laminas tenuissimas, vel in puluerem, vel in limaturam reductas, prout natura ipsius exigit: & vnam ex istis vncijs projice in vno istorum valorum super aqua, & aliam vnciam in alio, ipsis vasis deobturatis, & super cineribus tepidis situatis in alutellis super furnos, ab ipsis prius remoto alembico. Et statim cum hoc corpus intus proiectum fuerit, obturētur vasa satis stricte cum panno sicco lineo: & incontinēti quod ista terra in aquam istam cadet, incipit aqua ista bullire, si bona fuerit & sine errore facta: si verò nō bullierit, error fuit in eius operatione, nec aliquid valet, quia corpus non soluit, nisi bulliat. et ideo oportet reiterare, & aliam facere. Tenenda sunt vasa continuè super cineres calidos, donec ipsa aqua à bullitione cesset, & cum cessauerit, erit clara, limpida, & viridis. Et corpus, idest terra nostra, in ea erit liquefactum, idest solutum & coniunctum per minima cum spiritu: & si aliquid remanserit de corpore, quod non fuerit solutum, vel liquefactum, non est vis. Sed alia vasa accipe similia illis, & pone in illis aquam illam ita sapienter & cautè, quod illud quod remansit in fundo ad dissoluendum, non transeat cum aqua clara: & sic in illis vasis bene & fortiter obturatis cum panno lineo serua aquam benedictam vsque in horam necessitatis: & iterum debes aliam facere, & totiens reiterare, donec de ista aqua bonam habueris quantitatem, & eam serua in suis vasis singularibus, vel in vno pro omnibus quod sit vitreum fortissimum & spissum, & obturatum, ut est dictum. Sic enim aqua impregnatur, & efficitur Elixir ad album: Sed adhuc nō est eius perfecta impregnatio lapidis, nec perfectum Elixir, nec perfectum matrimonium vel compositum corporis & spiritus, ut quidam dicere voluerunt: sed tantum est verum principium & medium perfectionis prædictorum: perfectio verò inferius consequetur. Item dicitur

citur hoc corpus in hac aqua solutum, temperantia sapientum, & aqua vitæ: et corpus quod soluitur, vocatur gümma philosophorum, de quibus dicit Aros, Vide ubi miserunt aquam, ibi miserunt gümam, vel e contrario. Et tamen quavis sic nominetur, & verum sit, non tamē est gümma perfecta, nec aqua. Et quavis sit aliquod imperfectum habito respectu ad perfectionem lapidis benedicti, id est Elixiris: est tamen medietas Elixir perfecta ad album, ad aliam medietatem veniendum.

*Temperantia sapientum.
Aqua vitæ.
Gümma philosophorum.*

CAP. XVIII.

NO T A N D U M est, quod prima pars Elixiris est alba, quæ sit de terra alba: & secunda pars Elixiris est rubea, quod de terra rubea sit, ut dicemus:

Et ideo prima pars Elixiris dicitur ad album, secunda pars Elixiris dicitur ad rubeum: et sic videntur esse duo Elixiria in hac arte, cum ita tamen non sit, quia in rei veritate hæ duæ partes non faciunt nisi vnum Elixir, quod est ad vtrunque, videlicet primò ad album, & postea idem & non aliud in eodē vase dicitur ad rubeum. Diximus autem de parte alba componenda: nunc dicendū est de parte rubea facienda. De hoc autem Elixiri, vel lapide rubeo, id est parte rubea Elixiris ad vtrunque scribitur in libro aureo, & sic dicitur, Lapis verò rubeus, id est pars Elixiris rubea ad vtrunque, ut inquit Hermes, Aristoteles, & Archelaus, descendit non ab aqua vini vel vitis, imo ab aqua vitæ: & aqua vitæ descendit ab eo, videlicet lapide rubeo, vel Elixiri, id est a parte rubea Elixiris ad vtrunque.

Liber aureus

CAP. XIX.

Q V O N I A M, ut ait Philosophus, in arte ista eadem sunt res quæ dealbāt & quæ rubificant, ideo in hac operatione Elixiris rubei, id est partis rubei Elixiris ad vtrunque, eadem res, id est species, quæ ut superius diximus, conveniunt ad rubeum, id est ad rubeam partē Elixiris. ergo tres species prædictæ in hac de rubeo Elixiri sunt assumendæ, sicut prius ad partē albam, sed cum alijs ponderibus, videlicet: Accipies de sulfure viridi vnam librā duodecim vnciarum, & in hoc concordant pondera, item sulfuris albi sex vncias, id est mediam partem vnius libræ duodecim vnciarum: item terræ rubeæ ponderosæ sex vncias: & in his duobus discrepant pondera ista à ponderibus aquæ albæ, & ita sunt in summa totali viginti quatuor vnciæ, id est, libræ duæ duodecim vnciarum.

CAP. XX.

E X istis speciebus facies omnia opera supradicta, videlicet opus hyemis veris, æstatis, & autumnii simili separatione, contritione, simili decoctione ignea, similibus vasis, similibus alutellis, similibus furnis, similibus iuncturis & lutis, simili separatione phlegmatis ab aqua, simili receptione ipsius, simili proiectione, vel coniunctione, seu matrimonio terræ rubeæ cum spiritu lapidis in aqua prædicta: Sed ipsa terra rubea aliter debet purgari à suis foetulentis & superfluitatibus, quàm terra alba: & ideo antequam in ipsa aqua ponatur purganda est per modum suū: qua purificata & mundata, & in laminas tenues coaptata, vel in pulverem, id est limaturam redacta, tunc ponenda est in aquam factam, ut dictum est: sed cum posita fuerit in ipsa aqua, non soluetur in ea, quia tantæ virtutis non est aqua, sed tantum calcinabitur in pulverem, & quodammodo sine tactu reducetur. Hoc sic facto, moue aquam cautē, & pone in alio vase, eidem in quo est, simili: ita quod remaneat pulvis calcinationis terræ rubeæ sine aqua in suo vase, & in illa aqua remota pone aliquod corpus quod sit tibi proficiū, sicut esset terra alba, & soluetur in illa aqua, & tibi proficiet. Item terram calcinatam, quæ remansit, desicca secundum suum modum, & serua mun-

*Aque albe et ru-
beæ nomina.*

dē, ita quòd puluis alius super eam nō cadat nec attingat, donec aliam aquam feceris in qua possit dissolui. Aqua autem facta per huiusce pondera supradicta, fortior est quàm prima prædicta, quia prima non potest soluere mercuriū in aquam, ista autem secunda soluit ipsum sine dubio: & tamen ista est de colore aquæ alterius quantum ad visum, sed differunt quo ad tinctionem, quia ista est aurea, idest tingit in citrinum colorem, vel ialueum: & prima tingit in nigrū vt est dictum: Hæc etiā soluit omnia corpora, & etiā terrā nostram albam præter Solem, vt est dictum, videlicet præter terram nostram rubeā, sed ipsam tamen calcinat, vt est dictum. Et sicut prima aqua vocatur nomine omnium albedinum, viriditatum, foliorum, & arborū, & c. ita ista secunda vocatur nomine omnium ialueitatum, citrinitatum, rubedinum, nigredinum, & sulfurorum, & c. Et hoc est, cum est perfectè soluens terram nostram rubeam: & semper dicitur imperfecta donec hoc faciat. Non autem fecimus in hoc nostro libro mentionem multum specialem de purificatione, mundatione, seu affinatione terræ nostræ rubeæ vel albæ, eo quòd satis purificatæ & mundatæ & affinatæ venales inueniuntur: & ideo hoc sub breuitate transimus, & c.

C A P. XXI.

*Aqua alia ex
hisdem.*

AR C A N V M arcanorum huius tam inclytæ scientiæ, tibi fili, factum tradere non intendimus, vt est dictum, sed tantum ad ipsum indagandū, & inueniendum allicere te cupimus per ea quæ sequuntur. Aquam aliam facias de prædictis speciebus, sed cum istis ponderibus: Accipe sulfuris viridis libram vnā duodecim vnciarum, & terræ rubeæ ponderosæ nouem vncias, & sulfuris albi similiter nouem vncias: & sic erunt in totali summa triginta vnciæ, id est duæ libræ duodecim vnciarum cum dimidia: Et operare per omnia opera & per omnes modos, vt prius, excepto hoc, quòd in separatione phlegmatis ab ea, plus separabis in duplo, vel plus de phlegmate ipsius, q̃ de alijs separationibus nō fecisti aliarum aquarum: postea recipies ipsam, vt dictum est de alijs. Et ipsa aqua facta pone puluerem prædictæ terræ rubeæ calcinatæ super eam, & si liquefiet, id est, si soluetur, & fiat aqua rubea vel ialuea, facta est aqua, & verè bona: quòd si adhuc non soluetur, iterum remoue ab ea aquam, sicut alias fecisti superius, fac de ea similiter: & iterum terram rubeam desicca vt prius, & serua: & sic reiteranda est hæc aqua agmentando pondus de tribus vncijs semper in sulfure albo, & in terra rubea tantum, & non in sulfure viridi, cuius pondus semper est equale in aquis istis, & plus separando de phlegmate in duplo in ista, quàm in alia prædicta, donec inueniatur aqua quæ soluat terram nostram rubeam in aquam limpidissimam rubeam. Quidam autem totum remouent de aqua ista, vel de aquis istis prædictis rubeis quod exit & distillat, ṽ que ad illam aquam quæ exit, cum incipit alembicus rubificari: tunc demū in alio vase recipiunt illam aquam ad partem, & dicunt quòd illa quæ exit ante rubificationem alembici, soluit terram nostram albam, & ista quæ exit post rubificationem alembici, soluit terram nostram rubeam: à quorū proposito & intentione, si ita sit, non deuiamus, sed potius consentimus.

Alia via.

C A P. XXII.

HA C aqua perfectè & verè indagata & inuenta, & in ea nostra terra rubea soluta, debes seruare ipsam ad partem in vase obturato, sicut superius fecisti de aqua alba, & iterum simili modo reiterare eam cum solutione terræ rubeæ in ea, donec de ipsa aqua rubea bonam habeas quantitatem. In singularem verò aqua de corpore rubeo præparato, idest de terra nostra rubea præparata in laminas tenues coaptata, vel in puluerem limaturæ redacta, ponas duas drachmas, id est quartam partem unius vnciæ: & si plus soluere poterit, plus appo-

apponas, veruntamen non excedas vnam vnciam ad plus, & hoc intellige de terra rubea tam de calcinata, quam non de calcinata: & si aliquid remanserit ad dissoluendum de istis drachmis in aqua prædicta, illud nō proijce, sed remoto quod solutum fuerit de illis seruetur ad partem, & in alia solutione alterius aquæ solvatur cum alia terra, & tunc duæ drachmæ nō ponuntur in illa aqua, sed minus, quantum scilicet pondus istius terræ non solutæ, quæ ponitur cum illa, ponderat: quod verum est, nisi plus posset soluere, vt est dictum. Et sicut prima aqua alba prædicta, secundum intellectum Alphidij philosophi in hac arte, appellatur & nominatur virgo vel puella habens vnum vber: Et secundum Ortolanum dicitur sperma foemineum album & frigidum: ita & ista aqua prædicta rubea secundum Alphidium nuncupatur & dicitur iuuenis pulcher & homo nigri capitis & barbæ, habens pulchrum vestimentum, quia aureum est: & secundum Ortolanum, sperma masculinum rubeum & calidum. Item prima aqua alba antequam corpus album solvatur in ea, nominatur vrina puellarum; & ista rubea, vrina virorum iuuenum: vtraque autem vrina infantium, & infinitis alijs nominibus hæ duæ aquæ à philosophis diuersimodè nominantur.

C A P. XXIII.

DE singulari autem istarum duarum aquarum dicendo & scribendo intelligit Ortolanus in libro suo per similitudinem hoc quod dicit sibi proprie de aqua vini, vt nos per quatuor annos & per plus, & multi alij nobiscum crediderunt, & adhuc credimus, & verè, & bene. Et idem est hic, quod istæ duæ aquæ fuerunt iunctæ insimul & commistæ, quia tunc non sunt nisi vna aqua. Hæc sunt verba Ortolani de aqua vna ex duabus aquis prædictis cōposita, vel ex singulari ipsarum. Hæc aqua fixat omnes spiritus & facit ingredi: quod intelligendum est de spiritu lapidum, qui est quintum quid ex quatuor generatum, & non de illis spiritibus fatuorum, videlicet mercurio venali, sulfur, & arsenico. Item hæc aqua habet vim suam & superiorem & spiritualement, id est nō fixam: Et hoc est quod dicit Philosophus, Quod est inferius, est sicut quod superius, & e contrario, ad præparanda miracula rei vnius, id est oportet quod prædicta quinta essentia, videlicet spiritus quintæ essentiæ de quatuor generatis, vt est dictum, retineat semper vim suam, scilicet spiritualement: & habeat omnem vim quatuor elementorum, id est vim suam corporalem, si miracula inde debeant perpetrari: Et hoc sine dubio fit eo modo, quo superius est ostensum. Item sciendum est, quod indagando aquam rubeam, cum multiplicabis pondera specierum vltra viginti quatuor vncias, etiā vasa in quibus materiā pones, debent esse fortiora, & ventres habere grossiores, secundum quantitatem augmentationis specierum. Et nota quod debent ventres ipsorum esse pleni materiæ Elixiris ad vtrumq; quæ rubea nuncupatur, quæ tamen adhuc est imperfecta sicut & alia, ad cuius Elixiris perfectionem de cætero veniendum est.

Fatuorum spiritus

C A P. XXIIII.

PERFICITVR autem Elixir ad vtrumque isto modo: De aqua alba accipe tantum quantum de ea fecisti in duobus vasibus vna vice, & scias quantum est pondus ipsius per subtilitatem tuam: non enim possumus tibi omnia scribere: Et tantum de aqua rubea, de qua similiter scias pondus. & habeas vnam cucurbitam de vitro factam, fortè & spissam, cuius os sit factum ad modum vrinalis: in hac cucurbita simul coniunge has duas aquas simul effundendo, & satis cito, eritq; tota aqua ialeua vel citrina, & clara & limpida: & sic erit consummatum & perfectum verum Elixir ad vtrumq; verum matrimonium inter corpus & animam, vera & perfecta lapidis imprægnatio, & verus eius coitus, ex quo sequitur verus partus, ista autem aqua ex duabus aquis facta vna, vt est dictum.

Elixir ad vtrumq;

B

Nomina uaria ctum aurum nostrum, argentum nostrum: imò aqua cælestis & gloriosa. Simi-
Elixiris ad u- liter & æs nostrū, sericum nostrum, magnesia nostra, in qua ut dicit Aros, Sunt
trunq; quatuor elementa, seu quatuor corpora: quæ quatuor corpora sunt nubes, &
 niues extractæ, & oleum & butyrum, & lunæ spuma. Item dicitur fermentum
 lapidis ad utrunque, & plumbum nigrum, & tota operatio nostra, & ouū phi-
 losophorum & non gallinarum, & sapiētia nostra, quam Deus, scilicet quibus
 voluit, reuelauit. Et de hac dicit Aros, Ipsum enim est totum in toto, & id totū
 quod quæritur, & quod cogitur: in ipsa enim est fugiens & fixum, tingens. &
 tinctum. album & rubeum, masculus & foemina insimul composita compositi-
 one inseparabili. Et de hac compositione harum duarum aquarum, vel sper-
 matum, iterum dicit Aros, Oportet ingredientem in hoc opere non quiesce-
Cōtinuatio ope- re, donec permisceatur res, & fiat tinctura à corporibus assumpta. Statim verò
ris. ut has duas aquas in vase effuderis, ut est dictum, debes cooperire vas ali-
 quo coopertorio, ne ab eo aliquid exeat, donec prædictæ aquæ bene permi-
 itæ fuerint & coniunctæ, & fiant res vna, videlicet aqua rubea, limpida & clara
 Et intellige quod diximus, quod quantum de alba posuisti, tantum de rubea
 poni debet, id est par pondus utriusque apponatur: & si minus vel maius com-
 positum facere volueris, similiter plus vel minus de singula aqua, equali tamen
 pondere apponatur, & c.

C A P. XXV.

SUNT autem necessaria hæc duo spermata in arte ista: & hoc ideo quia si-
 cut videmus, quod naturaliter vnum generat sibi plura sibi similia, ita ar-
 tificialiter Sol generat Solem, cum lapidis multiplicatione prædicti, id est
 spiritus quintæ essentiae. Et ideo dicit Philosophus, Pater eius est Sol, id est au-
 rum. Sed quoniā in omni generatione naturali, oportet spermatis receptaculū
 idoneum esse, cum quadam consonantia similitudinis ad ipsum, ita & in hac
 generatione artificiali oportet quod Sol habeat sui spermatis & suæ tincturæ
 receptaculum idoneum, & sibi consonū, & illud est Luna, id est argentum. Et
 ideo dicit Philosophus, Mater eius est Luna. Vnde notandum est diligentissi-
 me, quod istorum duorum corporum coniunctio est necessaria in hac arte, Ad
 utrunque, videlicet ad album & ad rubeum, quæ sit eodem modo quo suprad-
 ctum est. Et hoc propter duas rationes: quarum ista est vna, quia aurum quum
 sit nobilius inter metalla, & magis perfectum, & fixum, & compactum, tamen
 dissoluatur in aquam limpidissimam, ut est dictum, & partes eius minutissime
 separentur, erit spiritalis & euolans ab igne tanquam mercurius, quod est mi-
 rum. Et hoc est ratione suæ bonæ alterationis, & tunc habet tincturam sine nu-
 mero, & ista tinctura vocatur sperma masculinum rubeum & calidum: & cum,
Tinctura sine
numero.
Sperma masculi- sic est dissolutum & subtiliatū, & factum spiritualem cum spiritu quintæ essen-
inum & c. tiæ, tunc dicitur spiritus tingens fortis, quem quærimus. Si verò argentum dis-
Spiritus tingens soluatur in aquam limpidam, nihilominus remanet fixum sicut prius, nullā vel
fortis & c. paucam habens tincturam recipiendam & fixandam in temperamento calidi
Sperma foemi- & frigidi: & vocatur sperma foemineum, album & frigidum: Et hæc est aqua
neum alba vel viridis prædicta: Et sic conueniens est ipsorum duorum coniunctio fa-
Auri & argenti cienda, ut dictum est. Item est & alia ratio, quia cum aurum per se, & argentum
natura in fusio- per se sint difficilis fusionis & liquefactionis, tamen si insimul coniunguntur,
ne & c. facile fluunt, & liquefiunt. hoc sciunt Aurifabri faciētes solidaturas ad aurum.
 Vnde si in lapide nostro esset tantum alterum ipsorum, nunquam aliquam tin-
 cturam daret: & si daret tincturam, non tingeret nisi in quantum ipsa esset, eo
Finale secretum quod non esset receptaculum tincturæ. Et nostrum finale secretum est habere
 medicinam quæ fluat ante mercurij viui fugā. Ergo coniunctio istorū duorum
 est ne-

est necessaria, & ideo coniungenda sunt eo modo, quo superius est dictum.

C A P. XXVI.

ET cū hæc duo se receperint per aggregationem prædictarum duarum, ut est dictum in coniunctione lapidis, id est in coniunctione spiritus quintæ essentiæ prædicti, vel quintæ essentiæ de terra nostra alba & rubea, vel ipsa terra de dicto spiritu imprægnatur & efficitur, ut est à nobis superius dictum: in ventre venti, hoc est in ventre aquæ prædictæ, vel aquarum prædictarum. Et hoc est quod dicit Philosophus Hermes, Illud ventus in ventre suo, id est, aqua hæc portauit istum spiritum cum terra prædicta in ventre suo, vel terra ipsa ipsum spiritum in ventre suo, id est intra se in ventre aquæ, id est intra aquam. Hæc verba quasi simili, imò quasi eadem expositione superius exposuimus. Planum est quod ventus est aer, & aer est vita, & vita est anima: Et ego loquutus sum de anima, quæ totum lapidem viuificat & resuscitat: & sic oportet quod ventus portet eum, reportet, & pariat: magisterium planè patebit quomodo hoc fiet & erit: & tunc sequitur quod alimentum suscipiat ex ventre suo, id est à terra, ut ibidem dicitur. Ideo dicit Philosophus, Nutrix eius est terra, quia sicut foetus sine alimento nutricis nunquam peruenit ad ætatem, ita lapis noster sine fermento suæ terræ nunquam perueniet ad effectum: quod quidem fermentum alimentum dicitur: Sic enim in operatione lapidis generatur ex vno lapide cum matris coniunctione, id est cum alimento nutricis, res, id est filij, patris similes, quas sibi per longam decoctionem creauerunt, erunt nostri similes in colore, & patris pondera retinebunt. Hæc verba prædictorum duorum capitulorum dicit Ortolanus in libro suo de Expositione textus Hermetis, & ab eo ipsam extraximus, & hic posuimus cum quodam modico additamento. Et est notandum, quod pater & mater lapidis, id est duo spermata ipsius in prima compositione Elixiris Sol & Luna vocantur, quæ postea in secunda operatione, id est in operatione lapidis, terra vel nutrix appellatur. Et sic intellige, quod ex vno patre cum matris coniunctione in compositione Elixir & alimento iunctis, id est terræ ex istis duobus generatæ in operatione lapidis generantur res, id est filij, videlicet lapis albus, qui per alimentum perficitur & dealbatur, ut inferius dicitur. Cuius pondus patri, hoc est Soli erit simile, & de colore matris, id est Lunæ. Et sic cessat obiectio, quæ posset fieri, quod secundum verba prædicta terra ista conuenit in compositione lapidis, cum spiritus lapidis sint Sol & Luna, & quædam alia terra quæ dicitur nutrix: quod non est ita, si sanè intelligatur Philosophus, ut est dictum: quia tantum ista duo prædicta conueniunt cum spiritu quintæ essentiæ, sed in compositione Elixiris vocatur spermata: in operatione lapidis vocantur terra vel nutrix, & c.

C A P. XXVII.

EX his omnibus colligitur, quod totum opus Elixiris nihil aliud est in vniuersali, quam facere ascendere res à terra in celum, id est de natura corporali ad naturam spiritualem: & hoc tunc est perfectum Elixir. Item colligitur ex his, quod aqua quandoque vocatur lapis spiritus quintæ essentiæ, quandoque vocatur terra, quandoque lapis, & sic figuraliter pars pro toto nominatur: & hoc indifferenter dicitur propter eorum naturam consimilem, vel coniunctionem vniformem: quauis in speciali proprietate diuisionis ipsius lapidis ipsa humiditas aque, sine aqua dicatur anima, ipsa virtus aquæ dicitur spiritus, & ipsa tinctura corporum in ea soluta, dicitur corpus, ut dictum est. Quam humiditatem limpidam, id est animam vocamus arg. viuum nostrum, & ipsam virtutem aquæ, id est spiritum quintæ essentiæ, vocamus sulfur nostrum. Ergo in Elixir & lapide benedicto, aqua est anima lapidis, virtus aque est spiritus la-

Hermes.

Ventus quid
Anima lapidis.

Nutrix lapidis.

Fermentum.

Ortolani liber.

Sol & Luna qd

Vniuersale Eli-
xiris opus quid.

Arg. viuum no-
strum.
Sulfur nostrum.

pidis, & terra nostra duplex, videlicet alba & rubea, duplex corpus lapidis benedicti. Et qui sic sentit verè de ijs, de secreta natura numeratur, & de ea, & in ea meritò computatur: & è conuerso sentiens, deleatur. Item in summa notandum est, quòd cùm artifex doctrinæ filius hanc compositionem prædictam, quæ Elixir nominamus necessariam peregit, vt est dictum, per coniunctionem & vnionem duorum spermatum prædictorum vel aquarum, quòd tenere & seruari debet ad partem residuum cuiuslibet spermatis prædicti, vel aquæ prædictæ, quòdlibet in suo vase proprio bene obturato vsq; in horam necessitatis, vt dictum est. Vocantur autè ista duo spermata Cauda Draconis, quæ postea in operatione lapidis, ab ipso dracone comeduntur, vt inferius ostendemus. Hæc autem compositio necessaria est, vt iam diximus, quia nullo modo vera tinctura fit nisi ex ipsa compositione quæ dicitur æs nostrum, vt est dictum: de qua dicitur in libro qui Turba philosophorum appellatur. Scitote omnes pertimescentes, quòd nulla sit tinctura vera nisi ex ære nostro. Quæ vera sit, exponitur in libro qui dicitur Liliū. Est autè intelligendum ex nostro ære, id est nostra cōfectione seu compositione. Et est videndum quòd compositione iam perfecta scilicet in Elixir iam conuersa: & hoc est, & fit, vt superius est ostensum. Ex prædictis autem, si bene intelligis, apparet constare, fore compositum hoc Elixir ex Sole in corpore magnetiæ occulto, à terreitrate mūdo, & de sulfure quod dicitur sulfur de Sulfure, & de arg. viuo, quod dicitur arg. viuum, de argento viuo, his duobus vltimis fugitiuis in principio: non fugitiuis, vt est dictum, conuersis, compositis, & coniunctis.

DE OPERATIONE LAPIDIS CAP. XXVIII.

Secundum opus **A**LCHEMIAE ergo omnino certæ, veræ, famosæ, & inclytæ, ex nunc operantes, de operatione Elixiris, quod est primum opus, prius dictum est: nunc verò de operatione lapidis benedicti videndum est. Et in hac operatione lapidis, quæ est secundum opus, quidam philosophi incipiūt libros suos, & in primo opere ipsos finiunt & consummant, vt est dictū. Vnde notandum quòd per huius compositum Elixiris res fiunt vnum & idem, vt est dictum: ita quòd sic de cætero huius compositum est, vnum quod solū quæritur, quamuis ex pluribus compositum, & in vnam naturam redactum. De quo composito dixerunt Philosophi, Vna res est: quod intelligendum est post compositionem Elixiris, & non antè, vt est dictum. De qua sola re per compositum factū vna, & non de alia, vera & omnino certa nascitur Alchymia. Vnde videndum est primò quid sit Elixir, atq; vnde dicatur, quid Alchymia, & quid Lapis.

Elixir quid sit. Elixir autem est quoddam compositum habens in se virtutem mineralem, rubeum, aut citrinum, ex pluribus speciebus limpidissimis & clavis (& si de specie aquæ coniunctis) factum compositum, habens in se virtutem mineralem inclusam, existens condimentum, antidotum, & medicina omnium corporum purgandorum & transformandorum in Solificum & Lunificum verum. Et dicitur Elixir ab Elicio elicis, quasi vnū ex pluribus, in quibus est, elicium, & in alijs iam conuersum & ligatum. Alchymia autem sic diffinitur in libro qui Liliū appellatur. Alchymia est ars administrans & ostendens essentiā, septem metallorum continens, qualiter quæq; formæ illorum imperfectè ad naturale complementum deducantur: vel aliter sic. Alchymia est opus celatum regimine quod fit manifestum luce filiorum genitorum, & id quod per filiorum generationē iuuenescit. Vel aliter sic. Alchymia est substantia corporea ex vno scilicet arg. viuo, & vno scilicet sulfure cōposita, quæ duobus tenuissimis & humidis siue limpidis constans est, scilicet anima & spiritu, & in luce filiorum dictorum à se manifestatur & iuuenescit: & quæ continens est essentiā septem metallorum, vt in ea

in ea substantia sit spiritus tingens fortis, quē quærimus, quo tingamus in quo libet corpore, ac eorum qualibet parte, & eorum quodlibet à diminitione ad naturale complementum naturaliter deducamus. Dicitur autem Alchymia ab Elambico & kymia quæ sunt duo vasa in quibus hæc ars in tribus generibus vel ordinibus medicinarum ad finale deducitur complementum. Et sic patet, quod hoc totum Alchymia componitur ex corrupto & integro. Non autē est Alchymia ante Elixir, sed post semper. Lapis aut philosophicus sic diffinit: *Lapis philosophicus.* Lapis est quædam fortis virtus mineralis, ex pluribus rebus in vnum cōuersis per nostrum artificium alchymicum congregata, habens in se virtutem congelandi mercurium in naturam metallicam veram, & formaliter conuertendi, ac omnia metalla infirma seu imperfecta ad veram sanitatem & perfectionem reducendi, vitrumq; malleabile faciendi, lapidemq; preciosum fingendi: & finaliter est summa medicina omnium corporum humanorum, & conseruadi in eis humidum radicale: quia ab isto lapide benedicto descendit aqua vitæ, vt iā superius tetigimus, & inferius plenius ostendemus.

C A P. XXX.

QUIDAM verò Philosophi indifferenter, vt iam superius tetigimus, vnum Elixir prædictum nominauerunt Alchymiam, Lapidē, & Medicinam. Et Alchymiam vocauerunt Lapidem: Elixir, & Medicinam *Synonyma lapidis.* Et Lapidem nuncupauerunt Elixir, Alchymia, & Medicinam: & Medicinam dixerunt Elixir, Alchymiam & Lapidem. Sicque paucam vel nullam differentiam quantum nihil inter ista facientes, eo quod omnium istorum est vna eadēque substantia, quanuis forma sit diuersa, & ad vnum finem tendunt. Et quanuis nullam differentiam faciat inter ipsa nominando, differunt tamen inter se isto modo. Elixir est primum opus, & præcedit omnia ista, & dicitur *Elixir quid propriè sit.* matrimonium verum inter corpus & spiritum per compositionē duarum aquarum prædictarum, vt est dictum, & hoc est ita proprium Elixir, quod non competit alijs propriè. Alchymia autem post Elixir sequitur semper, & non antè, & est propriè modus & opus ducendi Elixir ad effectū, quod opus vel modus dicitur ab Aros Alchymia, seu Nigrum nostrum, & hoc est propriū Alchymia & non alijs. Lapis est propriè illud factum secundum prædictā operationem artis Alchymia, & hoc est proprium sibi, & ad alia non pertinet. Medicina est quod sequitur & descendit à lapide prædicto perfectō, ad metalla imperfecta perficienda, & sananda, & ad vitam hominū tuendam & sanandā, & hoc est propriū sibi, & ad alia nō propriè dicitur pertinere. Et sic patet quod ista inter se differunt specie, quanuis nomine generali non discrepent. Ex his omnibus concluditur aliud quod dicit Morienus de ista re, quæ est vna ex pluribus composita, quam vocant Lapidem, & tamen adhuc est in Elixir, quod ipsa res vna, quam dicit esse Lapidem, habet in se quatuor elementa perfectē, cuius tactus nullus est, quia est aqua, & in ipsa est maior mollicies quam in suo corpore, quia durum est, eo q; metallicum est, & eius pondus graue: quia istud corpus ipsius omnium corporum est magis ponderosum & compactū, & eius gustus suauis, & eius odor odori sepulchrorum cōparatur, eo quod foetet propter odores specierum foetentium, ex quibus componitur, vt est dictum: quæ foetulentia ab ipso in hac operatione secunda penitus remouetur, antequam in verā medicinam conuertatur. De cetero accedendum est ad opus prædicti Lapis: *Morien sententia concludens.*

C A P. XXX.

DE operatione huius Lapidis benedicti, vel Elixiris dicitur in libro, qui Lilium appellatur. Composito nostro verò facto, vel Elixiri cōpleto, vt *Gradus operis.* est dictū, tunc ergo vt præmittitur, vna re, videlicet nostro Lapide, vna

via, scilicet Hermetis, qui fuit pater Alchymistarum: vna dispositione, scilicet denigrandi primò, secundò dealbandi, tertio ceneradi, quartò & vltimò rubificandi: vno actu scilicet coquendi, totum magisterium terminatur. Et Aros philosophus de hoc dicit sic, Et erit rubens, & fiet niger: & erit niger, & fiet rubens & hoc in sequentibus operibus declaratur. Et sicut per primum opus prædictum omnes res ascendunt in cælum, vt est dictum, ita per istud secundum omnes res descendunt in terram, & fixantur in vnitatem quintæ essentia.

C A P. XXXI.

Dispositio denigrandi sic fit: Accipe Elixir siue compositum prædictum, prout est in suo vase, in quo prius, scilicet in cucurbita, posuisti, & pone super illud alembicum vnum vitreum, & luta bene, & sicca, & cera eo modo, vt in extractione aquarum in prima operatione fecisti: & hoc sic disposito, accipe illud vas & sepelias in fimo equino calido, & fac animam, id est aquam ab eo quod est intus, id est Elixiri, euolare & exire: ipsamque aquam in vase vitreo forti repone, vt prius de alijs aquis in prima operatione fecisti recipiendo: phlegmate tamen superfluo ab ea aqua separato, donec super laminam cultelli, vel ferri alterius calidam bulliat, vt est dictum. Et sic continue faciendum est, donec tota aqua continue exierit, & materia in fundo vasis clara, rubea, & sine aqua apparuerit. Item continua & coque donec nigra fuerit, & sicca: & tunc quæ prius in prima vocabatur spermata, vel pater & mater & c. hic in hac operatione vocantur terra vel nutrix. De hac autem dispositione separationis aquæ vel animæ à sua terra vel corpore, dicit Philosophus, Fili à radio Solis extrahe umbram suam. Vocatur autem ista terra à Philosophis umbra Solis, corpus mortuum, corona vincens, nubes, cortices matris, magnesia nigra, & Draco qui comedit caudam suam, & alijs infinitis nominibus nominatur. Aqua autem ista quæ ab ea exit, vocatur cauda Draconis, quæ à Dracone prædicto comeditur, sicut residuum duorum spermatum in prima operatione sic nominatorum: & dicitur anima, ventus, aer, vita, domum illuminans lux meridiana, arg. viuum nostrum, lac virginis, & totum secretum: quod intelligendum est, cum fuerit imprægnata aliquo nostrorum corporum vel spirituum in ea solutorum: & ideo aqua ista totaliter extracta, statim debes ponere in ea de corpore nostro albo ad dissoluendum, vt in prima operatione fecisti, & seruare ad partem usque ad horam necessitatis. Item vocatur sal armoniacus noster, & medium coniungendi tincturas: & vt ab omnibus alijs nominatur aqua nostra alba in prima operatione, hic similiter nominatur, nec est differentia inter eas. Quidam philosophi videntur dicere, quod non debet impregnari, sed ex ea sola prout extracta fuit sine compositione debere operari. Tamen filii caue quid facias in hoc loco. Item terra dicitur à Morieno fex, scilicet ventris, de qua dicit ad regem Ali, quod ipsa fex erat minera istius rei vel terræ: propter quod dictum multi errauerunt, quærentes istam rem, vel terram, seu lapidem inter stercorea & fimos humanos, affirmantes ipsam esse simum humanum auctoritate Morieni, cum in rei veritate ita non sit: sed pro tanto dicitur fex ventris, non omnis proprie, sed similitudinarie, imò ventis, qui ventre ventis, id est aquæ, peperit modo & operatione predictis istam terram, sicut venter humanus post decoctionem emittit seu parit simum suum. Et in sterquilinio hæc terra reperitur, vt idem dicit, quod intelligitur de fimo equino prædicto, in quo ista terra fit, & inspissatur & siccatur, vt est dictum, & non in sterquilinijs communibus, sicut quidam fatui putauerunt, & ibidem fodierunt, existimantes ipsam ibidem inuenire: & pedibus hominum conculcatur, vt idem dicit. Et nota hic pro tanto, quod cucurbita cum suo alembico ab Alchymistis vocatur homo altus, galeatus, cuius fundus est extremitas ipsius cucurbitæ, id est hominis alti galeati: & secundum hoc similitudinariè potest dici fex ventris humani

*Philosophi dictum
Umbra Solis.*

Synonyma multarum rei.

Cauda Draconis & eius synonyma.

*Fex.
Errorum multorum causa.*

Terra lapidis ubi.

Cucurbita ac alembici nomina et partes.

manū, id est cucurbitæ ventris, quæ dicitur homo altus: quæ extremitas cucurbitæ cōparatur extremitatibus pedum hominū, qui sunt extremitates hominis super quibus totus homo defertur & sustinetur, sicut cucurbita supra suū fundum, à cuius fundo cucurbitæ, & in quo, id est à cuius pedibus hominis alti galeari, & in quibus hæc terra conculcatur, id est massando coagulatur, subtile à spisso separando, ut est dictum. Item dicitur quod in vijs projicitur, hoc est dictum non in vijs cōmunibus, quibus homines gradiuntur, sed in vijs philosophorum istius sciētiæ, quia sunt plures tendentes ad unū finē: vel unā viam, scilicet Hermetis prædictā: in quibus vijs videtur esse deducta, id est immortua donec reuiuiscat. Itē dicit idem quod hæc res siue hæc terra est sæpius parua: tamē q̄uis sit modica terra, ut dicit Orthulanus, Sufficit tamē eius paucitas ad nutrimētum nostri lapidis totius: & de hac terra & paucitate ipsius scripsit Rosarius in 2. sua epist. ad Eutheciā, sic dicens, Et est Kimbor & kambar quod rarissimē inuenitur. Et nota quod cōpositio siue imprægnatio ipsius terræ si debeat cōponi vel imprægnari, secundū quosdam fit ex mercurio mūdato, prius clarificato à quadā terrestreitate quā habet in se. Similiter omnis imprægnatio vel cōpositio fit ex corporibus crudis, & non calcinatis, ut quidā fatui putauerūt, & decepti fuerunt in multis. Nec est cōtra quod dictū est supra de terra rubea calcinata, quæ postea soluitur: quia certissimē si vera fuerit aqua in qua debet solui, siue calcinatione quacunque soluetur. Cave tibi fili quid facias in hoc passu imprægnandi, & de quo, vel non imprægnandi.

In vijs projicitur

Rosarius autor.

Imprægnatio
uel cōpositio
ex quibus fiat.

CAP. XXXII.

HAc verò terra siccata, ut est dictū, extrahe eā à cucurbita per subtilitatem tuā caute & munde, & scias similiter pōdus eius, & postea pone eā in alio vase forti & spisso, amplo & magno, secundū quantitātē lapidis vel medicinæ quā facere volueris, & cōpetenti quantitate, vel terræ prædictæ ponderi. Cuius vasis venter & fundus rotundus ad modū cælestis lunæ, & collū longū ad mensurā vnus pedis vel plus, & os taliter strictū, q̄ possis ibidē figere pollicē tuū secundū q̄ dicit in Lilio, vas angustī oris. Et cū Draco prædictus, vel terra nostra prædicta fuerit in prædicto vase positus, vel posita, ponendū est vas bene obturatū in alutello super cineres cribellatos, & postea ignis faciendus est in furno super alutello ex tribus lignis siccis vel fustibus, & cauendū est ne flāma vas attingat, & sic continuandus est donec terra soluat in se ipsa, & fiat aqua spissa, rubea. Sepeliit autē vas istud secundū alios, & melius in fimo equino calido, donec soluatur terra prædicta. Soluit autē isto modo infra 40 dies, ut dicit Ali in Secr. secretorū. Alij ponūt in aere, vase aperto & nō obturato, sed bene cauēt ne puluis subintret, nec quidq̄ aliud: & sic dimittūt ipsam terrā solui in aquā spissā rubeā. De solutione istius terræ de se ipso dicit Martyrizatus, Ars nō cōpletur nisi si terra fuerit soluta. Vide ergo fili quid facias in hoc loco. Citius autē perficitur hoc opus in humido, tardius verò in sicco. Et nota fili, q̄ istius terræ duplex est solutio, vna per se, de qua dictū est, & alia per caudā suā, vel aquā imprægnatā, quæ ab ea exiuit, ut est dictū. Et in hoc multi errauerūt, nō æstimātes solutionē ipsius possibilē nisi cum sua aqua, vel cum vno duorū spermatū, à quo est creata. De solutione istius decoctionis vel terræ nūc prædictæ à cauda sua vel aqua ab ea extracta infra dicemus. Hanc autē solutionē nigri corporis & mortui solutionē nominamus, cū soluitur per se solā: cū verò soluitur per aquā, hanc solutionē, resurrectionē, vel resuscitationē, aut viuificationē animāq̄ corporis mortui nuncupamus: & hāc inferius ostēdemus, licet solutionis istius terre per se diuersæ sint opiniones, ut dictū est. De hoc tenendū est, q̄ solutio illa quæ fit cū flāma ignis vel cum fimo equino, nō sunt propriæ solutiones, sed liquefactiones potius, vel fusiones ad modū ceræ vel metalli: & sic oportet fieri: per quod

Martyrizatus
autor.Solutions 44-
rie.

patet quòd fusio hìc accipitur prò solutione, & è contrario solutio pro fusione. Et quum perfusa est, vt dictum est, tunc iterum soluitur propriè per se, & hoc in aere, vt est dictum. Ergo solutio duobus modis in hoc passu consideratur, & oportet quòd his duobus modis fiat, & hæc solutio est sicut solutio salis minerae, & sic intellige quod superius est dictum.

CAP. XXXIII.

Regimen terræ
lapidis.

Pro hoc cap. vii.
de inferius circa
finem capituli 4^o

TERRA verò nostra primò per se soluta, id est fusa vel liquefacta, & secundò per se similiter soluta ad aerem, vt est dictum, in vase prædicto. Accipiaturn illud vas cum ipsa terra soluta & ponatur super cineres cribelatos in alutello super furnum, & in furno fiat ignis lentus, & sic continuando ibidem donec congeletur in vna massa nigra, dura, sicut massa salis, cuius massæ fractura est lucida sicut fractura vitri, si probaueris: qua congelata, id est masata, vt est dictum, iterum in loco vbi soluiisti eam propriè secundò per se, vt dictum est, iterato: Secundò pone illud vas cum prædicta terra congelata, & secundò ipsam dissolue propriè per se, vt prius, postea super cineres secundò, vt prius congela in prædicto vase suo. Alij verò postquam per se semel soluta & congelata fuerit, vt præmittitur, sciunt pondus eius, & postea ponunt super ipsam aliquod modicum, id est sextam partem ponderũ ipsius de cauda sua, id est de aqua quæ ab ea exiuit, & nò de alia: quæ in hoc loco si sic fiat, debet esse simplex certissimè sine quacumq; impregnatione corporis vel spiritus: & postea quidam ex ipsis, vt præmittitur, ponunt ipsam in aere ad dissoluendum, & quidam ex ipsis faciunt dissolui in fimo equino, & postea omnes isti ipsam deliccant & assant, id est congelant super cineres lento igne, vt est dictum. *Cave* si li quid facias in hoc passu, & quomodo dissoluas & congeles eam: Quater tertia istam solutionem & congelationem, quarta vice solutionum & congelationum istius terræ nostræ prædictæ completa, vt dictũ est, remanebit hæc terra fixa, lucida, nigra in fractura, & proiecta supra corpus alterat in suo colore. Et his omnibus sic completis, verum regimen terræ benedicti lapidis sufficien-

Nota ter peregisti. Et nota quòd quantum pluries hæc terra soluta fuerit & congelata, vt est dictum, est subtilior & penetrabilior in natura: & nota quòd quidam non fundunt nec liquefaciunt eam, vt est dictũ in capitulo præcedenti, sed hæc fusionem dimittunt, & tantum per se solvunt propriè, vt est dictum, & congelant. Et si dimittatur prædicta fusio, quam solutionem nominamus superius, nò est error. Et cum per decoctionem, vt est dictum, fuerit denigrata, nominatur cinis clauelatus, æs combustum, sal combustum, terra mortua, ouum Philosophorum hìc propriè, sed cum adhuc est in Elixir, impropriè: non tamen ouum gallinarum, sed similitudinariè dicitur Ouum, vt dicitur in Lilio: Quia sicut ex componētibus ouum, scilicet ex testa, albumine, & vitello, nascitur Alchymia. Item notandum est, quòd hæc terra mortua, cum aqua remota fuerit ab ea & se parata, antequam desiccet & denigretur, vt est dictum, à philosophis vocatur Ignis, sal armoniacum, sal vitellorũ ouorum, sal honoratũ, Athincarnostreũ, nubes coagulata, Salarmoniacus noster, lingua maris, arsenicus sublimatus, sulfur sublimatum, & omnibus nominibus omnium sublimatorum, stella Diana, ventus corporatus, aduena, secretum naturæ, & pluribus alijs nominibus nuncupatur.

CAP. XXXIII.

Non pluribus
uasibus opus fo-

QUIA formam vasis superius descripsimus, in quo hæc terra, cum fuerit denigrata, debeat poni ad soluendum & congelandum, vt est dictum. De hoc notandum est, quòd nos non remouimus ipsam terram de re. sua cucurbita, sed delutato alēbico & remoto, desuper ipsam coopertoriũ ipsum

sum vitreum posuimus, lutauimus, & cerauimus ad cucurbitam, quod coopertorium vocamus vulgariter Athenatorium, quod habebat collum gracile & spiritum, & pendebat illud collum intra cucurbitam, & non extra: quod collum debet lutari & cerari, ne per ipsum flos exeat & fugiat. Et cum opus erat, nos remouebamus illud coopertorium, & ponebamus & lutabamus iterum alembicum: & e conuerso cum opus erat nos remouebamus ipsum iterum alembicum, & ponebamus & lutabamus athenatorium: & iterando alternatim cum opus erat, & faciendo in vnico vase, donec totum opus impleretur. Vocatur autem illud vas olla vel cucurbita sine sectione, & multis alijs nominibus nominatur. Vide fili quid feceris de hoc vase: non enim concludimus te in forma vasis, quia si subtilius & magis proficuum sciueris, hoc assumes. Multa enim de operatione huius artis & scientiae in his scriptis non ponimus, quae tamen necessaria sunt ad sciendum & faciendum, cum omnia singularia scribere non possimus, quasi tuae prudentiae relinquentes: & sic completa est dispositio denigrandi. Nunc autem ad dispositionem dealbandi veniamus. Sed antequam ad hoc veniamus, quae sequuntur decreuimus inserenda, ut liber iste exvtraque parte videatur esse perfectus.

Athenatorium.

Singularia omnia scribi non posse.

Libri huius perfectio.

CAP. XXXV.

Item de vera compositione Elixiris, quod est primum opus, dicitur a philosophis, quod illa res quae est vera, ubique reperitur, quia in quolibet homine est & apud quemlibet hominem reperitur: & Adam secum apportauit eam de Paradiso, & cum mortuus fuit, ipsam secum reportauit, & cum ea sepultus fuit: Et pro tanto dicit sapientum Allegoria, quod ista res est sol subtiliatus, id est aurum subtiliatum, & conuersum in virtute maxima minerali: unde dicitur in libro de hoc auro, ex gumma nostra, & pauco auro multa emimus. Sed secundum Albertum in libro de Mineralibus dicitur & probatur, quod aurum ubique est & reperitur, quia non est aliqua res ex quatuor elementis elementata, in qua non inueniatur aurum in vltima affinatione naturaliter. Et ideo dicit, quod ubique reperitur. Et quia idem Albertus dicit ibidem & probat, quod maxima virtus mineralis est in quolibet homine, & maxime in capite inter dentes ita quod in sepulchris antiquorum mortuorum inter dentes aurum in granis minutis & oblongis superius inuentum est in suo tempore, ut ipse dicit, quod esse non posset, nisi in homine esset ista virtus mineralis, quae virtus mineralis est in Elixiri nostro praedicto vel composito. Et pro tanto dicitur, quod hic lapis est in quolibet homine, & quod Adam, & c. His visis & intellectis, ad propositum redeamus.

Primum opus Elixir ubique reperiri.

CAP. XXXVI.

Dispositione nigredinis completa, & regimine terrae peracto, ut est dictum ad dispositionem albedinis terrae lapidis benedicti veniamus. Est enim notandum, quod in hac nigredine terrae est albedo abscondita: & ideo in visu est nigra, in intellectu vero est alba. Et propter hoc virtus latens in ea, debet fieri exterius & apparere: & quod est exterius, fiat interius: ita quod nigredo huius terrae quae est exterior, fiat interior: & albedo quae est interior, fiat exterior, & appareat manifeste. Et sic fit manifestum absconditum: & absconditum manifestum. Fit autem haec dispositio in eodem vase, & sine remotione terrae praedictae ab eo, tali modo: Scias pondus ipsius terrae, ut est dictum, & postea solue istam terram per se, sicut in denigratione sua fecisti. Qua soluta, accipe medium sui ponderis de spiritu non fixo, id est de aqua quae ab eo exiit, quae vrina canis balsam dicitur, quae per dugile, id est per alembicum destillatur, ut est dictum siue lac virginis, aut arg. viuum nostrum, seu anima, aut ventus, aut cauda, & c.

Terrae lapidis affinatio.

vt supradictum est, appellatur: siue de spermate albo, quo ipse draco fuit & est in parte compositus, quod reseruasti ad partem, vt est dictum: quod idem est & eisdem nominibus nominatur, & hoc pone super ipsam terram solutam, vel draconem solutum per collum coopertorij cucurbitæ, ipso coopertorio cum cucurbita post lutato, vt est dictum: & obtura bene coopertorij collum, & luta bene secundum suum modum: & sic, si fuerit aliud vas quam cucurbita siccata obtura cum panno lineo fortiter, & postea pone in fimo equino calido, id est in humido, vel super cineres, id est in sicco, cum lento igne, vt est dictum. Et sic continua donec terra & aqua vnum fiant, & fiat vna res nigra, clara & alterius coloris, tamen in modico ad hoc quod prius erat. Hoc facto & completo, hoc totum congelandum est, & inspissandum, & in massam reducendum, in eodem loco & eodem igne, & eodem regimine continuo: & si necesse fuerit coopertorium valis, id est cucurbitæ, est remouendum, & alembicus constituendus, vt est dictum, & lutandus desuper vt non exeat aliquis humor, & res citius inspissetur. Signum autem quod hæc res, id est gūma nostra est decocta, erit quod si dimittatur vas infrigidari, & iste draco fuerit durus ad modum picis duræ, vel frigide, satis est inspissatus & decoctus, & à suo phlegmate purgatus. Aqua quæ in hac decoctione ab huiusmodi gumma vel dracone exierit, si qua exierit, potest recipi & imprægnari, & custodiri, & loco & tempore, si necesse fuerit, de ea sicut de cauda operari. Hoc dracone congelato, vel hac gumma nostra venerabili inspissata, vt est dictum, tunc ponatur in loco tali, vbi per se soluat in aquam spissam de suo colore existentem: qua per se soluta, pone super cineres sicut in denigrando fecisti, & ibidem dimitte continuè, donec congeletur, vt est dictum in denigratione: & completa est ista decoctio, & est vnum corpus adhuc opacum, & in fractura clarum & c.

CAP. XXXVII.

Quidam Philosophi, sicut Geber, Hali, & Ortolanus, dicunt quod hæc decoctio fit sine pondere aquæ & spermatis: & dicunt, quod postquam terra lapidis benedicti est præparata, vt est dictum, tunc non soluitur per se, sed prout est congelata in suo vase post denigrationem, vt est dictum: tunc sine pondere & mensura ponunt super dictam terram de aqua sua, vel de spiritu non fixo, & ipsam de ea imbibunt quantum potest bibere, donec virtute ipsius aquæ, aut spiritus non fixi, seu arg. viui, seu caudæ draconis, aut spermatis, & c. superueniente, hæc terra soluat totaliter in aquam, & fiat volatilis & spiritalis alternatè, id est de natura aquæ, vel spiritus prædicti, ascendendo in celum, id est in ipsam aquam, vel sublimando sicut ab initio fuit in prima operatione, vt est dictum: & post faciunt ipsum descendere in terram ipsam congelando, vt est dictum in hac operatione. Vide ergo fili quid feceris in hoc loco: Nam dicit Aros philosophus, quod præcauendum est ne Elixir submergatur. Submersio Elixiris, vt dicit Geber, est quando volatilis summa, superat summam fixi, & sic est perfecta decoctio ista.

Submersio Elixiris quæ, & quomodo cauenda.

CAP. XXXVIII.

Cum verò completa fuerit ista decoctio quæ dicitur, veniendum est ad alias: Scias pondus totius congelati sicut sciuisi primò per subtilitatem & discretionem tuam. Non enim possumus omnia tibi scribere, sed multa necessaria tibi & industriæ tuæ relinquimus, vt est dictum. Et postea pone quartam partem ipsius congelati super ipsam terram congelatam, vel ipsum congelatum de aqua prædicta, vel spiritu non fixo, siue de cauda draconis, vel spermate albo (quæ omnia idem sunt) in eodē vase, & sine extractione draconis ab eodem vase, & decoque vt prius, vase obturato, vt est dictum, donec congeletur & in-

& inspissetur, & fiat res dura sicut pix: postea per se solvatur totum hoc, & ipso soluto per se, statim super cineres lento igne congeletur, ut est dictum, & est una massa alterius coloris quam prima, & magis clara aliquantulum. Et sic simili modo, simili regimine, simili pondere, videlicet pars totius congelati quarta, de arg. viuo nostro vel aqua alba prædicta desuper ponatur totum congelatū simili coniunctione & congelatione, tam per caudam suam, quam per se solū iste draco solvatur & congeletur: continenter autem regatur & reiteretur hæc dispositio dealbationis per huius aquæ albæ vel caudæ pondera: & per hoc rigationes, adaquationes, & imbibitiones, inspirationes, viuificationes, animationes, solutiones, congelationes, tam per aquam quam per se in eodem vase, & sine extractione draconis, donec iste draco vel tota ista massa mortua quasi homo in suo tumultu paulatim, & paulatim suo spiritui, vel vita, aut anima, qua priuata fuit, denigrando, ut est dictum, inspissetur, animetur, viuificetur, resuscitetur, & subtilietur magis quam prius. Et fiat lapis vnus crystallinus albus participans viriditate quadam, in igne perseverans, fundens, fluens, tingens, & mercurium congelans, & perfecte retinens & transmutans, etiā quodcunque corpus metallicum imperfectum in lunificum: & verè, si rectè feceris, peruenies ad intentum.

C A P. XXXIX.

Dicunt Philosophi quidā, sicut Ortolanus, Geber & Hali, quod in singula decoctione istius draconis, iste draco extrahendus est à suo vase, & debet teri super marmore, & iterum poni in vase, & super istam tincturam ponitur aqua, & postea congelatur, & fit, ut dictum est. Sed hoc quod dicunt, non sic ad litteram intelligitur: sed sic secundum quod dicit Aros, Hæc contritio nō fiat super marmore, nec manibus hominum, sed est tantum aqua quæ terit & penetrat corpus, & draconem nostrum de natura sua propria & virtute & terra vel corpus, quod penetrando ab aqua teritur, id est naturaliter, mediante operatoris industria soluitur, & cum ea congelatur: & fundum valis ubi hæc fuerit, in hoc loco marmor nuncupatur similitudinariè: & sic intellige & concordare philosophos, & bene tibi erit. Cum secundum Iuristas promptum sit iura iuribus concordare, ita in hac arte vel scientia, promptū est philosophos philosophis concordare. Item notandum est quod plures colores & diuersi apparebunt in isto lapide antequam fiat albus, quia cum primò fuerit niger, postea fit albus, qui sunt duo colores contrarij. Sed secundum Philosophos ex vno contrario transiri non potest ad aliud sine medio, ideo oportet quod veniendo in isto lapide de nigro ad album, plures colores intermedij veniant & appareant: & propter hoc dicitur in Lilio, quod pluries citrinescit, & pluries nigrescit: imo quot in mundo possunt esse colores, attamen non sunt veri colores, sed in fine expectanda est dealbatio, quæ est verus color. Causas verò & rationes istorum colorum debet considerare sagax & subtilis opifex huius artis. Secundum autem variationes istorum colorum philosophi hunc lapidē diuersis nominibus habuerunt nominare: Alij ferrum, alij plumbum, alij stannum, alij cuprum, alij æs, alij aurum, alij argentum, alij vice & nomine omnium spirituum, alij nomine omnium vegetabilium, alij nomine omnium animalium, alij nomine omnium colorum: & tamen propriè nullum prædictorum est in se. Nominatur autem à philosophis cum est albus, calx cineris clauellati, & cinis albus, calx corticum ouorum, terra alba, terra philosophorum, terra benedicta, æs album, magnesia alba, puluis dealbatus, luna calcinata, & infinitis alijs nominibus nominatur, prout in libris Alchymistarum reperitur: quæ omnia quauis in vocabulis differant, ad vnum tamen tendunt intentum: & habet hic lapis albus pondus patris, id est Solis, ut est dictum.

Contritio quomodo fiat.

Lapis varijs coloribus.

Lapis nomina

Alphidius autor

GVmma nostra benedicta, vel lapis albus, qui secundum quosdā dicitur aliter nix, & grando, preciosior est margaritis, cuius opus prædictum ab Alphidio in hac arte breuiter comprehenditur & intelligitur in his verbis, in libro suo qui Clauis philosophorum nominatur in principio, ubi sic loquitur, dicens: Et autoritate summi philosophi constat, & est verū, quod quædam res est qua vtuntur quidam ingeniosi, cum volunt rem siccam coadunare id est mercurium, quod sic fit: aqua enim fit terra cum vincunt qualitates terræ in ea, quæ componitur ex duabus aquis, id est ex spermatibus albo foemino, & rubeo masculino, vt est dictum. Sunt autē sicut ipse postea dicit Alphidius, multa alia, quibus certissimè & solvunt, & congelāt, liquefaciunt, & componūt & coagulant, & transmutant. Et intelligendū est de lapide qui fit ex vegetabilibus, & in lapide qui fit ex animalibus: de quibus lapidibus, quomodo, qualiter, & ex quibus rebus fiunt & cōponuntur, in sequenti volumine plenius ostēdemus. Granū enim istius lapidis seu grandinis, seu gummae albæ generat 100 grana, vt dicit Morienus in eius multiplicatione, per imbibitionem ipsius gummae à spiritu non fixo, vel aqua alba prædicta imprægnata, quod debet fieri eo modo & regimine in omnibus sicut in dealbando fecisti prius. Et sic non oportet vt reincipiatur à principio, sed tantum vt multiplicetur, vt est dictum: nec ita modicum de ea habebis, quin sufficiat ad multiplicationem faciendam, & ipsam esse largam & amplam sapientibus. Et scias quod quātuncūq; plus soluitur cum sua anima, vel spiritu non fixo, & congelatur, tanto magis multiplicatur nō solum in quantitate, sed etiam in virtute, tinctura, & subtilitate, & in perfectione maius pondus consequēter transformabit: de cuius projectione, modo ipsius, et furnorum forma & nominibus vasorum inferius dicemus. Conseruatur autem in loco sicco sicut sal, vel Zucharum, & in vase forti vitreo, & non in humido loco, quia tunc per se solueretur. Et tamen si contingeret ipsam solui, non propter hoc peior esset, sed iterum super cineres calidos congelāda est per se, sicut fecisti in dealbando. Item nota quod quauis decoctiones nostras prædictas fecerimus de aqua alba prædicta cum pondere quartæ partis totius congelati, vt dictum est: attamen si maius pondus de ipsa aqua posueris super ipsum corpus quā quarta pars ipsius, dum tamen Elixir nō submergatur, melius erit, & citius lapis dealbabitur, & erit subtilior & penetrabilior, & cum maiori pondere alterabit & conuertet, vt dictum est. Et nota quod subtilior est lapis vel medicina, quæ mercurium conuertit, quā ea quæ conuertit corpus, et non ē contrario, nisi subtilius fuerit præparata.

Multiplicatio lapidis.

Nota

Lapis conseruatio.

Lapis perficit metalla in colore, & pondere.

Lapis sophisticus non dat pondus.

Alphidius philosophus & Rex Arabia declarantur.

NE mireris qualiter vnum infirmū metallum quod non habet pondus perfecti metalli, quomodo per medicinam reducitur ad verum pondus, cū modicum quid ibidem ponitur de medicina. Et ita modicum per pondus illius modici non potest suppleri. Defectus ponderis metalli habito respectu ad quantitatem medicinæ proiectæ, & hoc ideo est, vt dicunt omnes philosophi, & fit per virtutem medicinæ, quæ ex natura sua cum dat tincturā, dat pondus tincturæ siue in albo, siue in rubeo: quod non facit medicina sophistica, quæ tantum dat tincturam, & non pondus. Quereret aliquis, quid est quod dicit Ali philosophus in hac arte, & Rex Arabia in Secreto secretorum suorum, ubi dicit, Accipe canem masculum Coracenum, & catulam Armeniæ, & iunge simul, & hi duo parient tibi canem coloris cæli, & iste filius seruabit te in domo tua ab inimico in hoc mundo & in alio? Respondeo, Canis iste masculus est sperma rubeum masculum, & Catula Armeniæ est sperma foemininum album:

Et con-

Et coniunctio istorum duorum est compositum Elixir. Et partus canis coloris cæli ab istis duobus, est aqua quæ ab istis duobus in denigrando extrahitur, & est, vt dictum fuit, quam caudam draconis appellamus, quæ seruat ab inimico, id est ab igne & combustion e, & perficit totum lapidem in hoc mundo & in alio, hoc est in albo & rubeo. Item posset quæri, quid est dicere, Opus nostrum nil aliud est quàm opus mulierum, & ludus puerorum? Respondeo quòd hoc pro tanto à philosophis dicitur, quia opus mulierum, vt in pluribus, modò bene, modò malè se habet, & vix ad perfectum deducitur: & ludus puerorum est modò risus, modò fletus. Ita est opus nostrum: nam quidā artifex modò bene agit & sine errore, modò malè agit & cum errore: modò reuocat errorem suum & corrigit errorem suum, & reducit mœrorem. Et sic modò gaudet, modò flet sicut mulier, & sicut puer, modò bene, modò male operat: ita quòd vix aliquis hoc opus excellentissimum ad finem optatum sine errore & impedimento deducit. Et nos verò per septennium vacauimus circa diuersas operationes istius artis & scientiæ cum erroribus multis, antequàm possemus verum Elixir comprehendere & facere, quod post in septem diebus fecimus, & composuimus iā perfectè. Patet ergo quòd oportet artificem cum erroribus multis indagando ad perfectionē huius tam inclyti magisterij peruenire. Et hoc dicit Alphidius in Clauī philosophorum, Qui non errat, nō peruenit ad sublimia, iuxta textum philosophicum, per multas tribulationes oportet ad gloriam peruenire. Item notandum est, quòd dealbare & rubificare, idem est quod calcinare & soluere: & congelare idem est quod componere, & compositum facere, & aggregare, & congelare: & assare idem est quod rē desiccare, vel in tali statu ponere, quòd possit in puluerem sibi competentem redigi, quod non potest nisi in loco & sa per locis calidis & siccis: vel assare quandoque est idem quod congelare. Item destillare, sublimare, & soluere, est idem quod facere descendere in terram de cælo, vt est dictum. Item soluere in aquam, idem est quod descendere, sublimare, & facere fixum volatile: & congelare, idem est quod ascendere, & facere volatile fixum. Et iterum soluere per se est idem quod facere fixum solutū. Et congelare solutum, est idem quòd calcinare solutum per se: & istud calcinare est idem quòd dealbare & rubificare perfectum. Et sic intellige fili doctrinæ, diuersa vocabula, dicta, & verba philosophorum huius artis famosæ in vnam intentionem, opinionem, & sententiam in operatione lapidis conuenire, in qua diuersitate vocabulorum & verborum multi errauerunt, & fuerunt decepti, & pro dolor, in fine miserabiliter proclamati. Et ideo sciendum, quòd maior labor est in dealbatione, propter pondera, & coniunctiones, quæ ignorantur antequàm probentur, quam in rubificando: quia tunc per dealbationem cognoscuntur similiter: & est certior modus operandi. Vnde post dealbationem vsq; ad rubificationem non sequitur error, vt dicitur in Lilio. Item nota quòd fusio lapidis quàm superius in dispositione denigrandi in cap. 33. Solutionem nominamus, nullo modo facienda est, nec facias, quia periculosa est & damnosa: & quando nos eam fecimus, magnum damnum incurrimus, eo quòd terra illa nigra nimis est sicca: sed quando scripsimus illud capitulum, tunc non reolebamur de illa fusione, vel solutione damnum incurrisse. Et ideo omnino prætermittenda est, & facienda est alia solutio non violenta, vt ibi dictum est, & ostensum. Et sic est completa perfectæ dealbationis dispositio. Ad dispositionem igitur incinerationis veniendum est.

Dubitatio alia soluta.

Opus difficulter ad finem optatū deduci.

Nota istius auctoris labores.

Errores esse necessarios ad discētibis.

Dealbare & rubificare qd sint. Congelare, quid assare, quid. Destillare, soluere, &c.

Soluere in aquā quid.

Congelare quid. Calcinare.

Vocabulorum diuersitas quomodo intelligenda.

Errorum causa. Labor ubi maior.

Cap. 33. retractatio ex parte.

Cineratio. **N**unc ad dispositionem cinerationis veniendum est, ut inde ad rubedinē veniamus. Fit enim tali modo: Accipe vnciam de lapide albo prædicto, & in eodem vase à quo eum extraxisti iterum pone, vel in simili, si illud fractum fuerit, vel immundum, & obtura vas eo modo, sicut prius in dealbando fecisti, & fac ibidem eum soluere per se, ut est dictum: qua vncia soluta per se, accipe de sulfure rubeo, id est de arg. viuo rubeo, vel spermate masculo quod ad partem seruasti, ut est dictum, & sit eius quantitas aquæ rubeæ, quantum de ea durabus vicibus fecisti, & dimitte idem visibiliter misceri per minima, donec sint vnum & idem, & vna aqua clara, citrina, vel ialuea, tendens ad rubedinem, & claude vas cum alembico sicut in denigrando fecisti: & hæc aqua dicitur fermentum Solis, & secundum compositum: sicut primum compositum dicitur fermentum Lunæ. Vnde sicut in primo composito nigro est albedo abscondita interior, & facienda est exterior, & nigrum interius: ita quando lapis est albus exterius, interius est rubeus: ideo oportet quod illa albedo, quæ modò est exterior & manifesta, fiat interior & occulta. Et sic oportet, ut dictum est, in hac arte occultum facere manifestum, & manifestum occultum. Et sic adimplebitur ars ista; & hoc sic fit in rubeo, ut in sequenti scribitur capitulo.

Elixir rubeum quot nominibus nominetur.
Cineratio, quid fermentum Solis.
Accipe vas prædictum lutatum cum aqua prædicta, & pone in loco ubi possit ab ea exire aqua paulatim & paulatim, sicut in denigrando fecisti, & extrahe ab ea superfluitatem phlegmatis, & eam recipe, sicut prius de ea faciendo: & conserua ad rubeum de spiritu vel corpore rubeo, sicut fecisti denigrando ad album de altera: & antequam penitus ipsi spissetur, scias quod illud quod apparet in fundo vasis est lucidum, clarum, rubeum, fusibile, sicut ceræ & à philosophis tunc vocatur rubinus, aut hyacinthus, aut corallus, vel iaspis & c. hos autem lapides sic nominatos propter eorum colorem. Hoc totum desicca, & assa quantum poteris & natura eius exigit, donec fiat & vertatur, ut dicitur in Lilio, in similitudinē Zafarani sicci, vel sanguinis combusti. Et hæc assatio, vel desiccatio, dicitur cineratio. Et sic completa est dispositio cinerandi, quæ requiritur interuenire inter album & rubeum, quæ fermentum Solis nominatur, ut est dictum. Notandum tamen quod totus lapis albus, sine motione ipsius à suo vase, potest modo prædicto cinerari, & in fermentum Solis conuerti, sed magis oportet habere de sulfure rubeo, vel spermate masculo, & maius vas requiritur, & vix posset inueniri vas vitreum, quod posset sine fractione usque ad perfectionem lapidem rubeum sustinere. Quidam autem hoc fermentum Solis in tantum decoquunt & assant, quod fit puluis & cinis sine tactu: sed quauis istud opus cinerandi videtur esse simile operationi denigrandi, tamen differt, si bene intelligis: Similiter & alia multa opera huius lapidis videntur esse similia insipientibus, quæ tamen sapientibus sunt dissimilia. Et ideo fatui non intelligentes, nec scientes dissimilitudines operationum, intellexerunt philosophos loqui de nigredine, vel alia operatione, ubi loquebantur de cineratione, vel de alia operatione: & sic contingit ipsos ad effectum opus non ducere, sed in infinitum errare, affirmantes exinde hæc artem esse mendacem, & non esse: & philosophos mentitos fuisse, & esse mendaces: cum in rei veritate verum dixerint philosophi, & ars sit vera & omnino certa: sed talium fatuorum insipientiam & insufficienciam omittamus, quibus hæc scientia occultatur, sicut vnum bonum solum frumenti inter paleas in magno ipsorum aceruo à pluribus huiusce vilis habetur, vel propter talium sophisticas operationes in hac ipsa scientia, quandoque falsa inducantur, cum in hac vera indagatione ipsius, omnis sophistica operatio condemnetur, sicut hic superius in proœmio recolimus tetigisse, &

Erroris causa si multitudo.

Fatuorum contra artem calumnia. Inimici vere scientie sunt ignorantantes.

ideo ars ista quum sit vera, & omnino certa, patet quòd non habet inimicos nisi ignorantes.

C A P. XLIII.

AD dispositionem rubificandi veniendum est, quod est vltimum opus lapidis. De hac dicit philosophus, quòd à dealbatione vsq; ad rubificationem perfectam nullus sequitur error, quia eodem modo rubificandus est, quo & dealbandus, & in eodem loco, & in eodem vase vel simili, & eisdem pòderibus aquæ, & similibus imbibitionibus siue adaquationibus, & iisdem coloribus, & eisdem alijs omnibus regiminibus, sed cum sulfure rubeo, vel cum aqua spiritali rubea, siue spermate rubeo, reseruato & c. quæ idem sunt, & toties reiterare sic decoquendo, soluendo, imbibendo, & congelando, vt in dealbando fecisti, donec Rex aureo diademate coronetur: vel donec hoc totum compositum rubificetur prout decet: & fiat vnus liquor rubeus, clarus, fluens, fundens, in igne perseverans, tingens & transmutans, penetrans & conuertens mercurium, & omne opus solidum in molle & solificum verum, purificansq; omne corpus humanum ab omni infirmitate, & in sanitate conseruans. Lapidem preciosos rubeos, sicut lapis albus margaritas fingit, & omnes alios lapides preciosos albos. Et hic est lapis rubeus benedictus, pater omnis thebesim, id est totius secreti, vel thesauri totius mundi, quem cui Deus vult, subtrahit, & largitur: ad cuius inuentionis perfectionem plures sunt vocati, sed pauci ad eius effectum perfectionis inueniuntur electi. Et siqui pauci hanc inueniunt, cum ipsa ars nostra in Dei potentia reseruetur, hoc ex dono Dei & ex gratia est, post errores multos omnium, qui creauit eam ea, id est eam rem ad album, & eam rem ad rubeum, ea videlicet re alba & rubea, quæ est vna per matrimonium & compositum, vt est dictum: & fuit per eandem hanc scientiam indagando, quasi diuinitus, cum esset in errore indagationis ipsius, per Dei gratiam reuelatum.

Rubificatio, & Lapidis vltimū opus.

Regis aureū diadema.

Donum Dei.

C A P. XLV.

EX isto lapide adhuc restant plura alia cognoscenda, & sunt hæc: Sicut enim ex arg. viuo, & crudo & albo imprægnatur cauda draconis, vel aqua lapidis ad dealbandum lapidem magnum, vt est dictum, secundum opinionem quorundam: ita & quidam dicunt, quòd ex arg. viuo rubeo imprægnatur cauda draconis, vel aqua rubificandi lapidem album. Et hanc aquam vocamus sulfur rubeum, sicut prædictam aquam albam, album sulfur nominamus. Et de istis arg. viuus fit imprægnatio secundum opinionem quorundam. Sed dicitur in Lilio, quòd melius est quòd de metallis quidem fiat color. Vide fili, & caue quid facias in hoc passu. Tamen dicit Albertus in Mineralibus, quòd ipse fecit examinare aurum quorundam Alchymicorum, & post septimam examinationem non fuit inuentum nisi terra quædam, & fæx mortua: & ideo dicit ipse, quòd falsi Alchymistæ sunt, qui per alba dealbant, & per citrina citrinant. Et melius est, & melius agunt, qui de sulfure & arg. viuo hoc agunt, vt dicit idem. Quod non intelligitur de arg. viuo communi, & sulfure communi, sed de aqua nostra rubea, vt dicitur in Lilio. O natura illa cælestis, qualiter vertis corpora illa in spiritum. O quam admirabilis natura, qualiter omnibus eminet & omnia superat: & est acetum acerrimū, quòd facit aurum esse verum spiritū, sine quo aceto, nec albedo, nec nigredo, rubedo fieri potest. Et est sciendum de ea, quòd cum corpori admiscetur, & fit vnum cum eo, vertit ipsum in spiritum: spirituali verò igne tingit ipsum tinctura inuariabili, quæ deleri non potest per hanc aquam acutam. Et vt inquit Alphidius, Hæc aqua lapis est Indorum, Babylo-
norum, & Aegyptiorum, & c.

Sulfur rubeū & album, quid.

Alberti sententia

Alchymiste falsi, qui

Sulfur & arg. viuū quæ vera sint.

CAP. XLVI.

SCias fili carissime, quod hoc opus tum confirmatum, est hoc, ut dicit Alphidius, ut sit iustum, integrum, in destillationibus suis mundum. Et sit in medio sui grauis, & directione ætatis suæ: bonitatis autem potestas eius in prædictis consistit: sin autem perit & euanesceat, dominumque suum vacuum ab opere exeuntem dimittit: & hoc est quum immundum fuerit, siue mistum, siue turbatum, siue impetuosum, vel accipitur inferiori parte suæ generationis, vel accipitur senex, vel infans, vel operatur igne alieno. Hæc itaque sunt quæ ipsum corrumpunt. Et sunt hæc ea decem, quibus unusquisque errauit, qui errauit. Cum enim dirigitur istud animal, vel iste lapis, & ei forma perficitur, tunc est aptum operationi, antequam melancholia super ipsum habundet, antequam aer in eo gignatur & senescat. Ergo res recentes assumi debent, & citò, ut est dictum, & facere compositum antequam euanescant. Si verò cognosceres naturas metallorum, & causas mineralium scires, in momento errorem tuum corrigeres: & ideo utile est hoc scire, ut superius est dictum.

CAP. XLVII.

Nunc autem bonum Elixir tibi describam, antequam opereris, & postquam operatus fueris. Secundum dicta Alphidij oportet quod sit humidus ante operationem, ut est dictum: & cum decoquitur, coaguletur, & inspissetur, velut sal, & sicut nix & grando, & sit dulcis saporis, nigri ventris, albi coloris: & post operationem sit lucidissima fractionis, id est fracturam habens lucidam, & serenam lucem, & ignis splendorẽ rubeum. Elixir cum prolongatur, aspectus in eo fiet sicut carbo in tenebris: & cum ingreditur ignem, fit album ante perfectionem: & cum intenditur ignis, fit rubeum, & sicut carbo in tenebris post operationem, ut est dictum.

CAP. XLVIII.

Dicit Ortolanus in fine sui libri, Sunt enim duo coadiutores, per quos operatio facilius adimpletur, unusque destructor qui totam operationem inficit nisi deleat. Coadiutores sunt sulfur præparatum, & arsenicum sublimatum, in spiritum olei redactum. Sulfuris proprietas est mercurium congelare, & eum mercurium perficere, teste Gebero dicente, Vis sulfuris albi non vrentis mercurium congelat, & seipsum mortificat. Proprietas autem Arsenici est totum lapidem inspissare & viuificare, si debito modo præparetur. Nuncupatur enim ventus, & aer, & oleum incombustibile: unde qui negligit oleum à mercurio separare, loco eius accipiat arsenicum præparatum. Patet ergo omni subtiliter intuenti, quod quicquid ponitur in lapide ad ipsum perficiendum, siue ad album, siue ad rubeum imprægnatur, siue ex spiritu, siue corpore, ut est dictum: & quod illud hanc aliam scientiam quam aqua, quæ possit subtiliando & augmentando ipsum lapidem dealbare. & hanc opinionem tenuimus superius, ut est dictum. Destructor lapidis est sal armoniacus qui venalis inuenitur: Sed non loquitur philosophus de sale armoniaco coniungente matrimonium inter corpus & spiritum, sed loquitur de aere abstracto à mercurio, id est de aqua nostra, vel spiritu nostro fixo, vel cauda draconis, ut est dictum.

CAP. XLIX.

Sunt etiam plura collateralia alia, quæ sunt valde apta in abbreviatione operis, ut sunt sales, & atramenta, & allumina, & quedam aquæ animalium vegetabilium: quia quedam aquæ fiunt ex istis quæ incontinenti solvunt corpora ut aurum & argentum: & tunc potest hæc aqua auri vel argenti commisceri cum lapide bene prius purificato ab omni extranea re. Et tunc festinatur opus magis in vna die, quam alio modo fieret in tribus mensibus: Et nos sic feci-

fecimus, & est, & fuit opus nostrum, non autem de aliquo spiritu, indagatione nostra contenta in hoc libro, quamuis per quosdam spiritus præparatos possit opus iuari, & facilius adimpleri, ut est dictum. Et quādo in indagatione nostra ponebamus aliquē de spiritibus præparatū qualitercūq; siue per sublimationem, siue per solutionem aquæ fortis, ut est dictum, tunc solum opus nostrū inficiebatur in probatione, quia quædam pars ipsius mercurij in terram quandam immundam vertebatur: & quando ex solis corporibus imprægnabamus, tunc signa nostra erant, & apparebant pura & munda. Tamen dicere videtur Geber, & tenere, quod hæc substantia quæ lapidem perficit, est pura substantia arg. viui, & est materia quæ ex materia illius sumpsit originem, & ex illa materiæ creata est. Non est autem illa materia arg. viuum in sua natura, videlicet in tota sua substantia, sed fuit pars illius. Neq; est tunc cū lapis noster factus est, pars eius: ipsa enim illustrat & ab adustione conseruat, quæ perfectionis significatio est. Et hæc sunt verba Geberi in summa perfectionis magisterij, sub rubrica, Quæ sit substantia quæ perficit lapidem. Et propter hoc quidam fecerūt compositum suum ex tribus aquis, videlicet ex aqua mercurij, id est ex mercurio in aqua soluto, & ex duobus spiritibus iam prædictis, vel ex vno ipsorū tantum, scilicet ex spermate albo quantum ad album. Et sic compositum ipsorum erat ex fixo, & non fixo: postea ex ipso mercurio non fixo præparato, siue per sublimationem, siue per solutionem totum opus nitebantur perficere eo modo nostro, ut est dictum. Sed nullum istorum vidimus ad intentum peruenire, sed potius in desperationē operis incidebant. Vnde fili, cū Geber profundissime mediocribus loquatur, & prudentibus manifeste, fatuos autem miserabiliter excludat ab intentione vera huius scientiæ, ideo si ipsum recte intelligis, hæc substantia est illa de qua superius diximus, & operati fuimus, ut est dictum & per eandem vera sunt prædicta, ut patet subtiliter intuenti: quæ substantia ut ipse dicit, elicitur ex corporibus, vel ex ipso arg. viuo, videlicet in metallico corpore conuerso per naturam: quia arg. viuum tenet in se naturam sulfuris: & ideo ipse est materia omnium metallorū, quæ ex arg. viuo & sulfure fiunt, ut est dictum. Et supposito quod ex arg. viuo eliciatur ista materia, ipso in metallicū corpus non conuerso, sicut ex arg. viuo communi, ut velle videtur ipse Geber qui dicit & tenet, ut videtur, quod ex ipso solo potest fieri lapis: attamen ipse dicit quod fixetur prius, ita quod gaudeat in igne perseverans. Et tunc est idem ac si esset naturaliter in metalli speciem cōuersum, nec plus. Neque enim aliud ad hoc opus perficiendum requiritur, quā metallum, ut inquit Geber, non tamen perfectius ab ipso mercurio fit lapis, nec ab eo plus perfecte elicitur ista substantia, quā de corporibus. Ergo ex corporibus potest elici ista materia ita perfecte sicut à mercurio etiā elicitur. Ideo ad ipsa corpora, ad istam substantiam eliciendam, dignum duximus recurrendum esse; dimisso mercurio communi, pro ut est in natura sua, propter longam & prolixam eius præparationem, & fixationem, circa quam laborauimus quandoq; & plures alios vidimus laborare, & nihil finaliter inuenimus. Et ideo de sublimatione istius mercurij, & aliorum spirituum præparatione, in hoc primo libro nihil curauimus, quia nihil valet ad operationem, vel perfectionem vnus solius preciosi lapidis, vnde nihil perficit, siue iuuat. Vnde securius est ex ipsis corporibus hanc elicere substantiam, quæ perficit lapidem, quā de mercurio & alijs spiritibus, & per ipsa corpora operari, ut à nobis est expressum. Item dicit Ortolanus, quod sit aqua ex vegetalibus quæ incontinēti tollit combustibilitatem sulfurum & adustionem, & remanebit album & incombustibile: & sic à Deo creata sunt mirabilia ad compositionem nostri lapidis.

Geber.

Geberi phrasis.

Substantia lapidis unde elicitur

Mercurij communis difficultas

Fit autem proiectio istius medicinae super corpora tali modo: Secundum enim quod subtilior est lapis, plus oportet de corpore in proiectione, & minus de medicina ponatur, quae sit ita subtilis, quod possit cadere super pondera sequentia, & ipsa conuertere: ita faciendum est, & hic modus tenendus est in omni proiectione tam ad album, quam ad rubeum, secundum maius & minus pondus ipsius medicinae. Accipe vnam vnciam de medicina, & accipe 50 vncias de plumbo vel stanno, & funde super ignem, & proijce istam vnciam medicinae super istud plumbum fustum vel stannum, & totum conuertetur in medicinam: & si medicina non fuerit tantae virtutis, quod tantum pondus possit conuertere in medicinam, vt est dictum, minus accipe de corpore, & plus de medicina: & si plus potuerit conuertere, plus accipe de corpore. De isto toto conuerso accipe vnciam vnam, & simili modo proijce super 50 vncias plumbi vel stanni fusi, adhuc totum istud conuertetur in medicinam, sed non ita fortem sicut ea quam primò fecisti. Iterum accipe de isto vltimo conuerso vnam vnciam, & iterum tertio proijce super 50 vncias æris, & in lunificum vel solificum conuertetur, secundum colorem medicinae. Qui Sol siue Luna per hanc medicinam generatus vel generata, excedit omnem Solem & Lunam naturalem in omnibus proprietatibus, tam medicinalibus quam alijs. Et eodem modo fit hæc proiectio super mercurio. Ex isto patet quod mercurius noster verè est se ipsum mortificans, se ipsum generans & viuificans. Fit autem proiectio in crucibulo terreo, & ante fugam mercurij. Debes autem probare & experiri, quando medicina facta fuerit, super quanta pondera cadere poterit per modum prædictum. Potes autem si volueris per solutionem & congelationem, vt est dictum ipsam medicinam ita subtiliare, quod postea mille millium conuertat partes ipsas. Hanc autem certitudinem proiectionis & subtilitatis medicinae relinquitur indaganda tuae industriae. Insuper etiam cum hoc poteris per ipsam facere vitrum malleabile, & fingere lapides preciosos: veruntamen per ea quæ diximus in hoc capitulo, non intendimus fili concludere in modo, & forma, & ponderibus proiectionis, quin aliter etiam posses ea facere per alia pondera, prout postulat virtus medicinae & natura. Nunc autem qualiter medicina hæc ab humanis supra corporibus ea in sanitate cōseruet, & à languoribus acquisitis purget, siue fomētatione, siue nutritione, & à superuenientibus defendat, videamus

CAP. LI.

Corporū humanorum uera medicina. Hominis dignitas.

Dictum est superius qualiter per hanc medicinam infirma & imperfecta corpora metallica purgantur, & sanantur, & ad naturam perfectiorē perducantur. Nunc restat dicere qualiter per eam corpora humana infirma sint sananda, & in sanitate cōseruanda, prout in Lilio continetur. Sic enim scribit ad hoc ibidem. Cum enim homo dignissima sit creaturaturū, cuius gratia & amore omnia sunt condita à Deo, eidemque subdita, et cuius corpus recipit excellentiam omnem quouis iure diuino & humano, meritò ergo quod eum in sanitate iuuentuteque cōseruat cunctos ab eo repellendo languores, & à superfluitatibus auertendo, summa diligentia est perquirendum. Hoc enim operatur natura super omnem Galeni, Hippocratis, Auicennæ & aliorum philosophorum medicinam, vel potationem, confectionemue, vt etiā lepra ab eo repellatur. Est etiam ratio ad prædicta, quod cum dicamus etiam hunc esse spiritum quem quærimus, quo tingamus in quolibet corpore, sicque fiat antidorum, & medicina omnium corporum curandorum & purgandorum: & hoc habet fieri igne naturali nutriente in metallorum infirmorum corporibus, multo fortius ab humanis corporibus assumpta, naturalem calorem & motum in se habent

bentibus, erit promptum & deputatum ad expellenda quaecumque superflua, repellere omnem languorem fomentatum & nutritum.

C A P. LII.

HAec medicina in confectionibus posita protegit, ne quis eidem morbus adueniat in futurum. Magnates auro limato in confectione posito, quæ runt sanitatem & iuventutem reparare: quanto magis per aurum quod est in corpore magnesiæ occultum, ut est dictum, nunc purgatum, & aereum & spirituale factum: quia quanto medicina est subtilior, tanto efficacior est, ut apud quoslibet medicos de facto est videre: quoniam omnes tendunt ad medicinarum suarum subtiliationem, & contritionem, seu pistationem, aut decoctionem. Alias indagaciones huius medicinæ in particulari causa breuitatis relinquimus industriæ tuæ magisterij.

Medicina corporum nostrorum quâdo efficacior

C A P. LIII.

DEinde curandum non est de falsis Alchymistis, nec de eis credentibus: & præcauendum ab omnibus dispositionibus suis, sublimationibus, coniunctionibus, separationibus, congelationibus, & contritionibus, alijsque de sistatur talibus sophisticationibus magnesiæ: aliud illorum sulfur à nostro, quod dicitur sulfur de sulfure: aliud arg. viuum à nostro, quod dicitur arg. viuum de arg. viuo: alia aqua à nostra, quæ dicitur aqua permanens: aliud acetum à nostro, quod dicitur acerrimum: habent aliam ablutionem à nostra, quæ fit nigro & albo coloribus mediantibus: aliam solutionem vel congelationem à nostra, quæ fit igne leui: aliam putrefactionem à nostra, quæ fit per secundam aquæ partem, id est per caudam draconis, vel secundam partem spermatis ad partem reseruari, ut est dictum: aliud volatile, siue spiritum aquæ, alium à nostris prædictis, scilicet arg. viuo & sulfure: vel aliud animal à nostro quod kenqual dicitur: vel aliud ouum à nostro quod similitudinariè dicitur: vel alium lapidem à nostro qui acros dicitur: vel sanguinem humanum, vel gummam, vel aliquid ex re vegetabili, homine, vel bruto animali extractum, fore nostræ operationi opportunum, vel utile putantes. In verum te erexi fili care, quoniam natura non emendatur nisi in sua natura, sicut tu non emendaris nisi in simili tuo, id est in homine. Caue ergo ne prætermittas ea quæ diximus, & venerabili utaris natura: ex ea namque fit opus, & non ex alia. Coniunge ergo masculum, id est aurum serui rubei filium, id est sulfur finum, quia sulfur pater est mineralium omnium, ut est dictum. Ergo aurum cum sit minerale, sulfur est eius pater, suæ uxori odorifere, id est arg. viuo copulatum, quo pacto communiter gignitur, ut est dictum. Quibus noli intro ducere alienum, nec ullam rem. O quam preciosissima est serui illius natura, sine quo regimine stare non potest: unde nisi ipsum accipias & regas, nihil habebis. Hæc prædicta dicuntur in Lilio. Vnde scias fili, quod cum Geber incipit loqui in Summa de perfectione magisterij, in ultimo ordine medicinarum, de ista summa medicina, quæ est vnica sola, & dicitur sola, quia sola tollit de commisto metallorum, vide licet quid in eis est infirmum & imperfectum: & omnis alia medicina quâuncumque sit bona & fixa non tollit de hoc imperfecto seu infirmo metallorum eis commisto, sed ipsum tantum tingit, & palliat perpetuo ipsum. Propter quod omnes istæ medicinæ dicuntur sophisticæ præter istam. Quia ipse dicit de ista Summa & vnica sola quod non differt ab alia medicina, quam palliat, & tegit perpetuo, si non tollit imperfectum, siue infirmum metallorum nisi per subtilissimos præparationis gradus. Per quod patet, quod per subtilissimos præparationis gradus oportet hanc medicinam summam præparare, quam quancunque aliam medicinam à Gebero in sua Summa dictam. Sed planum est quod Geber in medicina Summa, in medicina ista quæ non tollit de commisto, sed tantum

Sophistica natura da esse.

Sulfur pater mineralium, Arg. viuum mater

Geberi declaratio.

ipsum perpetuo tegit, & in quacunque alia alios præparationis gradus non ponit nec tradit, nisi sublimare, solvere, congelare, calcinare & c. prout in prædicta sua Summa scribitur: & tamen ipse dicit quod per sublimationē, fixationē calcinationem, solutionem, & congelationem & c. medicina hæc vnica sola & summa habet fieri: sed tamen istæ præparationes debēt esse subtiliores in hac medicina, quàm in alijs prædictis, vt ipse idem dicit. Necessarium est ergo concludere, quod Geber excludat omnes præparationis modos, quos ponit in sua Summa de medicinis alijs faciendis, ab operatione istius summæ medicinæ. Et intelligit ipsam debere fieri per alias sublimationes, solutiones, congelationes, calcinationes & c. subtiliores & perfectiores quàm aliæ, quas ponit in Summa sua de alijs sophisticis medicinis. Sic ergo patet subtiliter intuenti manifestè, quod Geber in sua Summa graduum veritatis operationis magni lapidis, sub magno acervo palearum & operationum sophisticarum abscondit, dicit, & intelligit: & prout abscondit insipientibus, ita aperit intelligentibus & prudentibus, & manifestat rectè ipsum intelligentibus, vt patet per prædicta. Quia verò omnes medicinæ quæ in Summa sua continētur, sophisticæ sunt, ideo ab eis silendum est, vt supra in eodem capite dictum est, nec de eis est curandum, sicut Geber de eis non curauit in hac operatione summæ medicinæ, vt superius est probatum. Sunt autem illæ subtiliores sublimationes, solutiones, congelationes, calcinationes, & c. quæ à nobis superius sunt scriptæ, quibus tantum indigemus, & non alijs, ad huiusmodi summam medicinam faciendam & complendam, omnibus alijs, tanquam falsis prætermisissis.

CAP. LIIII.

*Alphidij sermo
de lapide.*

Massadir.

DE lapide isto ante & post eius operationem loquitur Alphidius in Clau philosphorū, sic dicēs: Ratiocinare ergo fili, & attende, quod lapis iste in vjs proiectus est, & in nubibus exaltatur, & in aere habitat, & in flumine pascitur, & in cacuminibus montium quiescit: cuius mater virgo, & pater non concumbit: & qui dicitur albus, rubeus, omnibusq; coloribus munitus, & in omnibus lapidibus ingreditur, omnibusq; substantijs, omnibus corporibus omnibusq; spiritibus: in quem nō ingreditur aliquid, nec dominatur ei, nisi sulfura quæ vastant ipsum, & ingrediuntur: & cum ingreditur aquam, liquefit: cū ponitur in igne, lux eius augetur: si verò in aere ponatur, aromata superat apud illos qui in opere eius tingunt. Est etiam ceruus humilis, & sit ex vno cornu cerui: sit quoq; ex eo Elixir, & etiā lapis, cui inest caro inaurata, & est Massadir, id est sal, & os fugit, & draco seipsum viuificans & mortificans & c. in quo omnis similitudo, & descriptio inuenitur: in illo quoq; sunt mille genera animalium, & mille vegetabilium, omniaq; genera lapidum, id est mineralium. Dico etiam quod est similis omnibus odoribus, coloribus, omnibusq; naturis, & operibus cui nihil est simile: nec ita describitur, nec transit, nec dominatur, nec ita est tenuis. Benedictus ergo est qui tendit ad hunc ceruum humilem: qm̄ Adzrouch id est argvium nostrum, ipsum inspirat, vt Deo gratias agat, prout à nobis superius est expressum. Et sic allegoriauerunt philosophi, & pluribus alijs modis metaphoricis, & ænigmatibus diuersis, & figuris sapientes philosophi ex ipso lapide benedicto, & de natura ipsius, modum quandoq; quodammodo extendendo, ipsum sic quid est, & cuius naturæ sit doctis & prudentibus manifestando, & indoctis & insipientibus occultando, sicut dicit Alphidius: Abscondimus hanc rem ab conditione forti, vt apprehendi nō valeat ab indoctis, quod nos, fili carissime, totum tibi superius plana sermonum serie explanauimus, si rectè intelligas dicta nostra: & nihil de hoc magisterio tibi abscondimus vel celauimus, excepto secreto artis, quod non licet reuelare, quia fieret maledictus

Et in reuelatione secreti: tamen posuimus te in via indagacionis ad secretum huiusmodi inueniendum. Vnde Deo gratias multiplices teneris reddere in æternum. Est autem istud secretum artis, scire aquam illam cælestem, gloriosam, de qua superius locuti sumus, quæ corpus nostrum vertit in spiritum: de quo corpore dicit Geber, quod multi probauerunt ipsum esse fortissimæ compositionis, quàm quodcunque aliud corpus, sed quantæ sit fortissimæ compositionis non probauerunt, quia ad illud per eorum insufficientiam pertingere non potuerunt. Et ideo reputauerunt hanc artem præcellam esse impossibilē, vel non esse, sic ponentes insufficientiam eorum & robur.

*Secretum ubi sit
et consistat, re-
uelatur unicuique*

RECAPITVLATIO. CAP. LV.

Hic recapitulat totū opus Alphidius breui sermone in libro qui Clauis appellatur, & dicit sic: Accipe albedinem, & nigredinem dimitte, cum qua decoquitur, & ascendit in alembico, quod est coopertorium valis, facies proijce extrahendo aquam, aqua ablue terram, munda vas, firmiter claude, vētum & fumum vita, & in perseverantia persevera, suauiter & sapienter age, calorem & omne opus quod est extra modum vita: noli festinare, esto patiens coquendo, putrefaciendo, moræ ne tædeat, non pigeat te quod agit prolixitas coquendi, putrefaciendi, & inspissandi, vas in stercore humido circunda: & post quosdam menses fac eos euolare, donec aqua rubescat & inspissetur, & fiat lapis rubeus. Ecce totū opus quod breuiter recapitulat Alphidius. Et nos tibi illud superius explanauimus, si rectè intelligis dicta nostra. Et nota fili quod operationes, quas tradimus in hoc libro de magni lapidis compositione, subtiliores sunt quàm illæ, quas Geber tradidit in Summa sua: quia dicit, quod diuersa temporum spatia sublimatur primò, deinde fixatur, & postea calcinatur deinde soluitur: & ita de alijs. In hoc autem libro nostro scias quod destillationem per alembicum vocamus sublimationem, & ita solutionē corporum similiter vocamus sublimationem: & tunc corpus terreum subleuetur in aere, hoc est in calum. Vnde scias quod cum soluimus, insimul sine intervallo temporis vel spacio, sublimamus, calcinamus, mundamus, abluimus, cōiungimus, vel cōponimus, & separamus. Vnde dicit Haly in Secreto secretorū, quod inter solutionem & compositionem, siue matrimonium aut coniunctionem corporū & spiritus, non interuenit aliquod temporis spaciū: quia cum soluitur corpus, soluendo coniungitur cum spiritu: Et ideo dicit, quod solutio est vna coniunctio. Vnde iste est ordo operationis nostræ, quæ fit insimul vna hora: cum corpus nostrum ad dissoluendum in aqua ponitur, tunc statim denigratur, & statim per minuta separatur, & statim calcinatur, deinde statim soluitur & sublimatur, & soluendo & sublimando coniungitur corpus cum spiritu: & si fuerit aliquid extraneum cum corpore mistum, illud non soluitur, sed in fundo vasis remanebit ad dissoluendum: & sic mundatur ab extranea re ipsum corpus, si qua in ipso fuerit: veruntamen quodammodo inficitur, nec ita clara habetur, vt decet. Vnde subtiliores sunt operationes nostræ in magni lapidis compositione, illis quæ in Summa Geberi continentur: quia quod dicunt fieri per diuersa temporū spatia & longa, hinc fit vnà, & de subtiliori re, & subtiliori modo. Et quando videbis opus nostrum, & ante non, tunc scies fili carissime nos verum dixisse: & nisi bene & acutissimè perspexeris, vix percipies ita esse, propter tam citam, & subtilem, & breuem operationem: veruntamen à spirando in hoc & in omnibus alijs modis operationis istius lapidis caue tibi, & à fumositate rerum pro posse tuo: quæ si intrarent in te, periculum quidem esset siue in præsentī, siue in futuro, nisi per aliquas medicinas contra ipsas fumositates te iuuares, & sanares, quas debes habere tecum paratas semper, vt statim,

*Destillatio.
Sublimatio.*

Haly auctor.

*Ordo operationis
melior quàm
Geberi, & breuior.*

Inspirationis periculum ob fumositates &c.

quum tibi acciderit, possis tibi statim succurrere, & remedium apponere opportunum.

C A P. LVI.

Corollaria.

Cōclusio uniuersalis de Lapide.

Hermes autor

Per mercurium qd intelligatur.

Varie ad Lapidem uia.

Lapis quid apud philosophos.

EX ijs omnibus à principio dictis huc vsq, colligitur à quolibet subtiliter intuenti, quòd corpora nostra in operibus nostris non resident in alembico sursum, sicut corpora fatuorum: de quibus dicit Aros, Corpora insipientum resident tantum alembico, hoc est in coopertorio, vel summitate vasis: & ideo nihil possunt facere quod sit verum. Item colligitur, quòd sulfura sulfuribus, corpora corporibus, spiritus à spiritibus retinentur. Et omne imperfectum perficitur: & ex vna re, videlicet ex mercurio solo, id est ex substantia quadam, quæ est substantia per relatum magisterium nostrum prædictum, famosum inclytum, & gloriosum. Ergo vniuersali conclusione concludetur, quòd lapis benedictus est vnus, medicina vna, cui nihil extraneum additur nec minuitur, nisi quod tantum ab eo superflua remouentur: Hoc intellige, vt dicit Ortolanus, quòd illud non est extraneum in quo debet conuerti, id est fixari, videlicet Sol & Luna. Ergo lapis iste est mineralis, quia ex mineralibus rebus originem ducit & procreatur. Verum quoniam ait Ortolanus, quòd Hermes pater Alchymistarum habuit in se tres partes philosophiæ totius mundi, quas ostendit in partem mineralem, vegetabilem, & animalem: de quibus ipse Hermes philosophus habuit coniunctum vel diuinam scientiam veram in opere Solis. Quæ partes continentur in vnico lapide, scilicet in mercurio, id est sub hoc nomine mercurij: Quia omne de quo fit lapis siue minerale, vegetabile, vel animale nomine mercurij appellatur. Et nos ostendimus superius, qualiter completur hæc philosophia vel scientia in opere solis per mercurium mineralem. Ideo vt hæc scientia, siue excellentissima pars philosophiæ in omni parte sua videatur perfecta, de cætero videndum est qualiter lapis hic fit per mercurium vegetabile, id est per vegetabilia: per animalem, id est per mercurium animalem. Et primo qualiter hic fit per mercurium vegetabilem ostendemus. Nisi autem per plura alia possit fieri lapis magnus, quam per ea quæ dicta sunt superius, iam non esset verum quod dicit Alphidius, quòd plura alia sunt quæ certissime & solute, & congelant. Et Ortolanus dicit, quòd philosophi vocant Lapidem omne illud, à quo quatuor elementa possunt separari per artificium nostrum Alchymicum. Sed à quocunque vegetabili & animali possunt per artificium nostrum Alchymicum elementa separari. Ergo à quocunque vegetabili vel animali potest fieri philosophiæ magnus Lapis.

EX IO.

F I N I S

DOctiss. & acutiss. vir Io. Baptista Montanus habet quædam in secundo suorum opusculorum tomo, in libro de Vrinis cap. 13. de sublimatione in hæc verba: Itaq; omnis generatio & corruptio fit per sublimationē, vt ostēdemus in nostro libro de Sublimationibus, quē dante Deo edituri sumus. Quæ sublimatio nil aliud est, q̃ extractio humidī, quæ à calore provenit. Quis autem omnia generentur per sublimationem, quæ fit per calorem extrahentē humidum vtile, calor iste conueniens est naturæ siue animæ, quo calore sustentatur anima siue natura. Cū autem iste calor sit benignus, extrahit humidum per concoctionē: & quomodo fiat ista concoctio, docet Arist. 4. Meteororū. Extrahitur ista humiditas à calore benigno: & vbi fit talis sublimatio, semper illud humidum quod extrahitur, attinet ad generationem. Cū autem attingit vltimam perfectionem, & est in medio inter concoctionem & assationem, excrementa sunt perfectiora, neque cruda sunt, sed secundum proportionem sunt mediocria & temperata, cuiuscunque etiam generis sint ista excrementa siue terrea, siue aquea. Cū igitur sic se habeat res, accedit aliud genus caloris: nunc vidimus calorem sublimantem alium esse naturalem, de quo vidimus: alius est præterea calor, qui non regitur à natura, qui agit secundum suam naturam, & trahit humidum incoctum: nam trahit violenter, & non expectat concoctionem: & ita illud humidum extractum est crudum. Propter importunam autem extractionem illius caloris, pars aerea & ignea euaporant, & nihil aliud remanet quàm pars aquea, incocta, & terrea. Et ista destillatio siue sublimatio est communis omnium istorum, qui extrahunt aquam ex herbis. Videmus autem, quod si extrahamus aquam ex absynthio, si repente extrahit calor igneus extrahitur humiditas aquea, & resident partes terræ adustæ: si autem procedamus cum calore moderato, qui est similis naturali, extrahetur tantummodo humiditas utilis, & sic reliqua erunt perfectē concocta, nulla remanente cruditate, &c.

INCIPIT LIBER APPELLATIVS THESAURVS
THESAURORVM, ROSARIVS PHILOSOPHORVM,
*omnium secretorum maximum secretum, de verissima compositione naturalis philosophiæ
quæ omne diminutum reducet ad Solificum, & Lunificum verum,*
ARNOLDO DE VILLANOVA
autore.

PROOEMIUM.



NSTE nanque liber vocatur Rosarius, eo quod ex libris philosophorum abbreviatus est: in quo, Deo teste, nihil occultum, nihil deuium, nihil diminutum est. Sed quicquid est necessariū ad nostri operis complementum, est in ipso. Diuiditur autem iste liber in theoricam, & practicam: & etiam in diuersa diuiditur capitula. Quippe quia iustum est, vt de naturali, & sublimiori rerum processu non pigeat, qui de eorum sublimiori effectu tractare voluerit. tunc enim nullum supplicium naturæ beatæ & naturali, quando rectē procedit intentio: cū & ipsius studij precium securius spectet, & ad arcanam rationis seriem in illo declinare paratus est. Nullus negligat finalem & præcipuam totius philosophiæ matrem ab editis effodere, quæ hominem ornat moribus, & ditat beneficijs: exhilarat pauperem, & etiam corpus incolume sanat, & præbet etiam sanitatem. Qui enim in legendis libris deses extiterit, in præparandis rebus prom-

ptus esse non poterit. Liber nanque librum aperit, & sermo sermonem explicat: quia quod in vno est diminutum, in alio est completum. Nō enim potest in practicam bene assuescere, cuius mens in theorica reuult desudare. Quoniā secus procedit ad practicam, sicut asinus ad coenam, ignorans quomodo, & ad quid porrigat rostrum & os. Istum autem librū nominavi Rosarium: eo quod ipsum abbreviaui ex libris philosophorum quantum potui melius, & in diuersa diuisi capitula. In ista arte duo sunt libri, quos ponam in capitula per ordinē.

Incipiunt capitula primi libri.

De modo generationis metallorum	Cap. I.	Quod unus est lapis philosophorum	Cap. VI.
Quod arg. uiuum est medicina metallorum	Cap. II.	Ex quibus extrahitur lapis philosophorū	Cap. VII.
Quod sulfur extraneū siue uulgi est causa imperfectionis metallorum	Cap. III.	Quod difficile est opus nostrum in prima metallorum materia.	Cap. VIII.
Quod solū arg. ui. est perfectio metallorū	Cap. IIII	Quid sit opus primū philosophicum	Cap. IX.
Quod arg. ui. continet in se sulfur suum	Cap. V.	Quid sit lapis, & quo indiget,	Cap. X.

De modo generationis metallorum. Cap. I.

*Arg. uiu. quid sit
in sua radice.*

Vtrum natura omnia liquabilia sunt naturaliter ex arg. viu. & sulfuris substantia: Eo quod proprium est arg. viu. quod coagulatur ex calore siue vapore sulfuris: quoniam omne siccum naturaliter ebibit suum humidum. Vapore ergo sulfuris arg. viu. coagulatum est ex sua substantia terrea subtili aerea & digesta, admistione prima sibi vnita actione caloris, postea eleuata, decocta, & digesta, donec habeat vim sulfuream coagulandi argentum. Argentum verò viuum in prima sui radice est compositum ex terra alba: nimium subtili, sulfurea, cū aqua clara fortiter admista, donec fiat substantia vna non quiescens in superficie plana. Est enim homogeneous in natura, quoniam aut remanet totum in igne fixum, aut totum ex eo volat in fenum, cū sit incombustibile, & aereum. Et hoc est signum perfectionis, & ideo cū postea in terra sulfurea decurrit calefactum, superius ascendit, quoniam de sua natura est, vt per calorem sublimetur: veruntamen continua sublimatione nimium depuratur, decoquitur, & inspissatur, ac in sulfur album & rubeum gradatim congelatur. Quod quidem sulfur dissoluitur multoties, & postea congelatur per arg. viuū illius sublimati inceratum caloris actione, donec vix in millibus annorum successiue opere naturæ in metallum congelatur perfectum: et hoc quidem in vasis mineralibus (ipsa natura mediante) operatur metalla. In istis ergo operibus naturam imitari oportet, quicumque velit perficere medicinam imperfectorum perfectiorem.

Quod arg. uiuum est medicina omnium metallorum. Cap. II.

Dicit ergo Arist. quod arg. viuum est elementum omnium liquabilium: quoniam omnia liquabilia cū liquantur, in eo conuertuntur, & admiscetur cum ipsis, quia est de substantia eorum, licet ista corpora differant in compositione sua ab arg. viuo eo modo, quo ipsum fuit purum vel impurum a sulfure immundo sibi extraneo. Fit enim arg. viuum ex vero sulfure non vrente, Nam vt dixit Philosophus, Sulfur album non vrens congelat mercurium in bonam Lunam. Et illud est res optima, quam suscipere possunt qui Alchymia operantur, & conuertunt illud in argentum bonum. Si verò sulfur purū, mundum, & optimum fuerit cum rubore clarum, & fuerit in eo vis igneitatatis sulfureæ non vrentis, erit res optima quam suscipere possunt Alchymistæ, vt ex eo faciant Solem. Si enim fuerit arg. viu. bonæ substantiæ, & sulfur non purum, aëreus, conuertet ipsum arg. viu. in æs. Arg. etiam viu. si fuerit petrosū, in mundum

mundum, terreum, & sulfur non mundū, fiet ex eo ferrum. Stannum verò videtur habere bonum arg. viu. & purū, sulfur autem malum, & non bene mistum. Plumbum verò grossum arg. viu. & malum, & ponderosum, & luteum: sulfur autem malum mali saporis, & fætidū, ac virtutis debilis, vnde non bene coagulatur. Hæc de verbo ad verbum sunt verba Arist. in 4. libro Meteororum, cui philosopho naturali in omnibus est credendū, nō fabulis, nec operibus mēdācibus ab operibus naturæ omnino extraneis. & sic fateris sequi. Et qui credit in mendacijs, secretum philosophorum perdit.

Quod sulfur extraneum, siue vulgi, est causa imperfectionis omnium metallorum. Cap. III.

Notate ergo verba, signate misteria: quoniam tota veritas istius scientiæ, ex iam dictis philosophorum est corripienda, eo quod a vanitate relinquatur per ipsam duplicem corporis superfluitatem inesse: vnam quidē in profunditate arg. viui inclusam in principio suæ mitionis superuenientem: alteram verò extra naturam suæ naturæ, & corruptibilem, quarum ista cum labore tollitur: altera verò nullo artificis ingenio tolli potest: quare sulfureitas adustibilis calcinatione ignis tollitur, vel a corporibus deletur. Et illud ideo quia arg. vi. tenet, & ab adustione defendit illud quod suæ naturæ est: alterum respuit igni exponens, qui ipsum inficit. vnde est amicabile, & suæ naturæ placabile. ipsum arg. viu. arg. viuo magis adhæret, & eidē magis amicitur. Post illud verò aurum: post illud argentum: ideo ex hoc relinquatur ipsa duo magis participare suam naturam. Alia verò corpora non habent tantam conformitatem ad ipsum, quoniam habent in se sulfur extraneum, terreum, immundum & fætidum: ideo & ipsa verè dicere possumus, quod minus participant naturam: quoniam sunt corrupta, fætida, adustibilia: Et illud ideo quia sulfur quoquomodo præparatū per artificium semper comburit, & comburitur, & nigredinem in omni opere præstat. Ideo enim dicit Auicen. In magisterio nostro non intrat: quoniā non est de arg. viuo, vel de arg. viui substantia, nec de perfectione eius, cū ipsum semper inficiat, denigret, & corrumpat. Relinquitur ergo arg. viu. corporum esse perfectissimū, & adustionis esse saluatiuū: eo quod corpora illa non comburuntur, quanto plus suam naturam participant & possident vnde patet quod multa quātitas arg. viui est causa perfectionis in corporibus. Multa sulfureitas est causa corruptionis, id est, quod quædam magis, quædam minus comburuntur secundum examinationem ignis, vt illa quæ plus sulfureæ quantitatis continent magis: quæ verò minus, minus. Habet enim sulfur in se duas causas corruptionis: puta inflāmabilem substantiam, terreā & fætulentam: quare per primam naturam stare facit, quoniam comburit semper, & comburitur, ac nigredinem in omni opere præstat. Per alteram verò neque fusionē habet, neque ingressionem: quoniam si fixum fuerit, prohibet fusionem, & ipsum nunquam figitur, nisi prius calcinetur: cū verò calcinatur, nullo modo funditur in artificio, quoniam in terrenam substantiam redigitur.

Arg. viui est corporū perfectissimum.

Sulfur habet in se duas causas corruptionis.

Quod solum arg. viuum est perfectio omnium metallorum. Cap. IIIL.

Hoc autem in arg. viuo minime contingit, quoniā figitur absque eo, quod in terrā vertatur, & similiter figitur conuersione eius in terram. Nam per festinantiam ad eius fixationem quæ fit per præcipitationem, figitur, & in terram vertitur, & per successiuam iterata vice illius sublimationem figitur similiter, & non vertitur in terram. imò dat fusionem metallicā. Et illud ideo est, quia viscosam & densam habet substantiam, cuius signum est constrictio illius cum imbibitione & commistione cum rebus sui generis sortitum: itaq; manifesta in illo viscositas illius propter multam sui adherentiam constat: densam autem illud habere substantiam manifestē videt monoculus, propter grauedinē

D

sui ponderis immensi, quoniam præponderat auro, dum in sua fuerit natura. Est autem fortissimæ compositionis, & naturæ vniformis, quia non separatur in partes, vt nullatenus se diuidi permittat. Quia aut cum tota sui substantia in igne permanet, stans, aut ex igne recedit cum tota sui substantia. His ergo relinquitur arg. viu. figi posse sine ipsius humiditatis radicalis consumptione, & absq; illius in tertam conuersione. Et ideo notatur in eo causa perfectionis vera: quoniam ipsum solum ad fusionis perfectionem sufficit in vnoquoque gradu, scilicet cum ignitione, & sine ignitione. Propter enim bonam partium adhærentiam & fortitudinem suæ mitionis, si aliquo modo partes illius inspissentur per ignem: vltius non permittit se corrumpi, nec per ingressione furiosæ flammæ illud se in fenum patitur euolare. Quoniam rarificationem sui non suffert propter sui densitatem, & adustionis carentiam, quæ per sulfureitatem quam non habet perficitur: hoc satis sufficienter probatum est superius. Sulfur quod est terra sicca grauis, esse dicimus perfectionis corruptiuum: quoniam si fixum fuerit, fusionem recta impedit, vt patet in ferro quod non funditur, quia sulfur fixum in se habere cognoscitur. Si verò fixum non fuerit, fusionem recta impedit, vel anticipat, vel ab igne corrumpitur, comburitur, & euaporat, vt patet in plumbo, & alijs corporibus infirmis. Et ideo sulfur non est de virtute nostra artis, neque de perfectione eius: quoniam perfectionem impedit in omnibus operibus suis, sed mercurius viuus in omnibus suis operationibus est manifestè perfectissimum & probatissimum, quoniam adustionis est saluatorum, effusionis effectiuum cum figitur: & est tinctura rubedinis vberimæ perfectionis, fulgidi splendoris: & non recedit à commisto donec est: & est amicabile, & metallis placabile, ac medium coniungendi tincturas, quoniam miscetur per minima cum ipsis. Et etiam in profundo naturaliter adhæret, quia est de natura ipsorum: veruntamen cum Sole & Luna miscetur facilliter: eo quod ipsa magis suam naturam participant: attamen non submergetur aliquid in eo nisi Sol. Ex hoc itaque secretum elicias maximum, quod mercurius in se recipit quod suæ naturæ fuerit, & alienum respuit, eo quod sua natura gaudet magis, quam extranea. Ex hoc em manifestè relucet corpora maioris esse perfectionis, quæ plus mercurij sunt continentia, & quæ minus, minoris. Laudetur ergo omnium opifex Deus gloriosus & benedictus, causator optimus, & altissimus, qui ex vili creauit preciosum, vt cum mineralibus maximè in natura teneat symbolum, & dedit illi substantiam, & substantiæ proprietatem, quam contingit vllam minimè ex rebus in natura possidere: quoniam ipsum solum est, quod ignem superat, & ab igne non superatur, sed in eo amicabilem quiescit, gaudens: ipsum namq; solum cum sit metallicum, continet in se totum, quo indigemus in nostro magisterio: quoniam omnia alia cum sint combustibilia, igni cedunt, & in suam villam deficiunt.

Quod arg. viu. continet in se sulfur suum. Cap. v.

MAnifestum est igitur, quod arg. viu. continet in se sulfur suum bonum, fixum, quo coagulatur in aurum & argentum secundum diuersum disponendi modum. Nam secundum philosophum, arg. viu. & si fuerit purum, coagulabit illud vis sulfuris albi non vrentis in arg. Et illud est res optima, vt per artificium Alchymistæ faciant Elixir ad argentum. Si verò sulfur fuerit optimum cum rubore clarum, & fuerit in eo vis igneitatatis simpliciter non vrentis, erit res optima, vt ex eo fiat Elixir ad aurum. Et bene tradidit Philosophus primò sulfur album ad argentum: & postea rubeum ad aurum, quia non potest fieri aurum, nisi prius fuerit argentum: quoniam non est transitus de extremo ad extremum, nisi per medium. Non ergo potest fieri transitus de nigro ad perfectum citi-

citrinum, nisi fuerit primò album: quoniam citrinum ex multo albo & paruis-
simo rubeo est compositum. Nec potest fieri etiam de citrino transitus ad albū
nisi primò fuerit nigrum, quoniam non potest aurum fieri argentum, nisi pri-
mò fuerit destructum, & corruptum, & nigrum: quia quod est melius, non po-
test fieri deterius, nisi per sui corruptionē. Nam generatio vnius est corruptio
alterius: ideo qui scit aurum conuertere in argentum, scit & argentum conuer-
tere in aurum: quoniam sulfur non vrens album ad argentum, potest fieri per
maiores digestionem sulfur rubeum ad aurum: quoniam citrinatio nil aliud est
quàm completa digestio: nec albedo aliud est quàm nigredinis ablatio: calor
nanque agens in humido efficit primo nigredinem, & agens in sicco operatur
albedinem, & in albo citrinitatem. Et hoc quidem in calcinatione plumbi attē-
di potest, quod conuertitur in cinerem nigrum, postea in album, deinde in mi-
nimum citrinum vel rubeum. Sic sulfur album, vel rubeum habetur ex vna metal-
lorum materia ad plenum depurata: modo tamen diuerso digesta & decocta.
Iccirco dicit Philosophus, quod omni argento inest sulfur album, sicut omni
auro inest sulfur rubeum: sed tale sulfur non inuenitur super terram, vt dicit A-
uic. nisi quod in istis duobus corporibus existit. Et ideo ista duo corpora sub-
tiliter præparemus, vt sulfur & arg. viu. de illa materia habeamus super terram;
de qua aurum argentum efficiebatur sub terra. Ipsa namq; corpora lucentia sunt;
quibus insunt radij tingentes cætera corpora albedine & rubedine vera, secun-
dum quod ipsa fuerunt præparata. Nam per nostrum magisterium corpus per-
fectum iuuat, & imperfectū perficit sine admistione alterius rei extraneæ. Au-
rum itaq; cum sit preciosius omnibus metallis, est tinctura rubedinis tingens;
& transformans omne corpus. Argentum verò est tinctura albedinis, perfecta
albatone tingens cætera corpora. Cum illis namq; corporibus, scilicet Sole &
Luna, miscetur Mercurius, & figitur per ipsa maximo ingenio, quod minime
peruenit ad artificem duræ ceruicis.

Quod unus est lapis philosophorum.

Cap. VI.

Oportet igitur inquisitorem huius scientiæ constantis voluntatis esse in
opere. Nemo hoc modo illud præsumat attendere, quoniam in rerum
multitudine ars nostra non perficitur: vna enim est. Est enim lapis vnus
vna medicina, cui nil extranei additur, nec diminuitur, nisi quod superflua re-
mouentur. Omne enim sulfur externum, id est vulgare, vel butyrum arg. vi. est
extraneum, eo quod sui ipsius est destructiuum, vel corruptiuum: è contra ve-
rò illud non est extraneum, in quo habet ipsum conuerti per magisterium no-
strum, scilicet in aurum & argentum. Nihil ergo conuenit rei nisi quod est ei
propinquius ex sui natura. Non enim generatur ex homine nisi homo, neque
ex alijs animalibus nisi similia sibi; quoniam vnumquodq; quod generatur si-
bi simile consequitur. Vera igitur vtamur natura, quoniam non emendatur ni-
si in sua natura, cui nihil alienum iungitur. Nolite ergo introducere nec pulue-
rem, nec aquam, nec vllam rem: quippe quia diuersæ naturæ lapidem nostrū
non emendant, nec intrat in eo, quod non sit ortum ab eo: quoniam si aliqua ex-
tranea sibi apponantur, statim corrumpitur, & non fit ex eo quod fieri quæri-
tur. Ex rebus ergo corporalibus maximè conuenientibus in natura, necessariū
est medicinam colligere. vnde oportet quod ipsa medicina illis in natura con-
ueniat, & eis in profundo maximè cohæreat: ita quod diminutum perficere cō-
pleat, & etiam quod mercurius per minima ante illius fugā misceatur: sed nul-
lum corpus in sua natura manēs mercurium coagulat, nec ei firmiter adhæret.
Nec etiam ipse mercurius per se medetur infirmis corporibus, quoniam in e-
xaminatione separatur ab eis. Nam grossa simplicibus, & simplicia grossis mi-

nus bene conveniunt. Subtilioris ergo substantiæ, & liquidioris fusionis necesse est illam medicinam esse, quàm ipsa corpora, & fixationis ac retentionis, quàm sit arg. viuum in sua natura.

Ex quibus extrahitur lapis philosophicus.

Cap. VII.

QVari ergo non immeritò potest, vnde hæc nostra maximè possit elici medicina. Quibus respondentes dicimus, quòd in quibus est, ex illis elicitur. Est autem tam in corporibus, quàm etiam in argento viuo. secundum naturam, cum vnus sint reperta naturæ. Sed in corporibus quidē difficilius: in ipso vero mercurio viuo, propinquius, non autem perfectius. Et illud ideo quia non est corpus dignius sole, aut purius, aut eius umbra, scilicet luna: si ne quibus nullum arg. viuo, generatur tingens. Qui verò absq; isto argento tingere nititur, cæcus procedit ad practicam, sicut asinus ad coenam: nam aurum aureum, argentum argenteum tribuit colorem. Qui ergo arg. vi. cum sole & luna tingere nouit, venit ad arcanum, quod dicitur sulfur album optimum ad argentum: quod cum rubeum efficitur, erit sulfur rubeum optimū ad aurum. Ab illis igitur corporibus extrahitur sulfur nimium album & rubeum, cum in ipsis sit purissima sulfuris substantia ingenio naturæ summè depurata, quod secundum Albertum clarius est & subtilius, quia in depuratione ipsius est ars debiliior natura, nec consequitur eam, licet multum laboret. Pater enim eius est Sol Luna mater est: quia ex illis corporibus cum suo sulfure, vel arsenico præparato nostra elicitur medicina: ex corporibus similiter solis elici potest ipsa. Ex solo autem arg. viuo, facilius & propinquius perfectiusq; inuenitur, cum ipsum sit pater omnium istorum luminarium, & omnium liquabilium: ab ipso siquidē omnia fiunt, & ideo in ipsum omnia resoluuntur, quoniam natura naturam amplectitur propriam amabilius, magisq; gaudet cum ea, quàm cum extranea. In ipso namq; est facilitas extractionis illius subtilis substantiæ, cum iam in actu habeat substantiam. Relinquitur ergo medicinam nostram esse purissimam, & subtilissimam substantiam quæ ex arg. viui materia originem suam ducit, & ex illa creata est. Non est aut materia arg. viui in sua natura, nec in sua substantia tota, sed fuit pars illius, non autem quæ est nunc, cum lapis noster factus est, simpliciter est arg. viuo, licet fuerit pars eius, quoniam ipsum illuminat, & ab adustione defendit, & conseruat: quod est causa perfectionis. Igitur cuiuscunque causa tantum generationis sit medicina, tam quidē in corporibus, quàm in ipsius arg. viui substantia, lapidis preciosi indagatur substantia. Consulo tamen, quòd non opereris nisi cum mercurio & Sole, ad Solem & mercuriū, & Luna ad Lunam: quoniam totum beneficium huius artis consistit in ipsis tantum.

Quòd impossibile est lapidem perfici ex sola metallorum substantia sine materia. Cap. VIII.

Igitur si in prima naturæ materia opus nostrum vellemus incipere, esset longissimum, & impossibile, & etiam magnæ & quasi infinitæ requirerentur expensæ ad hoc perficiendum. Et cum demum per difficillimum artificium lapis fuerit factus de natura metallorum, tamen opus philosophicum, siue physicum nondum est inceptum: quippe quia est necessarium, quòd lapis philosophorum elici possit de natura duorum corporum, antequàm de eo fiat Elixir completum. Quoniam est necessarium quòd illud quod est Elixir, magis sit depuratum, & digestum, quàm aurum vel argentum: eo quòd ipsum Elixir habet conuertere omnia imperfecta alia, & à perfectione diminuta corpora in aurū, vel argentū, quòd ipsa minimè perficere possunt: quia si de perfectione sua alteri darēt, ipsa imperfecta existerent, eo quia nō possunt tingere nisi quantum se extēdunt. Et ad hoc fiet operatio in lapide nostro, vt melioretur eius tinctura in eo plus quàm in sua natura, & vt fiat Elixir iuxta sapientū allegoriam com-

possi-

litum ex speciebus limpidis, condimentum, antidotum, medicina, & purgamentum omnium corporum purgandorum, & transformandorum in solificum, & lunificum verum. Sed moderni operantes finem credunt operis esse, cum incipiunt opus: quoniam cum in tantum laborauerunt, quod opus eorum sit de natura metallorum, credunt compleuisse Elixir perfectum. Sed quando faciunt projectionem, nihil ibi inueniunt, qui operari desistunt, ubi incipere debuissent.

Quid sit opus primum philosophicum.

Cap. IX.

OPus namque philosophorum est dissolvere lapidem in suum mercurium, ut in primam reducatur materiam. Vnde Philosophus in 4. Meteororum huius artis sophisticos illudit artifices Alchymiae, dicens: Species transmutari non posse. Quod quidem simpliciter verum est, nisi species ipsae, ut postea subdit, in primam suam materiam redigantur: quae quidem materia prima est arg. viu. cum ipsum sit elementum omnium ductibilium. Tunc enim in aliam formam quam prius erant bene permutantur: non quidem species, sed individua specierum: quoniam ipsa individua actionibus sensibilibus sunt subiecta: eo quod in se sunt corruptibilia. Species vero quum sint universales, actionibus sensibilibus non sunt subiectae: & ideo non sunt in se corruptibiles. Species igitur argenti, quae est argenteitas, non mutatur in speciem auri, quae est aureitas, nec e converso: quia species verè permutari non possunt, sed individua specierum bene permutantur, cum in suam primam materiam rediguntur: quia cum forma istius individui fuerit corrupta, vel illius, & in primam materiam resoluta, bene permutatur, & necessario introducitur alia forma: quia corruptio vnius est introductio alterius. Et scias quod nulla materia potest ita destrui, quin sub aliqua maneat forma: vnde destructa vna forma immediate introducitur alia ad hanc operationem, vel ad illam disposita. Et ideo dicit Philosophus Indiges tu qui vis operari, quod in solutione & sublimatione duorum luminarium primo laboras, quia primus gradus operationis est, ut fiat arg. viu. ex ipsis. Notate ergo verba, signate mysteria, quoniam in hoc opere declaratur quis sit lapis, cum principium sui operis sit dissolutio ipsius. Oportet igitur sublimare, figere, & calcinare ipsum, ut sic demum solvatur in arg. viu. quod philosophis est contrarium. Vnde etiam dicunt philosophi, nisi corpora fiat incorporea: siue non corpora, vel volatilia, & e converso, nihil operamini. Verum ergo principium nostri operis est dissolutio lapidis, quia corpora soluta in naturam primam spirituum sunt redacta, nisi quia magis sunt fixa, quia spiritus sublimantur cum eo. Nam solutio corporis fit cum congelatione spiritus, & congelatio spiritus est cum solutione corporis: tunc enim miscetur corpus cum spiritibus vel spiritu, & fit vnum corpus cum eis, vel cum eo, & nunquam separantur, sicut nec aqua mista cum aqua: quoniam omnia tunc ad suam naturam homogeneam primam sunt redacta. Prima vero homogeneitas metallorum est arg. vi. Cum ergo in ipsa homogeneitate solvantur, in simul coniunguntur, & nunquam separantur: quoniam tunc utrumque agit in suum socium sibi similem. Et ideo dicit Arist. Quod Alchymistae corpora metallorum verè transmutare non possunt, nisi prius ipsa redigantur ad suam primam materiam: tunc enim in aliam formam, quam prius erant, bene rediguntur. Quoniam contra hoc non stat ratio: quippe quia destructa vna forma, immediate introducitur alia, ut patet ex operibus rusticorum: qui de lapidibus faciunt calcem, & de cineribus vitrum. Sic & multo fortius potest sapiens studio suo per magisterium naturale seu artificium nostrum ista corpora corrumpere, & illis novam formam introducere: quia intentio nostrae operationis non est aliud, nisi quod eliciatur & eligatur purissima substantia mercurij in istis corporibus: quoniam Elixir consistit in illis tantum, & non in alijs.

Arg. viu. est materia prima, & elementum omnium metallorum

Nulla materia potest ita corrupta, quin sit sub aliqua forma.

Quomodo alchymistae possunt transmutare corpora metallorum

Quid sit lapis, & quo indiget in operatione ut sit Elixir completum. Cap. X.

Hic igitur est lapis noster famosus, quia non fit transitus de extremo ad extremum, nisi per medium. Extrema autem nostri lapidis in primo latere est arg. viu. in secundo verò est Elixir completum. Media namq; istorum aliqua alijs sunt magis depurata, decocta, & digesta, & illa sunt meliora, & operi propinquiora: quod te carissime ignorare non credo, sed bene scire: non ergo ob hoc erres: quoniã si seminauerit homo hæc, & metet. Nam semen suo semini correspondet, & omne arbutum proprium affert fructũ iuxta genus suũ. Natura quidem est sapiens, semper perfici appetens, quoniam in se semper cõtinet incrementum suum: iccirco dicit Auicen. Nisi aurum & argentum viderem, pro certo dicerem, quòd Alchymia non est vera ars. Igitur quamuis lapis noster hic tam in se tincturã naturaliter contineat, quàm in corpore tenui creatus à quocunque, per se motum non haberet, vt sit Elixir completum, nisi moueatur arte & operatione. Et ideo artes diuersæ à diuersis philosophis sunt inuentæ, vt compleatur per artificium quod à natura est relictum incompletum: quoniam natura prona est ad sui perfectionem. Prudenter ergo & non casualiter operare: & scias naturas lapidis, & fortitudines, & quis lapis, cuius lapidis sit amicus, vel inimicus: vide quòd agnoscas quod ipse fecerit. Et antequàm facias grossum, fac gracile, ponderosum alleuia, asperum lenifica, durum mollifica, amarum dulcifica, & habebis totum magisterium. Scias ergo quòdstrarum operationum aliæ medicinæ auri, quibus conuenit participare argento in aliquibus, & in aliquibus diuersificare: quoniã in principio suæ operationis opus auri & argenti per omnia conuenit: in modo verò fermentationis disconueniunt: quoniam fermentum operis argenti, argentum est. Fac ergo vnamquancq; speciem cum sua specie, & vnumquodq; genus in suo genere: quoniam opus albi ad albificandum, & opus rubei ad rubificandum. Non ergo misceas opus vnius lapidis cum opere alterius lapidis: quoniam vehementer errares, si secus faceres. Aliã quippe corpora possibile est quòd operentur, sed non erunt bona sicut illa: quippe quia medicinã quam non habent, dare non possunt: impossibile siquidem est, non fixum figere, & immundum mundare: quia nõ inuenitur in re, quod in ea non fuerit antea, nec aliquis dare potest quod non habet. Quare licet vti possis, vel indiges tu, cum non possis habere in istis illud, quod est maioris temperatiæ, & minoris fæcis, si indigueris vsu eorum, oportet primò vt cõuertas ea in similitudinem duorum corporum perfectorum, quod nunquã fiet nisi Sol & Luna in vno corpore coniuncta proijciantur desuper ipsa. Quippe quia mercurius cum sit de sua natura conuersiuus, fit vnumquodque cum singulis quos amplectitur ex planetis. Si iungatur cum plumbo, plumbum erit: si cum ferro, ferrum erit: & si cum alijs corporibus, erit consimile eis. Si autem cum istis duobus iungatur radijs, fit Elixir perfectum. Non ergo operandũ est nisi de ista nobili materia, quia non fiunt res aliqua ratione, nisi secundum eorum naturam. Quicunque ergo quærit à natura quod in ipsa nõ est, fatuitas est & perditio laboris. Non comedas ergo de filio, cuius mater menstruum patitur: quem si comedis, leprosus & tu fies, & opus tuum: sed frustum comede de carne pingui, & habebis aurum & argentum quantum volueris. Et non quæras à natura quod in ipsa non est, quoniam fatigares animam tuam in vanum. Hæc extracta sunt à Morieno doctore veraciq; philosopho.

Mercurius fit vnumquodq; quod amplectitur.

A E N I G M A.

Nihil reputans inde lucrum, si ita faceres: sed benefacias unguentum de sulfure, & blanqueto: quoniam res cuius caput est rubeum, pedes albi: oculi uerò nigri est magisterium. Intellige quod dico, quoniam omnia uerè sunt uerissima, qualia nunquam philosophus aliquis tradidit meliora.

Inct:

Capita libri secundi.

De inuestigatione perfecta lapidis phisici.	Cap. I.	dum.	Cap. XIX.
De lapidis regimine.	Cap. II.	Quod pondus fermenti debet excedere pon-	
Quomodo depuratur mercurius.	Cap. III.	dus sulfuris, uel esse equale	Cap. XX.
De lapidis inhumatione	Cap. IIII.	Que sunt utilitates magisteriorū.	Cap. XXI.
De recapitulatione tertij regiminis.	Cap. V.	Quomodo debemus seruare quantitatem u-	
De secundo regimine quod est ablucere.	Cap. VI.	ninscuiusque.	Cap. XXII.
De diuisione lapidis per quatuor elementa	Cap. VII.	Quomodo elementa sunt corrigenda, & quo-	
De ablutione aque.	Cap. VIIII.	modo acquiritur fusio medicine.	Cap. XXIII.
De ablutione aeris.	Cap. IX.	De pōderib. obseruadis in fixatione.	Ca. XXIII.
Quomodo ab omni re extrahitur oleum.	Cap. X.	De fixatione Elixiris in compositione ad al-	
Que differentia est inter aquam & oleum.	Cap. XI.	bum.	Cap. XXV.
De ablutione ignis & terre.	Cap. XII.	De reductione aeris super Elixir albū.	C. XXVI
De causa ablutionis secundum Pla.	Cap. XIII.	De iteratione Elixiris albi.	Cap. XXVII.
De tertio regimine quod est reducere.	Cap. XIII.	De cōpositione Elixiris rubei.	Cap. XXVIII.
De modo reducendi aquam super terram	Cap. XV.	De multiplicatione medicinarū.	Cap. XXIX.
De modo sublimandi, & albificandi terrā.	Cap. XVI.	Quomodo intelligitur solutionem & subli-	
Quomodo sulfur album fit rubeum.	Cap. XVII.	mationem fieri.	Cap. XXX.
De recapitulatione tertij regiminis.	Cap. XVIII.	De modo faciendi proiectionē.	Cap. XXXI.
De quarto regimine quod est figere, & quod fer-		De recapitulatione totius magisterij.	
mētum album fixum est necessarium ad figen-		Cap. XXXII.	

De inuestigatione perfecta lapidis phisici.

Cap. I.



Anifestum est ergo operationē medicine esse operationē nature ipsamq; medicinā esse eādem naturā, eo quò d ipsa medicina solū est cōposita ex natura. Certū quippe est omnē rem esse de eo, in quod resoluitur. Nā gelu conuertitur in aquā calore mediāte. Clarū est ergo aquā ipsam prius fuisse, q̄ ipsum gelu. Sic omnis lapis noster resoluūtur in arg. viu. per magisterium nostrum: ergo prius ipse fuit arg. viu. Modus autem conuertendi ipsum in arg. viu. est conuersio naturarum in suam primā radicem: naturam nanque conuere, est elemēta circulariter rotare. Sunt autem elementa de aptitudine sua ad inuicem conuersiua: & ideo generantur & corrumpuntur, & ad inuicem alterantur. Conuerte ergo elementa, & quod quæris inuenies: quia nostra operatio non est nisi naturarum mutatio, & eorum elementorum frigidū cum calido, & humidū cum sicco amīcabilis commissio: veruntamen non conuertitur siccum in humidum, nisi prius fuerit frigidum, id est aqua: nec frigidum conuertitur in calidum, nisi prius fuerit humidum. Nanque transitus non fit ab extremis nisi per medium. Terra non conuertitur in aerem, nisi prius vertatur in aquam. Aer quippe & aqua sunt elementa media: Ignis & terra sunt elementa extrema. Aer verò est iuxta ignem, sicut terra iuxta aquam: & ideo quia aqua contrariatur igni, & terra aeri: quia aqua frigida est & humida: ignis calidus & siccus: terra verò frigida & sicca: aer autem calidus & humidus est: & sic aqua & aer conueniūt in humiditate, ignis & terra in siccitate cōueniunt: & ideo vnū in aliud conuertitur, & similiter ad inuicē, ideo immediate conuertuntur, ac tardius ab inuicē separantur. Econtrā autem aer & terra, ignis & aqua ad inuicē non conuertuntur, nisi ignis in aerē, & terra in aquam prius conuertantur. Si ergo siccum conuertitur in frigidum, & frigidum in humidum, ac humidum in calidum, & calidum in siccum, tunc habebis totum magisterium.

De trāsmutatio
ne elemētorum
ad inuicem.

Quatuor modi
regiminis con-
uertentes ad in-
uicem.

Modi verò regiminis ad inuicem conuertentes sunt quatuor principales, scilicet soluere, abluere, reducere, & figere. Soluere grossum in simplum & subtiliare, abluere obscurum in lucidum, reducere humidum in siccum, figere volatile supra corpus fixum. Soluere est diuidere corpora, & materiam, vel naturam primam facere: abluere est inhumare, distillare & calcinare: reducere est incerare, impinguare, vel imprægnare, subtiliare: figere est desponsare, resolueri, & coagulare: per primum mutatur natura interius, per secundum exterius, per tertium superius, per quartum inferius.

De primo lapidis regimine, quod est dissoluere. Cap. II.

Lapidem siccum, grossum dissolue in arg. viu. ut in suam reducatur materiam primam. Et hoc totum solum fit per arg. viu. eo quod ipsum solum habet Solem & Lunam ad suam naturam vel materiam primam redigere. Sed quia arg. viu. habet in se fœculentiam terream & adustibilem absq; inflammatione, & aqueitatis substantiam, necesse est superflua demere, & absentia implere vel supplere, si plenam medicinam volumus facere vel trahere. Terrenam autem fœculentiam oportet omnino per sublimationem demere, ne humidum in proiectione creet calorem & aqueitatem ipsius, simili modo fugitiuam oportet (quo ad medicinam illius) substantiam saluare: de cuius proprietate est mūdare, & ab adustione defendere, & etiam figere, ac fixum facere. Ideoq; contingit ex ipsius medicinæ diuersitate secundum eius diuersam depurationem quandoque creari Saturnum ex illa, quandoque Iouem, quandoque Latonā, quandoque Venerem, quandoq; verò Martem: quod ex impuritate necesse est euenire vel accidere.

Quomodo depuratur mercurius, & purgatur. Cap. III.

Ingenium igitur ipsius terreæ substantiæ, superflua remotionis, est ipsum semel vel bis sublimare à vitro & sale, donec ipsius albißima sumatur substantia. Cum verò albißima ascenderit, projice in ferentia aqua, donec redeat in arg. viu. Post tolle ab eo aquam, & operare cum eo, quoniam non est bonum operari cum ipso, nisi prius hoc modo purgetur: vnde dicit Auicenna. Primum quoq; facere incipere est quod sublimetur mercurius, postea solue eum, ut redeat in primam materiam suam, & sublima totum: tunc in hoc mercurio mundo mitte corpora munda, equali lance librata: Veruntamen non misceas corpus album cum rubeo, nec rubeum cum albo, sed vnumquodq; seorsum dissolues in partem: quoniam aqua alba est ad albificandum, aqua rubea ad rubificandum. Non ergo misceas aquam vnius lapidis cum aqua alterius, aut cum alio lapide, quoniam vehementer errares, & excæaberis si secus feceris. Ab hinc vice post vicem contere, & imbibe, & coque in balneo marie, post destilla per filtrum, quousq; transeat ipsum: collige tamen ad partem supereminens nigrum, quoniam illud est oleum, ac verum dissolutionis signum: quia quod est solutum peruenit ad sublimitatis finem, vnde separatur ab inferioribus, ascendens sursum & petens altiora loca, ut corpus aureum. Custodi autem ipsum cautè ne euolet in fumum, & quod facis in albo, facias in rubeo: quoniam hæc medicina in essentia est vna, & in modo agendi similiter vna: est tamen in rubea additamentum citrini coloris, quia sulfuris fixi substantia mundissima efficitur. Differentia tamen est inter solarem & lunarem medicinam, eo quod hæc quidem illud continet: illa vero non, quoniam indiget mundissimo sulfure albo, sicut hæc indiget rubeo. Sufficiunt hæc duo corpora eo quod assimilantur quæsito, vel illi quod quæris. Sed indiges quod in solutione, sublimatione, & subtiliatione eorum labores. Sunt enim fortia, & indigent præparatione longinqua, & operatione continua
ut

vt primò calcinentur, & postea soluantur: quoniam cùm calcinata fuerint, facilius soluantur: eo quia calor ignis penetrans partes corporis facit aquã ingredi post ipsum: & sic est magis solutionis susceptiuum. Veruntamen si calcinaueris corpus grossum, quod etiã dissolutiuum est, pone ad partẽ, & quod remanet in filtro, accipias cautẽ ipsum ne perdat in fumum, & pereat magisteriũ. Idcirco cùm istud graue sit perficere & difficile, expedit corpora grossa soluere per aquam solũ, id est per arg. viu. sine calcinatione, quoniam istud est securius, licet in operatione sit tardius. Esto ergo longanimis, & non festinanter extrahas tincturam, nec festinanter aut velociter queras perficere, quia primus error in hac arte est festinatio, quia comburit omnia, & ad remotũ perducit. Nam ignem si multum feceris in principio mistionis eius, eueniet in tincturis detrimentum, quoniam comburuntur medicinae per nimias caliditates. Vnde versus.

Dissipa rem captam prius per partem satis aptam.

Leuiter extractam, sic massam contere faciam:

Hec non festinẽ, sed temporis ordine sine,

Albumen urinae disponit membra ruinae.

Patienter igitur sustine, contere, & coque, reitera, & non tãdeat te hoc ipsum reiterare: quia quæ imbibuntur, per aquam mollificantur. Et quanto magis teres, tanto magis mollificas, & quanto magis mollificas, tãto magis partes grossas subtilias, donec vniantur, & ab inuicem non diuidantur: quoniam spiritus cum corpore tunc inspissantur, & omnia quæ impastantur, dissoluuntur: & impastatio fit cum nimia trituratione & assatione. Nam per contritionem & incerationem, ac assationem diuiduntur partes ligatae viscositate aquæ, quæ viscositas est in corporibus. Corpora verò soluta ad naturam spiritus sunt redacta, & nunquam separantur, sicut nec aqua mista, aquæ: quippe quia natura lætatur, quoniam sponsus cum sponsa copulatur. Quæ verò non dissoluuntur, non habent partes subtiles, nisi mollifices: ideo carissime indiges, quod in dissolutione lapidis labores, scilicet partes suas puriores disgregas ab ipsis, vt grauioribus partibus abiectis, opus cum leuioribus perficiatur.

De inhumatione lapidis.

Cap. IIII.

LApide autem dissoluto, accipe totum & pone super calorem temperatũ, vt putrefiat, & digeratur melius, videlicet per mensem philosophorum, id est per triginta dies: quoniam adustio in animalibus per inhumationem tollitur, & decoctionem. Decoquas ergo completẽ vt ebulliant omnia simul leui igne, & in suam materiam primam redeant, & sint arg. viu. Hoc autem habito, soluitur illa authoritas Arist. 4. Meteor. Sciant artifices Alchymistæ, species rerum transmutari non posse. Quod quidem verum est, nisi prius, vt subditur, in suam primã reducantur materiã. Tunc autẽ in aliam formam quã prius erant, bene permutantur. non quidem species, sed indiuidua specierum permutantur: quoniam sunt corruptibilia ipsa, & actionibus sensibilibus subiecta. materia nãq; nullo modo potest ita destrui, quin semper maneat sub aliqua forma: vnde soluta prima corporis forma in mercurio immediatẽ introducitur nostra forma, corrupta ipsorũ forma: quæ quidem forma est in colore nigra, in odore foetida, & in tactu subtilis, & discõtinuata: & hoc est est signum perfectæ dissolutionis corporum: quia calor agens in humido primo generat nigredinem. Quæ quidem nigredo est caput corui, sed est principium operis nostri, quod est dissoluere lapidem nostrum in mercurium, vel in aquam mercurialem. Modò habes primum regimen operis.

MOdò dicam breuiter totum dissolutionis modum. Sublîma ergo primo mercuriũ, & deinde soluas ipsum: hinc incorpora ipsum cũ terra lota, et igne, & pariter decoque, quousque redeant ad suam primam materiam. Et hoc ideo fit, vt habeamus sulfur & mercuriũ de illa materia, de qua aurũ & argentum efficiebantur subtus terram: quia si verum sulfur fuerit, & arg. viu. bene possũmus ex ipsis aurum & argentum facere. Hoc autem magisteriũ nõ est nisi pro diuitibus, & pro mundi altioribus. Et qui habet ipsum, habet thesaurum sempiternum. In ipso ergo tria sunt inquirendã, puta subtile ingenium artificis, opera manuum, & arbitrium. Quod quidem requirit diuitias, sapientiam, & libros.

Secundum autem lapidis regimen est abluere nigrum corruptum, & fœtidum, vt sit valde lucidum, clarum, & à sordibus vacuum. Quod quidem fieri nullatenus conuenit sine elementorum diuisione, & aquarum distillatione, & lapidis dissolutione: quia elementorum duo sunt lapidea, & duo aquatica. Lapidea autem sunt ignis & terra, quia sunt sicca. Aquatica verò sunt aer, & aqua, quia sunt humida. Ignis ergo comedit illud quod in exterioribus existit, quoniam comedit, & vastat, & deuastat sordes aquarum per distillationẽ, & subtiliat eas per aeris leuificationem: comminuit etiam grossitudinem lapidis per calcinationem, & deuorat eorum sulfureitatis salsedinem: & ideo lapis noster in quatuor elementa diuiditur, vt magis subtilietur, & vt magis à sordibus depuretur, & postea firmitus coniungatur. Sed nunquam fuit aliquid natũ vel crescens, nec animatum, nisi post putrefactionem: ideo putrefiunt, vt magis digesta melius separentur: Quippe quia si putrefactũ non fuerit, fundi non poterit, nec soluetur: & si solutum non fuerit, ad nihilum redigetur.

Accipe ergo lapidem sic corruptum, & diuide ipsum per quatuor elementa per distillationem: primò per leuem ignem æqualiter continuatum, & recipe suam aquam: deinde paulatim vigora ignem donec receperit aerem igne mistum: quod verò remanet in fundo combustum, est terra nigra, & sicca. Et scito quòd distillatio aquæ habet fieri balneo mediante, eo quòd subtiliores lapidis partes sine calore ad naturam simplicis aqueitatis approximantes per eam distillabuntur. Aer verò & ignis per cineres distillantur: eo quòd per ipsos, cùm ignitionem sustineant, contingit calores & grossiores terreas partes sursum eleuari. Subtilior ergo separatio per aquam, cum non sustineat ignitionem, quàm per cineres, elicitur. Isto ergo modo diuides quatuor elementa, eo quod oportet extrahi aquam ex sua substantia humida, & non ex alia, quòd in eis est maior tinctura. De terra verò non cures cuius sit substantiæ, dumtaxat, fuerit alba & fixa substantia. Terra desiccatur & figitur, aqua verò mundificatur & abluunt: aer verò & ignis tingunt, & fluere faciunt. Ideo oportet quòd sit aqua multa, & aer multus: quoniam multitudo tincturæ tanta erit, quanta multitudo aeris erit. Studeas ergo carissime in omnibus operibus tuis mercurium superare in commistione, vt satis habeas de aere: quoniã si per ipsum solum perficere poteris, preciosissimæ perfectionis naturæ vincentis indagator eris. Veruntamen firmiter teneas, quòd omnium capitulorum huius præciosissimæ artis non excedit præcium ipsarum medicinarum expensione quinquaginta argen-

genteos ex prima operatione computādo. Oportet tamen ipsam medicinam diutius assari super ignem, & nutriri sicut nutritur puer in vberibus.

De ablutione aque. Cap. VIII.

CUm autem habueris elemēta, vt dictum est, diuisa, abluere ea, scilicet aquā & aerem septies distillando: ignem verò & terram fortiter calcinando. Aquam tamen & aerem separatim distilles, quoniam aer est melior quā aqua: licet ipsa aqua abluat, & dealbet terram, faciatq; matrimonium tincturarum: sed aer tingit terram, & infundit animam, & facit eam sensibilem. Vnde oportet quòd aer & aqua sint à sordibus mundata, & ab adustione tuta, donec fumatur eorum tinctura: quoniam si comburantur, effectu priuantur, nisi postea in fimo coquantur. Idcirco inhumatio in fimo interposita inter distillationes multum iuuat, vt ad perfectę ablutionis signum melius deueniatur. Quod quidem signum est splendor & crySTALLINA serenitas absq; facibus, nisi forte albis. Facies verò aquę, quas facies in omni ablutione, id est distillatione vice post vicem ad partē separa, & repone in terra nigra superius collecta. Aquā verò septies distillatam serua ad partem: quoniam ipsa est mercurius philosophorum solutius, faciēs matrimonium, & aqua vitę abluens lotonem. Et sicut fecisti de alba aqua, ita facies de rubea: quoniam vñum & eundem modū habent ablutionis, & consimilem effectum, nisi quòd aqua alba est ad albificandum, & aqua rubea ad rubificandum. Non ergo misceas vnā cum alia, quoniam errabis si secus feceris.

De ablutione aeris. Cap. IX.

Ahinc autē diuide aerem ab igne per distillationem, quoniam quod distillatum est, est aer purissimus: quod verò remanet in fundo est ignis siccus. Considera ergo quę dixi, vt opereris lapidem humidum, & aquā, & terram solū, & vt vtaris lapide sicco ad ignem, & aerem tantū. Aer sanē est oleum, & tinctura, & aurum, & anima philosophorum, & vnguentum quo totum perficitur magisteriū. Intellige ergo quòd ignis cum aere distillatur, quia conueniunt in caliditate, & non cum aqua, eo quòd aqua refugit ignem, quia contrariantur ad inuicem. Aer ergo distillatur cum igne, quia ipse est aqua tincta, & eius tinctura est ignis: quoniam ignis corpus est, & aer spiritus ignē deferens. Si ergo lapidem miscueris cum igne, statim erit rubeus, & semper diligenter se. Quodcūque ergo volueris rubificare, rubifica cum igne lapidis, & erit rubeum semper.

Quomodo ab omni re extrahitur oleum. Cap. X.

Pone ergo super substantiam corporis, cuius oleum extrahere volueris, purissimi mercurij tantum, quod superueniat quatuor digitis vel plus, quod melius est: deinde accende sub eo ignem lentum donec videris eius oleū, id est aerem paulatim ascendere, seu eleuari super mercurium, collige eū caute & serua seorsum. Si ergo minuatur mercurius, adde aliū mercuriū mundum, & calidum, & repone ad coquendum, continuē hoc facias, donec sumas eius oleum, & nihil remaneat insolutum. Distilla ergo totum per alembicū septies, quia ablutio eiusdem est eadem sicut ablutio aquę: Quod quidem inhumando & distillando humiditatem debet fieri, quousque deuenierit ad crySTALLINAM serenitatem absq; facibus, nisi forte album, cuius signa sunt gutta spissior abscolor, intensior, & leuitas aereā: ita quod si ipsum prædictę aquę miscueris, natabit superius. Aerem verò sic ablutum serua seorsum, quoniam est oleum, tinctura, & aurum; anima & vnguentum philosophorum, quod colorat, & tingit, & figit, & fluere facit. Tingit omnem laminam in eo ter extinctam in aurum vel argentum, secundum quod ipsum vel album erit, vel rubeū,

Non ergo misceas oleum auri cum oleo argenti, nec è conuerso: quoniam oleum albi est ad albificandum, rubeum ad rubificandum. Idcirco si illorum corporum oleum multum fuerit, multa erit tinctura: quoniam multitudo tincture tanta erit, quanta fuerit olei multitudo.

Que differentia est inter aquam et oleum.

Cap. XI.

Differentia est inter tincturam aquæ & olei: quia aqua abluit tantum & mundat, oleum verò tingit & colorat. Exemplum autem huius est, quia si pannus mergatur in aqua, mundatur ab ea: & quando desiccatur pannus, mundatur ab ea, & recedit aqua, & permanet in statu & in colore suo, in quo prius erat: nisi quia est magis mundus. E contra est in oleo, quia si tingatur pannus in eo, non separatur ab eo per calorem ignis, vel aereum, nisi ex toto id destruat: nec poterit separari oleum ab ipso panno, nisi per ablutionem, & ignis desiccationem: aqua autem est spiritus extrahens hanc animam à corporibus. Cum verò extrahitur anima ab ipsis corporibus, remanet in ipso spiritu, quia spiritus locus est eius. Anima ergo est tinctura soluta in ipso spiritu deportata, sicut deportatur tinctura tinctorum per aquam super pannum: deinde recedit aqua per desiccationem, & remanet tinctura in panno fixa propter oleoginositatem. Sic ergo est de aqua, spiritus est in quo portatur tinctura aeris, quæ cum reducitur super terram albam foliatam, statim siccatur aqua spiritualis, & remanet in corpore anima, quæ est tinctura aeris. Spiritus igitur retinet animam, sicut anima retinet corpus: quoniam anima non moratur in corpore nisi mediante spiritu. Cum verò coniunguntur, nunquam separantur, quia spiritus retinet animam, sicut anima retinet terram. Vnde præcepit Hermes animas venari in lapidibus. est enim mansio earum in ipsis. Non ergo sis in venando piger vel lentus, præcauens ne fugiant à te. Si autem fugiant, non accipias eas cum falcone. Sunt autem retentiue fugitiuorum. Cum eis ergo est coagulatio nostra: quoniam retinet fugientem. Seminate ergo animam in terram albam foliatam, quoniam ipsa retinet eam. Quoniam cum ascenderit à terra in cælum, iterumque descenderit in terram, recipiet vim inferiorum & superiorum. non tamen commisceas oleum auri cum oleo argenti, nec è conuerso.

De ablutione ignis et terre.

Cap. XII.

Olei verò fæces quas fecerit collige omni vice, & repone cum igne, quoniam sunt ignis, ac nigredinem tenentes ad rubedinem, quas oportet cum aqua prima terere, & suauiter comburere, donec fiat puluis omnino priuatus ab aeris humiditate. Sic enim oportet fæces etiam aquæ cum terra coniungere, igne accenso fortiter calcinare, quousque sit sub alba humiditate vacua. Calcina ergo ignem cum igne, & terram cum terra, quousque fiat munda, & nigredine priuata. Quod autem ascenderit ab igne illud est oleum rubeum: quod verò à terra, est album preciosum: quippe quia oleum quod tardius à corporibus separatur, preciosius habetur. Consequere ergo omnia tempore suo parte à parte, & serua singulariter vnumquodque eorum.

De recapitulatione secundi regiminis.

Cap. XIII.

Oportet ergo te secundum Platonem pro posse tuo separationem elementorum exercere, aquam & aerem abluere per distillationem, & terram comburere per calcinationem, quousque non remaneat aliquid in corpore de anima, nisi quod non sentiatur in operatione: cuius signum erit, cum nihil à corpore euaporabitur. Si de eo parum laminæ ignitæ fuerit superpositum, tunc sanè erit appropriatum. Nomine spiritus, subtile, purum, & appropriatum: nomi

nomine anima, tingens lucidum & appropriatum, nomine corpus subalbum, & siccu: quippe in nulla nostra operatione est necessaria aqua, nisi candida: nec oleum nisi album vel subcitrinum: nec ignis nisi rubeus, nec terra nisi pallida sit, vel subalba. Si autem ita præparaueris elementa, erit terra habilis ad soluendum, aqua efficax ad digerendum. Et oleum in quo portatur ignis superabundans ad tingendum. Si verò elementa talia non habueris, est signum erroris. Ergo corrige errorem tuum, quia propinquior est operatio, præparatio in eo quam in opere nouo incipere. Elementa ergo abluta in vase sigillato singulariter reserua, & maxime oleum, quia consumit ipsum aer propter nature sue vicinitatem: & scribe super totum, sic quod recorderis virtutes, nomina, & colores: ne vnum pro alio acceperis cum operatus fueris, & corrumpatur opus. Et quidem hæc sufficiant ad completam abluitionem elementorum.

De tertio regimine, quod est reducere.

Cap. XIII.

Tertium regimen lapidis est reducere aquam humidam super terram siccam, ut recuperet perditam humiditatem: sed cum terra sit ex duobus corporibus, & duo elementa sint sicca, dura, & lapidea, ignis supple, & terra in siccitate concordant, insimul sunt præparanda, quoniam vnā habent præparationem. Coniunge ergo grossitiem ignis cum terra post aeris abstractionem, & præpara insimul propter temporis abbreviationem: & etiam ut bona sit eorum commistio, & ut non confundatur præparatio, & vnus alium bene tingat, & ne vrantur super ignis pugnam: vnde præparare eos insimul est magis saluū magisque propinquum: eorum autem præparatio est, ut eorum maiorem reciperent humiditatem. Corpus namque calcinatum, est discontinuatum, eo quod ab aqueo est omnino priuatum. Vnde cum nudum sit & vacuum, & multū sitiens ebibit suum humidum aqueum.

De modo reducendi aquam super terram.

Cap. XV.

Infunde ergo primò aquā per vices cōterēdo, & post leuiter calcinādo, quō vsque ipsa terra biberit de sua aqua quinquagesimam partem sui: sciēs quōd oportet primò terram nutriri modica aqua, & post maiori, sicut est videndū in infantis educatione. Iccirco multum contere terram, paulatim imbibere cum aqua de octo in octo dies, decoque in fimo, & postea mediocriter calcina in igne, & non tēdeat te hoc multoties iterare: quoniam terra fructum non gerit absque frequenti irrigatione: & si trituration non fuerit bona, donec aqua fiat vnum cum terra, corpus nihil proficit. Non ergo suspendas manum à trituratione triturationis, vel à trituratione & assatione, donec aqua fiat sicca, & desiccata à terra alba: quoniam exiccatio cum forti trituratione & assatione, terram facit albam. Cæueas tamen ne imbibas terræ, nisi paulatim, & paulatim cum longa trituratione, supple post exiccationem terræ: deinde est pondus in hoc vbiq; notandum, ne nimia siccitas aut superfluus humor administrando corrumpant: ut videlicet tantum assando decoquas, quantum dissolutio adiecit, & imbibendo dissolvas, quantum assando deficit. Ideo omni vice post calcinationē terrę superfunde aquam temperata: neque multum videlicet, neq; parū: quia si multum fuerit, fiet pelagus conturbationis: si verò parum comburetur in fauillam: quare suauiter & non festinanter de octo in octo diebus terram irrigabis. Decoques in fimo, & calcinabis donec de aqua biberit quinquagesimam partem sui. Et nota quod post imbibitionem debet inhumari per septem dies. Itera ergo opus multis vicibus, quanquam sit longum, quoniam non videbis tincturam, neque proficuum perfectum, donec sit completum. Studeas ergo cū

E

in omni opere fueris, omnia signa quæ in qualibet decoctione apparent in mente tua recordare, & eorum causas inuestigare. Tres quippe sunt colores, niger albus & citrinus. Cum terra egreditur, nigredo imperfecta est, & nigra cōpleta. Qualibet igitur vice paulatim, & paulatim vigora ignē in calcinatione, quo vsque terra egrediatur alba ex ignis fortitudine. Nam sicut calor agens in humido præstat nigredinem, ita agens in sicco generat albedinem. Idcirco si terra non fuerit alba, tere eam cum aqua, & postea calcina iterato, quoniam azot & ignis latonem abluunt, & obscuritatem ab eo auferunt. Nam præparatio sua semper fit cum aqua: Ideo qualis limpida aqua, talis limpida terra, & quāto magis fuerit abluta terra, tanto magis alba. Ex multiplici ergo reiteratione imbibitionis cum forti contritione, & frequenti assatione aqueitatis mercurij maior deletur pars, scilicet aqueitatis, cuius residuum per sublimationis reiterationē similiter remouetur.

De modo sublimandi & albificandi terram ex recapitulatione totius magisterij.

Cap. XVI.

Cum autem terra exhauferit de aqua quinquagesimam sui partem, citò illam sublima fortiore igne quo poteris, donec ascendat sursum ad modū albißimi pulueris. Cum autē videris terram sicut nix albißimā, & quasi puluerem mortuum alutē spondilibus, & ad latera adhærere, tunc super eum reitera sublimationem sine facibus inferius remanentibus: quoniam adhæreret pars illius fixa, & fixaretur cum facibus, & nunquam per aliquod ingeniorum genus posset separari ab eis. Puluis autem ascēdens a facibus superius est cinis a cinere, & a terra extractus, sublimatus, honoratus. Quod verò remanet inferius est cinis cinerum, cinis inferior, vituperatus, damnatus, fæx, & sicut scoria. Fac ergo agnitionem inter clarum & limpidum eius: quoniam cum albißimum ut nix ascenderit, completum erit. Colliges ergo eum cautē ne euolet in fumum, quoniam ipsum est quæsitum bonum. Terra alba foliata congelans cōgelandum, & mundificans arsenicum. Et sulfur album quod Arist. dicit, quod est res optima, quam recipere possunt alchymistæ, ut de ea faciant argentum. Operare ergo cum ea ad Lunam, quoniam est completum: & hoc quidem modo perficietur sulfur album non vrens.

Quomodo sulfur album fit rubeum.

Cap. XVII.

Igitur si ad aurum volueris sulfur rubeum, dissolue sulfur album superius collectum in aquam rubeam per contritionem & imbibitionem, & bonam decoctionem, dissolutum congela in lapidem coagulatum. Dissolue iterum in aqua rubea, dissolue & sublima totum per ignem fortissimum. Modus nanque artificis opus deaurat, dirigit, & coaptat quodcunq; in similitudinem pulueris. Ascēdens sursum est sulfur albißimum: quod verò remanet in fundo deorsum est sulfur rubeum tinctum ut scarlata. Et istud est secundum Arist. sulfur optimū non vrens, rubeū ac clarum, ut ex eo faciunt Alchymistæ aurum: hoc autē arg. viu. conuertet per artificium secundum Arist. in verissimum aurum. Ex his igitur manifeste relucet philosophos verum dixisse, quod stultis videtur impossibile, scilicet quod vnus est lapis, medicina vna, dispositio vna, opus vnū, ac vas vnum: ad album sulfur, & rubeum simul & semel faciendum. Videntes ergo omnes huius artis inuestigatores dictam albedinem in vase apparentem mirati sunt stare rubedinem in illa albedine occultatā: & tunc non oportet illam rubedinem extrahere, verum decoquere quovsque totum fiat rubeum. Sic ego de mane, quando video quod vrina mea est alba indigesta, statim cognosco quod parum dormiui, & repono me in lecto, somno verò recepto vrina citrinatur:

natur: quia citrinatio non est nisi completa digestio: Hæc verò est verissima cōpositio albi & rubei sulfuris non vrentis, quo per regimen quartum completur Elixir perfectum ad omne diminutum perficiendum in Solificum & Lunificum verum.

De recapitulatione tertij regiminis cum sublimatur terra.

Cap. XVIII.

Nullus debet sublimare terram ad opera sophisticorum, sed debet sublimare ad Elixir nostrum perfectum: & illa quæ sublimantur duobus modis sublimantur, aut per se, quia spiritus sunt, aut cum alijs, quia se incorporant cum spiritibus: Mercurius enim cum sit spiritus, sublimatur per se: terra verò nostra cum sit calx, non sublimatur nisi quia se incorporat cum mercurio. Conuerte ergo calcem & imbebe cū mercurio, & decoque donec fiat corpus vnū, & nō tædeat te hoc ipsum multoties iterare, quia corpus nisi cū mercurio sit incorporatum, non ascendet sursum. Ideo necesse est, vt in quantū poteris naturam suam subtilies, & cum mercurio fortiter pistes, quousq; fiat vnū: quia sublimationem non facimus, nisi vt reducantur corpora ad subtilem materiā, scilicet vt sint spiritus: & quòd corpus sit leue ad redigendū in omnes res siue in Solem, siue in Lunam: & hanc sublimationem facimus, vt corpora redigamus in suā primā materiā, scilicet in Mercuriū & sulfur. Facimus ergo hanc sublimationem tribus de causis: vna est, quia corpus sit spiritus de subtili materia & natura: secunda est, quòd mercurius se bene incorporet cum calce: tertia est, quòd totum sumat colorem albū & rubeum. Idcirco quando calx sublimatur ad Lunam debet esse alba, & mercurius similiter albus: & calx quando sublimatur ad Solem debet esse rubea, & mercurius similiter rubeus, igne calefactus: & debet esse puluis inceratus: quia non bene operatur aliquis ad Solē, nec ad Lunam, nisi tali modo. Et cum mercurio quem sublimas ad Lunam nō commisceas vllam rem, quia Solis calor non intrat ad Lunam, nec de Luna ad Solem. Non mittas ergo mercuriū rubeum ad album, nec album ad rubeum: sed pone vnāquāque speciem cū suā specie, & pone ad ignē accensum, & sublima totum, & non misceas illud quòd remanet deorsum cū illo, quod ascendit sursum, sed pone vnumquodq; ad partem: quoniam quod in fundo remanet reiterabis ad sublimandum per mercurij incorporamentum, donec ascenderit totum: alioquin non ponas ipsum in magisterium. Alembicum, in quo sublimas mercuriū, sit vitreum, & cucurbita terrea vitreata, cuius os fundi sit amplum quòd possit mercurius ascendere liberius. Alembicum verò cum cucurbita debet iungi, ita quòd mercurius nō possit exire, quia nō sublimatur mercurius, nisi per fumositatem aeris. Ideo si locum inueniret aptum, euolaret in fumū, & deperiret magisterium. Vide ergo quod diximus. vide quoniam omnia verba necessaria sunt, & laude digna. Hæc ergo sufficiant ad complementum sulfuris albi & rubei.

De quarto regimine quod est figere, & fermentum alijs fixum est necessarium ad figendum.

Cap. XIX.

Quartum verò lapidis regimen est figere album sulfur & rubeum supra corpus fixum, scilicet, vt sulfur album figatur super argentum: sulfur verò rubeum figatur super aurum: quia secundum Pithagorā qui arg. viu. à corporibus extractum non coagulat in sulfur album, patiens ignē, nullā viam exigit ad albedinē. Qui verò dictum arg. viu. nō coagulat in sulfur rubeū patiens ignem, nullā viam exigit ad rubedinem. Nō ergo fatiges corpus tantū

in huiusmodi rebus altis, ad quas peruenire non pōtes, ubi ista facere ignoras, quoniā in deuiō erras. Prudenter ergo & non casualiter operare: quoniā sine fermento nec exhibet Sol, nec Luna, sed aliud quod nō permanet in essentia, in cura nature, nisi occultaueris ipsum in corpore, de quo pręparasti ab initio, scilicet Solem & Lunam. Coniunge ergo ipsum cum eo, vt generet sibi similem, & fiat Elixir, id quod componis. Cū autem coniunctum fuerit cum suo corpore non desinit in aliud agere, quovsq̃ue conuertat totum. Idcirco quādo vis fermentare, misce sulfur cum corpore, vt totum sit fermentum: quoniā fermentum rediget sulfur nostrū ad suam naturā, colorem & saporē per omnē modū. Quare fermentum ad album, erit album: & ad rubeum, fermentū erit rubeum, quod pater: quia si posueris fermentū argenti cum sulfure auri, rediget ad suam naturam, sed non ad suum colorē. Similiter si posueris fermentū auri cum sulfure argenti conuertet ipsum non ad suam naturam, sed ad suū colorē, & ecōuerso. Non ergo misceas fermentum vnius sulfuris cum sulfure alterius: quoniam fermentum auri aurum est, argenti verò argentum. Et nota quod non sunt alia fermenta super terram: quia nunquam figit, quod nunquam fixum est, nec fuit

Quod pondus fermenti debet excedere pondus sulfuris, vel esse equale.

Cap. XX.

Idcirco in omni fermento debet notari pondus vtriusque, vt summa volatilis sulfuris non superet summā sui corporis: alioquin ligamentum sponsalitiū uerteretur in spiritus fugam, non fixi. Vnde dicit Plato, Si purum sulfur proijciatur supra multitudinem corporis, ita vt super habeat potentiam, conuertit ipsum cito in puluerem, cuius color erit sicut corporis, super quod proijcitur spiritus, scilicet auri vel argenti. Dicam ergo inferius pondera omniū, sed quia sulfura non possunt ingredi corpora, nisi mediante aqua, cum aqua faciat medium inter sulfur & fermentum in omni dispositione: primò pones, vt dicit Aulic. terram, quoniā ipsa est iuxta fermentū: secundo pones aquam, quoniā ipsa est iuxta terram: tertio pones aerem, quoniam est iuxta aquam: quarto pones ignem, quoniam est iuxta aerem. Veruntamen non ponas ignem in Elixir ad album, quoniam Elixir ad album tribus completur elementis, in quibus nō est ignis: rubeum verò omnibus quatuor vtitur rotis. Aperi ergo, & claudē, solue & noda, ablue & desicca. Quoniam aqua est medium coniungendi tincturas illorum, scilicet olei, aeris, & ignis. Et dico ego nunc verbum philosophicū, Si prius mittas oleum, mortifica tamen in terra, quoniam aqua intraret: si autē posueris aquam, postea oleum stabit super aquam: si verò posueris aquam, & postea terram, erit aqua ponderosior quā terra. Fige ergo aquam cum terra vt ei adhæreat. Si vnum de quatuor occidisti, omnes sunt mortui. Si vnus habeat de anima plus quā alius, nil valet. Appropria ergo fermentū quod est anima ante fermentationem, vt sit puluis calcinatus, solutus, & induratus: quoniam si bene non pręparas fermentum, nil valet tuum magisterium.

Que sunt utilitates magisteriorum.

Cap. XXI.

Si non diuidis lapidem per quatuor elementa, non potest coniungi cū corpore. Et si non misceas de ipso corpore cum eo, super quod vis facere projectionem in Elixir, non colorabitur corpus, super quod debet proijci, sicut decet. & si non sublimas totum, quod mittis in Elixir, erit aurū & argentū actū: & si non pręparas corpus tuum, non sustinebit ignem: & si non caueas tibi in inducendo & mollificando, non erit habile aurum & argentum ad opem

ram

randum. Iccirco calx quæ mittitur in Elixir erit sublimanda, vt sit omnino simplex & viua. Cùm autem vis facere proiectionem de Elixir, facias calcem de illa materia cuius fuerit corpus, super quod projicere volueris, & mitte ibi fermentum, sicut supra dixi: si est aurum de auro, si argentum de argento, quoniã spõsalitium non est aliud, nisi quod coniungas fermentum cum corpore, quod ego dico. hi sunt sulfur album & rubeum, de quibus dictum est, scilicet super quod vis projicere Elixir. Et nota quod Elixires sunt **plures* pulueres simplices, quæ debent fieri de lapide, & corpore: & fermentum quod misces in Elixir debet esse puluis, bis vel ter sublimatus. Nam quoties sublimabis aliquod corpus cum commistione sublimati spiritus, toties lucraberis in proiectione mille partes. In quanto ergo alleuias corpus tuum, in tanto habebis melius, vt possis projicere vnũ pondus supra centum: & centum super mille: & mille super decem milia: & decem milia super centum milia: & mille milia super decem numeros, & sic in infinitum.

Quomodo debemus seruare quantitatem vniuiusque. Cap. XXII.

Cum volueris lapidem nostrum præparare, scias quantum est de ipso de aqua, de aere, de igne, & de terra. Cũ fuerit calcinatus, erit in eo calor maior, siccitas maior, frigiditas minor, humiditas minor. Cũ fuerit præparatus humiditas minor, erit in eo calor maior, siccitas minor, frigiditas minor. Cũ volueris ipsum conuertere, scias quantum amiserit de sua prima natura in omni regimine, quoniã si nesciueris, nil valet opus. Iccirco quando reuoluitur, redigitur in frigiditate minori, humiditate minori, caliditate minori, siccitate minori. Cũ verò abluitur, redigitur in humiditate maiori, frigiditate minori, caliditate maiori, & siccitate maiori. Cũ verò reducitur, in siccitate maiori, & calore minori, frigiditate maiori, & humiditate minori. Cũ figitur, redigitur in calore maiori, humiditate minori, frigiditate minori, siccitate maiori: quippe quia in fixatione lapidis apponimus sibi mercurium calidum, & humidum præparatum ultra illud, quod habuerit naturaliter ante suam solutionem. Intellige hanc reversionem, solutionem, vel lapidis differentiam, de differentia in differentiam, & cur hæc, & quomodo. Omne quod mutatur, aut mutatur in melius, aut in peius; aut in simile sibi. Si mutatur in simile sibi, nullum est lucrum: si mutatur in peius, tunc est damnum: si in melius, tunc est commodum. Conuerte ergo lapidem de bono in melius, & erit Elixir completum.

Quomodo elementa sunt corrigenda, & quomodo acquiritur fusio medicinae non fundentis. Cap. XXIII.

In coniunctione lapidis attende tres colores principales, primò nigrum, postea album, deinde rubeum. Obserua igitur diligenter ne corpus tuum rubeat ante nigredinem, & pereat tinctura per combustionem. Si verò rubuerit ante nigredinem, corrige errorem, decoquens omnia simul in aqua alba, donec conuersa fuerit in nigredinem: sic etiam facies si rubuerit ante albedinem. Nō ergo negligas inhumationis decoctionem, quoniã tollit combustionem, & perditam restaurat humiditatem. Si verò medicina non comiscetur, corrige per dissolutionem eius quod ingreditur, & per comistionem ambarum solutionum facit ingressum omne, quod illi pro minimo coniungitur. Hæc autem solutio non per aquam, aut in aquam vulgarem completur, sed in aquam mercurialem, & completur similiter per solutionem. Fusio facilis in rebus non fusilibus, vt apertius ingrediantur, & alterentur cū complemento. Vnde medicinam calcinamus, vt citius soluatur: & eam soluimus, & vt melius mūdetur figura, & fundatur: ac vt ab ea suscipiant corpora meliorem impressionem, aut ingressum, & facilius fusionem dare materie cum multiplici reiteratione solutionis spirituum non inflammabilium super illa, videlicet aeris & aquæ mercuriorum hō fixorū: aut cū multiplici

reiteratione solutionis medicinae non fundentis. Est tamen bona cautela ad fixationem praestandam medicinae non fundentis, ut solvatur & corpus fermenti, supple albi vel rubei: de cuius intentione sit per eam mutari, & alterari: & etiam solvatur medicina, id est Elixir: imò terra alba, supple, vel rubea: de cuius intentione sit ingredi cum alteratione. Non fiet tamen omnium istarum partium solutio, sed quarundam, quoniam solutio earum non est aliud, nisi quod in humidum reuertuntur, & sulfuris salsedines auferuntur. De hinc illud corpus, & non aliud corpus imbibatur vice post vicem, donec fundatur citissime super laminam ignitam: quoniam ex his artificiorum ingenijs necesse est medicinam, & commisceri, & fundi, ac etiam ingredi perfecte cum alterationis complemento. Si autem metallum quod conuertere debes per medicinam non fuerit sufficientis coloris, addatur plus de medicina ipsa: si verò de colore nimis habuerit, scilicet in sole, quia Luna non potest esse nimis alba, ponatur minus de medicina, & plus de metallo conuertendo. Si autem medicina non remanserit bene, quod est ex defectu fixationis, succurre per reiterationem solutionis & congelationis, atque per multiplicem non fixae partis solutionem super partem fixam, donec tamen ex ignis asperitate quiescat, & non fugiat ab igne aspero. Si autem non fundatur grauius, quod est ex defectu cerationis, succurre ei cum oleo, id est aere guttando guttam ad guttam super ignem leuem, donec fundatur ut cera: quoniam quando inceras, misces de re calida & humida magis, quam de frigida & sicca. Et quando figis, misces magis de re frigida & sicca, quam de calida & humida. Ergo intellige quae dico, quoniam huius operis perfectio est, naturae permutatio.

De ponderibus obseruandis in fixatione.

Cap. XXIIII

OMnia sub termino diffinito & dispositione certa consistunt: Idcirco vni cuique pondus, & omnis mensurae pondus in omni opere opus est. Caue igitur tibi in commistione Elixiris, & operare ibi sapienter, ut scias quantum debes ibi apponere de aqua, de aere, de terra, & de igne: alioquin si secus feceris, opus non valebit: quia si ponis de terra magis vel minus quam opus fuerit, vel quam requiritur in Elixir: quod si magis poneretur, mortificaret animam. quod si minus poneretur, faceres eas humiditas nimis, & non figerentur. Similiter in aqua, quia si amplius poneretur, vel minus, faceret simile damnū: si plus esset, faceret humidum & male: si minus, faceret siccū & durum: De aere si plus esset, vel minus, simile damnum: si plus esset coloraret nimis: si minus esset, non haberet colorem. Ignis etiam lapidis simile damnū faceret, quia si plus esset, combureret: si minus & parum esset, non siccaret totam humiditatem, quam debet desiccare, nec calefaceret: tamen ad album non ponas ignem, sed loquor de omnibus Elixiris: Idcirco pondus ubique notandum est, ne nimia siccitate, aut humorum superfluitate, magisterium corrumpatur. Quare fermentum iuxta adaequationis incrementum est semper apponendū: nam nulla erroris offensa nocebit, si ad illud pondus semper recurreris. Quicquid igitur in Elixir est grauius & stabilius, per ipsius ponderositatem sibi nomen terrae usurpat. Non minus quoque fermentū, quia cum sulfur coniungitur, terrae nomen assumit. Quae verò sublimantur, & etiam euolant, aquae & aeris sibi nomen apponunt. Cum ergo coniungis talia ut figantur in terra: si ad album est, sit de terra plus quam de aliquo alio elementorum: alioquin terra non figeret spiritum, imò secum euolaret in fumum. Verum illud fit plus secundum rationem iuxta adaequationis mensuram: verbi gratia, si est de aere vnum pondus & dimidium, de aqua duo pondera, debent esse tria pondera de terra, minus quarta. Et terrae fermentum

tum sit ter tantum quantum est sulfur album: vt si vnum pondus fuerit de sulfure albo, tria pondera erunt de fermento. Quantum ergo fuerit aer & aqua, tantum debet esse de terra: supple tria pōdera de terra minus quarta, de aqua duo, de aere vnum, & dimidiū de igne. Dicam ergo breuiter vt intelligas: ad Lunā pone tria pondera de terra, scilicet fermentata minus quarta, duo de aqua, de aere vnum & dimidium, & erit Elixir completum. Ad Solem verò, cū ipse sit calidior, Luna, debent esse duo pondera terræ, tria de aqua, & tot de aere, & vnum pondus & dimidium de igne. Nam pondus ignis mediū est pōdus aquæ. Non est in hoc additio nec diminutio, quoniā si sit multa aqua & paruus ignis, extinguitur ignis: & si sit similiter multa terra & paruus ignis. E contra tamē est de aere, quia aer nutrit ignem, sicut aqua nutrit terrā. Nam ignis viuit de aere, & aer de iuuamento aquæ, & aqua de iuuamento terræ. Fige ergo aquam in terram, vt aer possit figi in aquam: quoniam si aquā occidisti, omnes sunt mortui. Veruntamen aqua non figitur sine terra, quia consurgit nullus vnquam sine semine fructus: In quo dum moritur semen, fructum dare fertur: quoniā cū terra sit in se fixa, retinet secum, & figit alia elementa. Aqua verò cū sit humida & frigida circumdat terram, & constringit, & tenet eam: quoniam frigidum & humidum est siccitatis constrictiuum: veruntamen impressiōem citō recipit, & cito dimittit: siccum autem grauiter impressiōem recipit, & grauiter dimittit. Ideo cū humidum & siccum se inuicem temperauerint, adipiscitur siccum ab humido per partium constrictiōem, vel per continuationem, & facilem impressiōem: & acquirit humidum à sicco, vt firmiter teneat impressiōem, & quod omnem patitur ignem. vnde propter hoc humidum prohibet siccum a sua separatione, et propter hoc siccum prohibet humidum a sua fluxibilitate. Aer verò circumdat aquam, & clarificat eam, vel rarificat terram, & tingit vel figit ipsam, vt sit apta ad extensionem, & fusionem. Ignis autem totum compositum maturat, subtiliat, rubificat, permiscet aerem, & consolidat, ac terræ & aquæ constringit frigiditatem, vt ad incolumis redeant æqualitatem complexionis. Elementa ergo grauia, vt terra & aqua plus iuuant ad fixationem, & tincturam. Non comedas ergo quod non bibas, sed comede vnum post aliud secundum rationem: quia caliditas maior facit corpus siccius, quam oportet. Non sis prodigus, non auarus, sed moderata pondera serues secundum æqualem & inæqualem complexionem. Intellige ergo quæ dixi, quia nihil omisi quod est verum.

De fixatione Elixiris in compositione ad album, et de reductione aque. Cap. XXV.

Illumina corpus antequam imponas animam, quia corpus nisi sit ablutum, non retinet spiritum. Sit ergo potus post comestionem, non autem comestio post potum: alioquin facies ventrem humidum, & non recipiet siccitatem: bene ergo fige, bene commisce, & bene tinge, & sic totum habebis magisterium. Iccirco ciba tres partes purissimæ Lunæ minutim limatæ cum duplo sui mercurij albi, terendo totū insimul fortiter in mortario porphyretico, donec mercurius imbibat limaturam, & fiat quasi butyrum, ita quod nihil inueniatur de limatura. Hinc ablue fortiter cum aceto & sale communi præparato, donec acetum inde purum exeat, & clarum: tunc ablue salem cum aqua dulci, & clara, & ad ignem siccata. Abhinc verò adde prædicti sulfuris sublimati, & congelati albi partem vnā, conterendo insimul totum, donec redeat quasi corpus vnum: Deinde incera ipsum cum vna parte ipsius, scilicet suæ aquæ, & mitte ad sublimandum, vigorando semper ignem, paulatim, & pau-

latim, donec sublimetur quicquid fuerit ex eo volatile, deinde infrigidatū extrahe, & quod ad latera vasis superuolatū fuerit cum aliqua parte suæ aquæ reduc super fæces suas terendo, imbibendo, & assando, donec fiat sicut pasta, & remitte ad sublimandum: ita continūe reitera contritionem, & imbibitionem, assationem, & sublimationem: vigorando semper ignem, donec figatur terra cum duplo sui de aqua, & nihil penitus sublimetur ab ipsa, & reducas semper quod superius ascendit super illud, quod inferius remanet fixum, quovsq; totū figatur deorsum. Nam sulfur fixum cum sit coagulatis coagulatium, naturaliter congelat suum mercurium per frequentem sublimationem, vel sublimationis reiterationē super ipsum. Exēplum aut huius est terra & aqua, & cum aqua cōmiscetur cū terra, ipsa terra absorbit aquā sua siccitate, & inspissat eam aquā sua densitate, & eam facit sibi similem sua grossitate: quoniam omne siccum naturaliter appetit suum humidum, & in suis partibus fit continuatim. Vnde oportet experimentatorem istius scientiæ ad plenum cognoscere vires nature & eisdem firmiter adhærere: quoniam natura sufficiens est tibi vel sibi, & similiter in omni quo indiget eadem sui perfectione. Ipsa siquidē cum sit sagax, est sollicita in creatione sui corporis, cuius sollicitudinis non est finis. Sufficit ergo vobis carissimī naturā sapienter disponere extrinsecus: quoniam ipsa sufficēter intrinsecus disponet ad sui operationem. Motus siquidem ipsius sint adhærentes sibi viæ vni modo meliori & certiori qui possit excogitari, vt patet ex creatione cuiuslibet generati. Idcirco tardamentum & præparamentum debent esse in magistris philosophorum, & oparantium: quia natura motum præterire non poterit, nisi per contrarium impedita fuerit. Certum nanque tempus est, quod ipsa habet ad imprægnandum, pariendum, & nutriendum, ac operandū. vnde cum terram habueris imprægnatam, expecta partum. Cum verò pepererit filium, nutrias eum quovsq; possit tolerare omnem ignem, & tunc poteris facere projectionem de ipso.

De reductione aeris super Elixir ad album.

Cap. XXVI.

Igitur cum aqua fuerit fixata tere, & imbihe eam imbibitione rorida cū vna parte aeris sui, & pone ad sublimandum, faciens sub eo ignem primò lentum, postea fortiolem, quovsq; per continuam sublimationis reiterationem totum figatur deorsum: tunc per diem ac noctem facies sub eo ignem fortem. Secunda die cum sua nocte fortiorē: tertia die cum sua nocte fortissimum, sicut est ignis fundendi. Sic enim aer figetur cum aqua & terra, quia natura lætatur natura, & natura docet naturam præliari contra ignem per se combustibilem. Nam fugienti obuiante perit fuga, quoniam auis plumata detinetur ab implumata deorsum in terra.

De inceratione Elixiris albi.

Cap. XXVII.

Ahinc ergo extrahe de lamina crystallina, quam in fundo reperies lucidam drachmam, id est tere, & cera inceratione vltima guttando super ipsam guttatim in tenui crucibulo super ignem leuem de suo aere albo iam dicto, donec fundatur sicut cera sine fumo. Tunc proba super laminam ignitam si se resolverit velocissimè, sicut cera cerata est. Si verò non, reduc ipsam ad cerandum guttatim de oleo suo albo, donec fundatur vt cera sine fumo. Et hoc quidem est præceptum omnium philosophorum, vt cum per sublimationes fixaueris mundissimam terræ partem: reiteres sublimationem residuæ partis non fixæ super eam fixam, donec ipsa similiter figatur. Hinc tenta super

per ignem: si bonam dederit fusionem, tunc sufficienter sublimationem reiterasti: si verò non, reitera super illam vicem non fixæ partis sublimationem, donec fundatur citò, sicut cera sine fumo: tunc extrahe, & in frigidari permitte, quoniam est Elixir completum, impreciable precium conuertens omne corpus diminutum in infinitum, Solificum & Lunificum verum. Projice ergo vnum pondus de eo, super mille partes mercurij cum sale & aceto abluti, & fiet pura Luna melior quam de minera. Sic etiam si super imperfectorum corporum vnuquodque fuerit de eo proiectum, in verissimum transfertur argentum. Modos itaque huius compositionis verissimi Elixiris tradidi vobis. completo sermone: ad quam per illos potestis peruenire indubitanter. Solicite ergo ad hos ingenieris modos regimini exercere, & eorum virtutem ad vnguem inuenies. Quod quidem nec per se, nec forte ut putas, miraculose, sed arte perficitur in operatione. Operare ergo quodcunque volueris, quia ultra consilium istud non possum aliud dare.

De compositione Elixiris rubei. Cap. XXVIII.

Eodem modo fit Elixir rubeum ad Solem, sicut album ad Lunam. Pro quolibet re alba ponas rubeam, & loco limaturæ Lunæ pone limaturam Solaris, & aquam mercurij rubificatam prius cum igne lapidis. Nam in opere lapidis ad rubeum non intrabit nisi rubeum, sicut in opere albo nisi album. Solaris namque medicina non vrentis præparatum sit ad dumentum rubei sulfuris per modum figentem, & calcinantem in triplo fermenti præparati cum astutiae industria. Administrare perfecte per modum solutionis & sublimationis multiplicem, cum reiteratione multa, quousque non fixum cum fixo figatur deorsum: quoniam huius solutionis & fixationis modus est per reiterationem partis residuae non fixæ sublimationis cum fixo ingeniose coniungendi per minima, quousque eleuetur cum ea, & iterato figetur cum illa, ut stet. Cum verò tres partes aquæ sue rubæ fuerint secum, per hunc modum sublimetur vice post vicem cum eo, donec figatur deorsum: & pone ipsam per diem ac noctem in igne tepidissimo, ut melius depuretur & figatur in eo. Hinc extrahe, & cera eum in crucibulo super ignem lentum cum oleo suo rubeo guttando guttatim, donec fundatur, & cera sine fumo cum eo stans & penetrans profundius, tingens & permanens. Projice ergo vnum pondus de ipso supra mille partes Lunæ, vel mercurij abluti cum sale & aceto, & fiet Sol verissimus in omni examinatione, & melior valde quam de minera productus, quia aurum & argentum ipsius Elixiris excedit aurum & argentum minere in omnibus suis proprietatibus. Vnde dicunt philosophi, quod aurum & argentum eorum non sint aurum nec argentum, quod est vulgi: quoniam additur eis additio magna in tinctura, & perseverantia in igne, & proprietatibus multarum utilitatum ad omnem infirmitatem expellendam.

De multiplicatione medicine. Cap. XXIX.

Si verò medicinas istas, cum fixæ fuerint, & datis oleis suis albis, vel rubeis, donec fluxerint, sicut cera dissoluens in mercurio suo albo vel rubeo, donec fiat aqua clara: & postquam in leui decoctione congelaueris, & cum eorum oleis, & sic super ignem denuo ceraueris, quousque fluant, citissime duplicabitur virtus eorum in projectione: & si eas eum solutæ fuerint semel ad minus distillaueris, in centuplo augmentabuntur virtutes earum. Modus verò multiplicationis medicinarum est, ut dissolvas vnumquenque illorum spirituum in aquam suam per inhumationem singulariter: postea separa oleum earum per distilla-

distillationem: primò recipies aquam, postea oleum, deinde ignem. Et remanebit terra deorsum. Reduc ergo aquam per sublimationem super terram, donec bibat eam, scilicet aquam totam, & figatur cum ea: deinde imbebe eam ex oleo & tinctura, donec figatur in ea, & etiam fundatur sicut cera. Proijce ergo supra quod vis corpus, & ex eo tantum quantum vis: quoniam in duplo multiplicabitur tinctura eius. Et si vna pars sui primò conuertit cum suis corporibus centum partes: secundò conuertit mille: tertio decem milia: quarto centum milia: quinto mille milia in solificum & lunificum verum. Vnde est notandum, quod quanto plus soluitur medicina, & sublimatur, & congelatur: tanto melius & abundantius operatur: quoniam in omni sua imbibitione & sublimatione acquirit sibi decem in projectione. Non ergo est fastidium in reiteratione solutionis, sublimationis, & coagulationis: quoniam per eas medicina melius digeritur, vnitur, figitur, ac perfectius operatur.

Quomodo debemus intelligere solutionem, sublimationem, & coagulationem. Cap. XXX.

Veruntamen non putes me docere solutionem hanc, ut Elixir reducat in aquam, sed ut subtilies ipsum in quantum potes, & diuidas suas partes in solutione coniunctas, suumque siccum conuertas, & humidum, & grossum in simplum: quoniam opus solutionis inuentum fuit ad sublimandum, & non propter aliud. Vnde coniunctio corporum cum spiritibus fit cum dissolutione, & non cum sublimatione: quia corpora non indigent nisi sublimatione, ut melius cum spiritibus coniungantur. Eorum verò sublimatio est in aquam dissolutio: quia distillatio trahit lapidem de potentia ad actum, eo quod facit omnino eum subtilem. vnde cum corpus totaliter subtiliatur, spiritus vniuersaliter cum eo coniungitur, & non per aliquod ingeniorum genus ab inuicem separatur: quoniam confirmatio spirituum cum corporibus fit, cum corpora fiunt subtilia, ut retinere possint spiritus. Et ideo qui corpora poterit separare cum prima sublimatione, finem consequitur optimum: quoniam in coniunctione spirituum cum corporibus tota debet esse intentio operantis. Et coniunctio eorum, scilicet spirituum fit, cum corpora subtiliantur ut spiritus, & corpora fiunt subtilia per dissolutionem, contritionem, & assationem eorum cum spiritibus. Intellige ergo quae dixi, quoniam utile est totum, & nihil superfluum est in dictis meis. Si vero non intellexeris, itera lectionem multoties, ut totum intelligas. Vide ergo, & intellige, & secundum ea operare: quoniam quicquid diximus, à linea veritatis (vivit Deus, in nullo deficientes) deprehendes non declinare. Quare, nisi despicias, nec labor priuabitur fructu. Idcirco si vero suprascripta non intellexeris, non me reprehendas, sed tuam ignorantiam calumniaris: quoniam infortunatus es sicut ille cui nunquam Deus aliquid tribuit, vel concedit boni.

De modo faciendi projectionem.

Cap. XXXI.

Sed quia graue est mille millium partes simul fundere. Cum volueris projectionem facere, hoc modo facies. R. centum partes mercurij cum sale & acetum abluti, & pone in crucibulo super ignem. Cum autem coeperit feruere, pone vnam partem tui Elixiris dicto modo praeparati super centum partes illius mercurij abluti, & fiet totum medicina super alium mercurium ablutum. Deinde proijce vnam partem medicinae istius congelatae super centum partes mercurij abluti in crucibulo feruentis ad ignem, & fiet adhuc totum medicina. Postea pone vnam partem istius medicinae ultimo congelatae super centum

tum partes mercurij abluti, & fiet totum aurum, vel argentum in omni iudicio secundum quod primum fuerit Elixir rubeum vel albū, supple præparatum, et ut dictum est, compositum. Et hoc quidem est Rosarius philosophorum ferēs odoriferas rosas tam rubeas, quā albas extractas breuiter à libris ipsorum, nil habens superfluum, vel diminutum, in infinitum perficiendum in Solificum & Lunificum verum, secundum quod Elixir fuerit præparatum. Sic etiam habet virtutem efficacem super omnes alias medicorum medicinas, omnem sanandi infirmitatem tam in calidis quā in frigidis ægitudinibus, eo quod est occultæ & subtilis naturæ, conseruat sanitatem, roborat firmitatē, & virtutem: & de sene facit iuuenem, & omnem eorum expellit ægitudinem: venenū declinat à corde, arterias humectat, contenta in pulmone dissoluit, & vlceratum consolidat, sanguinem mundificat, contenta in spiritualibus purgat, & ea munda conseruat. Et si ægritudo fuerit vnus mensis sanat vna die: si vnus anni, in duodecim diebus: si verò fuerit aliqua ex longo tempore, sanat in vno mense, & non immediate: hæc medicina super omnes alias medicinas, & mundi diuitias est oppidò perquirenda: quia qui habet ipsam, habet incomparabilē thesaurum.

De recapitulatione totius magisterij.

Cap. XXXII.

PErtractatis igitur regiminibus totius huius summi operis secundū exigentiā sui sermonis cum causis omnibus sufficientibus: restat breuiter vt teneatur memoriale totum, recapitulare sub completa breuitate sermonis. Dico ergo quoniam totius operis intentionis finis est, vt sumatur lapis in capitulis notus, & cum operis instantia assidue tur super ipsum opus sublimationis primi gradus, vt à corruptibilitate mundetur, & ab impuritate purgetur. Demum cum eo soluto per ipsius additamentum album vel rubeum, donec in vltima sublimitatis materia perueniat, & vltimo volatile fiat. Abhinc verò cum fixationis modis figatur, donec in ignis asperitatem quiescat: demum verò fixum lapidem cum non fixa parte seruata per modum solutionis & sublimationis volatilem facias, & volatilem fixum, & fixum solutum, & iterato volatilem: ac iterato volatilem fixum, quousque fluat, & alteret in cōplemento Solifico & Lunifico certo. Et in hoc completur arcanum preciosissimum, quod est super omne huius mundi arcanum impreciable precium, & omnium philosophorum thesaurus. Iccirco, carissime domine, exerceamini ad illud cum laboris instātia maximè in diuturnitate meditationis immensæ: quoniam cum illa Elixir completum inuenies, & sine illa nūquam. Modos verò ipsius cōpleto sermone vobis superius dedi, non sub ænigmate, sed sub plena sermonis serie, discretionē vestram lucidè alloquendo: quoniā teste Deo sic libris philosophantibus omnibus, & cunctis scientibus, nihil in hac arte inuenimus melius, nec perfectius quā in ista breuitate suprascripta, tamen truncata: quamuis intelligentibus satis sit prolīxa. Et qui habes istum librum, in sinu tuo reconde, nulliq; ipsum reueles, nec manibus impiorum offeras: quia secretum secretorum omnium philosophorum plenariè comprehendit: talis si quidem & tanta margarita non est porcis & indignis largienda, quoniam est donum Dei magnum, & Deus cui vult largitur ipsum, & aufert. Quapropter carissime, qui habes istum librum digito compeſce labellum, filius existens philosophorum, secretè reseruans

Rosarium philosophorum, vt meritò merearis dici, & esse de numero sapientum antiquorum,



PATER & domine reuerende: licet liberalium existam scientiarū ignarus, studioq; non sim assiduus, nec in statu maneam clericali: voluit Deus tamen, sicut cui vult inspirat, mihi quamuis immerito secretum præcellens philosophorum reuelare. Et quoniam exigunt vestra nobilitas, probitas, prudentia, larga manus: vt quædam modum assiduè profundæ scientiæ perscrutando, non recusastis labores, sumptus, & studia diuturna, sic & vberem fructū: ex qua in agro philosophiæ funditus arbore consequamini Dei dono. Ea propter nostra prudentia desideratum lapidē, siue Elixir occulta fide probum, per virum mihi à Deo institutum, ostensum, eiusq; regimen: vt vidi, feci, & tenui, reserabo: sciens quod visis & intellectis quæ scribo, liquidum erit vestro ingenio perspicaci, quod ego Dei nutu secretum noui vulgariter ignoratum.

Hic incipit tractatus, in quo nominat Lapidem Philosophorum.

Cap. I.

Intellige ergo dictum philosophi, Quod actus actiuorum in patientis sunt dispositione, per quod intelligitur Elixir fieri nō posse, nisi ex materia ad hanc perfectam dispositionē habente. Testificor aut vobis huiusmodi habilitatē inesse materiei, ex qua meis manibus, testibus oculis, per alienam tamē, vt præ dixi doctrinam factum fuit Elixir, Saturnum conuertēs in Solem: quam quidē materiam iam vobis nominaui, quod est philosophorū magnesies, de qua philosophi extraxerunt aurum in corpore eius occultū: et in qua arg. viu. de arg. viu. & sulfur de sulfure inuenerunt, quæ est lapis in similitudine, & actu: sed in natura non imitatur naturas lapidis. Quare dicitur lapis nō lapis, & ex mista tabesci. dictum arg. viu. nostrum, non arg. viu. in propria natura, nec adhuc in natura, ad quam deductum est per mineram: sed arg. viu. nostrum in natura, ad quam deducit illud artificium nostrū. Istud est æs nostrum, ex quo fit tinctura vera, ex quo fit Chabrichim, & Veyæ coniugiū, in quo est rex cum sua vxore: & hæc quæ ipsos emendant in ipso ære sunt, vt per operationis documentum clarius patefiet. Iste est spiritus quo tingimus, & est corpus de quo in Turba dicitur: & ista via quæ dicitur arg. viu. nō habet ex corporibus liquefactis liquefactione vulgari: sed ex illa, quæ durat quandiu coniuges vero matrimonio vniuntur, scilicet vsque ad albedinem. Hic est lapis, qui in vertice montiū inuenitur. Et dicitur meritò mineralis: animalis etiam fertur esse, quoniam animam habet. Quare dicitur in Turba, æs, vt homo, corpus habet & animam. Item omne quod habet spiritum, habet & sanguinem. Item dicitur spiritus, id est arg. vi. lator virtutum animæ, id est sulfur per corpus & æs, id est magnesias, siue terræ, quæ spiritalis facta dicitur aurum, quod erat in corpore magnesias occultatū. Quare dicitur, Fili extrahere à radio suam vmbra. Patet etiam quod applicari sibi potest anima cum quædam ostendat animæ virtutes. Mouet enim & mouetur, agit & patitur. Quare in Turba, O natura qualiter omnibus imminet, ac omnia superat. Et est acetum acerrimum, quod fecit aurum esse merum spiritū & cum corpori admiscetur, fiet vnum cum eo, & vertit ipsum in spiritum. Cū enim dicatur animal, ergo vegetabile quid dicetur, & meritò. Nam in operatione vegetabitur de virtute in virtutem subtiliando, depurando se, & colores in se meliorando, vsque quo optatum assumat ruborem, in quo est perfectio, virtutemq; penetrandi capiat, & tingendi. Hoc autem animal herbel, crocos, vel croceum lapidem vegetabilem nutritum in montibus errantes plurimi nō cognoscunt: venditur autem palam minimo precio.

L.

Lapidis mundificatio, antequam ponatur in decoctione. Cap. II.

HOc opus quod vestro intellectui demonstravi purum, mundum, amœnum, syncerum, rectum, in tenues laminas coaptatum se ostendit, quod per ignis liquefactionum modos à minerali grossitie expurgatum, eleuationum modis subtile fit, relictis quibusdam sulfureitatibus adustionis, & terrestreitatibus, & tenui fortique vnione permistis, & quibusdam humiditatibus corruptentibus exhalatis. Cuius subtiliationis signa sunt duo: vnum quidem quod eleuatus est spiritus citrinus, minus durus lapis factus, aliquantulum per spicuitatis habens: aliud verò quod remansit in vasis fundo terra tenuis, & nigra. Aduertatur autem ad hoc, quod in hac eleuatione, si rectè fiat, quoddam permanens inuenitur, quod debet per vim adduci superabundanter volatilis eleuati, & parti quæ residet ex eadem, quod eleuatum est, reddi debet, donec fugiens totum fiat. Et tunc terra nigra prædicta remanet ex ambobus in lapidem prædictum durum citrinissimū iam conuersum. Non autem contentemini de volatilitate prædicta, donec inueniatur quod tota massa lapidis prædicti igne eleuati reddita in suo vase per eundem continua: cum ignis prædicti gradus continuè ascendat: sic quod nihil in profundo mundum nec sordidum residueat ex eadem. Dum verò sic perfectissimè eleuabitur, adimplebitur in operis philosophici perfectione, quam iubet scriptura, dicens: Suauiter cum magno ingenio ascendit à terra in cælum. Item scitote, quod cum corpori admiscetur sit vnum cum eo, & vertit ipsum in spiritum. Et Geber idem præcipit in capitulo de tertij ordinis medicina: & omnes Philosophi idem clamant: & hoc opus à philosophis nominatur Ablutio, per quam achilesue: quoniam! in eleuatione vterque ascendit in fumum seu fumi speciem. Et quia etiam liquatur hæc materia dum ascendit, patet eam esse de natura aquæ calidæ. Namque liquatur & frigidus coagulatur: & cum à superfluitatibus denudatur, abluatur, imbibitur aqua sua, scilicet spiritu prædicto ab eodem germine procedente. Hæc est ergo philosophica dissolutio, quæ fit igne.

Decoctio primi gradus usque ad albedinem. Cap. III.

ISTud igitur rotundum spirituale factum, quod æs vertit in quatuor, balneum temperatum ingredi, sed per quod corpus sit suaue, atque continens ignem leuē qui humiditatum est corruptentium consumptiuus. Fieri ergo debet furnus talis dispositionis, quod in eo lentus ministretur ignis, qui augmentari non possit, & vas materiam capiens vitreum, debet esse coopertum ferreo vase eiusdem formæ scisso per medium: & debet esse vas longum cubito vno, strictum in summitate, vt strictura nihil permittat exhalare de spiritu: & longitudo fumos precipitet, si quos eleuari contingat, & humiditates corruptentes infra se consummat. Quorum furni & vasis querendum est Liliij visio, non scriptura: & debet calor vas vndique circuire: ita vt æqualitas vndique sit caloris, alias frustra balneum diceretur. Et vt in furni summitate debet esse foramen, per quod exire debet frustum vnum vitri rotundum, & longum claudens orificium dicti vasis, in cuius frusti tactu cognoscitur, si calore congruo materia decoquatur. Et si forte aliquis fumus infra vas iam dictum ascendere videatur, non permittit ipsum dokis dispositum exhalare, quantūcunque vas etiam teneretur apertum. Quare dicitur à Gebero, nunquam vnum ab alio verè separatur: licet quo ad visum segregari vel separari superficialiter videantur. Nec vnum sine alio esse potest. Nam sui spiritus temperati sunt per viam naturæ perfectæ, in tantum, quod ab in-

Cōpositio furni.

F

uicem nō separantur. In hoc autē gradu caloris materia nigra efficitur: quoniam nigredinem efficit in humido calor agens. Quare in Turba dicitur: Videns autem nigredinem illi aqua imminere, scito iam corpus liquefactum esse. Itē primò in opere omnia denigrantur. Iste verò furnus ideo fit, vt caueatur ab igne nimio, quoniam intrusus calor perire facit, & compositum segregari. Et ideo temperato debet igne prosequi. Decoquitur, sicut puer lacte nutritur, & in hoc omnes conueniunt: Et hoc etiam ostenditur in practica de diuersis coloribus sub nigro colore contentis.

De gradu ignis aduenta nigredine.

Cap. IIII.

QUum verò totum est nigrum, cōtinuetur ignis eiusdē gradus, donec albedo in ventre ipsius occulta appareat: nā sic approximat fixum. Notandum autē q̄ ipsa nigredine multi colores apparent, de quibus non faciunt Philosophi mentionem. Nam quandoque totum fit viride, quandoque liuidum, quandoque violacei coloris, quandoque etiam ex vno latere vasis est viride, ex alio nigrum, vel liuidum intus, & viride extra. Hi tamen colores omnes sub nigro comprehenduntur. Et quoniam in eis nulla perfectio essentialis existit: ideo Philosophi principaliter tantum inter ceteros colores nominant tres, videlicet, quæ virtutes dicuntur animæ, scilicet nigrum, album, & rubeum. Quare in Turba: Veneramini regem, & suam vxorem, & nolite eos comburere, ne fugietis eo nimio igne: quoniam nescitis quando indigetis his qui regem & suam vxorem emendant. Coquite eos, vt fiant nigri, deinde albi, deinde rubei, deinde tingens fiat venenum. Item fiat lapis albus combustione, & humore, seu liquefactione. Per aquam dicitur sequi mortificatio, quæ apparet in nigredine. primò apparentiæ, in qua mortificatione vniuntur spiritus, id est desiccantur, quia nisi corpora desiccetur, non apparent colores animæ, quæ nigredo, & nubes appellantur. Item magnesies cū dealbatur, non permittit spiritum fugere, quia natura naturam continet: humiditas ergo quæ curabat in decoctione nigredinem, se desiccata ostendit, dum calor albus incipit apparere. Nam in transmutatione nigredinis vidi, antequam perfecta dealbaretur, fuscā albedinem, quæ brunus color vulgariter dicitur: quæ brunicies, vera albedo postea efficitur. Tunc autem durante brunicie magister meus fregit vas, & lapidem, & inspexit eum intus & extra, & inuenit brunum extra: intus autē erat adhuc nigredo. Cuius causam mihi assignauit, quod videlicet partes materiæ vasis lateribus adhaerentes, magis senserāt calorem sibi propinquum, q̄ materia mediana: ideoq̄ citius in colore coeperant transmutari. Et dixit mihi, quod ista brunitas ascendebat, quod albedo extrahebatur à nigredinis eius ventre, sicut in Turba dicitur: Quū enim videris ipsum natum, scito quod albedo ipsius in ventre nigredinis primò apparentis occulta est: Et tunc te oportet illam nigredinem extrahere ab illa nigredine subtilissima eius. non autem miremini, quia adhuc materiam hanc voco lapidem. Nam sciatis quod quandiu durat albedo, & etiam assumpta rubedine, per longū tempus stat durus, & in maiore fortis speciem residet, quovsq̄ decoctionis continuatione per se ipsam incipit dirui, & aliquantulum eleuari.

Decoctio secundi gradus usque ad rubedinem.

Cap. V.

QUum igitur sic dimiserit hic lapis nigredinem, mutatur gradus ignis, & ponitur in alio furno subtilis dispositionis, in quo fortior adhibeatur decoctio: Calefacientes vas & materiam circumquaq̄, & ibi decoqui debet. Nam tunc suscipit veram albedinem, cum qua ibidem coquitur tandiu, donec

donec albedine transmutata ruborem assumere videatur. Cauendum est autem quod iste ignis non sit intensior, quam ad suum gradum spectet: nam in illo albo colore corpus & spiritus sunt vere coniuncti. Et si daretur decoctio in excessum ultra debitum sui gradus, separarentur vnita. Quare in Turba dicitur, Coquite & caute, ne in fumum vertantur, & pereant. Citrinatur autem quando de albo colore in rubeum transmutatur. Citrinus autem color est medius inter album & rubeum. oportet ergo eum prætendi ante rubedinem veram. Et de hac practica loquuti sunt philosophi, dicentes: Spiritus & anima non vniuntur nisi in albo colore: quia tunc omnes colores qui in mundo excogitari possunt, apparent, & firmanur: & tunc in vnum colorem, scilicet albedinis, conueniunt. Dealbatio enim est totius operis fundamentum: nec inde variatur in diuersos colores, videlicet veros, præterquam in rubeum, in quo est finis vltimus. Citrinatio enim quæ fit inter album & rubeum, non debet dici color in perfectione. Approbantur autem per hæc omnia, quæ prædixi: quæ etiam vera esse mihi facti experientia demonstrauit.

Decoctio tertij gradus usque ad calcinationem.

Cap. VI.

ET dum rubescere incipit, ponitur ad decoquendum in alio furno fortior rem adhibendo ignis gradum, donec intus & extra vera rubedine perfruatur: Cuius signum est dirutio, & pereleuatio supradicta, de quibus in Turba dicitur: Post albedinem autem non potes errare. Nam igne augmentato, post albedinem ante rubedinem ad citrinationem peruenitur. Item, videns autem illam albedinem supereminentem, esto ratus, quod rubor in albedine illa occultus est: & tunc oportet illud extrahere, verum coquere quousque totum rubeum fiat. Et si vobis dubium relinquatur, quare albedo à nigredinis ventre extrahitur, rubedo autem non extrahitur ab albedine, licet sit rubeum decoquendo, declaro vobis hoc modo: quoniam durante nigredine, materia remanet, & est humida in natura, quæ humiditas se ostendit apparente albedine de sicari. Et nunquam etiam apparet albedo, donec humiditates corruptentes sint omnino consumptæ. His ergo duabus de causis dici potest, quod albedo à nigredine extrahitur: dum autem rubescit, nihil deuastatur, sed tantum coquitur, & decoctione forti color rubeus incommutabilis apparet, in quo est perfectio. Quare in Turba, Ex composito in spiritum rubeum verso fit mundi principium. Ite spiritus tingens, & viuificans intromittitur: postquam recessit humiditas corruptens, non alitur quod est peruentum ad dealbationem, seu ad albedinem: hoc ergo colore rubeo apparente, natura sui perfectionem ostendit occultam.

Calcinatio in qua vltimus gradus figendi completur. Et tunc spiritus corpus est uerè factum, uerè permanens, et fugitiuum figens.

Cap. VII.

Postquam hæc materia rubeum habens colorem, dirui & eleuari incipit, ponitur ad calcinandum per flammam fortem reuerberiolem iam in terreo vase, in quo ignis gradu fixio completur, & permanens efficitur vera atque perfectissima fixione. Quare Geber ait in capitulo de Calcinatione, quod spiritus calcinantur, ut fixationes fiant, & melius dissoluantur. Et in capitulo etiam de tertij ordinis medicina ipsam incipit calcinari. Et debet in ignis calcinantis rigore permanere, donec puluis tactu impalpabilis fiat, intensissimum habens ruborem. Quare in Turba sic dicitur: Scitote quod cum cinis est, optimè misce-

F 2

tur, eo quòd cinis ille recipit spiritum, & inclusus est ille humor per interiorem ignem, quovsq̃ue croci sicci, vel combusti sanguinis, vel syrupi granati colorẽ assumat. Item cum aqua introiuit in corpus, vertit ipsum in terram, deinde in puluerem, siue cinerem. Si vultis apud perfectionẽ experiri, manu accipite: si enim impalpabilem aquã inueniatis, bene est, sin autem iterate. Hic autẽ cinis rubicundissimus, impalpabilis in se ipso: eleuatur etiam, crescit in modum fermenti, & separatur ab eo in calcinatione prædicta terra nigra subtilissima, & perlucida, quæ in fundo vasis est, sub dicto puluere rubeo reperitur: vnde dicebat mihi magister meus, Apparet perfectionem fixationis in hoc existere duabus de causis. Vna quidem, quia per fixationem, & per calcinationis ignem introducit parua quantitas huius Elixir super multas quantitates non permanentes corporis, proiecta confirmat in eis auri fixationem, quod non faceret nisi in ea fixio superabundaret. Alia verò, quia terra nigra prædicta in calcinatione separatur à cõmissto, quæ aliàs fuerat in toto opere inseparabilis, propter fortissimam vnionem: & ideo necesse fuit per fortissimum artificium separari. Et si remaneret commista propter sui impuritatem, impediret puræ materiæ ingressum.

Cinis per calcinationem factus fusibilis, & iterato lapis, qui est Elixir completum
Cap. VIII.

Cinis verò iste caret fusione: qualiter autem ingreditur, vt tingat certè liquefactio sibi redditur, siue sudor per modum à philosophis traditum. Quis ergo modus est iller: est ne in aquam soluendor certè non: quia philosophi non curant de aquis tangenti adhærentibus, & id humectatibus. Quare dicitur in Turba, Incipientes autem audientes aquam, putauerunt eam esse vulgi: quòd si nostros libros legissent, scirent vtique aquam esse permanentem. Quæ ergo aqua est verè quæ tangenti non adhæret, sed superficiem discurrit, nihil humectãs, sicut arg. viu. Quis ergo faciet talem aquam: Certè dico, quòd ille, qui scit facere vitrum. Hæc enim materia nihil aliud, quàm de se ipsa vult sibi adiungi: nam omnia quibus indiget in se habet. Et si bene excogitetur quæ prædixi, scietis ex hoc cinere habere lapidem rubeum in intenso colore parum perspicuum habentem, frangibilem, cum modico ictu fusibilem, penetrantem, ingredientem, & perpetua citrinatione tingentem: cuius vnum pondus centum milia, & plus Saturni conuertit in Solem. Est autem in projectionis modo subtilitas, qua ignorata, Elixir tenens non proficit ex eodem.

Conclusio totius Epistolæ. Cap. IX.

ERgo pater non mireris, si in hoc opere multi errant: quoniam iuro tibi me nunquam vidisse quenquam præter magistrum meum, qui in debita applicaret materia opus suum, sed conantur ad impossibilia in materijs: ac si de cane crederent hominẽ generare. Quid mirũ ergo si reddantur in operibus mendaces? Nam lapide ignoto in practica operis, dubia subtilissima multa restant: verè autem credatis, quòd in libris suis posuerunt philosophi veritatem: sed post mortem scribentis cuiuslibet, scriptum eius quandoque est ab aliquibus male intellectum: quod tamen ipse si præsens esset, & speculatiue exponeret iuxta verbum, & uerificaret opera per effectum. Ego autem vestræ prudentiæ per omnia exposui totum opus, & per dicta philosophorum aliqua probauĩ: licet pauca curauĩ allegare, quæ ex causa omisi: quoniam præsumo quòd vos scripta philosophorum omnia in scrinio vestri pectoris includitis.

sistis. Et sic nō dubito, quōd dictis meis ea omnia applicaueritis per vos met, sicut ego per experiētiā, quam vidi, scripta sapientum intelligo, aliās non noturus. Et si circa hæc breuiloquio vobis fui, hoc ideo: nam in vobis tantū præsūmo scire fundamentum, quōd vobis non latebit intentio huius rei. Et sufficit mihi, quōd vobis meus patet intellectus, & non mecum migrare queat huiusmodi veritas ab hac luce. Ob paternitatis vestræ reuerentiam Nouū hoc lumen edidi super ea: quoniam inter mundi cæteros vos elegi, hac re meo iudicio digniorem. & Altissimus vos peruenire faciat ad optatum.

EPISTOLA MAGISTRI ARNALDI DE VILLA
NOVA SUPER ALCHYMIAM AD REGEM
Neapolitanum.



SCIA S, O tu Rex, quōd sapientes posuerunt in opere multas res, & multos modos operandi, scilicet dissoluere, & congelare, & plura vasa & pondera, quod fecerunt ad excæcandum ignorantes, & ad declarandum intelligentibus opus prædictum. Et nota, ò tu Rex, quōd sapientes denunciauerūt opus sub breuibus verbis, licet plura verba alia posuerint, & adiunxerunt, vt non intelligeretur, nisi per sapientes. Sapientes verò dixerunt, quōd est vnus lapis, qui ex quatuor naturis est compositus: quæ quidem naturæ sunt, ignis, aer, aqua, & terra. Qui quidem lapis est lapis in similitudine, & in tactu, non autem in natura: & vocatur lapis, siue compositum quoddam. Compositum dum est ductum per viam rectam, est id quod quæritur, in quo nō est aliquid superfluum, vel aliquid quod desit, imò omnia quæ sunt in lapide, sunt ei necessaria, & nullo alio indiget: & quod dictum compositum, siue lapis est vnus naturæ, & vna res: quæ quidem res in decoctione ignis habet diuersos colores, antequam fiat lapis albus perfectus. Et nota, ò tu Rex, quōd vbi magis dictus lapis stat in igne, tanto magis augmentatur de virtute & bonitate, quod in alijs rebus nō est ita: quia omnes aliæ res in igne comburuntur, & amittunt humiditatem radicalem. Dictus verò lapis totus solus in igne semper melioratur, & crescit eius bonitas, & ignis est eiusdem lapidis nutrimentum. Et istud est vnum de euidentibus signis ad cognoscendum lapidem ipsum, quod intellige bene. Quod compositum, siue lapis diuiditur ante operationē duobus modis: primo corporaliter, alio spiritualiter, & vnū exst ab alio, & est vnitū, & regitur vnum cum alio, & vnū meliorat aliud. Et philosophi nominauerunt vnum masculinum, & aliud foemininum. Et nota, ò tu Rex, quōd quando philosophi nominauerunt arg. viu. & magnesiā, dicentes, Congelat arg. viu. in corpore magnesiæ: quod ipsi nō intellexerunt de arg. viu. vulgari, quod videtur, sed intellexerunt quōd arg. viuū est humiditas dicti lapidis: & quia magnesia non est illa, quæ videtur vulgariter: sed magnesiā vocauerunt totum compositum, in quo est tota dicta humiditas, quæ est arg. viu. quæ quidem humiditas non est sicut aliæ humiditates: quæ quidem humiditas currit in igne, & in eodem igne totum compositū dissoluit, congelat, denigrat, dealbat, & finaliter rubefacit & perficit. Et nota, ò tu Rex, quōd in opere non ponuntur plura, sed vna res duntaxat: nec oportet aliqua fieri trituration manuū, nec aliquid apponi debet cum dicto lapide. Et nota, ò tu Rex, quōd terra alba vocatur lapis albus perfectus, & terra rubea vocatur lapis rubeus perfectus: quæ quidem terra alba per regimen dicti operis absque adiutorio alterius rei conuertitur in rubedinem. Aqua verò, siue arg. vitum vocatur humiditas, quæ est in dicto lapide. Et nota, quōd aqua, siue hu-

miditas dum exit de cōpositione, siue lapide, versa fuit tota cōpositio nigra
 in fundo vasis, & sic continuando ignem, ipsa nigredo in qua humiditas verti-
 tur in diuersos colores, & finaliter in albedinem: quæ quidem humiditas vo-
 catur etiam aer: qui aer, seu humiditas miscetur cum terra sua, & cum alijs ele-
 mentis in ipso lapide existentibus, donec fiat vnum quid album. Et nota, ò tu
 Rex, quòd dicta humiditas aerea, quæ est arg. viu. est vna res cū terra sua præ-
 dicta, & alijs elementis in dicto lapide persistentibus. Quæ quidem humiditas
 licet sit pauca, est sufficiens ad nutriendum, & ad perficiendum totum lapidē,
 à quo est ipsa humiditas. Et est sciendū, quòd in dicta cōpositione seu lapide
 sunt Sol & Luna in virtute & potentia, ac elementis in natura: quia si hæc non
 essent in ipso composito non fierent inde Sol, neque Luna: & tamen non est i-
 pse Sol, sicut Sol communis, nec ipsa Luna, sicut Luna communis: quia ipse
 Sol & Luna existentes in dicta cōpositione, sunt meliores, quàm sint in ipsa
 natura vulgari, eo quòd Sol & Luna dicti compositi sunt viui, & alijs vulgares
 sunt mortui: habito tamen respectu ad ipsum Solem & Lunam in dicto lapide
 existentes, vt est dictum: licet philosophi nominauerunt ipsum lapidem Solē
 & Lunam, ad finem illum: quia in ipso lapide sunt potentialiter, non autem vi-
 sibiliter. Et est sciendum, quòd ipse lapis, siue compositum vna est res dunta-
 xat, & vnius naturæ, & in ipso est totum illud quod est ei necessarium: & in ip-
 so est id, quod eum meliorat, & illud quod ipsum complet: & non est istud cō-
 positum quod est vnum, videlicet opus aliquorum animantium, seu animalium;
 seu vegetabilium: sed est natura munda, & clara de suis proprijs mineris, quæ
 transmutatur per regimen ignis, & putrescit, & nigrescit, & albescit, & rubescit
 & ad plures alios colores deuenit. Et nota, ò tu Rex, quòd humiditas prædi-
 cta, quæ est arg. viu. est corruptio ipsius lapidis: quoniam ipsum lapidem nigre-
 scere facit, & finaliter ipsum lapidem dealbat. Et nota, ò tu Rex, & scias, quòd
 philosophi dixerunt, Fundatis corpus, & assetis eum, donec conuertatur in a-
 quam: quod intelligitur de dicto composito, quod fundatur, & congeletur: &
 tunc vocatur terra. Et nota quòd philosophi vocant aquam, dum dictus lapis
 est liquefactus cum sua aqua, quæ in ipso lapide est fixa: quæ aqua tunc est cur-
 rens & alba sicut aqua. Et nota, ò tu Rex, quòd ipsi dixerunt, quòd conuerta-
 tur aqua in aerem: quod est intelligendum, quòd dicta aqua congeletur, & cō-
 uertatur in corpus, quod antea fuerat: quod corpus stet tandiū in regimine i-
 gnis, donec conuertatur ipsum corpus subtile, & in albedinem perfectam re-
 ductum, & tunc nominatur per aliquos aer. Sed quando dicitur quòd conuer-
 tatur aer in ignem, intelligitur quod dictum compositum, quod vocatur aer,
 stet in igne fortiori tandiū donec rubescat: & tunc erit completum ad rubeum
 quod vocatur ignis, siue Sol. Et nota, ò tu Rex, quòd de vno solo composito
 & duntaxat de ipso sit opus, & non de alio, quod compositum recipe purum
 absq; immundicia, quæ sunt in eo, videlicet quod sit mundū vt oportet: quòd
 compositum rege ipsum in igne cum suis naturis: & istud facias in principio re-
 giminis ignis: quia in hoc est totus defectus, siue periculum. Et dum istud est
 factum, vltius non potest esse aliquis defectus: & tunc ignis debet esse inter
 fortem & lentum: quovsq; spiritus fuerit separatus à corpore, & ascenderit su-
 per terram, & remanebit in fundo vasis corpus mortuum sine spiritu in ipso e-
 xistente. Et signum est, quòd si ponatur super ignem, & non fundit, neq; fumat
 iam est completum quantum ad istū passum: & dum est ita, reducatur ipse spi-
 ritus supra ipsū corpus, à quo exiuit, qui spiritus est similis nubibus nigris, quæ
 portant aquam. Iste nanque spiritus vocatur aqua vitæ, per quā sustinetur hoc
 corpus, & cum quā moritur, & post mortem reuiuiscat. Et nota, quòd cū
 dicto

dicto composito est illud, quod mortificat, & viuificat ipsum compositum, & cum ipso eodem dealbatur, & rubescit idem compositum sine adiutorio alii cuius rei extraneæ. Item nota, quod ignis debet esse in principio operis lētus secundo mediocris, tertio fortis, videlicet paulatiue augmentando ipsum ignē donec dictus lapis albus fiat, & vltimo rubeus.

LIBER PERFECTI MAGISTERII, QVI LVMEN

LVMINVM NVNCVPATVR ET VERE, QVIA

in eo dicta obscura philosophorum in arte Alchymie optimē deteguntur. Vo-

*catur etiam Flos Florum Arnaldi de Villanoua, longē cor-
rectior et melior hactenus impressis.*



SCIAS, carissime, quod in omni re creata sub cælo, sunt quatuor elementa, nō visu, sed virtute. vnde nostri philosophi sub velamine scientiæ elementorum, istam scientiam tradiderunt: & operati sunt aliqui ad literam intelligentes, ex sanguine, capillis, ouis, vrina, & alijs, vt ex illis primò extraherent quatuor elementa, & cum eis opus perficerēt, separando per distillationem à prædictis primò aquam claram, deinde oleum in superficie citrinum, quod dicitur cōtinere ignem & aerē & terra nigra in fundo remanet. Postmodū cum aqua terrā abluunt, & dealbāt imbibendo ipsam, & decoquendo, & distillando aquam illam totiens, donec terra dealbetur: deinde reddunt ei oleum suum ad ignem præparatum, imbibēdo, & distillando, quovsq; prædicta terra totum bibat, scilicet aquam, & oleū, & tincturam, donec compleatur eorum phantasia: postea accipiunt istam terrā siue lapidem & proiciūt super corpus fusum, videlicet super cuprum, vel aliud & breuiter nihil inueniunt, quia totum est phantasticū: & tamen faciunt secundum quod philosophi dicunt in suis libris, quantum ad literam. & sic in errorē ceciderunt, non inuenientes introitū. Et causa errorum illorū est, quia in indēbita materia operati sunt: quia certum est quod non generatur ex homine nisi homo, & ex equo nisi equus. Cum igitur ista materialia sint à natura metallorū penitus aliena, impossibile est ex eis fieri generationem in metallis: quia metalla non generantur nisi ex suis spermatibus proprijs: ideo perquirendū est quid sit sperma metallorum, & sic habebimus totum magisterium: quia non inuenitur in re, quod in ea nō est: nō sunt autem metalla in capillis, & huiusmodi. Dictum est autem sperma metallorum mercurius, & origo eorum, & hoc est certū: & ita omnes philosophi dixerunt: quod vsus & ratio docent esse verū, vt inferius declarabo. Prædicta autē, scilicet sanguis, capilli. & huiusmodi, non sunt mercurius: ex eis igitur nō possunt fieri metalla, seu eorū transmutatio. nō sunt prædicta lapis noster, licet sint scripta ad exemplum. Quidā aliq; accipiunt quatuor spiritus, quia ita nominantur ad literam, scilicet sulfur, arsenicum, sal armoniacum, & mercurius: & dicuntur spiritus, quia ab igne fugiunt, & euolāt in fumum: & ista accipiunt loco quatuor elementorum, videntes quod philosophi dicunt in libris suis, scientiam esse in spiritibus: & istos sublimant sublimatione vulgari, non philosophica, & faciunt ipsos ascendere, vt sint naturæ aeræ: & postmodum fixant decoquendo, & calcinando, vt sint naturæ terræ: postea soluunt, vt sint naturæ aquæ: postea distillant, vt sint naturæ ignis: & ista componunt iuxta libros ad literam, credentes habere scientiam elementorum. Et composita simul proiciunt supra corpus imperfectū, & inuenerunt nihil. Hæc causa eorum errorum est vna, quia ista non sunt sperma metallorum perfectorum, nec imperfectorū, excepto mercurio & sulfure, quod est eius coagulū, sed

ad istam coagulationem nos attingere nō possumus: facit enim natura per suā virtutem, & per magnum spatium temporis, ad quod vita hominis durare non potest: ex eis igitur impossibile est, quod sit generatio metallorū, seu transmutatio. Sunt alij, qui sulfure & arsenico, & similiter amborū commistione laborē impēdunt diuersis operationibus: venientes autem ad proiectionē, viderunt eos aduri & evanescere, & non in corporibus longam moram trahere, sed corpora relinqui ab eis magis immunda, quā prius fuerant: & causa est, quia sulfur & arsenicum in igne citō comburuntur, & in carbonem reducuntur. vnde nec per se, nec iuncta corporibus, vt sanguini vrinae, vel huiusmodi, sunt lapis noster, seu medicina. Quia igitur ad generationem hominis nō fit alicuius rei permistio nisi spermatis, & sic de alijs generationibus naturalibus: sic magisterium nostrum commistione alicuius non eget extranei. Quidam credunt in salibus & alluminibus scientiam inuenire, & eos solvunt, calcinant, & coagulāt, & fundunt, & pręparāt: alij per se solum proijciunt super corpora imperfecta: alij commiscunt spiritibus, aut corporibus pręparatis, sed in proiectione nihil inueniunt: & causa est eadem cum pręcedentibus. Quidam ex solis metallis credunt medicinam eligere, et pręparant ea calcinando, soluendo, congelādo & proijciunt super corpus, & decepti sunt: quia error illorum est, quia sperma scilicet metallorū, ab initio non ceperunt, sed corpus, vt est in natura sua. Quibus subtilius intuentes, considerauerunt mercurium esse metallorum principiū, & ipsorum originem calore sulfureo decoquente: & sublimarunt per se mercurium: postea eum fixauerunt, soluerunt, & congelauerunt: venientes igitur ad proiectionem, nihil inueniunt. Causa verō illorum errorum est, quia sicut sperma viri non affert fructum, nisi proijciatur in matricem mulieris: sic nec mercurius, qui sperma est, non prodest, nisi proijciatur in matrice corporum, id est fixa calce, vt ipse ibi nutriatur. Quidā ipsum mercuriū cum corpore amalgamādo miscuerunt, & lauerunt tam diu cum aqua dulci, donec eis apparuit corpus mundum propter splendorem, & naturam mercurij: & id coxerunt vsque ad finem, ita quod factum fuit eis durum, credentes quod mercurius cum tali corpore immisceretur, & nihil inuenerunt: imō corpus fuit immundius quā fuisset antē, & mercurius evanuit. Et causa erroris eorum est, quia spiritus non iungitur corpori, nisi anima mediantē: anima enim est medium inter corpus & spiritum, ipsa simul coniungens. Anima autē fermentum est: quia sicut anima corpus hominis viuificat: sic fermentum iam corpus mortuum, & à natura sua iam penitus alteratum viuificat. Vnde anima obtinet principatum, exerens vires suas. Iccirco quid sit fermentum, infra dicitur. Quidā miscuerunt corpora imperfecta cum corporibus perfectis, & posuerunt ad coquendum in igne lento vt melius inuicem vnirentur: postea fortificauerūt ignem paulatim, vt corpus non fixum figerent cum adiutorio ignis, & sic tenendo in igne calcinauerunt, postea soluerunt, & congelauerunt, & reduxerunt: postea posuerunt in examinatione, & nihil inuenerunt nisi corpus purum, quod posuerunt. Causa autem eorum errorum, quia corrumpens & defectus corporum imperfectorum, scilicet terra sulfurea, adustiua, coniuncta est per minima cum corpore imperfecto, quia adhæsit ei à principio originis suæ, impeditq; ne perficiatur. Vnde oportet ad hoc, quod illud, quod est bonum in corpore imperfecto, vnā cū corpore perfecto perficiatur, quod id quod hoc faceret, haberet duplicem virtutem, vnā qua separaret terram sulfuream comburentem à commisto: & aliā, quæ iam separatam, ad naturam suam conuerteret. Hanc autem virtutem corpus in sua crassitie habere non potest. Et multi tentauerunt, & tanquam de scientia desperati, intellectus debilitate magisterium reliquerunt. Nunc autem

sci

scire te volo, quòd materia metallorum omnium, & eorum sperma est mercurius decoctus, & inspissatus in ventre terræ, calore sulfureo decoquente: & secundum varietatem sulfuris, & ipsius multitudinem, in terra diuersa metalla generantur: semper tamèn eorum materia est vna, & eadem essentialiter, solū differens accidente, scilicet ex decoctione maiori aut minori, adurente vel temperata. & in hoc omnes philosophi conueniūt. Certum est, quòd omnis res est ex eo, & de eo, in quod resoluitur: sicut glacies, vel nix, quæ mediante calore resoluitur in aquam, quia ex aqua est: sed omnia metalla conuertuntur in mercurium, vt infra te docebo: ea igitur fuerunt ex mercurio. Et sic soluitur opinio illorum, qui dicunt, Species metallorum transmutari non possunt: & hoc verum est, vt ipsi asserunt, nisi ad primam materiam reducantur. Reductio autē illorū ad primam materiam est facilis, vt tibi inferius ostendam: ergo transmutatio facilis & possibilis est. Multiplicatio etiā in metallis est possibilis: nam omne crescens & nascens multiplicatur & crescit, vt patet in plantis & animalibus: nam ex vno grano fiunt mille. Metalla autē in terra nascuntur & crescunt, ergo possibilis est in eis augmentatio vsque in infinitum: & sic patet theórica: sequitur vt dicamus de practica.

SI ad perfectum magisterium peruenire volumus, oportet primò vt lapidē *Practica Alchymie Arnaldi.* philosophorum purum & mundū habeamus, acceptū sicut est in sua mine nera, nihil adiectum, vel diminutum: & sublimare ipsum, vt ex ipso trahamus id quod est purum & clarum: postea oportet nos ipsum facere descēdere, postea distillare, quarto calcinare, quinto soluere, sexto cōgelare, septimo fixare, octauo incerare. Ecce tota practica, & reductio ad primam materiam: quia aliter nō fieret generatio, seu multiplicatio. Animaduerte in eis, quæ tibi scribuntur. Dico tibi, carissime, quòd oportet corpora primò ad primam materiam reducere, ad hoc vt fiat generatio, seu multiplicatio in eis dē. Animaduerte ergo in his quæ tibi describuntur. Accipe cupri lib. 1. & fiat ex eo limatura munda, & misce cum lib. 4. mercurij, terendo in mortario cum sale modico & aceto, quovsque simul amalgamentur. Cū autem cuprum fuerit optimè coniunctum, pone ipsum in bona quantitate aquæ vitæ, hoc est in 12 partibus sui de aqua vitæ, hoc est, quòd si amalgama fuerit lib. 1. aqua vitæ sit 12. & pone totum in vrinali super ignem debilis cineris inferius lentissimè ad ignem per diem naturalem: tunc dimitte infrigidari, &c. Alibi sic. Accipe de lapide albo quantum vis videlicet partem vnā, & de aqua sua, id est mercurij, partes quatuor: & commisce simul bene incorporādo, terendo, donec sit bene incorporatum: postea pone ipsum in vase vitreo, & intus pone de aqua vitæ partes decem: postea pone prædictum vas ad ignem cineribus mediantibus, & fac quòd ignis sit lētus per diem & noctem: tunc dimitte infrigidari fornacem, & cū frigidatum vas fuerit, cola aquam tuam cum omnibus, quæ in ea sunt per pannum lineum, donec transeat, & exeat per pannum de aqua, id quod de lapide erit solutū: & si **corpore* melius scires facere istam separationem, melius esset. Hoc autem quòd erit solutum, pone in phiala vitri bene obturata cum cera, semper conseruādo super suum calorem: postea accipe id, quod remansit in panno ad soluendum, & iterum cum noua aqua benedicta repone ad ignem. sicut prius in vase prædicto, per diem & noctem: postea dimitte infrigidari, & cola sicut prius, & quod erit solutum, vt prius fecisti, ad partem pone, vt supra: & sic totiens reitera, quovsque totum opus in aquam conuertatur, id est ad primam materiam, quæ est in humido, id est mercurius omnino. Quo facto, hoc totum accipe, & pone in vase vitri super ignem lentum decoquēs, quovsque videas in superficie nigredinē: quam remoue subtilius quā potes: & sic reitera coquēdo, & nigredinem su-

pereminentem tollendo, quovsque nihil emittat nigredinis, & aqua remaneat clara. Nunc habes terram & aquam, scilicet duo principalia elementa: deinde accipe terram illam, & nigredinem, quam collegisti, & pone in vase vitreo, & superfunde de aqua prædicta, quovsque super eam natet, & coque leui, vellent in igne per quatuor dies: tunc iterum aquam impone, & coque: & sic successe, quovsque aqua fiat alba, & lucida, & clara. Et scias quod hoc est, quod philosophi dixerunt, Hæc terra cum aqua putrescit, & mundificatur: quæ cū mundificata fuerit, totum magisterium dirigetur: qua mundificata, & dealbata, ut est dictum, aqua mediante, quæ cum dicta terra mediante calore coagulata est & inspissata, terram istam coagulata cum aqua sua, siue spissatam sine alterius aqua, decoques forti igne in cucurbita vitrea, alembico vitreo superposito, ut quidquid ibi aquæ fuerit, ascendat in alembico, & terra remaneat calcinata: tūc accipe fermentum de quo cunque volueris quartam sui partem, id est, si fuerit vna lib. corporis: recipe vncias 3. fermenti. Fermentum vero auri aurum est, & fermentum argenti, argentum est: & istud fermentum etiam sit solutum, & ut terra factum prout corpus imperfectum, & eodem modo & ordine præparatum simul coniunge, & imbue cum aqua prædicta, & coque per dies tres, aut plures, & tunc iterum in aqua sua prædicta imbue, & coque ut prius: & hoc toties reitera, quoties hæc duo in vnum corpus reducantur: quod perpendes, quando color non variabitur in eisdem. Tunc funde super eis aquam prædictam partem post partem: paulatim & paulatim, quovsque bibat de ipsa, quantum bibere poterit, dando semper nouam aquam. Nam in ista coniunctione corporum, spiritus cum eis miscentur, & vnum fiunt cum eis, & incorporantur, & coniunguntur in natura ipsorum, & germen iungitur cum corporibus prædictis mundatis, quia ante non poterat propter eorum immunditiam, & crassitiam: sed nunc eis coniungitur, & in eis crescit, & suum augmentat numerum, ac in eis multiplicatur multiplicatione infinita, secundum quod operatum fuerit per verum artificium. Nunc exponamus obscurissima philosophorum verba. Primum enim est corporis in mercurium reductio: & scias quod istud est, quod vocauerunt philosophi Solutionem, quæ artis est fundamentum, & principium huius magisterij. Vnde Roxinus in libro Turbæ: Nisi corpora solueris nostra solutione, in vanum laboras. De qua solutione tractans Parmenides in eodem libro, dicit: Quidam corporum solutionem audientes, putant aquam nubis esse: si autem legissent libros nostros, & intellexissent, scirent utique aquam esse permanentem, quæ absque suo corpore, cui coniuncta & facta vnum, permanens esse non potest. Non est enim philosophorum aqua nubis, sed ipsorum corporum conuersio, in aquam, ex qua primo fuerunt creata, scilicet mercurio: prout gelu conuertitur in aquam limpidam, ex qua primo fuit. Ecce habes vnum elementum, quod est aqua, & ipsius in primam materiam reductio. Secundum verbum est, quod fit terra: & hoc est quod philosophi dixerunt: quod de crassitie aquæ, terra co-creatur. Vel secundum aliud intellectum, qui magis meo iudicio appropinquat veritati, quod de crassitie aquæ, terra generatur: quoniam fæces aquæ, quæ remanent in fundo vasis, terram philosophi dixerunt: quæ conuertitur cū aqua id est dealbatur per distillationem, & inhumationem: & hæc est cribratio philosophorum, eorum cōtritio, seu combustio. Sic ergo habes aliud elementum, quod est terra. Tertium verbum est terræ mundificatio, de qua mundificatione Morienus philosophus ait, Hæc terra cum aqua putrescit, & mundificatur: quæ cū mundificata fuerit, totum magisterium dirigetur: de quo dicit etiam Constans philosophus in libro Turbæ, lunge siccum humido, scilicet terram & aquam: siccum enim est terra, humidum est aqua. Ecce quod habes aquam & terram

per

per se & terrā dealbatam cum aqua. Quartum verbū est aqua, quæ potest evaporare destillando, seu sublimando: in qua sublimatione seu ascensione efficitur ipsa terra aerea, quā prius esset inspissata cum terra, & coagulata. Et sic habes aquam, terram, aerem: quod dicit Theophilus philosophus in libro Turbæ. Ipsum dealbate, siccum igne comburite, quousque ex eo exeat spiritus, qui in eo inuenitur, quæ dicitur aïs, vel cinis Hermetis. Et ait Mireris philosophus: Et terra remanet calcinata in fundo vasis, quæ est naturæ igneæ: & sic habemus in prædictis præparationibus quatuor elementa. Hæc igitur terra calcinata est pulvis, de quo ait Mireris philosophus, dicens: Cinerem ne vilipendas, in inferiori loco testæ eximite: in eo enim diadema *cordis est. Postmodum cum prædicta terra fermentum pone, quod Philosophi fermentum, animam dicūt: & ideo sicut corpus humanum sine anima nihil valet, imò est sicut fæx: sic etiā in proposito: Nam fermentum est corpus præparatum, vt dictum est, & ad naturam suam aliā conuertit. Et scias quod non est fermentum, nisi Sol & Luna. Ista enim corpora alijs dominātur, & ipsa ad suam naturam conuertūt: & ideo à Philosophis fermentum dicuntur. Oportet igitur fermentum in corpore introduci, quia est eius anima. Et hoc est quod dicit Morienus philosophus, Nisi corpus immundum mundaueris, & dealbatum reddideris, & animam in eo nō miscueris, nihil huic magisterio direxisti: Igitur fit coniunctio fermenti cū corpore mundato: & tunc spiritus cum eis iungitur, & gaudet cum eis, quia mundata sunt à natura sua crassa, & subtilia facta sunt: Et hoc est quod dicit Archelaius philosophus in libro Turbæ, Spiritus non iungetur cum corporibus, donec à suis immundicijs perfectè fuerint corpora denudata, & in hora coniunctionis mirabilia apparebunt: nam omnes colores de mundo apparebunt in operando, quicunque possint cogitari: & corpus imperfectum colorat coloratione firma, mediante fermento, quod fermentum est anima: & spiritus mediante anima corpori coniungitur, & ligatur, & cum eo simul in colore fermenti conuertitur, & fit vnum cum eis. Ex prædictis apparet, subtiliter intuētī, Philosophos in suis verbis obscurissimis vera dixisse: nam ipsi philosophi in suis libris dicunt, quod lapis noster est ex quatuor elementis: & ipsum elementis cōparauerunt. Et ostensum est primò, qualiter hīc sunt quatuor elementa. Dixerunt etiam, quod lapis noster componitur ex corpore & anima, ac spiritu, & verum dixerunt: nam corpus imperfectum corpori comparauerunt propter hoc quia est infirmum. Aquam, spiritum dixerunt, & verè, quia spiritus est. Fermentum, animam dixerunt, quia, sicut supra dictum est, corpori imperfecto vitam tribuit, quam prius non habebat, & meliorem formam producit. Dixerunt etiam quidam philosophi: Nisi corpora vertatis in incorporea, & non corpora in corpora, id est de corpore spiritum, & è contrà, nondum operandi regulam inuenistis: & verum dicunt. Nam primò corpus fit aqua, id est Philosophorum mercurius, & sic fit incorporeum: deinde in conuersionem spiritus in aquam, fit corpus. Et ideo quidam dixerunt, Conuerte naturas, & quod quæris, inuenies: hoc est verum. Nam in nostro magisterio primò facimus de crasso gracile & de corpore aquam: & postmodum de humido siccum, id est de aqua terram id est siccum. Et sic naturam conuertimus, & facimus de corporeo spirituale, & de spiritali, corporale, vt dictum est: & facimus id quod est superius, sicut illud quod est inferius: & quod est inferius, sicut illud, quod est superius: scilicet vertimus spiritum in corpus, & corpus in spiritum, vt patet in principio operationis: vt in solutione, quod est inferius, est sicut quod est superius, & totū vertitur in terram. Patet igitur ex dictis, quod in lapide nostro sunt quatuor elementa, & sunt anima, corpus, & spiritus. Et lapis etiam noster, vt quidam phis.

losophi dicunt, fit ex vna re, & cum vno. Et certè verum dicunt: nam totū magisterium nostrum fit cum aqua nostra, & ex ea, & per eam: nam ipsam aquam solunt, vt dictum est superius, non solutione, prout ignorātes credunt, quod conuertatur in aquam nubis, sed solutione vera philosophica, quæ est, vt conuertatur in aquam primam, ex qua fuerit ab initio. ipsam eandem calcinant, & in terram reducunt: per ipsam eandem aquam corpora in cinerē transformāt, & de ea cinerem dealbant, & mundificant, iuxta verbum Morieni dicentis, q̄ Azot & ignis, latonem abluunt, atq; mundificant, & eius obscuritatem ab eo penitus eripiunt. Laton autem est corpus immundum, Azot autem est mercurius, & corpora diuersa coniungunt præparata modo prædicto, coniunctione tali, in quam non potest ignis potentia, nec alia tentatio, seu probatio separare: & ab ignis combustionē defenditur: & eorum vnum in aliud mittit: & corpora sublimant, non sublimatione vulgari, quam intelligunt phantastici, credētes quod sublimare sit superius ascendere, vel eleuare per ignem: et ideo accipiunt corpora calcinata, & miscent cum spiritibus sublimatis, vel eleuatis, scilicet mercurio, sulfure, arsenico, & sale armoniaco: & faciunt per ignem fortem, & subitaneum corpora cum spiritibus eleuare: quia pars non fixa, sepe separat partem fixam, per multam quantitatem non fixæ partis, & ita eleuant corpora cum spiritibus: & dicunt, quod tunc sunt corpora sublimata: & hi tales falluntur, & delusi sunt: quia postmodum inueniūt ipsa magis immunda, quam prius fuerint. Vnde scias, quod non est nostrum sublimare, superius ascendere, vel eleuare: sed sublimare philosophorū est, de re vilī preciosam facere: & de re infima & commista, altam facere ac magnam, & puram, vt cum dicimus, Iste homo sublimatus est, id est in dignitate positus est: sic enim dicimus corpora sublimata, id est subtiliata, & in altam, puram, mundam, & nobilissimam naturam conuersa. Vnde sublimare apud philosophos est subtiliare, mundare, & defacare, dealbare, & rubrum facere: quod totum facit aqua nostra benedicta. Sic ergo intellige nostram sublimationem & descensionem, distillationem & calcinationem, solutionē, congelationem, fixationem, incerationem: & hoc totum fit per beneficium aque benedictæ, & in hoc omnes sunt decepti. Aqua etiam nostra mortificat, & viuificat, & apparere facit multos colores: primo nigrum in mortificatione corporis, dum in terram conuertitur: postmodum apparent multi colores, & varij ante dealbationem, quorum omnium finis est albedo: in coniunctione verò corporis præparati & fermentati, apparēt tot colores, quot ab homine excogitari possunt: & apparet quod nostrum magisteriū vnum est, & est ex vno, & cum vno: fit & ex quatuor, vt dictum est & ex tribus vt etiam supra dictum est. Vnde scias, carissime, quod philosophi nostri lapidis nomina multiplicauerunt, ad hoc, vt eum absconderent: & dixerunt lapidē nostrum corporeum & spirituale esse: & in rei veritate non mentiti sunt, prout sapientes intelligere possunt. Nam ibi est corpus, & spiritus: & corpus factum est spirituale in solutione, vt dictum est: & spiritus factus est corporalis in coniunctione ipsius cum corpore imperfecto & fermento. Quidam philosophi ipsum vocant æs, prout dixit Eximæus in libro Turbæ: Scitote, inquit, omnes scientiam quærentes, quod nulla fit vera tinctura, nisi ex ære nostro: & infinita nomina ei imponunt, ne ab insipientibus perciperetur. Quocumque tamen nomine ipsum nominent: vnum, & idem est opus apud omnes. Et dicit Morienus, quod confectio nostri magisterij assimilatur in ordine creationis hominis: nam primo est coitus, postmodum conceptio, deinde imprægnatio, quartò ortus, quintò sequitur nutrimentum, quod sic intelligitur: primò spermanostrium, id est mercurius, cum terra coniungitur, id est cum corpore imperfecto quæ

quæ terra mater dicitur, ideo quia terra est mater omnium elementorum: tunc secundum Philosophos coitus appellatur. Dum autem terra incipit aliquantulum retinere mercurium secum, tunc dicitur conceptio: & tunc agit masculus in foeminam, id est, mercurius in terram. Et hoc est, quod dicunt Philosophi, quod nostrum magisterium non est aliud, nisi masculus & foemina, & ipsorum coniunctio, dominante aqua, id est mercurio: & terra crescit, & multiplicatur, & augmentatur, & eueniet, quando terra dealbatur: & tunc prægnatio nuncupatur, quando terra iam imprægnata est: deinde fermentum iungitur cum corpore imperfecto præparato, ut dictum est, quousque vnū fiant colore & aspectu, & tunc dicitur ortus: tunc enim natus est lapis noster: qui natus, Rex à Philosophis nuncupatur: vnde dicit Philosophus in libro Turbe: Honorate Regē nostrum ab igne venientem, diademate coronatum, & ipsum alimentate, donec ad ætatem perfectam deueniat: cuius pater est Sol, mater verò Luna: Lunam autem accipe pro corpore imperfecto, Solem pro corpore perfecto. Vltimò autem sequitur nutrimentum, vsque dum augmentetur augmentatione magna. Nutritur autem lacte suo, id est spermate, ex quo fuit ab initio sui. imbibitur autem mercurius sæpe sapius, quousque bibat ex eo, quod sufficiat, id est, vsque ad perfectionem, quæ est finis totius operis nostri. Per ea igitur, quæ dicta sunt, facile possunt intelligi omnia dicta Philosophorum obscura, & cognoscere omnes in eodem conuenire. Et nihil aliud est nostrum magisterium, quam quod prædixi. Iam habes corporis solutionem & reductionem ipsius ad primam materiam sui: deinde habes ipsius in terram conuersionem, & postea dealbationem, in aerem demigrationem: quia tunc distillando humiditatem, quæ in eo inuenitur, fit aereum quod ascendit, & terra remanet calcinata, & tunc est ignea: nature. Habes etiam coniunctionem istorum adinuicem, & habes coniunctionem animæ cum corpore, & etiam coniunctionem animæ, & corporis, & spiritus simul: & conuersionem istorum adinuicem: & habes augmentationem tantum huius Elixir, cuius utilitas maior est, quam possit ratione percipi.

FINIS

PRACTICA MAGISTRI ARNALDI DE VILLA

NOVA AD QVENDAM PAPAM, EX LIBRO
dicto, Breuiarius librorum Alchymia.

SANC'TISSIMO in Christo patri deuotissimo, pedum oscula beatorum, mutatio Dei excelsa, Dico tibi pater alme, & c. Quod omnium primò corpora in primam materiam reducere oportet. Prius te scire volo, quod materia omnium metallorum, & eorum sperma est fumus albus, decoctus, & inspissatus in ventre terræ, calore sulfureo decoquente: & secundum varietatem sulfuris, & ipsius multitudinem in terra, diuersa metalla procreantur: semper tamen ipsorum plurimū materia est vna, & eadem essentialiter, solo differens accidente, & c. Cum enim sine sale operator nihil agat, sicut qui cum arcu sine corda sagittat: & hoc Morienus clarius dicit, Accipite phlegmaticū & cholericiū, & terite sanguineū cum eis, donec fiat cælum tingens pro debita & c. in suo igne, & c. Phlegmaticus est frigidus & humidus ut mercurius, cholericus verò est calidus & siccus ut sal armoniacum, sanguineus est calidus & humidus, ut Sol, seu aurum: Nota diuntur tunc reliqui spiritus corporibus permittis, & coniungit, & recedit. Ipsum enim sal est vnguentum siccitate ignis coagulatum, ex natura calida & sic

G

ca subtili, à parte in partem penetrans soluit corpora, & est copulator contradi-
ctoriorum, & omnium spirituum cum corporibus. Ipsum enim est spiritus vo-
lans, lapis generans, ad Elixir coadiutor. Et nisi ipsum esset, non solueretur, nec
ingrederetur Elixir, nec poneretur vnum cum aliquo alio, nec intraret vnum
in aliud: volans est, existens vnà cum corporibus corpus, & est in eo occultum
& absconditum: de quo dicit Auicenna in Maiori, si posueris eum loco ignis,
aeris, & sulfuris, aut cuiuslibet, non errasti in opere: ad quamlibet enim se incli-
nat naturam. Et Almizadir, id est sal armoniacum tibi solū subseruiat. In libro
Aluminum & salium traditur: Quòd si Deus non creasset eum, non perficere-
tur Elixir, & vanum esset studium Alchymicum. Qui ergo sine sale operatur,
vel agit, vt ait Allegoria sapientum, corpora mortuorum in sepulchris eorum
non attenuat, propterea &c.

DE DECOCTIONE LAPIDIS PHILOSOPHORVM

et de regimine ignis in diuersis gradibus decoctionum ad coagulationem lapidis.

Versus de solutione.

Qui quærit in merdis secreta philosophorum,
Expensas perdit proprias, tempusq; laborum.
Est in mercurio quicquid quæunt sapientes:
Corpus, abhinc anima, spiritus, tinctura trahuntur.
Nullus mercurius sumatur, quam mineralis,

Ignis coagulationis gradus.

Primus formetur, vt sensus ei dominetur,
Sensibus æquato gaudet natura secundo,
Tertius excedit, sed cum tolerantia lædit:
Destructor sensus, nescit procedere quartus.

Igitur ad practicam descendamus, clarè & apertè, & intelligibiliter eam su-
biciamus. Nota ergo, quòd in operatione nostra, quæ diuina est, potius quam
humana, requiritur vna sola materia, nec vlla alia: quia aqua nostra pura, & mi-
neralis in nullo alio opere posita, nec etià alicui corpori mista, quæ materia est
substantia, & à qua diuersi colores effectusq; in regimine apparèt. Et scias quòd
vna materia etiam requirit vnicum vas de vitro, quod dicitur vas Hermetis: &
illud requirit vnum aliud vas terreum cum coopertorio suo similiter terreo. Et
illud vnum vas de terra requirit vnicum furnum, videlicet furnum Hermetis,
& coopertorium furni. Primò ergo describamus vas vitreum. Fiat ergo vas
Hermetis de vitro, quod rotundum sit ad modum cælestis Lunæ mediæ, quod
vas debet habere foramen ad modū vasis, per quod foramen Luna plena por-
tabitur. Descriptio autem vasis Hermetis est aliquantulum oblongum ad mo-
dum oui, vel ad modum ampullæ.

Vas terreum modò describamus, in quo debet vas vitreum prædictum po-
ni. Fiat ergo vas terreum, quod possit sustinere ignem fortem, & continuum,
etià cum ignitione, sicut est terra, de qua fiunt crucibula ad fundendum aurum:
& fiat dictum vas tantæ capacitatis & magnitudinis, quod prædictum vas vi-
treum possit ibi bene recipi: ita quòd sub vase vitreo, & supra vas, & circa illud
possint poni cineres cribellati ad spissitudinem duorum digitorum ad minus:
fiat autem prædicto vasi coopertorium, quod ita coniungatur cum vase suo,
quòd flamma ignis non possit percutere vas vitreum intus positum. Habeat
autem prædictum cooperculum vnam superius auriculam, vt possit deponi, &
tractari &c. Modò collocemus vas vitreum in illud vas terreum sic: Primò ha-
beas

beas de cineribus optimè cribellatis in bona quantitate, & pone de eis in vase terreo prædicto in ipsitudine duorum digitorum ad minus, fortiter cineres imprimendo: deinde pone ibi vas de vitro cum suo retentorio, vel coopertorio: prius tamen optimè claudatur orificium ipsius vitri, cum luto tibi noto (est autem lutum sapientiæ) deinde circumpone cineres reliquos circumquaque, & supra & c. sicut scis.

Modò subiiciamus aliqua notabilia: Nota, quòd in operatione nostra, & in quolibet opere alchymico, siue agatur de sublimationibus, siue de distillationibus, siue decoctionibus quibuscunque, necessarium est duas partes vitri esse vacuas.

Item, quantò carbonēs sunt magis ponderosi, & magis compacti, seu densi, tantò sunt meliores ad opus nostrum: quia ignis factus ex ipsis magis durat in sua qualitate, & ita carbonēs quercini & similes sunt eligendi. Et nota, quòd licet sint quatuor colores principales in opere apparentes, scilicet niger, albus, rubeus, & citrinus, qui sunt in diuersis gradibus taliter apparentes secundum suum gradum decoctionis. Cum alio enim igne facimus corpus nigrum, cum alio album, & cum alio rubeum, & alio citrinum. Sunt enim quatuor gradus ignis, qui in superscriptis quatuor versibus continentur. Et nota, quòd Philosophi hanc scientiam ignis celauerunt, nec aliquis philosophus de dictis gradibus est clarè locutus, sed obscurè omnes. De leui igne tantum faciunt mentionem. Primus igitur gradus continetur in primo versu, qui est, *Primus formetur, ut sensus ei dominetur*. Et quomodo cognoscetur, quando est calor primi gradus? certè sic: quòd si manus tangant cineres, seu capellum, seu coopertorium furni possit ibi stare sine aliqua læsione. Et iste est primus gradus, quē Philosophi celauerunt: & cum illo solo igne, aut sibi simili, & cum nullo alio, putrefactio. fit materia nostra secundum aliquos philosophos in 40 diebus, quod ego non credo: secundum alios verò in 50 quod etiam non credo: secundum alios in 70 quod etiam non credo. Qui verò probauit, & expertus est, compleuit putrefactionem veram in 97, vel ad plus in centum diebus, & illud est verum. Et nota, quòd licet non appareat ad oculum in materia putrefacta nigredo, tamen curandum non est, quia pro certo secundum esse naturæ pellis, est super nigredinem: & ideo elementa iam iuncta sunt, siue vnita, & leui igne cocta locatur, & in alias vertuntur naturas. Et per secundum gradum decoctionis, illud quod est occultum, fiet manifestum: & quod modò est manifestum, fiet occultum. Ignis quarti gradus non est carbonum, sed est ignis flammæ, qui fiet in hunc modum: Habeas ligna de quercu, vel similia, & sint crassæ quantitatis, ita vt possis amplexari manu: tunc incide dicta ligna in frusta, ita quòd longitudo lignorum non excedat latitudinem furni: Deinde facto igne prius carbonum in furnello, superpone ex dictis frustis lignorum, duos vel tres, vel quatuor, sicut expedire videris. Exposuimus igitur superius primum ignis gradum, qui notatur, per hunc versum, *Primus formetur, ut & c.* Per quem gradum ignis, & non per alium materia nostra necessariò debet putrefieri, dissolui, mortificari, & denigrari. Restat nunc dicendum, per quem modum materia nostra putrefacta dealbetur: Igitur procedamus ad secundam partem operis, quæ est nostræ medicinæ dealbatio. Hic verò notandum, quòd duplex album est: Est vnum album quod fit ad modum Iouis vel Saturni, & talis dealbatio fit post putrefactionem: unde dicit Geber philosophus, Oportet Iouem & Saturnum indurare, & Martem, & Venerem rubificare. Ista autem dealbatio non est vera dealbatio, quia non est firma, nec fixa, & hic perficitur, & completur secundi gradus ignis in 100 diebus, qui hoc versiculo continetur: *Sensibus equato gaudet natura secundo:*

qui secundus gradus debet esse lenis, tamen aliquantulum fortior igne primi gradus: debet enim esse talis, quod per tactum furni manus respondeat igni, & ignis manui, hoc est, quod manus possit sustinere talem calorem, & non plus. Has igitur differentias poteris facere cum solaris tenui perforato existente super carbones: in quo facias diuersa foramina, secundum exigentiam graduum ad beneplacitum, vel aliter & c. Finitis autem centum diebus, continua ignem prædictum secundi gradus, ut materia bullire incipiat, & fluere, siue fundi, & durabit bullitio ista 70 diebus: & tunc materia incipit facere quosdam lapillos ad modum, seu similitudinem Hyacinthorum: continua tamen ignem secundi gradus, quousque dicti lapilli appareant. Cum autem videris prædictos lapillos apparere, tunc ignem carbonum fortifica, faciēdo ignem tertij gradus, qui notatur per hunc versum, *Tertius excedit, sed cum tolerantia laedit*. Dictum autem ignem tertij gradus continuabis ad incinerandos lapillos per centum dies, quia infra dictum tempus centum dierum lapilli incinerabuntur, & figentur fixatione vera & perfecta. Quod si infra dictum tempus materia nostra non incineraretur: tunc eundem ignem tertij gradus continua, quousque materia nostra sit incinerata, & tunc materia nostra dealbabitur. Et hoc album, dicitur album permanens, & dicitur spiritus & anima: & de hoc albo dicit Morienus, Dealbate latonem, id est terram, & apponite liberos, ne corda vestra rumpantur. Et Hermes, Ipsum dealbate, & suo igne sublimare, quousque exierit spiritus, quem in eo inuenietis, qui dicitur avis Hermetis. Et ista incineratio & dealbatio detegens, scilicet dubium terrae sitientis, & aquam nubium. Et scias, quod infra dictos centum dies materia nostra, seu cinis noster debet fieri in colore margaritarum, seu marmoris coruscantis. De prædicto albo dicit Algazel, Ipsum dealbatum cito igne sublimare, & c. id est iterato soluere. Et scias, quod prædictum ignem tertij gradus continuare debes, quousque secundum album appareat, & in colore prædicto. Modò sequitur quarta pars operis, quae dicitur lapidis nostri rubificatio. Tunc totam animam in corpus conuertimus, cum materiam nostram, quae prius fuit alba, rubificamus. Dicta autem rubificatio debet necessario fieri per ignem quarti gradus, qui in versiculo continetur, *Sic destructor sensus nescit procedere quartus*. Dictus autem ignis quarti gradus, erit ignis flammæ, & lignorum, qui sit ut supra. Continua igitur ignem prædictum per 47 vel 50 dies: nam infra dictum tempus debet color tyrius apparere. mercurius verò igne suo gubernetur, & coctus igne primigradus, in 50 diebus in coruum verum conuertitur, deinde in 77 diebus vertitur in columbam: deinde columba in 47 diebus, vel 70 vertitur in Alkasel marinum, qui est color tyrius: Et in isto colore spiritus & anima cum corpore ununtur, & fiunt vnum: & corporeum factum est incorporeum, & factus est lapis benedictus. Et scias, quod per prædictum ignem flammæ, qui est ignis quarti gradus, album nostrum completum funditur, & huiusmodi fusionem sperma nostrum in sanguinem vertitur: & in illa hora spiritus & anima cum corpore submerguntur. Et scias, quod fusio in 47 vel 76 diebus ad longius perficitur, & completur. Et nota, quod hæc fusio vera, est solutio vera philosophica, & gaudet stare super ignem, sicut puer ad vbera matris suæ: & verè tunc dicitur aqua permanens, & tunc factum est de corpore spiritus, & hoc est de volatili fixum. Et in tali fusione coronatur Rex diademate rubeo: Illuminate ipsum usque ad ætatem perfectam, cuius pater est Sol, & mater est Luna. Per Solem autem nihil aliud intelligitur, nisi unitas sulfuris, & stans in mercurio, quod sulfur sit anima lapidis. Vnde dicit Senior, Hoc sulfur est quod corpus denigrat, & ostium aperit: & quanto magis fusus in igne fuerit, tanto magis eius rubedo conuertitur in colorem citrinum, & ex hoc meliora-

Horabitur, & eius color tyrius augmentabitur, quousque perueniat ad finalem colorem lapidis nostri, seu medicinæ nostræ, qui est color citrinus, in colore pauperis sylvestris: & finaliter efficietur pulvis impalpabilis, qui ad calorem ignis funditur sicut cera fluens, & penetrans, & figens. Et nota, quod arg. viu. mercurius, azot, Luna plena, lapis noster, æs nostrum, aqua nostra, Mars, argentum, stannum, albedo, iupiter, minium, albus, hypostasis alba, album plumbum, vel rubrum, idem significant secundum diuersa tempora & gradus operationis. Et nota, quod Lauare philosophorum, est totam animam in corpus reducere: unde non intelligas eos loqui de alba lauatione vulgari, quæ consuevit fieri cum aceto, & consimilibus. Item nota, quod quando apparet nigredo, tunc dicitur desponsatio mariti & sceminæ, & esse matrimonium inter eos, & tunc acquisiuit spiritum, qui est delator virtutū animæ per corpus, & corpus recepit actionem animæ & spiritus: & fit aquila, & medium naturarum. Et nota, quod terra alba, sulfur album, fumus albus, auripigmentum, magnesia, & Echel, idem significant. Item nota, quod lapis noster quando est fixus, est sicut cinis. Item nota, quod in putrefactione corporis, mercurius stat ad medium inter spiritum & animam. Item nota, quod abarnaos, Elixir, lapis philosophicus, & quinta essentia idem significant: nam est vna res præter naturam elementorum in suo esse. Ideo quatuor elementa per magisterium se inuicem complectuntur: tunc ex eis resultat, & resurgit quædam res incorruptibilis, quæ quinta essentia nuncupatur. Item nota, quod fermentum Solis dicitur spiritus, sulfur, aurum philosophorum, crocus Martis. Item nota, quod fermentum Lune vocatur anima, rosa alba, & aer existens in lapide. Item nota, quod spiritus est fermentum Solis, anima est fermentum Lune, corpus verò est terra stans, & hæc tria sunt in mercurio. Item nota, quod corpus recipit tincturam à mercurio, à spiritu & anima naturaliter secundum gradus suos: & in fine debent apparere quædam granula ad modum piperatæ: & tunc est ibi vnum magnum secretum, videlicet quod materia nostra est congelata cum sua propria humiditate. Item nota, quando lapilli ad modum Hyacinthorum conuertuntur in cinerem album, tunc est signum putrefactionis, & denigrationis perfectæ, & finitæ. Item nota, quod arg. viuus continet in se quatuor elementa, & sufficit sibi ipsi, nec indiget alicuius adminiculo: habet enim aqueam substantiam ab aqua, terream substantiam à terra; calidam & humidam substantiam ab aere, & vinctuosam cremabilitatem, seu igneam substantiam ab igne. Elementum aquæ currit, & fluit per corpus, & ipsum lauat. Elementum terræ stat, & est corpus mercurij, seu eius crassities & spissitudo. Elementum aeris est illud calidum temperatum, & humidum, quod est in mercurio: Et tale calidum temperatum, dicitur spiritus, & facit concordiam inter vinctuositatem cremabilem mercurij, & eius lutulentiam, hoc est inter humidum, vinctuosum & terreum, fæculentum. Elementum ignis est illa vinctuositas cremabilis, quæ est in mercurio, unde versus:

Terra stat, vnda lauat, pyr purgat, spiritus intrat.

Item Lucas inquit, ignis vester vique ad albedinem debet esse lentus: post dealbationem autem & coagulationem debet ignis augeri.

Nunc igitur sub breuiloquio repetamus totius operis nostri intentionem. *Epilogus.* Primò enim lapis noster in operatione liquefit, secundò nigrescit, tertio citrinatur, quartò rubescit rubore non vero, nec multum durante, quinto dealbatur, sexto coagulatur. Et hæc omnia necesse est fieri cum igne lento, hoc est cum igne primi gradus, & secundi, qui ignis sit cum carbonibus, & sine flamma: septimò lapis noster incineratur cum igne tertij gradus, qui est ignis flammæ triu ligno tum, vel quatuor: octauò lapis noster liquefit liquefactione metallica & rubea,

& hoc fit cum eodem igne tertij gradus: ultimo augmentando ignem, & faciendo ignem quarti gradus. Et nota, quod potest fieri medicina ad rubeum primi gradus, & secundi & tertij, cum suis gradibus, & suis multiplicationibus, & cum suis projectionibus. Item nota, quod ignis primi gradus, qui pertinet solum ad putrefactionem, solutionem, mortificationem corporis, dicitur per quamdam similitudinem balneum, quia balneum est res temperata, non intensa in calore nec etiam frigida, sed in calore remisso: unde videmus hominem per temperatum calorem putrefieri, & sudare à sua superfluitate: sed si calor esset intensus, non sudaret, sed combureretur: si verò balneum esset frigidum, tunc viscositas, & vntuositas existens in homine, non exiret. Et ideo est nobis necessarium habere balneum, hoc est calorem temperatum, hoc est non excedentem, nec diminutum à suo gradu. Et hæc est pulchra ratio intelligenti.

FINIS

MAGISTRI ALBERTI MAGNI RASISPONENSIS EPISCOPI, DE ALCHYMIA

MIA PRAEFATIO.



OMNIS sapientia à Domino Deo est, & cum illo fuit semper & est ante ævum. Quicumque ergo diligit sapientiam, apud ipsum quærat, & ab ipso petat, quia ipse dat omnibus affluenter, & non impropert. Ipse enim est altitudo, & profunditas omnis scientiæ, & thesaurus totius sapiëntiæ: quoniam ex ipso & in ipso, & per ipsum sunt omnia: & sine eius voluntate nihil potest fieri: ipsi honor & gloria in secula seculorum. Amen.

Vnde in principio mei sermonis inuoco eius auxilium, qui est fons & origo omnium bonorum, ut ipse per suam bonitatem & pietatem dignetur paruitatem scientiæ meæ supplere per gratiâ sui Spiritus sancti: ut per meâ doctrinam lumen quod in tenebris latet, manifestare valeam, & errantes ad semitam veritatis perducere: quod ipse præstare dignetur, qui sedet in excelsis. Amen.

Quum in multas regiones & plurimas prouincias, nec non ciuitates & castella causa scientiæ, quæ vocatur Alchymia, maximo labore perlustrauerim, & à literatis viris & sapientibus, de ipsa arte ab ipsis diligenter inquisierim, ut ipsam plenius inuestigare: & quum scripta omnia perscriberem, & in operibus ipsorum sapissime persudarem, non inueni tamen verum in his, quæ libri eorum affirmabant. Aspexi ergo libros contradicentium & affirmantium, & inueni eos vacuos esse ab omni profectu, & ab omni bono alienos. Inueni enim multos prædiuites literatos, abbates, præpositos, canonicos, physicos & illiteratos qui pro eadem arte magnas fecerunt expensas, atque labores, & tandem deficiebant, quoniam artem inuestigare non valebant. Ego verò non desperavi, quin facerem labores & expensas infinitas, vigilans, & de loco ad locum migrans omni tempore, ac meditans, sicut dicit Auicenna: Si hæc res est, quomodo est? & si non est, quomodo non est? Tandem perseueraui studendo, meditando, laborando in operibus eiusdem, quousque quod quærebam inueni, non ex mea scientia, sed ex Spiritus sancti gratia. Vnde quum scirem & intelligerem, quod naturam superaret, diligentius vigilare cœpi in decoctionibus & sublimationibus, solutionibus, & distillationibus, cerationibus, & calcinationibus, atque coagulationibus Alchymia, & in multis alijs laboribus, donec inueni ESSE POSSIBILEM TRANSMTATIONEM IN SOLEM ET

Lv

LVNAM, Quod multo melius est omni naturali, in omni examinatione & malleatione. Ego verò minimus Philosophorum intendo scribere socijs & amicis meis veram artem, leuem & infallibilem: ita tamen, vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Vnde rogo, & adiuro vos per creatorem mundi, vt occultetis librū istum ab omnibus insipientibus. Vobis enim secretum reuelabo, alijs verò Secreta secretorum recludo, propter inuidiam huius nobilis scientiæ. Stulti enim eam despiciunt, quòd ad eam pertingere non possunt: vnde exosam eam habent, nec possibilem esse credunt: ideo inuident illis qui in ea operantur, & dicunt eos esse falsarios. Caueatis ergo ne in ista operatione alicui secreta nostra reueletis. Iterum moneo, vt sitis cauti: & perseuerate in operationibus, & nolite fastidium habere, scientes quòd post operationem vestram, magna sequetur utilitas.

De diuersis erroribus.

NVnc autem qualiter ad tanti operis laborem accèdere debeatis in hoc meo opusculo, breuiter & simpliciter vos informabo. Ostendam tamen vobis primò omnes deuiationes & errores, & offendicula huius artis, in quibus multi & ferè omnes errant. Vidi enim quosdam, qui cum magna diligētia quasdam sublimationes faciebant, & vterius procedere non valebant, quia fundamentum non habebant. Vidi & alios bonum principium habentes, sed propter nimiam potationem, & alias vanitates, opus facere non valebant. Vidi alios qui decoctionem, distillationem & sublimationem bonam fecerunt: sed propter nimiam prolongationem operis opus relinquerunt imperfectum. Vidi & alios qui veram artem habuerant, & diligenter operibus præfuerunt, sed in sublimationibus perdidit spiritus propter vasa porosa, vnde & dubitauerunt: & vterius artē non curauerunt. Vidi & alios, qui artem inuestigare cupientes, tempus statutum nō valentes expectare, nimis veloces fecerunt sublimationes, distillationes, & solutiones: & ideo spiritus infectos, rubiginatos inueniebant, & aquas solutas & distillatas, turbulentas: vnde & etiam dubitauerunt. Vidi quāplures, qui cum diligentia operi insistebant, & tandem desiciebant, quia res pro subleuamento non habebant, vnde versus:

Multa licet sapias, re sine, nullus eris: Quum labor in damno est, crescit mortalis egestas.

Vnde pauperibus non valet ars ista, quia ad minus vult habere expensas duobus annis: Et si contingat in opere errare, vel prolongare, quod non perueniat ad egestatem, vt in pluribus sum expertus. Vidi alios qui sublimationes faciebant puras & bonas ad quinque sublimationes: & quum plures facere non valebant, sophisticabant, & Venerem dealbabant, addentes quintam vel sextam partem Lunæ, & seipsos & alios decipiebant. Vidi alios qui spiritus sublimabant & figebant, volentes cum eis tingere Venerem vel Martem, & quum impressionem non fecerunt, neque ingressionem habebant, dubitauerunt. Vidi quoque quosdam qui spiritus fixos habebant, & ipsos cum oleo ingrediente cerabant, donec ingressionem in corpora habebant, addentes tamen aliquam partē Lunæ, & ita figebant Venerē in albū, quod simile erat Lunę in malleatione & examinatione, & albedinē, & quod pertrāsiuit bis aut ter examinationē, & tamē nō fuit perfecta: quia Venus non fuit calcinata nec purgata à sua corruptione. Vnde dicit Arist. Nō credo metalla trāsformari posse, nisi reducant in primā materiā, idest in calcē per ignis adustionē: & tūc possibile est illud. Vidi tñ & alios sapiētes, qui ad plenū spiritus & pulueres sublimabant & figebāt, solutiones & distillationes ex puluerib. parabant, postea coagulabant, & postea metalla calcinabant, corpora dealbabāt ad albū, rubificabant ad rubeū, postea calcē reducebant in solidā massā, & ipsa tingebāt in solē & lunā, quę melius erāt omni

naturali in omni examinatione & malleatione. Videns ergo tot errare, iam de creui scribere vera & probata opera, & meliora omnium Philosophorum, in quibus laboravi, & sum expertus: nihil aliud scribā, nisi quod oculis meis vidi.

Vnde oriuntur metalla.

Alchymia est ars ab Alchymo inuēta, & dicitur ab archymo Græcè, quod est massa Latinè. Per hanc enim artem reducuntur metalla, quæ in mineris sunt corrupta, & imperfecta ad perfectionem. Et notandum, quòd metalla differunt inter se accidentali forma tantum, nō essentiali: ergo possibilis est spoliatio accidentium in metallis. Vnde possibile est per artem nouum corpus constitui: quia omnia metallorum genera generantur in terra ex sulfure & arg. viuo commistis, vel etiam propter terram foetidam. Sicut enim puer in ventre matris suæ ex corrupta matrice contrahit infirmitatem ex causa loci per accidens, & corruptione, quamuis sperma fuerit mundum, tamen fit puer leprosus & immundus causa matricis corruptæ. Sic est in metallis, quæ corrumpuntur, vel sulfure corrupto, vel terra foetida: vnde hæc est differētia omnium metallorum, qua differunt inter se. Quando enim sulfur mundum rubeum occurrit argento viuo, in terra, inde aurum generatur tempore breui vel longo per assiduitatem vel decoctionem naturæ sibi subseruiētis. Quando verò mundum & album occurrit arg. viuo in terra munda, inde generatur argētum, quod differt ab auro in hoc, quòd sulfur in auro rubeum, in arg. album fuerit. Quando autē sulfur rubeum, corruptum & vrēs occurrit arg. viuo in terra, inde generatur cuprum, & non differt ab auro nisi in hoc, quòd in auro non fuit corruptum, hic verò corruptum. Quando verò sulfur album, corruptum & vrens occurrit arg. viuo in terra, inde generatur stannum: & quia stridet inter dentes, & velocem habet liquefactionem, ideo est, quia arg. viuū non fuit bene commistum cum sulfure. Quando verò sulfur album, corruptum & vrens occurrit arg. viuo in terra foetida, inde generatur ferrum. Quando sulfur nigrum & corruptum occurrit arg. viuo, inde generatur plumbum, de quo dicit Arist. quòd plumbū est aurum leprosum. Iam satis dictum est, vnde metalla habeant originem, & quomodo inter se differant forma accidentali, & non essentiali. Restat nunc videre de probationibus Philosophorum, & autoritatibus quomodo probent esse veram hanc artem, vt obuiare possimus alijs, qui contradicunt eam non esse veram.

Probat artem Alchymia esse veram.

Volunt ergo quidā contradicere, & quamplures, & maxime illi qui nō intelligunt aliquid de arte, nec metallorū naturas cognoscunt, & nesciunt quid sit eorum intrinsecum vel extrinsecum, & dimensiones & profunditates metallorum minime cognoscentes. Istis igitur, quum obijciunt Aristotelis verba dicentis, Sciant artifices Alchymia rerum species permutari non posse, respondendum, hoc dixisse de ipsis qui credunt & volunt metalla adhuc corrupta transubstantiare: quòd sine dubio vix fieri potest. Audiant ergo verba Arist. quæ sequuntur: Quòd experientia destruit formam specierum, & maxime in metallis, & hoc est verum, quando aliquod metallum est calcinatum, & inde fit cinis & calx, quæ teritur & lauatur, & ceratur cum aquis acutis, donec fiat alba & viua: & sic per calcinationes & medicinas diuersas amittunt humiditatem corruptam & adustiuam, & acquirunt humiditatem aeream viuificantem ipsa corpora, & calx mundata reducitur ad solidam massam: quæ massa potest recipere tincturam albam & rubeam. Vnde ait Hermes, Quòd spiritus ingredi corpora non possunt, nisi purgata, & non ingrediuntur, nisi aqua duce, Arist. dicit, Non credo quòd metalla possint transubstantiari, nisi reducantur ad pri-

ad primam materiam, id est mundificentur à corruptione sua per ignis adustionem. Adhuc contradicentibus, & non credentibus melius obuiare volo, quia quod scimus loquimur, & quod videmus testamur: videmus species diuersas recipere formas diuersas diuersis temporibus: sicut patet in Arsenico quod est rubeum, & per decoctionem & assiduitatem erit nigrum, per sublimationem erit album semper tale. Et forte aliquis diceret, quod tales species de facili possunt transmutari de colore in colorem, sed in metallis impossibile. Quibus respondendo ex euidenti causa per diuersas probationes & euidentias, eorum errorem penitus destruens: Videmus enim ex argento generari azurum, quod dicitur transmarinum: quod tamen cum natura sit perfectum, carens omni corruptione, facilius videtur, & est destruere accidentale quam essentiale: videmus enim cuprum recipere colorem citrinum ex lapide calaminari, quum tamen neutrum sit perfectum, neque cuprum, neque lapis calaminaris, quia in ambobus agit ignis. Videmus quod ex stanno fit lithargyrium, & stannum per nimiam decoctionem vertitur in colorem auri, quod tamen possibile esset conuerti in speciem argenti, cum de natura eius sit. Videmus & ferrum conuerti in arg. viuum, quod videtur quibusdam impossibile: & quare sit possibile iam rationem dixi superius, quod omnia metalla generantur ex arg. viuo, & sulfure: unde cum arg. viuo sit origo omnium metallorum, etiam possibile est ut ferrum redigatur in arg. viuo. Non ne, verbi gratia, aqua liquida tempore hyemis per nimiam frigiditatem induratur, & fit glacies: non ne glacies à calore Solis soluitur, & erit aqua, ut prius: Ita est de arg. viuo ubicunque est in terra, & si ibi est sulfur, tunc ista duo coadunantur simul, & per decoctionem temperatissimam longo tempore indurantur, & erit lapis mineralis, de quo trahitur metallum. Videmus etiam quod ex plumbo fit cerussa, ex cerussa minium, ex minio plumbum. Ecce iam satis manifeste probatum est, quomodo species permutantur de colore in colorem usque ad tertiam vel quartam formam. Unde nullo modo dubitandum est, quin metalla corrupta possint reduci ad sanitatem per medicinas suas. Iam positum est fundamentum ad artem istam: videamus quod superaedificemus. Si enim superaedificauerimus scenum, vel lignum, vel stipulam, ignis consumet omnia. Inueniamus ergo lapides, quos ignis non destruat, neque corrumpat: tunc securi erimus ab omni perturbatione. Et sciendum quod ea quae diximus de impedimento artis, & in principio, & postea de probationibus eiusdem, ideo dicta esse, ut artem veram esse stabiliamus &c. Nunc videndum qualiter agendum sit, & quo tempore, & quo loco. Et primo incipiendum est firmare etiam praeccepta. Primum ergo praecceptum est, ut artifex huius artis sit tacitus & secretus, & nulli reuelet suum secretum, quod nulla ratione ulterius manifestet: scies pro certo, quod si plures scirent, nullo modo pertransibit, quin diuulgetur: & quum diuulgatum fuerit, pro falsario reputabitur: & ita erit in perditione, & opus imperfectum remanebit. Secundum praecceptum est, ut artifex habeat locum, & domum specialem extra hominum conspectum, in qua sint duae camerae vel tres in quibus fiant operationes ad sublimandum, solutiones, & distillationes faciendum, sicut in posterum docebo. Tertium est, ut obseruet tempus in quo sit operandum, & horas ad sublimationes, & solutiones, & distillationes: quia non valerent in hyeme sublimationes: solutiones vero & calcinationes omni tempore fieri possunt: haec autem omnia in operibus lucide docebo. Quartum est ut artifex huius artis sit sedulus & frequens circa operationes, & non sit tardiosus, sed perseueret usque in finem. Quod si inceperit, & non perseuerauerit res & tempus amittet. Quintum, ut secundum artis institutionem operetur: primo in contritionibus, secundo in sublimationibus, tertio in fixationibus, quarto in

tò in calcinationibus, quintò in solutionibus, sextò in distillationibus, septimò in coagulationibus: & sic per ordinem. Si autem tingere præter sublimationē, & coagulare & soluere per distillationem voluerit, perdet pulveres suos: quia quum proiecti fuerint, non retinebis ex eis quicquam, sed reuolabit citissimè. Vel si cum fixis pulueribus, qui non sunt soluti nec distillati tingere voluerit, non ingredientur nec permiscantur corporibus. Sextum est, ut omnia vasa, in quibus debent poni medicinae, vel aquae, vel olea, siue super igne vel non, debent esse vitrea, vel vitreata. Si enim in vase cupreo ponantur aquae acutae, fiunt inde virides: Si autem in ferreo vel plumbeo, denigrantur & inficiuntur: Si in fictili penetrabunt, & destruentur omnia. Septimum est, quod cauere debes ante omnia, ne apud principes vel potentes intromittas te de aliquibus operationibus, propter duo mala: si enim intromiseris te, tunc de tempore ad tempus requirunt à te, & dicent, Magister quomodo succedit tibi: quando videbimus aliquid boni: Et non valentes expectare finem operis, dicent, nihil esse, truffam esse &c. & tunc habebis tedium maximum. Et si ad finem bonum non perduxeris, indignationem perpetuam ex hoc acquires. Si autem ad finem bonum peruenieris, cogitabunt perpetuo te habere, nec permittent te abire: & ita illaqueatus eris verbis oris tui, & sermonibus propriis irretitus. Octauum præceptum est, ne aliquis intromittat se de operationibus, qui non habeat expensas plenas ad minus, & ut omnia possit comparare, quae ad artem sunt necessaria, nec non & utilia: & si intromiserit se, & expensae defecerint, tunc res & omnia amittet.

Quod furni sint necessarii, et quales, et quanti.

Nunc videndum est, quomodo fiant furnelli, & qui, & quot sunt necessarii. Ad quod sciendum est, quod furnelli debent fieri ad quantitatem operis. Si enim res tibi sint sufficientes, & opus magnum volueris inchoare, tunc eo maiores construendi sunt. Si autem exiguum tibi fuerit, furnellos secundum quantitatem puluerum & medicinarum construes. Volo tamen ponere doctrinam furnellorum, & quantitatem secundum quod expedit tam diuitibus, quam pauperibus. Primum ergo dicendum est de furnello philosophico. Statuatur furnus prope parietem, ubi ventus accedere possit: furnus verò distet à pariete per longitudinem brachij in hunc modum. Fiat fouea in terra ad vnius profunditatem, in latitudinem duarum spannarum vel paulò plus, quae circumliniatur argilla magisterij, super quam constituatur murus per circuitum de eadem argilla.

De qualitate vel quantitate furni.

Recipe de argilla simplici & appone ad quatuor partes quintam partem argillae figulorum, & contere optimè, & adde parum de arena, & iterum contere (aliqui apponunt consulto fimum equinum, aut saltè aquam, in qua ille fimus fuerit dissolutus) quo facto, fac murum, ut dixi, super foueam in altitudine duorum pedum, vel parum minus, & ad spissitudinem spannae vnius, & permitte ficcare, & tunc habeas rotam factam de argilla figulorum, quae ignem fortem sustinere possit, quae vndique sit perforata, habens 50 vel 60 foramina, secundum rotae quantitatem, ad modum digiti superius acta, inferius verò ampla, ut liberius possit descendere cinis: inferius verò in terra fiat meatus per terram & parietem, antequam rota superponatur, & ille sit actus circa foueam, extra verò parietem amplius quasi ad vnam spannam, ut ventus intrare possit: qui meatus debet liniari argilla: quo facto superponatur rota, ita ut amplitudo foraminum sit subtus: & tunc iterum fiat murus super murum, & rotam ad spissitudinem spannae: murus verò sit in altitudine super rotam vnius brachij: furnus verò habeat foramen in medio super rotam, ubi carbonem imponatur.

tur. Superius verò haheat foramen, vbi vasa calcinatoria imponantur: quod foramen cooperiatur postea, cū coopertorio sibi apto. furnus quoq; habeat subtus (alibi supra) foramina parua quatuor vel quinque in amplitudine trium digitorum. Et hæc est forma furni.

Præterea sciendum est, quòd super rotam debes ponere tripedem de argilla factū, super quo ponantur vasa calcinatoria, vt desubter ponantur carbones.

Quot & quales sint furni sublimatiui, & unde.

Nunc videndū est de furnellis sublimatiuis, qui ad minus debent esse duò vel quatuor, & fiant per omnia cum rota, & meatu, & foraminibus, sicut furnus philosophicus, excepto quòd nō debent esse tantæ capacitatis; & isti debent simul stare, vt omnibus possint ministrare.

Quales sint furni distillatori.

Furnelli distillatori sic faciendi sunt: fiant vt supra de argilla: fiat murus rotundus super terram ad spissitudinem quatuor digitorum, in latitudinem verò trium palmorum: & habeat fornax per circuitum foramen in amplitudine trium digitorum: furnus verò sit amplior superius, quàm subtus in hunc modum, vt eius figura demonstrat. De istis furnis fiant tantummodò duo, qui sufficiunt ad distillandum. Vasa verò sint furnellis apta, alia ad distillandum, alia ad calcinandum, alia ad coagulandum, quorum formam ponemus in fine libri. Reperies in cælo philosophorum Vlstadij & c.

De furno vitreariorum.

Furnus vitreariorum fiat cum cæteris in fine, qui satis est necessarius ad vitreandum.

Quomodo vasa fictilia devitreantur.

Recipe quodcunque vas volueris devitreare, scilicet vas de argilla bene combustum, & linito bene cum minio sic temperato: recipe aquam & impone de fermento ceruisiæ vel vini quantum ad decimam partem aquæ, & misceas simul, & postea impone minium quantum volueris, & misce bene simul, & inde lineas vas cum pincello, vel cum manu, & permitte siccari: quòd de siccato pone in furnum, concavitatem subtus vertendo, ita quòd iaceat super duo ferramenta fortia, quæ in medio fornacis sint posita. Et si vis plura vasa imponere, melius est vt claudas os fornacis cum lapide & argilla, & fac ignē lenitum primò ad spacium vnius horæ: postea vigora ignem, quovsque videas minium defluere sicut ceram: tunc cessa & permitte intrigidari, & tunc aperi & inuenies vasa tua optimè vitreata. Hoc tamen nota, quòd minium factum de cerussa decuplo plus valet ipsa cerussa, quàm minium factū de cinere plūbi. Data doctrina de furnellis, iam dicendum est de spiritibus & medicinis.

Quòd quatuor sunt spiritus metallorum qui tingunt.

Sciendum ergo quòd quatuor sunt metallorum spiritus, scilicet mercurius, sulfur, auripigmentum, vel arsenicum, & sal armoniacum: isti quatuor spiritus tingunt metalla in album & rubeum, id est in Solem & Lunam: non tamen per se, nisi prius præparentur ad hoc cum medicinis diuersis, & non effugiant ignem: & cum steterint in igne faciunt mirabilia opera: faciunt enim de Marte vel Ioue Lunam, de Venere vel Saturno, Solem. Et vt breuiter dicam, omnia metalla transubstantiantur in Solem & Lunam, quæ paria sunt omnī naturalī in omnibus operibus, excepto quòd ferrum Alchymia non trahitur ab adamante: & aurum Alchymia non lætificat cor hominis, nec curat lepram, & vulnus ex eo factū tumescit: quod nō facit ex auro naturali. In omnibus enim alijs operibus, scilicet malleatione, examinatione, & colore durat in æternum. De his quatuor spiritibus sit tinctura, quæ dicitur Elixir Arabicè, fermentū Lat.

Quid sit Elixir, & quot metallorum transubstantiantur per hos quatuor spiritus.

Est autem Elixir nomen Arabicum, Latine verò significat fermentum, quia sicut panis fermentatur & leuatur per bonum fermentum, ita massæ metallorum transubstantiantur per hos quatuor spiritus in album & rubeum, & maxime per mercurium, quia ipse est fons & origo omnium metallorum.

De generibus medicinarum & nominibus earum.

DE spiritibus verò alijs & medicinis, quæ sint & quomodo nominentur, sic est intelligendum, scilicet sal commune, sal alkali, sal nitri, sal borax, alumen zucharinum, alumen iameni, tartarum, atramentum, viride gris, lapis calaminaris, cuperosa, tutia, cinabrium, minium, cerussa, oua gallinarum, testæ ouorum, acetum, vrina, cadmia, marchasita, magnesia, & aliæ res multæ, de quibus in hoc libro non habemus necesse. Ista verò non tingunt, sed sunt adiuuantia spiritus vt citius præparentur, & citius soluantur, & cum aquis ipsorum terantur calces metallorum, & acquirant humiditatem rectificantem ipsa corpora. Hæc autem quomodo præparentur, & vbi inueniantur, & calcinentur, & soluantur, & distillentur, per ordinem in sequentibus ostendemus.

Quid sit mercurius, & unde nascatur.

Est autem mercurius aqua viscosa in visceribus terræ, substantiæ subtilis terræ albæ per calorem temperatissimū vnita tali vnione æqualiter: ideoque fugit in superficie plana de facili, & propter aquositatem non adhæret, licet viscosam habeat substantiam, propter suam siccitatem, quæ illi obtæperat, & illam adhærere non permittit. Est etiam materia metallorum cum sulfure, scilicet lapis rubeus de quo extrahitur arg. viuum, & inuenitur in montibus maxime in cloacis veteribus in multa quantitate. natura eius est frigida & humida & est fons omnium metallorum, & ab eo procreantur omnia, vt supra dictum est. Creatur verò cum omnibus metallis, & miscetur ferro, & sine ipso nullum metallum deaurari potest. Additio. Arg. viu. cum sulfure & sale armoniaco sublimatum conuertitur in puluerem rubeum splendentem: & iterum vsum in igne, redit ad substantiam humidam & fluentem.

Quid sit sulfur, & quid operetur, & vbi inueniatur.

Sulfur verò pinguedo terræ est in minera terræ per temperatam decoctionem inspissata, quousque induretur, & fiat spissa: & quū indurata fuerit, vocatur sulfur. Fortissimam sulfur operationem habet, & est vniformis substantiæ in partibus suis: & ideo non aufertur ab eo oleum eius per distillationem sicut ab alijs rebus oleum habentibus, sed per aquas acutas sulfur in ipsis decoquendo: inuenitur in terra, aliquando in montibus, aliquando in paludibus: est etiam multiplex, scilicet album, rubeum, viride, citrinum, nigrum: & etiā quoddam mortuum. Viuum est illud quod de terra extrahitur mundum fusum, & valet contra scabiem. Mortuum verò est quod fusum est in cānis, vt inuenitur in apothecis. Additio. Sulfur igneam habet naturam, ipsum liquefit vt guma, & totum fumus est.

Quid sit auripigmentum, & unde nascatur.

Auripigmentum est lapis mineralis, & sic fit. Sterquilinum terrestre in cauernis terræ per longam decoctionem transit in substantiam auripigmentati. Duplex est in eo viscositas: alia subtilis, alia grossa: vna tollitur per abluitionem & decoctionem eius in vrina, alia per sublimationem, vt inferius dicitur. Additio. Auripigmentum est calidum, comburens, nisi candidetur. Auripigmentum sublimatum, cuprum in argenti speciem dealbat: idque super salis gemmæ partes quatuor, duabus salis armoniaci appositis, superius inferiori superpone: habens itaque tertio commutationem, videbis optatum.

Quid

Quid sit arsenicum

Arsenicum est de materia subtili, colorem habens sulfureum, & est lapis rubeus: natura eius est sicut auripigmenti: flos eius erit albus & rubeus: de facili sublimatur. Duobus enim modis albificatur, scilicet per decoctionem & sublimationem.

Quod sal armoniacum sit duplex.

Sal armoniacū duplex est, scilicet naturale & artificiale. Naturale est quod inuenitur in terra duplex, scilicet album & rubeum: quorum tamen utrumque extrahitur de minera dura & clara, saporē habens vehementer salum natura eius calida & sicca. Est etiam lauatiuum, mūdificatiuum & subtiliatiuum. Artificiale est melius naturali in opere nostro: & ipsum est nobilius omnibus salibus, & conuertit mercurium in aquam, quando cum eo assatur & teritur, & mittitur in aliquo loco humido ad soluendum: Et cum ipso ferrum & plumbū soluitur. Ipsum quoque est oleum, quod congelauit siccitas ignis. Natura eius est calida & humida, & est spiritus subtilis ad Elixir: nam sine ipso nec soluētur, nec ingredientur. Et sciendum, quod per ipsum non dealbantur corpora, nec rubificantur, nec transubstantiantur, sicut per alios spiritus: sed ipse dat alijs introitum, & purgat & mundificat corpora a nigredine: tunc relinquit ibi spiritus cum corporibus permixtos, & coadiuuat eos, & postea recedit. Additio. Aqua salis armoniaci sublimati vel nō, sed per filtrum, vel pluries per pannum subtilem & spissum colati cuilibet corpori calcinato in aliud corpus fusile præbet ingressum, si illud calcinatum sæpe in eo imbibatur, & postmodum congelatur, & vltimò puluerizetur & dissoluatur. Vnde crocus ferri hoc modo præparatus argento auri optimi tincturam præbet.

Quid valeat sal commune, et quomodo præparetur.

Sal commune est clauiger huius artis, quia claudit & aperit omnia, & sine illo nullum opus Alchymie perfici potest. Præparatur autē sic. Accipe de eo quantum vis, & solue ipsum in mortariolo cum aqua calida mouendo, donec solutum sit, tunc cola per pannum spissum in vas lineū, & quod remanet supra fundum, iterum cum aqua calida, sicut prius, solue, donec totum sit solutum. Tunc aquam illam coque in vase vitreo, aut plumbeo, aut cupreo, donec aqua euanescat, & sal reuertatur in priorem statū. Tunc accipe illud sal, & pone in ollam nouā ad furnum calcinationis (olla debet claudi) & sicca optimē & serua vsque dum doceam te, qualiter debes soluere & distillare. Additio. Non debet fieri in metallo, quia nō est bonum, vt expertus sum, sed in vase terreo plumbato, vt dicit Geber in de Perfectionis inuestigatione in particula prima. dissolue sal in aqua calida, dissolutum distilla per filtrum, distillatum congela in vase apto cū lento igne. Alij postea ponunt in furno calcinationis aut panis, & siccant optimē, & seruant.

Aqua salis cuiuslibet.

Est autem sal fundens sic. R. sal de Pictauia & tere minutē in mortario cupreo, postea imple quatuor vesicas mutoninas, & liga illas cum corda per collum vt non respiret: postea habeas cacabum plenū aqua pluuiali, & pone vnum baculum in transuerso cacabi, ad quem suspēdes tuas vesicas, & submerge in aqua vsque ad collum, & ibi dimitte per diem naturalem, deinde extrahe & cola aquam, extra quam intus reperies, & quod non est dissolutum, repone in cacabo per alium diem vt prius, & tot vicibus facias, quovsque totus sal resoluatur in aquam, postea distilla & congela: postea congelatum pone in potto terreo super ignem carbonum vndique accensum, bene tamen prius lu-

H

tato, & tunc dimitte in igne aut furno quovsque ignis extinctus sit: & postquam infrigidatum est, aperi tuum sal, quod erit vt metallum, & hoc fiat septem vicibus & non minus.

Quid ualeat sal Alkali, & quomodo præparetur.

Sal alkali est qui spectat ad artem istam, & quando bene præparatus est, tunc soluit omnes calces corporum in solidam massam. Natura eius est calida & humida: Fiat autem sic. R. cineres quercus putridæ in magna quantitate, vel cineres clauellatos propriè, quæ habentur ad pannos abluendos, & cõttere minutissimè, & accipe sextam partem de calce viua, & misce simul, & pone pannum spissum super tinam, & desuper pone cinerem cum calce mistum quantum pannus capere potest, & funde desuper aquam feruentem, & cola in lixiuïum, donec totam amaritudinem extraxeris: & tunc deinceps istum stratũ, & pone alium, & huic fac sicut priori. Habita autem tota aqua, mitte residere in eodem vase vsque manè, (& distilla per filtrum) tunc decoque eam in caldario donec aqua euanescat, & non det fumum: tunc permitte infrigidari, & erit lapis durus, quod dicitur Alkali, id est fax amaritudinis: & tunc accipe hunc salẽ & pone in ollam vsque ad medium, & pone non clausum in fornacẽ, & dato ei in primo lentum ignem, quovsque bulliendo non insaniat (siue saliat:) Postea da illi fortioïem quovsque totum rubescat & lique scat sicut cera, tunc defunde cum forcipe in aliam ollam incontinenti, quia si aliquid tardaueris, non poteris effundere, quia citò indurabitur: & tunc habebis salem alkali album, quem pone in vase vitreo in loco calido & sicco, quia si in loco humido poneris, solueretur. Additio. Fiat autem aliter sic sal alkali. Recipe de cinere cuiusdã herbæ, quæ dicitur Soda, & bene mole & bulli in ollam cum aqua, & fac transire per caligam sicut claretum semel aut bis: deinde distilla per filtrum, postea pone in potto terreo nouo, & ad lentum ignem congela primò, deinde augmẽta ignem, quovsque bene congeletur: tunc ponatur in loco mundo & sicco. Alumen faseolum dicitur alumen alkali, alofor, & cinis clauellatus, aut ex eo factũ.

Alumen iamenĩ tere & solue in tribus libris aquæ vrinæ distillatæ, deinde distilla per filtrum nouum, deinde congela album, postea tere super marmor, deinde rora aliud marmor cum aceto distillato, & pone alumen illud tritum desuper inclinando marmor ab vna parte, vt cadat in vase vitreo aqua clara, & terrestreitas maneat super marmor vt terra alba, & hoc fiat in loco frigido & rorido, & ponatur in vase vitreo bene obturato: hanc aquam potes congelare in leuissimo igne humido: & cum hoc alumine fixatur spiritus, & cum hac aqua lauantur corpora calcinata.

Quomodo alumen albificatur & soluitur in aquam.

Accipe de alumine quantum vis, & pone vsque ad medium vel minus in ollam, & claude vas, & pone in furnum, & primò da ignem lentum, & postea fortem, & permitte siccare per diem integrum in tali igne, postea extrahe quum fuerit infrigidatũ, & inuenies alumen albius niue, quod serua, quia ex ipso fit aqua ad album, super lapidem marmoreum in loco frigido & humido. Additio. Hoc modo dicto potest resolui alumen quodlibet in aquam, vel terendo cum paucis salis armoniaci sublimati, vel positum ad dissoluendum super marmor, aut in fimo, aut in vapore aquæ calidæ, aut aliter.

Quomodo atramentum rubificatur, & soluitur in aquam.

Atramentum est terra nigra, odorem habẽs sulfureum quum crematur in igne: mutatur eius color niger in rubeum per calcinationem, quem nunquam amittit de cætero. Recipe atramenti triti quantum vis, & pone in ollam vsque ad medium, vel ad summum, & claude cum coopertorio, & argilla li-

la linias, & desiccatum pone in furno calcinationis, & da ignē primò lētum per tres horas, postea fortiorē, trib. horis, donec tota olla rubescat, & in tali calore stare permittit per diē & noctē, & caue ne liquefiat, postea permittit infrigidari & extrahe, tunc habebis atramentū rubrū, quod vocatur flos atramenti. Reserua ergo: nam quando solutum est in aquam, tunc rubificantur spiritus & corpora cum eo colore rubeo, quem nunquam amittent. Additio ad caput superius de Alumine. Alumen plumæ sic præparatur: tere minutē, & coque in vrina purgata, & imponas tantum aquæ vrinæ quod superet alumen de duobus digitis, & coque quovsq̃ue alumen sit dissolutum in aqua, postea distilla per filtrū, deinde congela & sicca inter duas patellas terreas super lentum ignem. Et sic debes siccare res, quas non potes ad Solem siccare, nisi sint spiritus: quia eorū exiccatio est alia, & sic fit: pone eum in vase vndique clauso, præterquā superius, vbi sit paruum foramen ad quantitatem pisi, & vas cum materia pone in furno siccari, dum panis fuerit extractus, vel factus sit modicum calidior, & ibi dimitte per totam noctem, & in mane reperies siccum: & hæc præparatio dicitur Exiccatio. Quære in Aristot. de Perfecto magisterio.

Quomodo præparatur tartarum, ut oleum fiat ex illo, quo calces solvuntur.

Tartarum est res quæ multum valet ad istam artem, quod sic præparatur. R. tartarum crassum rubei vel albi vini, & imple ex eo ollam & claude: postea pone in furnum, & da ignem primò lētum, postea fortiozem: hoc fac tribus diebus & noctibus, ita quod olla rubescat, postea extrahe & reserua, & docebo te oleum facere ex eo, cum quo soluere poteris omnes calces corporum & spirituum in aquam, & ipsa est vnum de retinaculis. Additio. Non est bonum implere ollam in forti igne, & hoc sum expertus pluries.

Quomodo viride æris fit, & quomodo rubificatur, & super omnia valet ad artem istam.

Viride æris fac sic: Lamine æris primò cum sale armoniaco & melle resolutis inunctæ suspendantur super vapores aceti fortis in olla forti, & claude valde bene, ne aliquo modo respiret, & ponatur in loco calido, vt acetum euaporet, & permittatur stare tribus hebdomadibus vel quatuor, postea aperit, & inuenies viride æris adhærere laminis: quod abraide & serua, & iterum suspende laminas super acetum sicut prius, donec totaliter conuertantur in viride æris: postea ad ignem positum calcina per omnia sicut de atramento docui, & erit color rubeus, qui nunquam destruetur: qui quando solutus est in aquam, cum ipso corpora & spiritus rubificantur colore perpetuo: & ipsum est vnum de retinaculis spirituum: & in ipsa aqua sunt secreta multa. Additio. Vel sic fit æs viride. R. limaturæ Veneris libram vnam, vitrioli, salis armoniaci, ana librā semis, de omnibus cum forti aceto fac pastam, pone in vase vitreo in fimo equino: ibi putrefiet, & efficietur viride æris nobile. Flos. Tolle patellam mundissimam de æramine & suspendas super acetum acerrimum, & pone ad Solē immobiliter: post 14. dies aperies, & tolle ipsam patellam, colligesq̃ florem, & facies farim mundissimam. Nota quòd Geber dicit in libro Fornacum, in capitulo Lunæ, quòd Venus debet esse purgata & dissoluta, & ex ea extrahitur sulfur mundissimum, tingens, & fixum.

Quomodo fiat Cinabrium & de quo.

Cinabrium est res nobilis quæ ad artem spectat, & vocatur Vlsifur: fitq̃ ex arg. viuo & sulfure, sic: R. mercurij partes duas & sulfuris tertiam partem & cōtere ad modum vermillionis, & pone in vas vitreum, angustum ha-

H 2

bens collum, & bene linias vbique cum argilla ad spissitudinem vnus digiti, & desiccatum pone super tripodem, & obstrue os vasis bene, & da ignem lentum ferè per dimidium diem: post vigora ignem melius, & sic assa per integrum diem, donec videas superius fumum rubeum exire, tunc permitte infrigidare, extrahe & frange vas, & inuenies cinabrium finum bonum, exercitare ergo, & inuenies veritatem. Et nota, quod quum in cinabrio tibi visum fuerit, quod vas incipit superius sudare, aperi valde cautè, & videbis fumum croceum exhalare, qui post modicam horam transformabitur in colorem rubeum siue cinabrij, postea accipe lignum & in ampullam mitte, & extrahe, & videbis si satis sit, tunc permitte infrigidare. Additio. Sed primò lauatur mercurius cum cineribus, & sale, & per transitum rari panni. Similiter etiam sulfur bulliatur in vrina & aceto auferendo nebulam supernatantem, & post exicetur, scilicet per vnum diem in aceto, & secundò in vrina decoquatur. Sed vidi in scriptis istam. R. duas partes mercurij, tres partes sulfuris, quatuor partes salis armoniaci. Hæc Hermes.

Quomodo & unde fit Azurium.

ET si Azurium non sit necessarium in arte nostra, tamen de eo ponam doctrinam. R. duas partes mercurij, & tertiam partem sulfuris, & quartam partem salis armoniaci: hæc cōtere sicut docui de cinabrio, in vase vitreo positum assa per omnia vt cinabrium: & quum videris per fumum vitrum blaeum, tunc satis est: & cum infrigidatum fuerit frange vas & inuenies azurium nobile: tunc contere super lapidem sine aqua, & habebis ex eo expensas tuas. Additio. Aliqui dicunt, quod vas vitreum debet manere apertum, donec materię humiditas exhalata fuerit super ignem. Vidi in quodā tractatu circa pondus Azuri, 22 pondera mercurij 8 sulfuris, & 4 salis armoniaci. Item vidi in alio tractatu poni vnum pondus salis armoniaci, duplum sulfuris viui, triplum mercurij: lutato vase ponatur in fimo triduo, postea decoque vt supra Hermes. Adhuc alius modus. R. lib. 1. mercurij, sulfuris vncias 4 salis armoniaci vncias 2. contere & sublima, & fiet azurium ultramarinum lento igne. Alius modus. R. mercurij drachmas duodecim, sulfuris viui drachmas quatuor, salis armoniaci drachmas tres. Aliter. Recipe duas partes mercurij, tertiam partem sulfuris, & octauam partem salis armoniaci: puluerizentur & ponantur in vitro lutato, & strictum collum habente, detur mediocris ignis per dimidium diem, & tunc fortis, & lutetur foramen, & si blavius fumus exiuerit, satis est &c. Alibi 22 pondera mercurij, sulfuris 8 salis armoniaci 4 & fiat per omnia sicut vsusur.

Quomodo fit cerussa, & unde.

Cerussa sic fit. R. laminas plumbi, & suspende eas super vapores aceti fortis in olla forti, & claude vas, & pone in loco calido, & per omnia fac sicut fecisti de viridi æris, & inuenies cerussam laminis adhærere, quã collige & serua donec habeas magnam quantitatem, & inde fac minium.

Quomodo fit minium de cerussa.

Minium de cerussa sic fit. Cerussam tere bene super lapidem cum aqua, & fac inde quasi pastilla, & pone in vas fictile formatum ad modum bacinæ non habentem rotunditatem vel longitudinem, sed prius pone ollã magnam super lapidem, vel super duos parietes ex argilla, ex altitudine vnus spatia, & super illos pone ollam, ita quod os ollæ super vnum parietem iaceat, & fundus super alium, & tunc depone vasculum cum cerussa in medium ollæ, & illud cooperi cum alio vase sibi apto, & da primò lentum ignem, & postea fortiorē per dimidium diem: tunc permitte infrigidari, & inuenies cerussam aliquan-

aliquantulum rubeam, iterum fac sicut prius terendo per dimidium diem, tunc extrahe, & inuenies minium bonum.

Quomodo fit minium de cinere plumbi.

Accipe ollam & pone super duos parietes, sicut docui supra, & plumbum impone, & da ignem fortem: quum liquefactum fuerit, habeas cochlear ferreum longum, cum quo moueas continue, & cito incineretur: & hoc fac tamdiu donec incineretur totum: quod infrigidatum per pannum lineum, vel per strictum cribrum extrahe, quod remanserit, iterum projice in ollam mouendo ut prius, donec totum redigatur in puluerem subtilem, quem iterum cribratum, super lapidem iterum tere cum aqua, & de ipso per omnia fac ut docui de cerussa, terendo, assando, donec habeas minium.

Additio. Minium etiam sic fit. Accipe quinque aut sex libras Saturni in quo libet potto, & facias fundi bene calidum, & mole ferrum intus cannam, usquequo veniat totum in puluerem, & dimitte quiescere duas horas, tunc distempera in vrina, & pone tres horas super ignem in potto bene calidum per octauam partem vnus horæ, & dimitte ignem diminui per se ipsum, tunc habet rubeum colorem: & postea oportet iterum terere super vnam mensam, & iterum mittere in cannas, & ibi dimittere per vnum diem ad lentum ignem competenter & factum est. **Aliter.** R. tertiam partem salis gemæ, duas partes arsenici rubei, & tantundem arg. viui, & miscebis simul, & facies minium inde.

Quid sit sublimatio, & quot modis potest fieri.

Sublimatio autem est rei siccæ per ignem eleuatio cum adhaerentia sui vasis. Sublimatio verò diuersificatur secundum diuersitatem spirituum sublimandorum. Quædam verò fit cum ignitione, ut Marchasitæ, magnesie, & tutiæ: quædam verò cum ignitione mediocri, ut mercurij & arsenici: quædam cum igne remisso, ut sulfuris. Quædam verò sublimatio mercurij est, ut fiat despoliatio terreitatis illius, & aqueitatis mutatio: Est autem ingenium separata terra superflua sæpius commista cum rebus, cum quibus affinitatem non habet: & sublimationem ipsius ita reiterare sæpius: & horum genus est calx corticum ouorum, & marmoris albi, & vitrum tenuissimè tritum, & omne genus salis præparati, ab istis verò mundatur: ab alijs verò non, nisi fuerint in perfectione corpora, sed corrumpunt potius, quia sulfureitatem habent omnia talia quæ cum ipso in sublimatione ascendunt, opus corrumpunt. Et propter hoc si sublimas à stanno vel plumbò, post sublimationem ipsum conspicias nigredine infectum: ergo melior est sublimatio per ea, cum quibus non conuenit. Melius autem esset cum eis, cum quibus conuenit, si sulfureitatem non haberent. Modus autem remotionis aqueitatis est, ut quando commiscetur cum calcibus cum quibus sublimari debet, teratur, & commisceatur cum illis, donec de eo aliquid non appareat, & super ignem lentum aqueitas remouetur: qua recedente, & secum aqueitas mercurij recedit, sicut in sequentibus sublimationibus spirituum docebo.

Quid sit calcinatio, & quot modis fiat.

Calcinatio autem est cuiuslibet rei per ignem puluerizatio & priuatione humiditatis partes consolidantis. Calcinantur autem corpora à sua perfectione diminuta. Calcinationes etiam sunt diuersæ. Calcinantur corpora ut sulfureitas illa defœdans & corrumpens deleatur: Comburit enim omnis sulfureitas ex quacunque re adustiuâ, quæ sine calcinatione deleri non posset. Specialis enim mollium scilicet corporum per eam ea indurare, sed manifestius imprimitur & citius induratur. Causa verò calcinationis spirituum est ut melius figantur & citius soluantur in aquam: quia omne genus calcinati fi-

xius est, & facilioris sublimationis, quàm non calcinati. Corpora ergo mollia per ignem de facili possunt calcinari: corpora verò dura per ignem vehementem. sicut in fine docebo. *Additio.* Luna calcinatur sic: *R.* vnciam vnam Lunę purissimæ, aut plus quantum vis, de qua fac laminas tenues sicut vngues manus, & tertiam partem salis communis, communi præparatione præparati, & calcinati, & quartam partem de mercurio sublimato, & fac puluerem de dicto mercurio & sale simul tritis: Postea cimenta dictas laminas in sublimatorio, ponendo primum lectum de dicto puluere, & secundum lectum de laminis dictis, & consequenter lectuatim: deinde fac sublimationem cum igne lento, donec tota humiditas dictarum rerum mistarum euanescat: deinde claude bene orificium, & augmenta ignem per diem naturalem: & caue ne remoueas vas ab igne immediate, sed dimitte infrigidari per tres horas, & noli aperire vas donec sit frigidum, quia exhalarēt spiritus: & dum vas est frigidum remoue, & extrahe mercurium sublimatum clarum vt crysallum, & pone ad partem, postea extrahe lunam tuam cum sale communi relictam semicalcinatam, & tere si mul salem, & lunam semicalcinatam super Porfidum, si teri possit: si teri nō posset, pone in cassola vitreata, & cum aquis feruentibus separa totum sal, donec nihil salsedinis ad linguam sentias: tunc desicca calcem relictā in fundo paroppsidis, & calcina iterum cum nouo sale & mercurio sublimato quinquies vel sexies: Et in qualibet vice post calcinationem laua calcem Lunæ, donec nihil salsedinis in lingua sentias, & luna tua calcinata sit albißima & mundissima, vt radij stellarum, taliter quod si fundas partem dictæ calcis cum borace, vel nitro, vel cum bono sale alkali, inuenies lunam tuam conuersam in aurum album.

Quid sit coagulatio, & ad quid fiat.

Coagulatio autem est liquorosæ rei ad solidā massam per humiditatis priuationem reductio. Causa verò inuentionis eius est mercurij induratio, & medicinarum solutarum ab aqueitate illis admista ablutio: coagulatur autem mercurius ex frequenti illius præcipitatione cum violentia ad ignis asperitatem. Asperitas autem ignis illius aqueitatem remouet, & hoc fit in longo vase & arcto.

Quid sit fixio, & quot modis figantur corpora.

Est autem fixio rei fugientis ab igne conueniens optatio: Causa verò inuentionis eius est vt omnis tinctura, omnisq; alteratio perpetuetur in altero, & non mutetur: figuntur enim corpora a perfectione diminuta per calcinationem, quando soluuntur a sulfureitate volante & corrumpente: figuntur enim sulfur & arsenicum duobus modis: vno modo per iterationem sublimationis super illa in alijs, vel quovsq; stēt. Figuntur etiam spiritus alio modo, scilicet cum aquis metallorum, vel cum oleo tartari, sicut dicam inferius. *Additio.* *R.* mercurij sublimati, salis armoniaci ana, sublima septies, vel quovsque fundatur, tunc in fundo manebit lapis: illum tere & solue in loco humido, & fiat aqua: cum ista aqua imbebe arsenicum metallinum, tunc solue cum aceto distillato, & distilla septem vicibus, aut congela, & solue, fiet lapis.

Arsenicum autem fit metallinum fundēdo cum duabus partibus saponis albi, & vna arsenici. Aliter fit in libro Fornacum apud Geberum: ibi vide, si vis. Sublima mercurium, aut sulfur, aut arsenicum præparata, aut plura illorū simul cum sale tartari, aut sale petreæ, aut armoniaco, & hoc fiat toties, quovsque stent fixa, deinde extrahe sal cum aqua calida,

Quid

Quid sit solutio, & quot modis fiat.

Solutio autem est cuiuslibet rei calcinatæ in aquam resolutio: causa verò inuentionis eius vt suum intrinsecum fiat extrinsecum, & è contrà: & vt cōueniens sit ad distillandum: sic enim purificatur omnis eius corruptio. Fit autem solutio aut caliditate & humiditate, vel frigiditate & humiditate, sicut in sequentibus docebo.

Additio. Aliqui solunt postquā fuit calcinatum, cum tanto sui pondere de sulfure in crucibulo clauso cum aqua aut succo limonum.

Quid sit distillatio, & quomodo, & quare.

Distillatio autem est vaporum aquosorum in suo vase eleuatio: diuersificatur autem quia quædam est sine igne, quædam verò cum igne: quæ cum igne est, duorum generum inuenitur: Quædam verò per eleuationem vt illa quæ fit per alembicum: quædā verò est per descensum, vt ea quæ fit per cānam, & per ignē valibus superpositū &c. Causa verò generalis cuiuslibet distillationis est purificatio liquorum à fæce sua: Videmus enim rem distillatam puriorem effici: Causa specialis aquæ puræ fuit imbibitio spirituum & medicinarum mundarum: vt si quando egemus imbibitione, aquam puram habeamus, quæ fecem post illius resolutionem non habeat vel dimittat, qua medicinæ nostræ, & spiritus mundati infici possunt: causa verò inuentionis distillationis est quæ per descensum cānæ fit olei puri in natura sua extractio, quando per sensum oleum in natura sua combustibile haberi non poterat, vt patet in petroleo. Distillationis autem quæ per filtrum perficitur inuentionis causa, est solius aquæ serenitas.

Additio. Sublimatur mercurius sic. **R.** vitrioli exiccati, salis communis calcinati ante vnciā vnā: puluerizentur & misceantur, addatur vice post vicē vnciā vna mercurij, conterantur adinuicem superaspargendo acetum distillatum parum, vt melius fortificetur: vel quod melius est parum aquæ fortis, quia melius fortificabitur, postea pone in sublimatorio. Et si sublimatoriū fuerit de vitro, fiat mediantibus cineribus, & lutum sit de creta puluerizata cum farina distemperata cum albumine ouorum: Et si subltmatorium fuerit terreum, fiat super carbones, & sit lutum de argilla, calce viua cum stercore equorū, cum aqua salis & papyro optimè madefacto.

Quid sit ceratio, & quomodo fiat.

Ceratio autē est rei non fusibilis & siccæ mollificatio: Ex hoc patet, quòd causa inuentionis eius est, vt quod ingressione non habebat ex priuatione liquefactionis in corpus ad alterationem (seu incerationem) mollicetur, vt fluat, & ingressione habeat. Putauerunt quidam cerationem ex oleis liquidis & aquis debere fieri, sed erroneum est: in nullis enim tota humiditas inuenitur melius quā in sulfure & arsenico. Modus autem cerationis per illos est, vt totiens per rem cerādam multiplicetur eorum sublimatio, quousq; in illud humiditatem inuenientes, fusionem bonam præstent: hoc autem non fiet ante illorum perfectam mūdationem ab omni re corrumpēte. Sed melius mihi videtur, vt eorum olea prius figantur per oleum tartari, & cum illis oleis fiat omnis ceratio competens: & hæc de his sufficiant.

Additio. Ceratio quidem est necessaria in omnibus Elixiribus tam spirituum quā lapidum, quā corporum: in hoc concordant omnes Philosophi. Modus cerationis est talis: Ceretur corpus donec appareat vt cera mollis, & natei desuper aqua: solue in phiala sub fimo, post distilla semel, & remoue facem, quia est aliquantulum nigra: deinde gela in fornace parua. Signa transmuta-

tionis sunt, si sumatur parum de illo Elixir post congelationem, pone in crucibulo super ignem, si fundatur, est bonum: si non redeas ad regimen.

Quomodo mercurium preparabis, et super niuem dealbabis.

Recipe de mercurio libram vnā, & contere super lapidem sic: R. calcem corticis ouorum, siue calcem marmoris albi, siue viride gris, & pone ex eo super lapidem, & superfunde acetum forte, & contere in pastam: postea appone de mercurio parum, & contere donec nihil appareat, & iterum parum appone de mercurio & contere simul sicut prius, & appone parum de sale armoniaco: vel tere omnia simul, donec non appareat mercurius: tunc facies ex hoc frustitula ad modum pastillarum, & pone in vas donec nihil appareat. Tūc fac ex eo pastilla, & pone in vas factum ad modum scutellæ, & pone ad siccandum in fornacem mediocriter calefactam, ne per nimium calorem mercurius euanescat. De mercurio sit lib. 1. de calce sit lib. 1. de sale armoniaco est mensura vt semper sumas tantum quantum de calce, & quantum de mercurio: & debet conteri donec nihil appareat de mercurio. Quum autem bene desiccatum fuerit, iterum contere sicut prius, cum aceto, donec non appareat, & pone ad siccandum. Hoc autem est signum perfectæ contritionis, quum ipsius parum madefactum cum salua super argenteum denarium inde linatum non adhæserit mercurius: si autem adhæserit, non est bene tritum. Quū autem satis fuerit, cōtere minutissimè sine aliqua defectione, & positum in sublimationem, cooperitorium superpone. Hoc tamen non est prætermittendum, quum imposueris medicinam, quia superficiem eius æques cū penna pectinando: Et sic vas clausum cum argilla in coniunctione vasorum optimè linias ne respiret, & positū super furnum sublimationis da ignem per dimidium diem lentum, donec ista humiditas euaporet: quod probabis superponendo laminam, donec exicetur: quum exiccatum fuerit claude cum argilla bene, & da ignem fortiolem, & in ultimo da fortissimum: & quum nox est permitte infrigidari: mane aperi, & quicquid de eo viuū fuerit, apparebit in superiori parte alludel: altera verò pars iacebit supra fæces sicut nix, puluerizabile circa parietes inferioris vasis, aliquando in superiori vase, illud collige & reserua: viuū sicut prius contere cum fæcibus, & sublima donec habeas ipsum totum mortuum & puluerizabile, & ita contere totiens & sublima, donec habeas ipsum totum mortuū & puluerizabile. Tunc vlterius ne apponas ei aliquem liquorem, quia statim reciperet suam viuacitatem, & labor tuus esset inanis. Recipe tunc de sale præparato vt docui, & bene pura & siccata parte vna, appone partem dimidiam mercurij sublimati, & cum manu misce simul, & pone illud in vas ad sublimandū, & plana superius & claude, & sublima sicut prius: mane extrahe, & quod sublimatum est collige & proba, si in fæcibus aliquid remanserit, hac nota, accipe de fæce, id est de sale parumper, & pone super carbones, si fumigat, tunc secūda die idē sublima sicut prius per diem, & postea collige diligenter valde omnia ista sublimata: & tertio cum nouo sale pone ad sublimandum: & sic fac sicut prius, & inuenies super niuem, dealbatum. Tūc proba si adhuc in fæcibus aliquid remanserit: & si aliquid remanserit, sublima donec totum habeas: tunc accipe iterum nouum sale, & fac sicut prius quater vel pluries vsque ad fixationem, & serua. Additio. A Talco etiam optimè calcinatur. Magister Ioide Meum in suo magno opere apponit etiam viride æris, quod tamen est contra Geberum in capitulo de sublimatione mercurij, quia dicit, quod sublimari debet cum his, quæ sulfureitate non habet &c. Modus sublimandi mercurium melior omnibus:
Ralis

Rasis in libro donationis, qui est 23, de 70 sume salgemme partem vnā, atramenti Aegyptij partem aliam, quas bene teras: Deinde super eas iace arg. viui quantum ipsae sunt, & totum simul bene teratur, deinde ponatur in fundo allutet pergamenum, & super ipsum ponatur salgemma assatus, cui superponatur medicina, postquam illa desiccata fuerit, quod nihil humoris sit in ea relictum: & accendatur sub eo prius ignis paucus, deinde augmentetur donec argentum sublimetur viuū: postea ipsum sume, & optime tere, & sublima ipsum: sitque caput allutet in primis amplum, postea arcum successiue magis angustum, donec redeat sicut palma manus: Sublimabitur enim sicut crystallus in partibus allutet sub scuto. De eo vero quod est super scutum, non fit lapis, sed erit puluis albus: & hoc erit septem vicibus. Si ergo firmatum sit super ignem, & tabulam ignitam, erit bene, & si non, reitera sublimationem cum atramento & sale, ita quod super caput angustetur: ipsum enim curret (vel hæret) & facit tabulam albam, & argentum merum.

Si sapius sublimaueris mercurium, in qualibet vice debes minuire quintā partem faecum: si cum vitriolo & sale sublimes ut supra, debent assata esse.

Lutum quo iuncturae claudantur fit ex cinere, argilla, sale communi dissolutis in vrina. Aliqui cum albumine oui & calce viua.

Quomodo soluitur, albificatur, et figitur sulfur.

Primò decoquatur sulfur in aceto forti per diem integrum, sitque bene prius tritum super auferendo nebulam quæ supernatat: postea permittit siccat, & tere ipsum & pone tantundem aluminis præparati ut docui, & proijce in vas ad sublimandum sicut mercurium, sciens quod tantus ignis non est faciendus sicut mercurij, sed remisso & lento igne sublima per diem integrum: manē extrahe & inuenies sublimatum & nigrum: Sublima secundò & erit album: sublima tertio & appone sal, & erit albilissimum: itera eius sublimationem tertio & quarto, & usque ad fixationem, & serua. Additio. Sublimatur sicut arsenicum, sed maiore indiget decoctione & longiori.

Quomodo albificatur auripigmentum.

Auripigmentum debes terere & decoquere vno die in aceto, & alio die in vrina: postea appone ei tantundem de fuligine ferri, & misce bene simul postea sublima ipsum, per omnia faciendo, ut de sulfure docui, & erit album: Additio. Auripigmentum dicitur arsenicum citrinum. Auripigmentum aceto & sale præparatum quoad serenum sit exaltatum: quantum enim ad munditiam nullum melius: Rasis idem alibi: sal super omnia præparat ipsum.

Quomodo albificatur arsenicum.

Arsenicum verò est eiusdem naturæ cum auripigmento, sed non est necesse decoqui: tere igitur bene & imbibe, cum aceto forti (Rogerius dicit aceto distillato, videas ubi loquitur de corporum calcinatione) bis vel ter, vel quater, & toties desicca, & tunc potest seruari in puluere quod erit aptum ad calcinandum corpora: si verò vis sublimare, tere bene per se, & appone sibi tantum de fuligine ferri, & sublima septies vel pluries per omnia, ut de mercurio docui, & erit albius niue.

Quomodo præparatur sal armoniacum.

Sal armoniacum sic sublima: tere ipsum bene cum tanto salis communis bene præparati sine omni liquore, & pone ad sublimandum cum lento igne per tres horas, postea cum forti igne per diem: manē extrahe, & quod sublimatum est reserua, & per omnia fac ut de mercurio docui: cum eisdem (alibi nouis) faecibus sublima bis vel ter, & serua ad partem.

Additio. De sale communi præparato dissoluto incera salem armoniacum,

& post incerationem desicca: & hoc toties fac incerando & desiccando, quousque sal armoniacus recipiat de aqua salis quantum ipsum est: tunc eo utere. Sali armoniaco soluto in aceto & distillato per filtrum, & siccato ad Solem appone tantundem salis combusti in cluteo & cineribus calidis, & simul terantur absque alia imbibitione sublimetur, & erit sufficienter præparatum ad omnem dispositionem: quod probatur si liquecat absque fumo super laminam ignitam. Hæc Rogerius Bacon. Alij sublimant cum sale gēma: sed illud sal debet esse optimè siccatum ante ignem, & cum sale armoniaco subtilissimè tritum: alij sublimant cum sale cōmuni, & Talco præparato insimul tritis strato de sale cōmuni præparato, & in circuitu sublimatorii, & sublimant bene quater aut quinquies. Præparatio salis armoniaci secundum Rasim. R. de sale armoniaco crySTALLINO, tere cum tanto spumæ maris & sale nitro, & ipsum sublima, (in fundo allutet pergamenum pone & super stratum salis assati) & sume sublimatum, coque ipsum positum in cannis in aqua, soluetur enim, distilla ipsum: aut solue ipsum in vesica, vel in kisti fellis super aquam, & distilla ipsum, & ex eo operare.

Sal armoniacum fixum soluere est difficile: imbibe ergo ipsum ex aceto & inhumando in fimo, soluetur enim, distilla ipsum, Et caue tibi ne totam assumes aquam, sed tantum quantum posuisti de spiritu quem soluere voluisti, & c.

De qua substantia fiat ignis.

HABITA doctrina de sublimatione spirituum, restat iam videre de ignis substantia: dico ergo quod ignis debet esse de carbonibus duplici de causa: prima est, quia minor est labor subijcere carbones quam ligna: secundo, quia ligna dant fumum multum, & propter fumum non bene posset considerari, funderentur à calore ignis, ut sæpius contingit, quando argilla non est bona, & quando vasa non sunt bene combusta, & quum scinduntur, statim erit fumus albus, quod facile videtur super ignem, qui fit de carbonibus, & quum vasa fumigant, statim deponantur ab igne, alias amitteretur sublimatio. Vnde cauendum est ne fiat. Nota quod superius vas, scilicet alludel debet esse de vitrea tum, inferius verò non est necesse. Solet etiam quandoque medicina in scutella indurari, quæ non potest sublimari: unde non est dubitandum, sed secundo teri debet & apponi parum plus de fecibus, & subtiliter sublimari, & erit bene sublimatum.

De fixatione spirituum, caput additum.

Fixatio sulfuris: Pulueriza illud, & liga in panno lineo, & bulli in aqua cum calce viua, primò ponendo calcem usque ad medium vasis, & residuum implendo cum aqua communi, & fac quod sacculus non tangat fundum vasis, sed stet in medio, scilicet bene ligando superius & inferius, apponendo paruum lapidem ut descendat & bulliat sic 24 horis, vel circa, semper nouam aquam calidam superponendo, dum aqua defecerit, deinde extrahe tuum sulfur, & fac bullire in aqua dulci, ut purgetur à calce, & factum est.

Aqua fortissima ad fixandum omnem spiritum. Primò rectifica aquam lapidis occulti albi, scilicet libras quatuor cum libra vna calcis corticum ouorum inhumando & distillando, & hoc fac sæpius: deinde in illa aqua, scilicet in vna libra cum dimidia appone vncias duas salis cōmunis præparati in secundo gradu, & vncias duas salis alkali optimè præparati, & vnciam vnā salis armoniaci quater sublimati, & vnciam vnā albuminis plumæ coagulati post suam præparationem: & omnes isti sales dissoluantur in ista aqua, & cum ista fixa omnes spiritus in cucurbitis duplicatis vasa bene lutando. Hæc Artoldus. Tamen cum istis salibus fit multa distillatio, & salium sublimatio, & cum fecibus reductio, & in

& in aquam ab eis distillatam resolutio, & hoc cum spiritu, & absque illis vasis duplicatis: & aliquoties in septima sublimatione spiritus erit fixus cum aqua virtute salum in fundo cucurbitæ, vt lamina ignitionem sustinens: & aliquoties in quarta sublimatione aqua erat fixata pro quarta parte sui, & oportebat addere aliam pro fixatione spiritus complenda. Aliqui dicunt, quod ponendo mercurium sublimatum super laminam stâneam vel ferream in cellario statim vertetur in aquam, quam per dissolutiones & congelationes rex facilius fixatur. Aqua abstracta ab albuminibus ouorum, & deinde rectificata à calce corticum, alumine sameni, & sale armoniaco ana vnciâ vnâ, est summè fixatiua spirituum super omnes aquas, vt infra sequitur. Mercurius item fixabitur hoc modo, Tere in mortario mercurium sublimatum cum tartaro & sale communis crudis, & tunc sublima, & iterum tere & sublima, & continua vsque decies vel pluries, renouando in singulis contritionibus sal & tartarum: & exinde fixabitur mercurius. Fixatur quoque mercurius in cucurbitis duplicatis in vno die cum oleo tartari superfuso, faciendo lentum ignem duabus horis primis, postea fortificando continuè per diem, quovsque nihil liquoris ascendat, quod probatur discooperiendo cucurbitam, aut aperiendo foramen, aut desuper imponendo virgulam coruli ad tentandum, si in fundo sit adhuc liquor, quia si sit durum, tunc est fixatum: quod si non sit, fortifica ignem tribus horis, postea dimitte in frigidari. extrahe, tere, imbebe, & coque septies.

Aqua mercurij: Sume de sale armoniaco, & de maris spuma partes æquales quas bene teras, & asperge de eis in cucurbita vna, & pone arg. viuum desuper, & quod ex eo remanserit inuolue ipsum & distilla cum igne debili: & distillabitur in primis aqua alba, in qua non est vtilitas: postea ignem parumper vigora, & distillabitur aqua arg. viui, siue fuerit in principio viuum, aut sublimatum. Omnes sales fixati fixant mercurium, similiter & sal armoniacus fixat simul sublimando, quovsque mercurius fundatur. Fixatur autem mercurius cum sale alkali, & cum calce corporum, aut cum vtroque, & hoc in igne temperato, & vase ad hoc apto: quia ignis temperatus est humiditatis conseruatiuus ad fusionem: excessiuus verò, fusionis turbatiuus, seu impeditiuus. Fixari potest mercurius sublimando inter duas scutellas bene sigillatas, alternatim vertendo & ponendo scutellam inferiorem superius, & superiorem inferius quatuordecim aut quindecim vicibus, & tunc fixabitur. Aliqui dicunt, quod hoc debet fieri in vase ferreo, & iste modus est per ordinem ignis. Si vis spiritus sublimatos fixos facere, solue calces corporum cum aqua salis armoniaci, & ex hac aqua imbebe eos, quia erunt fixi: quia ratione calcis figuntur spiritus, vt inquit Bacon. Fixatio salis armoniaci calcem viuam impasta cum albo ouorum, & fac q. 2. crucibula, & conclude in eis salem armoniacum in pecijs defractum, & circunda cum dicta pasta, & desicca, postea fac sibi aliam tunicam de luto sapientie, & desicca, & sepeli in cineribus calidis per duos dies & noctes, & erit fixum: tunc dissolue in aquam calidam, & si vis cola & congela, & erit purum.

Hic incipit aperire & docere secreta huius artis.

IAm docui te colligere diuersos flores plenos adorationum bonorum, in quibus redolet sanitas & pulchritudo cum gloria huius mundi: hic est flos florum, rosa rosarum, & lilium conuallium. Lætare ergo iuuenis in adolescentia tua, & collige flores, quia introduxi te in ortum paradisi: facias ergo ex ipsis coronam capiti tuo, vt gaudeas & fruaris delictis huius mundi. Aperiui ergo tibi nunc sensum: nunc faciam te intelligere secreta huius artis, & quod diu celatum

est, nunc manifestabo in lucem. Superius ergo sublimare & colligere flores ipsorum docui: nunc verò docebo ipsos plantare, ut fructum multum afferant, & fructus ipsorum in æternum permaneat. Docebo te figere pulveres sublimatos, ut in igne possint permanere, & corporibus adunari & permisceri, & hoc duobus modis.

Hic docet figere pulveres, ut cum corporibus permiscantur.

Accipe ergo de quòque horum volueris libram vnā vel duas sine omni alia re, & pone in vas fixationis, quod sit formatum super foraminibus ex argilla bona vitreariorum ad spissitudinem digiti, & non sit vitreatum, & claude rimas cum argilla bona, scilicet luto sapientiæ: quo facto pone super furnum sublimationis, & da ignem per diem integrum: & si sit æstas, quantitas ignis sit sicut mercurij sublimati post meridiem: mane autem facto verte quod est superius deorsum: hoc fac ad minus duabus vicibus: tūc aperi & vide si pulvis est fixus hoc modo: pone de ipso parum super carbones, si dat fumum, non dum est fixus: si autem non fumigat, tunc est fixus: Et hoc est signum de omni spiritu. Si autem non est fixus, reponere super furnum claudendo ipsum vas sicut prius, & da ignem per quinque dies, vel tandiu quousque audias sonum in vase, quasi lapillos cadentes, quod sæpius contingit, quando est nimis exustum. (alibi dicitur, ut probetur super laminam ignitam si fundatur & currat, vel non det fumum.) secundus modus est cum imbibitione olei tartari. Fit autem sic: R. arsenicum sublimatum, vel sulfur, vel auripigmentum, & contere super lapidē cum oleo tartari, quousque totum liquidum fiat: postea pone in phialam vitreā, & pone ipsam in cineribus cribratis per cribrum bene, & pone vas cum cineribus super furnum distillationis, & da ignem primò lentum valde quasi vorando ne vas frangatur. Postea quum calefactum sit vitrum, fac maiorem ignem, & sic desicca medicinam in vase aperto si vis: sed melius concluso, quod superponas alembico recipiēs aquam ab eo distillatam, quia ad multa valet: Desiccata medicina frange vas, quia alio modo non poteris excipere, & inuenies pulveres induratos ut lapidem, quem tere bene, ut prius, cum oleo super distillando iterum frange vitrum, & excipe, & tere bene, & pone in aliam ampullam, & pone in fimo equino calido per septem dies, & tunc soluetur in aquam: tunc pone vas in cineribus calidis & coagula lento igne donec induret, & habebis spiritus fixos, & erit tinctura firma & permanens. Proijce ergo de hoc pulvere vnam partem super quinquaginta partes Martis calcinati, vel Veneris, & erit bonum in omni malleatione & examinatione.

Qualiter uno modo solvuntur spiritus in aquam.

Solvuntur etiam spiritus duobus modis: vno modo docui cum oleo tartari, sed post septimam congelationem debet poni super lapidē marmoreum in cellarium valde humidum, ita ut inclinatus sit lapis, ut quicquid resolverit, statim descendat in vas vitreum superpositum.

Solvuntur alio modo spiritus in aquam, scilicet per aquam salis armoniaci, quæ sic fit: Pone ipsum vel quemcunque alium salē preparatum super lapidē in foueam resolutionis, vel in cellarium vitreum, & statim resolvitur in aquam: cum hac aqua pulveres sublimatos soluendos tere. Hoc nota, quòd postquam sublimatus fuerit mercurius, nunquam misceri debet cum aliquo liquore, nisi cum aqua salis cōmunis vel armoniaci, vel oleo tartari. Tere ergo pulverē cum hac aqua septies, & toties desicca: postea pone pulverem tritum super lapidē, & sine dubio citò soluetur in aquam, quam reserva ad distillandū: corpora verò calcinata eodem modo solvuntur ut spiritus, scilicet flos æris, & flos atramenti

menti, de quibus per omnia, vt de spiritibus est faciendum, & quemlibet per se ad distillandum.

Additiones. Rursum (ad capitis principium refer hoc) ad omnem solutionē sal erit necessarium. Rasis. Oleum aquilæ sic fit: R. lib. 1. salis armoniaci, & mole super lapidem cum vrina quantum sufficit ad modum pastæ: tunc fac stratū primò de calce communi, secundò de sale armoniaco, tertio de calce: & super salem pone calcem ouorum in parua quantitate, & ad ignem pone ad fundendum, & quum fustum fuerit deponē ab igne, & super lapidem pone, & dissolue oleum infra quatuor dies, & pone in vase vitreo & serua. Aliqui impastant sal armoniacum, albumen oui & calcem, faciunt pomum, & lutant, desiccant & figunt in igne: Arg. verò viu. nunquam soluitur, donec super ipsum ingreditur sal bonus, desiccatus aut tritus, aut alkali, & extingue ipsum septies, & postea viuifica ipsum cum aqua calida, & tunc solue ipsum: & nisi ita feceris, non soluetur. Rasis. Sumatur aqua salis armoniaci sublimati ter vel quater, & imbibatur mercurius sublimatus ex hac aqua paulatim & paulatim, & post quamlibet imbibitionem desicca ad Solem vel ad ignem debilem: post claude os vasis firmiter, & pone in fimo, & stet ibi septem diebus: quod si non sit solutum, renoua fimum per septem dies, donec sit aqua clara. Oleum ad incerandum. R. salis armoniaci, salis communis ana partem vnam, & duas partes calcis viue non extinctæ cum pauco sagiminis porci, & in vase vitreo pone & distilla ad lentum ignem: & quando completa est distillatio, iterum reponē ad distillandum & hoc ter: & hoc est oleum album ad incerandum Elixir, & ad dulcificandum seu mollificandum calces metallorum, & omnia quæ seruiunt ad opus album: Sed hoc non debet hîc esse.

Aqua mercurij fit ad vnam vnciam mercurij cum duabus vncijs aquæ fortis facta de duabus partibus aluminis puto iamenti, & altera parte salis petreæ. Aliiter fit sic: Coagula mercurium sublimatum fundendo septies aut octies stannū bulliens super ipsum, qualibet vice cooperiendo crucibulum, ne fumus exeat & efficitur nigrū, aut coloris olei: deinde tere optimè super marmor cum pauco aquæ salis armoniaci, & pone in fimo: & quū solutum fuerit distilla, aut per filtrum, aut in distillatorio: & cum hac aqua fit Elixir cum calce Lungæ, & arsenico sublimato, & oleo albo Philosophorum.

Sulfuris dissolutio. Accipe mundati lib. 1. albi amizadir (sublimati) tantundē aceti candidi sublimati, quod quinque partibus sulfuris sit æquale, in cœno ponatur transmutando semper die tertio. Rasis. Habes ad longum in Arist. de Perfect. in capitulo separationis sulfuris. Amizadir partem vnam, spumæ marinæ partes tres, duas salis, vrinæ partem vnam, tere, cribra, in cucurbita reponē, adiecto viuo argento quod satis est: deinde quoque leue & spaciōsum adhibito incendium: cum candida manauerit aqua, ipsam operi, necessariam serua: inhumatio semper necessaria: cœnum quoq; ad quatuor dies transmutandum, donec quod quæris ad oculum deprehendas. Rasis. Sed puto istud Rasis dixisse corporis dissolutionem faciendam pro maiori opere: ergo nota.

Mercurius secundò vel tertio distillatus ab alumine iamenti vel rochæ soluitur per se ipsum super marmor in loco rorido vel humido: & melius credo si cū crudo poneretur.

Quomodo rubificantur spiritus in aquam rubeam.

Nunc videndum est qualiter rubificantur spiritus. Recipe ergo aquam rubeā atramenti distillatam, & cum ipsa imbebe spiritus (fixos) quos volueris rubificare, septies terendo, imbibendo, assando, & tunc pone ad solvendum super lapidem, et soluetur in rubicundissimam aquam.

Additio. Aqua rubea non debet distillari per distillatorium, nisi sit illa cuius color est fixus super ignem: aliàs distillaretur alba.

Quomodo aqua distilletur duplici modo.

Distillatio sic fit: Pone aquam quam volueris distillare in vas distillationis & pone vas in cineres, vt supra, & distilla, & hoc fit caliditate & siccitate. Si autem vis caliditate & humiditate distillare, pone aquā in vas, in quo cineres prius fuerint, siue in caldarium super furnum distillationis, & in ipsam aquā pone foenū, & desuper vitrū, & firma ne declinet ad aliquā partē, sed stet directē. Et summopere præcaue ne vnquam frigidum vitrum ponas in aquam calidam, vel è contra: alioquin frangeretur, & amitteres laborem tuum. Et nota, quòd quando vas vis excipere, debes permittere infrigidari cum aqua, facta distillatione. Hoc autem caueas in distillatione, ne aqua bulliat in distillatione. Et per hanc doctrinam distillationis omnes aquas reserua: hoc totum reserua quod sequens doctrina & forma ostendit.

Additio. Aqua corporum. Recte calcem Solis aut Lunæ, & salis armoniaci sublimati ana, & insimul contere super lapidem: deinde sublimetur à calce corporum sal armoniacus, & reitèra septies, conterendo & sublimando: tunc pone super lapidem ad soluendum. Aliqui tamen antequam subliment imbibunt materiam, & conterunt cum aqua boracis dissoluti, & hoc faciunt septies. Ad corpora soluendum in aquam: Corpora calcinata tere cum ana salis armoniaci & calcis corticum ouorum: tunc pone in phiala vitri ad lentum ignem, donec totum sit vna massa: infrigida, & frange phialam, deinde pulueriza, & pone puluerem in loco dissolutionis. Sic etiam possunt spiritus sublimati in aquā resolui super marmor, vel in fimo eum saepe renouando. Si verò vis reducere in sua corpora, congela ad lentum ignem & funde cum attincar. Aurum calcinatum cum sale, per acetum acidissimum soluitur in aquam rubeam.

Ad oleum distillandum.

Distillatio quæ fit per descensum cannæ talis est. Sume fictile vas formatū tali forma, & impone cineres vel radices, vel ligna, vel lapides, ex quibus oleum vis distillare, & fac fossam in terra, & in ipsa vas pone subtus sculptum, & desuper vas cannæ, & claude bene ne respirent, & permittè desiccari: tunc obstrue vas desuptus cum terra: postea fac superius ignem lentum per vnam horam, postea fortiozem augendo ignem de hora in horam, donec dimidiam diem compleueris, & permittè infrigidari, & aquam, & oleum distillatum reserua.

Coagulatio omnium aquarum sic fit.

Coagulatio verò omnium aquarum sic fit ex caliditate & siccitate. Pone ergo aquam quam desiccare volueris in vas vitreum, habens angustum collum, & pone in cineribus super ignem lentum, & coagulabitur infra sex horas in laminam albam vel rubeam.

Quomodo calcinantur Sol & Luna.

De calcinationibus omnium metallorum videndum est. Et primò de calcinatione Solis & Lunæ. Recipe ergo limaturas, cuius eorum volueris, & positas in aceto per nouem dies extrahe, & exiccatum tere in puluerem: postea affunde aquam armoniacam terendo & siccando sexies: & tunc pone super lapidem, vt docui ad soluendum, & distilla & serua: & de hac aqua pone ad aquas puluerum. Hoc autem nota, quòd aquas Solis debes ponere ad rubeam aquam, & aquas Lunæ ad albam.

Decu

De cucurbita.

Cucurbita est vas quod debet stare in aquam, vsq; ad iuncturam firmatū in caldario, vt non moueatur: nec cucurbita debet tangere fundum, quia frangeretur, & cum aqua minuitur, infundas aliam scilicet calidam, & nō frigidam, quia vas frangeretur.

Quomodo calcinantur alia metalla.

Accipe laminas & calefac eas, postea linias cum aqua salis, quia sal corrodit omnem humiditatem corruptam, quæ est in corporibus, & pone ibi vas fictile formatum in hunc modum: & imple laminis, & pone in furno calcinationis super tripedem, & suppone carbones, & fac ignem fortem, & sit furnus clausus: & quum rubescunt, tunc extingatur, ita tamen ne fluant: & in tali calore permittite stare, quousque per ignem destruantur: manē extrahe, & quod calcinatum est abraide & serua, & quod remanserit iterum linias cum aqua salis, faciendo donec calcinatum sit.

Additiones. Calcinatio Solis & Lunæ fit per amalgamationem cuiusvis cū partibus mercurij & salis communis ana ponendo super ignem lentum continuē mouendo, quousque mercurius euolauerit: deinde laua cum aqua tepida, & per filtrum distilla, & inuenies corpus tuum in calcem redactum. Calcinatio alia Solis & Lunæ, & aliorum corporum habentur in Arist. de Perfectione magisterij. Item calcinatio Solis & Lunæ duplex habetur in libro fratris Rogerij Bacon qui intitulatur, de Modo componendi medicinam per æquationē elementorum, in capitulo de Calcinatione corporum, vbi etiam ponit calcinationes aliorum corporum. Calcinatio auri: Funde ipsum, & fac inde laminas tenues, & imple crucibulum ferreum, & cooperi, & dimitte fundere cum sale communi vel armoniaco aliquantulum præparato & aceto mali granati, quia per acuitatem salium & aceti teritur in puluerem: deinde pone in furno panis per diem & noctem, & extrahe calcem rubeam citrinam, cui non est par.

Calcinatio argenti: Funde ipsum, & facias inde laminas, & imple crucibulum ferreum, tum pone in crucibulo salem cōmunem tritum aliquantulum, præparatū, donec sit plenum: cooperi & funde, quia citò funditur beneficio salis: postea tere, quia etiam benē teritur per salem, & pone in furno panis per diem & noctem vnā, & extrahe calcem Lunæ, cui non est par.

Calcinatio plumbi. Plumbum funde & extingue in aqua salis communis, & aceto acerrimo albo, ita quod sal sit aliquantulum præparatus & solutus: postea extingue in hanc aquam quadraginta vicibus plumbum fustum, deinde pone (tritum) in ollam oppilatā, crudam, argillatam: sicca in furno panis per diē & noctem: manē extrahe calcem niuei coloris ponderosam vt sal.

Calcinatio stanni: Funde & extingue decem vicibus in aqua salis communis soluti in aceto acerrimo albo, misto cum duabus vncijs mellis apum, deinde tere & pone in ollam in furno panis per diē & noctem: extrahe calcē Lunæ.

Calcinatio ferri: Tere & imbibe de aqua salis communis & aceto sorbarum & mali granati, in quo soluatur sal, & sicca decem vicibus in cinere: post natet cum trituratione forti aqua desuper ad mensuram quinque digitorum, & pone sub fimo decem diebus, & soluetur: postea congela aquam per diem vnā, & erit tincta, deinde tere & pone in furno panis per diem & noctem vnā, & habebis calcem rubeam sicut sanguis: & est calx solis, quæ dicitur crocus ferri.

Calcinatio æris: Fac æris laminas, suspende in aceto forti cum tinaculis in olla posita in fimo decem diebus, extrahe & rade quod inuenies, & hoc fac, donec finiantur laminæ: deinde ablue cum aceto, & frica suauiter, & quando videris aquam aceti optimē viridem, cola per pannum, & facem projice, quæ est

eius crassitudo: deinde dimitte residere & cola, & accipe subtilitatem viridis æris. Calcinatio arg. viui ponitur in capitulo sublimationis.

Quomodo laminas Veneris calcinabis.

Laminas Veneris incide ad latitudinem denariorum, & linias cum aqua salis, & pone vnum ordinē ad fundū crucibuli, sed prius inuoluas, & reuoluas ex vtraque parte cum arsenico præparato cum aceto, & ita pone stratum super stratum, donec vas impleatur, & claude cū argilla ne respiret, & per mitte desiccari, & tunc in furno calcinationis pone, & ibi bene per quatuor horas stet, ita vt totum vasculum bene rubescat, caue tamen ne Venus per nimium calorem fundatur & lique scat, quod sæpius contingit. Postea per mitte infrigidari, & excipe, & inuenies totam destructam: ita quod bene teretur in mortario vel lapide. Tere ergo puluerem & reserua, residuum verò quod non est calcinatum, iterum illinias, & melius calcina.

Additio. Ablutio æris rubei est, vt affetur cum medietate sui de auripigmento, deinde abluatur donec fiat purum, & fac ipsum descendere donec descēdat ita album vt argentum: & mole & vtere eo: si non ita fuerit, tere ipsum & laua, & fac ipsum descendere donec sic perueniat.

Quomodo calx corporum reducitur in massam. Require etiam in libro Fornacum Geberii.

Reductio verò calcis corporum in solidam massam sic fit: R. calcem cuiusunque metalli volueris, & tere optimè super lapidem, postea laua cum aqua calida bis vel ter, & turbulentum ejice: quū aqua pura descenderit, tunc satis est: tunc desiccatum optimè tere & appone aquam aluminis iamēni mistam cum aqua salis communis, & tere fortiter & imbebe cum aqua illa totiens imbibendo & desiccando, donec fiat calx viua & alba (& hoc ad album) & ita remoueantur omnia sulfurea accidentia ab ipsa, quæ contraxit in terra: postea tere semel cum aqua alkali, & quum desiccatum sit, pone in vasculum, scilicet crucibulum, & claude bene cum argilla, & fac foramen paruum in vna parte, vt exeat massa quando fusa est: & pone in furnum, & sufflando da ignem vehementem vt citò fundatur: & quū fusa fuerit, aperi foramen & effunde materiam in cannale ferreum, vbi sit sepum infusum, et videbis massam albam, & gaudebis. Et hæc massa potest recipere tincturam albam vel rubeam, quia mūdāta est ab omni corruptione. Si autem ad rubeum laborare volueris, imbebe calces metallorum cum aqua rubea ex flore æris, siue ex atramento, siue minio facta: & fac per omnia vt supradictum est: vltimò cum aqua alkali, & effunde sicut docui: & erit massa rubea, et gaudebis.

Additio. Aliqui dissolunt nitrum & alumen in aceto, & cum illo lauant nigredinem calcis. Alij reducunt Venerem sic: R. salē alkali & salē nitri, & dissolue in vrinam puerorum, & cum hoc impasta calcem Veneris, & pone ad ignem lentum donec sit aliquantulum siccum: postea fortifica ignem donec sit reductum: deinde ignias, & in oleo communi extingue quatuor vicibus, & habebis Venerem similem Lunæ, aut saltem fixam. Calx autem Veneris fit cementando cum sale communi, donec teri possit & lauari.

Hic incipit primò operari.

Recipe ergo in nomine Dei p̄i vnam partem mercurij albi, & secundam partem sulfuris, et tertiam partem arsenici: hæc omnia misce simul, et appone dimidiam partem aquæ argenti, & pone in vas vitreum, et calc fac ipsum superius cum ferro candenti, donec vitrum lique scat et congeletur: tunc pone in cineribus super ignem & congela: quum autem cōgelatum fuerit, erit tinctura

tinctura fixa ingrediens per mistam coagulationem coniunctura, adunatura, perseveratiua. Pone ergo de hac tinctura vnā partem super centum partes ferri vel cupri purgati, & erit semper bonum sine dubio, in omni malleatione & examinatione, & durabit in aeternū. Additio. Nota hoc, quod tinctura debet dissolui & admisceri corpori calcinato, & in aquam conuerso: & dum aqua miscetur aquae, nunquam abinuicem separantur, quemadmodum modicum vinum rubeum multam tingit aquam. Vidi alios tractatus, vbi hoc caput non erat, sed sequens solummodo.

Qualiter ex supradictis omnibus perficitur Sol & Luna.

Recipe vnā partem mercurij sublimati & fixi, & altā arsenici fixi, & tertiam partem calcis Lunae, quae super lapidem bene tritura, & imbibere cum aqua salis armoniaci, & hoc ter vel quater, terendo, imbibendo, affando, vt supra: & pone similiter ad soluendum, et quod soluitur reserua, & quando non est solutum, tere melius & appone modicum salis armoniaci, & ita soluitur totum. Quum autem totum solutum fuerit, pone ad distillandum, et distillabitur totum, sicut docui, in aquam calidam. Caue tamen ne in cineres ponas ad distillandū, quia induraretur pro maiori parte, et iterum oporteret te solvere vt prius. Quum autem tota sit distillata, pone in cucurbitam vitream, et coagula, & erit substantia alba, dura & perspicua in modū crysalli liquefcēs super ignem vt cera, ingrediens & permanens. Pone ergo de ipso vnā partem super centum partes cuiuslibet metalli purgati & calcinati, & erit bonum in omni tempore. Consulo autem ne tingas cum illo aliquod metallum nō purgatū, quia tinctura euanesceret post duas vel tres examinationes.

Additiones. In libro Arist. de Perfecto magisterio dicitur: Sublimati mercurij & calcinati, quod puto idem esse quod fixi: quia calcinari non potest, quin primò sit fixum: & nisi esset calcinatum, non posset solui. Circa finem aliqui dicunt debere apponi aliquod oleum album Philosophorum ad incerandam illam medicinam. Si spiritus fixus non possit ingredi, adde de suo simili non fixo, et dissolue, et congela, et intrabit &c. Sic etiam si corpus calcinatum non possit reduci in corpus, adde de suo simili fundendo cum illo, & sic reducetur.

Quum Philosophorum diuide in quatuor partes, quarum quaelibet habet vnā naturam, deinde compone ipsum aequaliter proportionaliterq, ita quod non sit in eo diuisio nec repugnantia, & habebis propositum Domino concedente. Iste modus est vniuersalis: sed ego diuidam tibi illud in operationes speciales: diuiditur itaque in quatuor, & duobus modis fit bene & sine corruptione. Quando ergo habueris aquam ex aere, & aerem ex igne, & ignem ex terra tunc habebis. Dispone ergo substantiam aeream per discretionem, & dispone substantiam terream per humiditatem & caliditatem, donec conueniant & coniungantur, & non discrepent, nec diuidantur: & tunc adiungas ei duas virtutes operatiuas, scilicet aquam & ignem, & tunc complebitur opus: quod

si permiscueris aquam solam, fiet Luna: & si coniunxeris ignem, rubefaciet Domino concedente.

FINIS.

I 3



HÆC est figura cæli, quæ sphaera cæli nuncupatur: quæ quidem sphaera continet in se octo nobilissimas figuras, scilicet figuram primam, quæ primus circulus appellatur, & est circulus deitatis, quia continet in se verba diuinitatis. Secunda figura continet in se septenarium numerum planetarum. Tertia figura, corruptibilia & generabilia in se continet quatuor elementa. Quarta figura Draconem sanctissimum continet emanantem à prædicto septenario numero planetarum. Quinta figura caput & mortem ipsius Draconis continet euidenter. Sexta figura quæ tangit arborem, sex facies continet, & duo animalia, videlicet ciconias. Septima figura quæ tangit arborem cum planetis, ubi sunt literæ albæ, sextus circulus nominatur. Octaua figura adinstar fulgoris Solis arborem auream cum eis radicibus in se continet radiantem. Harum figurarum primæ figuræ, videlicet circuli diuinitatis, expositio hæc est, quod ideo tali nomine appellamus, quia diuinitatis nomina, id est sacrę paginæ instituta, & iure legalia & naturalia, quæ à Deo infallibiliter creduntur emanasse, sunt ibidem circumscripta. Secundæ figuræ videlicet Saturni & aliorum planetarum explanatio, hæc est: Nam Saturnus sua frigidity & siccitate format Draconem. Iupiter verò præstat Draconem suam caliditatem digerendo ipsum in quandam substantiam lutosam apparentem, quæ est plena caliditate & igneitate: & ideo non adhæret tangenti. Mars verò sua caliditate & siccitate diuidit ipsum Draconem, & facit ipsum transcurrere per cælum. Sol verò colligit ipsum, & facit ipsum aliquantulum viuere, quia ipse est pater creaturarum, & Draco prædictus diligit ipsum propter suam caliditatem, ac tincturam, & suauissimum odorem, qui redolet in eo. Venius verò sua caliditate & siccitate congregata, disiungit hinc inde membra Draconis transmittendo punctiōibus multis per omnes iuncturas eum pungendo, & ipsum Draconem quasi mortuum dimittendo. Mercurius verò & Luna eorum humiditates super ipsum infundentes, viuificant ipsum, quia faciunt ipsum viuere, currere, ambulare, & sibi colorem mutare in speciem sanguinis. Et in principio nigrum apparet, & in medio declinans ad albedinem, & in fine rubicunditas est declinans in colorem capitis sui. Tertiæ figuræ quatuor elementorum corruptibilium & generabilium declaratio hæc est: quod ideo ipsa corruptibilia & generabilia nominantur, quia semper corrumpuntur & generantur, & quia alternantur ad inuicem propter caliditatem & siccitatem, frigiditatem & humiditatem. Et ideo ars & artifex materiam istorum elementorum disponit, ea diuidendo, & ad inuicem coniungendo, remouet ea ab eorum mortificanti natura, & tunc mutata est qualitas eorum, quia calidum & humidum est nutritium, propter caliditatem & humiditatem, quæ in eo est. Frigidum & siccum quæ in eo erant, & frigidum & humidum, sitibundus est refrigeratiuum, & infirmos curatiuum, quia aperit oculos cæcorum, & aures surdorum, & mundat leprosos, & extendit nervos, & venas aperit, & mortuos resurgere facit. Quarta figura est Draconis emanantis à prædictis septem planetis, quia ipse procedit per subtilissimas influentias decurrentes in elementa, & deinde in cælis sua materia sparsa, in nubibus habet suum ergastulum: deinde cum aqua pluuiali, & grandinibus iterum descendit in terram, conglutinat se cum ea, facitque sibi nouam pelliculam. Et sic incipit serpere in cavernis terre, & semper tendit ad ima si aliquid eum non impederit, vaditque usque ad aquas marinas: exinde egreditur, si nullum sibi impedimentum fuerit occursum, quousque ipse videat posuisse secum

secundum: & exinde remouetur & reuertitur ad primum. Sic nunquam desistit ambulare, quia odit lucem, & semper querit se abscondere à radijs Solis, & propterea venenosum est, & nō potest homo ipsum interficere sine maiori veneno. Quintam figuram nominamus de capite eius, & de morte ipsius Draconis. Caput eius viuit in æternum: & ideo caput denominatur vita gloriosa, & angeli seruiunt ei. Et hanc imaginem posuit Deus in paradiso deliciarum, & in ea posuit suam imaginem & similitudinem, & ibi Draco pugnauit cum imagine Dei, quousque fecit eam incidere in mortem: & ideo Deus dedit tantā potestatem isti imagini, vt ipsa possit interficere istum supradictū Draconem: & ideo talis imago fuit inserta serpenti, & est caput eius, quia totum corpus sequitur caput, & ipsum caput odit corpus, & interficit ipsum incipiēdo à cauda cū dentibus ipsum corrodere, quousque totū corpus intret in caput, & in eo permanet sempiternē. Sexta figura continet sex facies & duas ciconias cum proprietatibus suis ibi apparentibus: quarum prima facies quæ permanet in sublimibus, colorem optimū ostēditur habere: secunda quæ in aquis natat, diminutionem naturæ à prima declinat. Tertia quæ in antro, carbonis similitudinem habens, malam digestionem significat cum superflua humiditate, & pessima faculentia quæ in ea est. Et ideo manu artificis oportet eam lauare cum elemento aquæ in ventre ciconiarum igne supposito, donec aer in ore & in capite ciconiarum ascendat, & per rostrum faciat eum euomere, quousque caput nigrū æthiopis portans similitudinem, fuerit bene lauatum, & inceperit albescere: & tam diu hoc faciat, quousque rubicunditas suprema appareat. Septima figura, quæ sextus circulus nuncupatur, quidquid circulus tangit arborem cum figuris septem planetarum, vbi sunt literæ albæ, melius est tacere quàm loqui in sapientibus de ea: quia in ea manet illud arcanum preciosissimum, thesaurus omnium Philosophorum sapientum. In ea est transmutatio omnium corruptibilium & generabilium omnium lapidum preciosorum. Ibi sunt thesauri absconditi innumerabiles, & nemo scit nisi cui Deus voluerit reuelare. Ibi inuenitur lapis duello, onychinus, carbūculus, topatius, amethystus, beryllus, & panthera: & est quoddam cælum vitreum simile crystallo, ductile sicut aurum. Et ideo Reges terræ portant ipsum in capitibus suis: sapientes mulieres abscondunt illud virgines fatuæ publicè portant illud, quia deprædari desiderant. Pontifices & sacerdotes religiosi, & moniales lacerant ipsum, quia sic fuit eis imperatum à lege diuina. Mercatores terræ & agricolatores cum eo diuites facti sunt: & nauatæ portant illum ab Oriente vsque in Occidentē: & in Insulis quæ sunt in Meridie magis viget. Octaua figura quam supra nominauimus, arborem aureā est continens cum septem ramis & radicibus apparentibus: quam quidem arborem figuram Solis nuncupamus, quia Reges gloriosi tenēt illam, & pugnat propter eam, & multi afficiuntur morte. Et ideo ille magnus Alexander Imperator Philippi Macedonum Imperatoris filius in itineribus suis inuenit eam in vltimis regionibus, & ibi inuenit sepulchrum Hermetis patris omnium Philosophorum plenum omnibus thesauris non metallicis, sed literis aureis scriptis in tabula Zaradi, quæ quidem scriptura continetur in vltimis libris, quos Galenus composuit: & inuenit quandam arborem sitam ab extra intus tenentem viriditatem gloriosam: super eam ciconia pulcherrima ibi sedebat, quasi se appellans circulum Lunarem: & ibi ipse ædificauit sedes aureas, & posuit terminum itineribus suis idoneum. Faciamus finem in nostra figura

cæli. Sciat lector, quod talis figura magis est in existentia, quàm in apparentia.

FINIS.

I 4

APERTORIUM RAYMONDI LVLLII

DE VERI LAPIDIS COMPOSITIONE.



SAPIENTES asserunt quòd tantum sit vnus lapis compositus solum ex quatuor elementis, nullius extranei indigens, nisi sit eius naturæ. Primò omnium purgatur de tota eius superfluitate & phlegmatica materia corruptibili, quæ ipsius mors est (ex quo patet, quòd mors corporis quæ in ipsius putrefactione vel copia fit, ipsius etiam purificatione tollatur) & quæ mortificat ipsum spiritum, qui habet potestatem viuificandi suam terram: Purgetur ergo, & separetur ab eo phlegma corruptibile per subtile ingenium, quòd tibi dicam. Nam si non bene purgetur, nunquam terra eius bene purgatur, albificatur, neque fiet matrimonium inter corpus & spiritum: & sic tunc ille spiritus nominatus est spiritus lapidis, qui habet viuificare corpus suum mortuum: à quo compositio per suam præparationem exiuit. Et ideo quando corpus reuersum est de morte ad vitam, tunc ipsum est clarum, purum, album, & resplendens (nota, vt mercurius) cum magna subtilitate, & vestitum pulcherrimis indumentis. Scias quòd quando iste igneus spiritus intrabit suum corpus, & ipsum resurgere faciet, tunc Philosophi nominant ipsum lapidem benedictum, & lapidem magni precij & honoris post suam resurrectionem: & illud intelligitur de igneo & nobilissimo spiritu prædicti lapidis, qui sic illuminatus est in natura quatuor elementorum Non tamen intelligitur sic se habere, quòd sit terra solum, vel aqua solum, nec aqua, nec ignis: sed tantummodò est vna sola natura, quæ continet in se de natura & proprietate quatuor elementorum simul, alias non posset ligari cum sua terra: & per consequens terra non posset albificari per eundem spiritum, si ipsa de natura non haberet. Ideo omni tēpore considerandum, quòd natura, & proprietas quæ est in isto spiritu, non sit combusta in præparatione eius per potentiam ignis: quoniam tunc spiritus nullo tempore haberet à se potestatem albificandi, aut se coniungendi cum terra: quia medium & anima quæ participat intra mortem & vitam, separaret se ab ipso spiritu per potentiam ignis in tali forma, quòd spiritus maneret mortuus sine anima: & sic anima elongaretur ab eo fugiendo in regionem suæ sphæræ. Et tale secretum non est dicendum apud ignaros & inscios. Non ignoras tu, quòd illi qui credunt facere aquam vitam, ipsi certè faciunt aquam mortis, combustionis causa. Ideo supplico tibi, vt custodias ignem in præparatione ista, & non destruat nimio calore: nam cum anima recedit, tunc spiritus non haberet potestatem viuificare suum corpus, quum non dare possit, quòd non habet in se. Et nota, quòd præparatio ipsius spiritus fit sub tali forma. R. de meliori succo Lunarij (intellige mercurium) quem inuenire potes: scilicet de fortissimo lib. 1. aut 2. & pone in vas cum alembico, iuncturis bene clausis & lutatis, pone ad furnellum & fac subtus ignem de vno lichnio, & subtili lento igne prædicti spiritus distilletur: & tamdiu distilletur, donec amplius incipiat venas facere: tunc per illud separare poteris spissum aerem animæ: & ideo quando phlegma incipit venire aut venare, tunc signum est quòd spiritus distillatus est, qui tenet in se omnes perfectiones vitam. Et tunc recipe illum spiritum distillatum, & custodi ipsum optimè in vitreo bene obstructo cum cera alba: post appone aliud receptaculum sub alembico, & recipe secundam aquam, quia adhuc retinet de sublimato spiritu, licet non ita forti vt primò: de ista secunda aqua distilla tamdiu quousque nihil amplius veniat nisi phlegma, & quæ non habet se aliter nisi sicut aqua

qua corrupta communiter gustando modicum per os tuum, si adhuc habet aliquam virtutem, tunc adhuc magis poteris distillare: si autem est sicut aqua pura in gustu, tunc depone receptaculum cum ista secunda aqua, & post pone aliud purum ad recipiendum totum phlegma, tamdiu distillando, ut nihil plus distilletur: & tunc totum phlegma effundatur, quoniam ipsum est quod mortem infert nostro lapidi precioso: & hoc vulgus non cognoscit, sed nos cognoscimus. Iam ibi habes terram quæ mansit in fundo vasis in toto nigra ad modum picis fusæ: illa enim terræ calcinatio non potest fieri igni forti sicut Sophistæ credunt: sed ipsa fit per proprium spiritum suum, qui custodit eam à crematione, quia suus spiritus animam suam à suo corpore trahit, & repellit phlegma suum superfluum, & terram mortificat, & postea perpetualiter eam vivificat. Et ergo nunc calcina terram prædictam sub ista forma: R. secundam aquam distillatam, & funde eam super terram nigram in vase suo, & misce bene, quousque sit dissoluta, quia terra statim soluitur. Et caue ne à facili fumositatem (spiritus) recedat, quia ibi est sulfur quod habet posse congelare nostram aquam in laminam crystallinam vel formam albißimi pulveris, sicut est nix pulcherrima. Moue ergo bene prædictas faeces: & scias quod iam dictæ faeces fumosæ in tantum manibus moveri debent in suo vase, donec bene sint dissolutæ in suo spiritu. Post desuper pone alembicum, & luta bene & distilla suum spiritum per ignem cum vno lignimine (lychnio) subtili forma ut prædixi, donec videbis quod nullæ vere quas spiritus faciunt, iterum corrumpuntur in capite alembici: & tunc iterum recipe receptaculum alembici cum spiritibus, & pone ad partem, & appone aliud receptaculum & distilla, ulterius videndo an adhuc ibi sint plures spiritus: sin autem tunc aqua quæ distillatur, habet saporem sicut aqua communis fontalis calida, tunc eam effunde iterum, quia talis aqua phlegmatica quæ distillatur, adducit etiam mortem nostri lapidis. Et post totam distillationem, tunc accipe vas cum tota materia, quam tunc inuenies magis duram quam prius: & hæc est ratio, quia tunc ille spiritus attraxit sibi animam aeream de suo corpore, eo quod ipse est locus in quo anima continetur: illam operationem reitera totiens, donec tu videbis materiam tuam calcinatam in fundo, in pulvere nigro: vel etiam tamdiu usquequo videbis nullum amplius præstare phlegma & saporem sicut prima (N. semel pro semper accipe & intellige quod ubicunque vel quotiescunque *Glossa.* ponit distillationem in prædicta forma, scilicet per diuersarum aquarum aut partium receptionem, & per indigentiam diuersorum vasorum: hæc & similia, & omnia sibi adiuncta semper sint tibi suspecta, tanquam vere mendosa & à veritatis tramite deuia, & ad deceptionem & illusionem incautorum posita, quia vno vase & vniiformi sublimatione philosophica hoc opus philosophicum perficitur.) Sequitur in textu. Et non ignores quod in distillatione misceas illos duos spiritus simul super terram suam tamdiu usquequo terra & spiritus habebunt illa signa supradicta, nempe ut terra sit calcinata, & spiritus nullum faciat phlegma

Scias fili Carissime, quod in isto capitulo primo magnum secretum continetur, quantum ibi est extractio animæ à corpore, per quam spiritus eius vivificatur, sicut corpus in absentia eius mortificatur. Ergo subtrahe humorem mortificantem calorem naturalem: ipse enim calor est causa generationis nostri sulfuris. Sic Philosophi testantur, quod nostrum sulfur non poterit generare sine calore: nos enim trahimus tunc istum calorem de morte ad vitam, quia prius in sulfure nigro mortuus fuit: nunc autem est vivus & indutus magnis virtutibus & potentijs. Et scias quod iste calor nunc debet posse penetrare omnes partes sui spiritus mediante causa suæ acuitatis, & etiam habet coagulare ratione suæ siccitatis: quia scriptum est, quod omne siccum libenter ebibit suum humorem,

Generatio unde

& conuertit ipsum sulfur, quod postea potestatem habet coagulandi totum argentum viuum.

Inspice fili charitatis: Quod si ista cōuersio seu transmutatio inspiciatur, tūc ibi nulla est contrarietas sensus in generatione: quia omnis generatio habet fieri per diuersitatem suæ corruptionis & generationis, quæ sunt simul contraria: Et corruptio quæ est potens in materia illa ducit eam posse deuenire in nouam generationem vitæ æternæ. Et propter hoc est necessarium, quod corruptio sit facta per elementorum separationem: post præparationem earum creatur suū sulfur: & de illo poteris postea conficere medicinam lapidis secreti, in quam fluxit talis virtus sulfuris, quæ habet viuificare & ligare duo contraria, scilicet corpus & spiritum, subtiliando & miscendo corpus cum spiritu, & congelando & retinendo corpus in spiritu, & spiritum in corpore, fixatione permanente. Et hoc testatur Philosophus quum dicit, Nos non possumus facere transitum de mollitie mercurij ad duritiem metalli sine dispositione media, quæ participat de vna sicut de altera, & immediatè illa participatione habet potestatem colligare simul, & facere vnionem. Quare si tu es indagator veritatis, intellige quod tria facta sunt vnum. Et hoc testatur Philosophus in libro de Trinitate, vbi inquit, Lapis noster preciosus compositus est ex tribus, scilicet spiritu, corpore, & anima: & simul scias etiam quod spiritus est medium, quandoque inter corpus & animam, quia spiritus attrahit animam à corpore mortificando corpus, & postea reddit sibi animā & resuscitat ipsum. De ista resurrectione loquitur Hermes ad omnes inquiltores artis, & veritatis: O fili recipe animam lapidis, & semina eam in terram foliatam nostram albam, quæ est volatilis: si enim vis quod perdat sua magna elementa: & scias quod anima retinet eam ita quod nō poterit fugere, quando ipsa ascendit in cælum, & descendit in terram, & tamen virtutē corporis spiritus recipit sub tali forma, scilicet quod nihil est quod possit contra eam, nec mors etiam poterit eam iteratò mortificare, quod scriptum sit, quod si qua vna vitæ resuscitatur: nunquam aliàs morietur. Ideo fili potest intelligi, quod vita æterna non potest esse in aliquo corpore, nisi prius fuerit mortuū: quia mors est causa glorificationis ipsius corporis in vita æterna, sicut corruptio est causa nouellæ generationis diuinæ substantiæ.

Successiue soluitur.

Mortifica ergo corpus prius per corruptionem, antequam aliud aliquid facias, & post parum, iterum parum trahe ipsum ad vitam, donec perueniat ad tale medium corporalitatis & spiritualitatis, quod nos nominamus mediū participans naturam duorum extremorum, scilicet inter animam & corpus: & secundum istam rationem dicimus spiritum esse vitam animæ, quando ipsa continet in se animā, & etiam ipsum spiritum nominamus corpus ratione suæ corporalitatis palpabilis & visibilis, a quo componitur, & etiam in loco locatur. & illa est ratio quare hic spiritus retinet in se de natura corporis. Et præter illas duas proprietates iam dictas, scias hoc tertium inter corpus & animam, quod nos nominamus medium, quod habet posse viuere & ligare ea adinuicem sine separatione, & postea ille spiritus continet in se animam, per quam mortuum corpus reuiuificatur. Ergo hæc est causa motiua, quod cōiunctio inter corpus & spiritum per naturalem amorem, & per dispositionem amicabilem facta est. Ipsa enim amabilis dispositio & coniunctio amoris, est illa per quam cōiunctio spiritus & corporis se facit esse natura corporis indiuidualis, in qua est spissitudo corporis, & potentia cum istis omnibus figuris, quæ intrant primò in substantiam de subtili spiritu. Etiam eius spissitudo elongata est in substantia cum subtili spiritu per talem subtilem modum, ita quod non est oculus corporalis, quo aliquid aliud videri possit, quam solutio spirituum, quæ est in forma aquæ: & sic.

& sic ipsa anima & spissitudo corporis ibi inuisibiliter simul requiescunt. Et tunc etiam apparet, quomodo anima ligata est virtute & qualitate corporis, & etiam anima est de natura & spissitudine corporis eiusdem. Ergo quando corpus est mortuum ex siti, tunc illud desiderat humectare suam sitim, & bibere pro restauratione suae naturae humidae, quam excellenter & potenter perdidit in sua calcinatione: & sic tunc per restaurationem viuificatiuam trahit ad se naturam quam amisit, & intrat in naturam suam, & etiam trahit ipsum multiplicatum de propria sua substantia, & exuberatum per naturam sui corporis, quae effusa est per totam substantiam spiritus. Et sic illa extractio quae facta est per supra dictam naturae amicitiam, & est coniunctionis causa inter corpus & spiritum: & de illa coniunctione Philosophus ad Filium veritatis sic dicit, Quia si coniunctio non fuerit facta intra corpus & spiritum, nunquam fit ibi conceptio: & si non fuerit conceptio, nunquam potest fieri impraegnatio: & ubi non est impraegnatio, ibi nunquam potest fieri nati generatio. Et sic isto modo potest videri potestas istius coniunctionis. Et propter hoc manifestat Philosophus, quod generatio nostri lapidis assimilatur humanae generationi ex ista ratione, quia quando infans nascitur, tunc nutriendus tamdiu est, donec bene fortis, & patiens est contra ignem seu ignis substantiam: & non aestimes quod tunc compleueris, ubi modo primo incipere debes: quia adhuc non vidisti secretum quod retentum est filijs veritatis demonstrandi. Et illud modò hic incipit in secunda parte de nutrimento lapidis, quando hic magnae transmutationes illius lapidis secundum posse manifestatur. De tanto magis transmutationes videbis, & multorum mirabilium secreta, & potestas naturae manifestabitur tibi visibiliter coram oculis tuis. Et illud secretum nulli hominum carnali reuelare expedit, quia maledictus eris per tanti secreti manifestationem, quia nemini reuelare licet, nisi soli Deo. Ipse enim cui vult & quibus interest reuelari, illis reuelabit, & non alijs quia est donum Dei, & nullius mortalis hominis. Et cui Dominus Deus fecerit tantam gratiam, illi hoc secretum naturae reuelabit, & secundum suum placitum, quod in ipsius virtute ac potestate locauit.

Terrae viuificatio.

Scias fili, quod necessarium est in illa viuificatione, ut terra recuperet illud quod perdidit, & quod suus spiritus humidus reportetur in corpus suum siccum per naturalem transmutationem. Illa autem non potest fieri per potentias seu per ingenium naturale: sed ingenium naturae est locus nostri sulfuris, scilicet in complexione & utilitate. Et ex his habetur causa necessaria, scilicet quod granum spermaticale, quod est humidum & calidum hoc transmutare habet: ideo Philosophi considerauerunt dicendo, quod totum illud facit vna natura, quoniam ipsa de dispositione in dispositionem conuersa est, & conuertit, & in tali dispositione ipsa natura transmutat: & sic etiam granum tale modò transmutat: & hoc intelligendum de calido & humido spiritu (N. hic aduerte, quod spiritus Philosophorum differt à spiritu vulgi in calido) quia mercurius vulgi est frigidus & humidus: Philosophorum autem spiritus est iam calidus, & humidus.) Sequitur, O fili veritatis, per istam transmutationem Philosophi notant, quod terra lapidis debet priuari de tota sua humiditate tamdiu, quousque conuersa fuerit in qualitatem siccam. Et post hoc concludunt, quod humiditas conuersa fuit in siccum locum suum: hoc intelligendum est, id est in propriam suam terram, quia illa est proprius locus generationis nostri sulfuris. Et hoc tunc apparebit manifestè, quod illa terra illud ante suam preparationem, & calcinationem non facit, & tamen ipsa post calcinationem hoc facere habet propter calorem ipsius naturalem, qui fuit confortatus per subtractionem hu-

Glossa.

- Tritio.** miditatis quæ habuit eum mortificare, & totaliter submergere. Et tunc terram istam præpara & bene calcina per rationem philosophicam, antequam ad eam sementum seminaueris, quod nos multum diligimus. Et ergo post R. terram & cum ea quartam partem ponderis sui de spiritu, & post pone ad vas tuum, quod nos appellamus retentorium, & loca ad furnum continuando ignem lentum tamdiu donec spiritus omnino coaguletur in terram. Scias fili, quod corpus quod est mortuum, illud induit se albis vestimentis, sicut si Deus voluerit, tu vi debis, quando illa prædicta experimentabis. Istas apparationes, fili, reiterabis tamdiu donec videas terram totaliter albam ad modum niuis: & sic tunc terra est ingrossata & impregnata cum æterna claritate, quæ habet infantem parere: ille enim partus finem imponit, scilicet quando spiritus congelatur in sulfur, quod operatum erat de terra, & desiderabat in ea splendidam claritatem ad finem illius, quod ipsa esset pura & sine corruptione, & quod esset supra impuram & corruptibilem. Et secundum istum modum quando terra fuerit bene alba, tunc fili extrahe eam ex suo vase, & tere eam ut fiat pulvis minutissimus, & hoc fac super laminam vitream. Post iterum imponitur vasi, lutando eius iuncturas bene, & ponitur ulterius supra furnellum, & accendatur ignis continuando per triginta horas, & inuenies in angulis & parietibus vasis infantem natum, resuscitatum, per modum pulueris albißimi pulcherrimi, & tam clari, & in tali claritate sicut corpus Lunæ. Custodi ergo illum valde honoratum, quia ipsa est terra nostra foliata, & de spiritu corporum sublimædorum conuersio in terram foliatam: & in eandem semina animam, quæ est tinctura totius claritatis: ipsa enim est verum medium sulfuris & arsenici, & nostri lapidis, qui habet facere pacem inter inimicos mortales, quos maxime desiderat. Et ex quo ille lapis erit corpus aureum, spirituale & incorruptibile: tunc propter illam rationem ipse tenet virtutem vtranque, & de vna sicut de alia, illo non obstante, quod ille sit in tantum perfectus sicut sua corporalitas, non tamen sic est in operatione: quia non potest tamdiu donec sit nutritus, sic quod habebit operandi potentiam secundum posse suum, & hinc inuenietis fortitudinem sui nutrimenti. Et illius propositi fuerunt antiqui, quos ego vidi in societate Regis Ruperti, qui de illo lapide projectionem fecerunt statim post suam creationem: & quum viderent quod non esset nutritus in fortitudine sua, & etiam quum non inuenerunt de perfectione ipsius, post hoc ingeniati fuerunt rationem & possibilitatem suæ operationis, & inceperunt operari de illo pulchro opere, quod est ipsius medicinæ comparatio, & nutrimentum lapidis: & illa est secunda & vltima pars ipsius magisterij totius. Propter hoc, fili, potes intelligere secretum operis Philosophorum diuisum in duas partes: in prima docet informare sulfur, in secunda docet conuertere sulfur & medicinam fixam & fluentem, sicut docet Morienus in libro suo dicendo, Quod totum magisterium nostrum necessario fieri debet in duabus creationibus, & illæ mutæ causæ creationis sunt sibi proximæ in natura, quia quando prima creatio completa est, tunc incipit secunda pro opere medicinæ: & quando secunda est completa, tunc totum magisterium est completum. Et fili veritatis intellige, quod nos in prima operatione nostræ artis purgamus & præparamus materiam pro sui sulfuris creatione. Qua præparata, modo in secunda operatione componimus & creamus medicinam, quæ habebit tantam virtutem & posse, ut patebit. Et ideo primo debes creare suum sulfur, quia sine eo non potest facere aliquis Elixir completum. Et quando creasti sulfur, tunc incipit opus philosophicum. Et non habeas tedium in ipso nutrimento, & ne festines, quia scriptum est, Qui patientiam in opere non habet, & non inspicit in nostris libris naturæ mutationem, ille propter festinantiam corrumpit

Rectificatio.

Multiplicatio.

Purgatio.

Paulatim nutritur.

pſit opus: ideo patientiam te habere oportebit, & nutrire ipſum tamdiu, donec de illo lapide facere poteris proiectionem: & tunc videbis naturæ mirabilitatem. Et illud ſecretum cum perfectione ſua eſt demonſtratum filiſ veritatis. Et hæc eſt ſecunda pars de creatione lapidis & præparatione materiæ illius, de qua noſtra medicina creari debet. Et fili doctrinæ, ſi illa materia ſulfuris non fuerit bene præparata, tunc ex illa nullam tibi medicinam creare poteris: quia ſcriptum eſt de ordine naturæ, quod materia non præparata non poteſt facere aut creare cauſam præparationis: Præpara ergo primò tuam materiam, & ſepara ſubtile à ſpiſſo, & nobile de vili: Et quando res præparata fuerint, tunc exhibet cauſa præparationis, ſicut de lumine exit ſplendor.

Secunda pars de opere Philoſophorum, de confectione Medicinæ.

Nunc per ſecundam partem colorabit ſe lapis, fixatur & fermentatur: fermentum autem lapidis ad album, eſt argentum: & ad rubeum eſt aurum, ſicut Philoſophi demonſtrant: quia ſine fermento non venit Sol, neque Luna, nec aliquid aliud quod ſit ſuæ naturæ. Coniunge ergo fermentum cum ſulfure ſuo, & generare poteris ſuum ſimile: quia fermentum trahit ſulfur ad ſuū colorem, & etiam ad ſuam naturam, & ad pondus, necnon ad ſaporem & ſonū ſuum: quia quodlibet ſimile generat ſuum ſimile, quia fermentum vt Sol tingit, mutat ſuum ſulfur in medicinam permanentem & penetrantem: ideo dicit Philoſophus, Qui nouerit ſulfur & arg. viu. tingere cum Sole & Luna, ille peruenit ad maximum arcanum: Et propter hoc oportet quod Sol & Luna ſint tinctura & fermentum ipſius ſpiritus & aquæ permanentis arg. viui, & per illam aquā aliæ naturæ debent fixari, & nutrirī cum naturali calore tamdiu, uſquequo habebunt ſuam fixationem & fuſionem perfectam.

Tinctura.

Post hoc, ſit regimen coniunctionis lapidis cum ſuo fermento, ſcilicet uſque donec ad completum ſuum opus peruentum ſit. Et hoc non ſit vna vice ſimul, quia hoc de intentione naturæ non eſt, ſed bene per copulationem, ſcilicet parum poſt parum, & etiam per coagulationem ſit vera medicina vniformis. Et propter hoc illa copulatio cauſatur à ſubtilibus partibus tranſmutatis & alteratis in formam & eſſentiam ſpiritualem: quia ſcriptum eſt, quod corpus craſſum cum ſimplici, & ſimplex cum craſſo, propter eorum contrarietatem ſe coniungere non poſſunt, niſi craſſum conuertatur in ſubtilitatem ſuam, per ſuum ſimplicem ſpiritum, & tunc ſint commiſcibilia ſimul. Et hoc notificat Philoſophi declarando cuidam veritatis filio, & dicunt, quod perfecta miſtura eſt, commiſcibile alteratorum corporum per indiuiſibilia ſibi iunctorum vnio, quia illa hic requiruntur per patentem rationem: quia miſtio ſiue vnio non poteſt fieri ſine alteratione, quæ eſt ſubtiliatio corporis, & reductio in formam ſpiritualem. Et de illa parte dicunt Philoſophi, quod iam medicina completa eſt ab vna manente in aliam maneriem cryſtallinam: & tunc apparebit quod illa lamina compoſita eſt de ſubtilibus partibus naturalibus per naturale ingenium vniformiter coniuncta ſine diuiſione illarum partium per modicum, & iterum modicum, quia talis cauſa non poteſt fieri ſine ſubtiliatione & homogeneitate naturæ: & propter hoc conuenit vt veniat illa materia ita ſubtilis, quod omnes partes in natura æquales ſint miſtæ cum aqua: & hoc videre poteris per tuum intellectū quum factum ſit vnum corpus transparens, & in vnum continuatum per coniunctionem & connexionem multarum partium ſine diuiſione, diſcontinuatione & terminatione in vnā ſpiſſitudinem & figuram transparentem per omnes partes ſuas. Iam fili, tu modò habes non modicum ſecretum. Scias nunc, coniunctionem inter ſulfur & fermentum in formā homogenea (N. hic nota, quod ſpiritus Philoſophorum ſolutus dicitur fermentum, quia de Sole venit

Miſtio quid.

Fermentatio quid.

K

& sol est: qui spiritus conuertit sulfur suum in homogeneitatem suam iteratò, & hæc est fermentatio vera, quæ aliàs multiplicatio dicitur:) sequitur, Illumina primò corpus antequàm imponas animam: quia aliàs nunquam posset suscipere aut in se retinere spiritum.

Iterum de lapide minerali.

Recipe nunc dimidiam vnciam Lunæ finatæ, & dissolue in aqua mercuriali: ipsa enim dissoluitur in aquam viridem: & post separa aquam per rationem Philosophorum: & scias quòd prima forma argenti est aqua: & tunc recipe terram de illa Luna, & pone ad partem: & postea recipe aqua, & diuide in duas partes: in vnamq; partem proijce vnam partem lapidis (arte argenti) puluerizati, & obstrue bene ampullam, & pone ad Solem, & dissolue in aquam claram: & illa est aqua fermentabilis, in qua fermentatur noster lapis, & trahitur ad materiam metallorum. Illam aquam diuide in duas partes, & vnam partem pone in vitrum ad congelandum super ignem: post recipe vnam partem argenti & amalgama ipsum in duplo cum arg. viuo: deinde recipe de lapide congelato quartam partem, & misce simul cum prædicta amalgama, & contere eam simul tamdiu vsquequo facta sint vnum corpus: post imbebe iterum aliam partem tuæ materiæ de aqua fermentabili paulatim, sicut prædixi in Creatione lapidis: post mitte materiam tuam in vnum vas ad nutriendum continuando lentum ignem. Hic debet intelligi, quòd vapor lapidis coniunctus cum vapore lapidis arg. viui perfectè congelat in veram medicinam albam finitam resplendentem. Et quæto plus istam operationem reiteraueris, tantò magis multiplicabis in patientia & virtute tuam medicinam: videlicet sic, si vna pars medicinæ prima vice conuerteret centum, secunda vice mille, tertia decem millia, & sic in infinitum: propter hoc non negligas istam operationem multiplicationis: Quia quæ medicina plus disponitur digestionem illa, plus perfectè agit in operatione.

Fixatio et compositio tincture.

Nunc dicam fixationem aeris, quæ portat in se tincturam: Accipe terram Lunæ quam prius posuisti ad partem & modicum aquæ, & pone totum ad distillandum, & separa aquam distillando igne vnus puncti tamdiu, donec amplius nil exibat per illum ignem: post pone aliud receptaculum ad nasum alembici, & recipies aerem, qui est rubei coloris, aut glaucus per maiorem ignis expressionem æqualiter continuando, & totum quod potest distillari recipiendo. Quum autem non plus distillatur, tunc pone aqua ad partem bene obstruendo: postea tere terram quæ remansit in fundo valis, & iterum bene cõtere eam super laminam vitream, & etiam modicum de lapide præscripto cum ea, & imbebe has res cum aqua, quæ distillata est à terra tamdiu donec sit vt pasta: postea pone ad distillandum per alembicum, & fac ignem de duobus punctis, quia magis strenuè distillatur quàm prius: & quò tardius humor separatur à suo corpore, tantò magis nobilior, preciosior, melior & potentior erit: & reitera vterius istam distillationem, donec extraxeris animam à suo corpore, sic vt amplius nil possit distillari: & eandem distillationem pone in aere, quæ rubei aut glauci coloris est. Deinde semel rectifica distillationem per se ipsam solam: & sic habes aerem per quem tu tinges & fixabis tuum lapidem in illa manerie aut specie. Recipe arg. viuum quòd modò congelatum est per vaporem lapidis & corporis, & contere ipsum super laminam vitream, vel lapide marmoreo in puluerem subtilem, & imbebe cum aere prædicto modicum & modicum, vsquequo fiat per modum pastæ. Illam materiam nutrias igne lento, & continuo cum vno lignine, & tamdiu quoad aer congeletur cum lapide, sicut fecisti cum aqua in lamina crystallina, reiterando illam operationem vsquequo

quo bibat medietatem sui ponderis. Post hoc, recipe de ista lamina crySTALLINA modicum, & pone super laminam cupri rubeam, & lique scat ad modum ceræ sine fumo: & tunc illa medicina creata est & fixa. Et reiterna decoctionem tuam vsquequo habebit tale signum. Et de eadem medicina recipe, & projice super centum partes lous albi, vel alterius cuiuscunq; metalli, & conuertetur in argē tum, quod melius erit minerali. Et quando vna pars medicinæ proiecta fuerit per modum prædictæ projectionis super centum partes arg. viui, tunc congelatur in verum argentum etiam melius minerali in omnibus proprietatibus. Et quando medicina fuit semel multiplicata, tunc fac sic ex ea projectionē. R. vnā partem ipsius medicinæ & projice super centum partes mercurij calidi, & iterum conuertetur in medicinam: & vltius faciendo projectionem medicinæ super alium mercurium calidum, tunc vna pars istius medicinæ conuertit centum partes in verum argentum.

Si vis per alium modum facere tuum Elixir, & plus facilius, non miscendo lapidem tuum cum aqua argenti aliās: Tunc recipe amalgama factum ex argento & mercurio, & misce illud amalgama cum tuo lapide in quarta parte sui ponderis, & totum illud contere bene super laminam vitream donec fiat vnum corpus: imbe totam medicinam cum aqua Lunæ modicum & iterum modicum sicut prædixi de creatione lapidis: post pone tuam medicinam in vas tuum nutorium, & fac totum illud eodem modo sicut scriptum est.

Adhuc fili per alium modum poteris facere aut componere tuum Elixir: Et custodi quod habeas perfectam temperantiam coniunctionis & proprietatis, & scias quod recipies vnā partem, & semis de aqua argenti, & dissolue in ea vnā partem de præscripto lapide, & totum erit in dispositione aquæ claræ. Et post projice duas partes aeris in istam aquam, & eandem pone ad congelandum, confortando virtutem lapidis, quia ille habet totum congelare & fixare: & sextam partem aquæ, aut quartam separabis cum igne per viā decoctionis de toto composito, quia magis est de aqua, per quam sulfur se posuit in distillatione, & conuertit se in naturam aquæ contra potentiam sulfuris: & sic per eam apparebit, sicut illa materia demonstrat, quod in omni tempore fortio rem vincit minus forte, eo quod non succurritur: Et propter hoc enim opportunū est, quod aqua separabit sulfur per suā naturæ cursum, & conuertit ipsum per dissolutionem in suam naturam, propter similitudinem materiei. Etiam conueniens est, quod sulfur habeat posse separare aquam, & eam conuertere à proprietate suæ naturæ per congelationem, & conuersio fit cum naturali ratione: nos enim demonstrauius & per experientiam certificamus, confortando virtutem lapidis, & damus ei tale subsidium, quod habeat posse conuertere aquā, quæ ipsum prius conuertebat in suum simile: propterea oportebit te scire illud secretum, scilicet non solum quæ sit causa, sed etiam modum, per quem modū poterit operari aut confortari virtus alicuius. Et talis confortatio nō potest fieri in re vna sine debilitatione alterius, sicut manifeste apparet in dissolutione sulfuris. Et fili, omnis dissolutio est debilitatio sui ipsius: & ex hoc surgit illud, quod lapis noster per solutionem debilitatur, quoniā virtus aquæ ad hoc se confortat, vt habeat succursum confortare virtutes aquæ: per quas confortationes possunt separari virtutes nostri lapidis debilitati, & conuertere se in suā qualitatem & naturā: & ex tali conuersione facta per debilitatē vnus, & confortationē alterius est corruptio nostri lapidis, & sicut videtur, submersū est in profunda fouea aquæ, sicut per eandē naturam appositā, & per cōpetentem rationem natura sagax nobis demonstrat, quod virtus lapidis debilitata posset confortari per debilitatā virtutem aquæ: confortatur tamen sub tali specie quæ habet potestatem

conuertenda aquam in suam naturam. Et sciendum est, quòd illud quod est de natura humida, reduci debet in naturam siccam, & pariter frigida in naturam calidam. Et propterea relucet doctrina Philosophorum, quæ dicit, quòd conuersio lapidis in arg. viu. non est alia causa, nisi coniunctio vnus veræ naturæ in aliam. Fili doctrinæ, nōne percipis quia naturæ sunt multiplices: & tamē nisi vna sola natura diuisa in quatuor partes, & quælibet pars in suum elementum: quia nullum elementū potest esse sine diuisione suæ naturæ, eo quòd nullum elementum ipsas partes habet integraliter: & per hoc vnum elementum solum non potest corrumpi, neque generari in se ipso, quia non est spiritus natura. Et ergo Philosophi dicunt, quòd nostrum magisterium non potest perfici sine natura quatuor elementorum simul: & eadem natura quæ est causa homogeneitatis separat se de toto eterogeneo, quando potest mutari in omnes elementales qualitates: & illud boni artis consideratores nolunt quòd elementa sint de simplicibus qualitatibus: & per hoc habent posse conuertere & mutare naturam de qualitate in qualitatem, aliquando in siccum, aliquando in humidum, & sic de cæteris, secundum quòd diuisio naturæ est confortata per cōiunctionem suorum elementorum, vel etiam debilitata. Et fili, hoc intellige, quod lapis noster non fit aliter nisi de vna sola pura natura, quam quilibet sapiens scire poterit per duos modos: primò per sapientiam speculatiuam, id est per moderamen intellectus, & per experientiam cum perfecta illuminatione.

Et hos modos specialiter testificantur Philosophi quādo dicunt, quòd nostra medicina est vna sola natura, & illa est vna subtilis substantia, in quam qualitates elementorum intrans. Ideo illæ qualitates elementorum de illa magis ad se trahunt, in quo plus abundat: & sic qualitates sunt sicut materia elementorū in quas ipsa ponunt suas formas, & in eis sunt retentæ, sicut eius natura demonstrat in omni generatione. Et fili, in subtili substantia condensant se qualitates elementorum, & propter hoc capiuntur: & per hoc elementa sunt quæ dāt tā multas virtutes in illam substantiā, per quas ipsa poterit penetrare, tingere & facere operationē mirabilem, quam populus cōmunis & ignarus æstimat pro maximo miraculo: sic quòd putant tale factum esse per incātationem magicæ artis, quū ipsorum memoria & intellectus non valet comprehendere nostrum magisterium, quod per naturam & de natura, & etiam ex natura factum est. Fili doctrinæ, si ista natura non fuisset de subtili substantia essentiali elementorum, tunc illa impura essentialitas elementorum nō potuisset esse, & dominari in substantia: & etiam si quodlibet elementum seorsum secundum suam substantiā esset minerale, tunc illa substantia non posset etiam penetrare, nec ingressū habere, neque colorare. Ergo propter istā proprietatem fili nō conuenit quòd ignis perdominetur in prædicta substantia elementorum secundum suam mineram: cuius causam quæras in testamento nostro.

F I N I S .

A R S I N T E L L E C T I V A D. E X I M I I R A Y M V N D I

L V L L I I S V P E R L A P I D E M P H I L O -
sophorum.

V N T plures nimis errantes per vnũuersum mundum deuiantes ab opere naturæ ex defectu ingenij, quia nō philosopharunt nec intellexerunt causas per quas procedunt effectus, quos natura demonstrat omni bono intellectui: propterea nimis fuerunt excæcati in hoc quod semper vident corporaliter: quare nimis sunt decepti, quando intuentur cæcaliter velle assimilari naturæ, & suas secretas operationes

rationes conuecti mūdānis operibus mechaniter. Dicemus tunc sicut illi, qui propriē cognouerunt naturam, sine qua opus nostrum, scilicet sublimatio nunquam finietur, quia color est causa totius operis, qui bene percipit. Et est fons naturæ, qui imprimitur in re. Pauci sunt qui ibi aliquid videant, & ibi est tritor, marmor, & mortarium, ubi natura mouet suam sallam nigram sicut carbo: & se parat hoc quod non est de essentia sui compoliti, & ligat suas similitudinarias partes vniformiter, quam rem nunquam facit ignis communis, qui sublimat mercurium vulgariter, ne talis preparatio est de suo esse, imo est ei omnino contraria, sicut apparebit per hoc quod dicemus magistraliter per figuras extractas de nostro intellectu, mediāte spiritu agiographo, sine cuius virtute nō possumus vnquam videre nec intelligere sensum naturæ, tanta est magna sua vis, & virtus, & suum subtile ingenium, quod de tribus componitur inuicem adiunctis infra suum retinaculum, quod est memoria: aliquorum vnitas fit in imaginatiua, & attractiua operatione, quando in suo retinaculo firmiter tenetur, tūc est formatum philosophiæ instrumentum, per virtutem totius essentialiter.

De materia medicine nostræ, et quæ res sit.

Propterea oportet quod tu cognoscas materiam propriorem, de qua immediatē componitur nostra medicina cum certa proprietate: habes etiam notabiliter intelligere post rationalem & naturalem considerationē, quod materia non est nisi natura pura fini & puri metalli extracta per artem magisterij, & per operationem naturalem in actionem manifestam de substantia subtili & pura arg. viui portata ad fixationem, & ad magnam claritatem per ingenium naturæ, & suorum priorum modorum, & post reducti in speciem volatilē, per virtutem suæ missionis cum subtili substantia materiæ sulfuris fixi, clari, & lucidi: quæ est propriē calor naturalis ligata & coniuncta cum suo proprio subiecto radicaliter, quod est arg. viuum.

Doctrina intellectualis super materiam et suam formam, et super suam operationem.

Primò habes scire & fortiter fixare in tua mente instrumentaliter, quod cū tua intentio sit ad operandum pro aliquo fine, & formare, & venire ad illā ad complēdum perfectionem tuæ intentionis, necesse est primitus quod tu cognoscas totaliter naturam dicti finis. Et hoc in forma, materia, & operatione priusquam te intromittas aliquid facere, quia secundum intentionem finis cogniti operator naturalis habet consequi necessariò suum desiderium. Et sic opus vix aliquid valet sine materia intellecta, tam modicum, aut nihil valet totum, si formæ ignorentur. Quia materia propriē intellecta verificat operationem æquipollentem illi, & opus verificat materiam habenti clarum intellectum, mediante forma vnus & alterius. Quia materia non potest compleri sine propria forma veniente à recta mensura naturæ in suis gradibus sine operatione formali habita per ingenium artificij & intellectus, respectu passionis materiæ naturæ, & suæ propriæ formæ. Istam considerationem debes seruare instrumentaliter in duobus membris. Vnum est materiale, & aliud operatiuū, & quodlibet de suo passu æquipollēt alteri sicut res propria alteri: quia nulla materia potest perfectionari sine proprietate operationis, quæ est ei sicut causa perfectiua. Et ideo debet opus esse proprium, & in tali forma appropriatum, quod non transgrediatur proprietatem materiæ, quæ proprietatis materialis est cognita per proprietatem suæ formæ, & per suum effectum. Et quā iam dictum sit, quod materia non est nisi pura natura, & natura ad conseruandum suam proprietatem indigeat opere naturæ, & non vulgariū, declaratur quæ sunt principia proprii generis, quæ respiciunt mediā, & fines, & per consequens perfectionem, quæ est finis causæ, quem quæris, dum ipsas bene intel-

ligas, quoniam per istas consequitur perfectio quæ est finis causæ. Quæ sit verum, quod sine propria materia non possumus habere medicinam perfectam; nec etiam illam ponere in fine sine propria operatione, in tali forma, quod proprietas operationis naturalis, æquipollet proprietati materiæ naturæ sine transgrediendo totam latitudinem sui proprii generis. Vnde nos dicimus tibi, quod quodlibet genus habet in se naturalem proprietatem secundum suam propriam speciem, & per consequens genus quodlibet illorum habet proprias operationes æquipollentes eorum proprietatibus secundum eorum exigentiam differentem unam ab altera, & conseruationem specierum earum propriarum. Quare apparet, quod si tu non intelligas materiam naturæ ipsius latitudinis, & operationem eius præcisè, nunquam poteris consequi finem, quem quæris. Audi quid dicat autoritas philosophicalis, & nota eam, si vis quod ad eam dimittam cum integra doctrina. Opus est ei homini rationis volenti facere nostrum Elixir completum, quod primitus habeat in intellectu suo veras & proprias causas, & virtutes lapidum istius latitudinis per scientiam contrariam suæ corruptionis ignis consumptiui omnino radicaliter humidæ naturæ, quod est ipsius latitudinis per instrumentum contrarium, quod in chorda recta magnæ latitudinis, quæ sunt magis per differentias contrarietatum, secundum proprias formas mineralitatis, sicut videre potes per præsentem figuram,

Latitudo diuersarum specierum extra metallum, argentum viuum, nitrum sal, sulfur, vapor.

Latitudo speciei metallicæ, Mercurius, Saturnus, Iupiter, Venus, Mars.

Latitudo vnius salis omnium metallorum.

Cum instrumentis per reuersionem appositionis materiæ puræ secundæ latitudinis cum illa, quæ est in prima extra arg. viu. inuenies scientiam proprietatum quæ fortiter contrariantur in specie & forma numeralitatis. Et adhuc inuenies per primam latitudinem cum arg. viuo, quæ est respiciendo formam & suam corruptionem per transmutationem speciei in speciem, quæ est alterius latitudinis, videlicet, tantum vadit arando calor comburēs de materia in materiam, quod illas vadit domando, donec arg. viu. sit gelatum sub proprietate speciei metallorum per illum magnum transitum, quem ille facit cum arg. viu. de medio in medium. Vnde omnia corpora creantur, sicut potes sentire per propriam essentiam corporis lucentis compositi de arg. viuo per calorem cælestem, & non per terrestrem: per istum modum intelliges proprietates materiæ, de qua indiges cum signis cognitis & demonstrationibus, quæ de sua propria latitudine saltant. Et erit tibi manifestè declarata per clarum intellectum rectitudo virtuosa operationis materiæ, naturæ istius latitudinis, quia virtuosa rectitudo operationis procedit à perfectâ cognitione. Et per hoc omnis artifex habet tam directè operari, quam propriè cognoscit, & non plus: ita quod si nihil intelligat, nihil scit facere. Et ideo dico tibi, plenam cognitionem dispositionis operis habere non potes, nisi per considerationem illius respectu sui perfecti finis, quoniam sicut effectus cognoscitur per causam, sic sua causa cognoscitur per effectum suum. Et hoc sit tibi canon directiuum cognitionis naturalis, & per genus operationis naturalis, & regula propria dirigens intellectum operatoris naturalis, non solum ad mensurandum transitus, id est temperamentum. Imò similis est regula directæ ad mensurandum virtutes elementales, & similiter cælestes, scilicet luciditates & præparationes naturæ, & proportionem missionis substantialis in coniunctis essentijs elementatis, quæ constituunt temperamentum in re interperata. Et sic hoc fuit declaratum in collectione causarum supradictarum, quod tibi primo necesse est intelligere, priusquam per scientiam possis operari, quia

qui nō habet causam non potest habere effectum. Patet igitur manifestē, quōd scientiam intellectualem, priusquam aliquid facias operis, te habere oportet quia omnes Philosophi pro regula generali hoc dixerunt. Modus ergo ad sciendum istud instrumentum, quod scientia intellectualis dicitur, in forma theoralis est iste.

Modus habendi instrumentum intellectuale.

Diximus supra in sensu philosophali quōd plena cognitio dispositionis operis nō potest haberi, nisi per comparisonem ipsius ad suum perfectū finem, qui est extremitas vltima latitudinis operationis naturæ, per quā quilibet artista debet perscrutando applicare totum suū intellectum, sicut apparere potest per istam figuram, quæ est operatiua perfectionis, & vocatur figura latitudinis, in qua includuntur extremitates & media, & perfectæ operationes naturæ.

Per intellectum istius figuræ potest cognoscere naturalis intellectus per doctrinam intellectualem, quomodo diuersificatur in forma ad finem optatum conquirendum in operatione in tantum, quod incepit ad finem operationis naturæ.

<i>Naturæ latitudo</i>	<i>Finis intellectiue artis</i>	<i>Principium operis secundū</i>
<i>Calor in materia</i>	<i>Latitudo, calor in materia</i>	<i>Latitudo, motus materiæ</i>

<i>Intellectus naturæ</i>	<i>Principiū philosophandi per data à natura</i>	<i>Finis operis secundum intellectū</i>
<i>Latitudo, resolutio mat.</i>	<i>Latitudo, mistio materiæ.</i>	<i>Latitudo, perfectio in natura.</i>

Et hoc per hoc quōd non posset habere instrumentum originale habendi notitiam descendendi ad suam causam in vera intentione, quæ descensio sit ab antecessiua graduatione refluendo de gradu in gradum vsque ad suum finē, quæ est principium materiæ & operationis, per quem effectus demonstratur, nec aliās nisi per effectum descendentem à causa. Quoniam natura nobis monstrauit finē causæ sicut per Solem, & alia quæ ipsa creauit, quæ sunt effectus & terminationes causarum, secundum meritum suæ latitudinis, immediate intellectus considerat, & inuestigat primò causam præcedentem & immediatam illius, de qua & per quam successiue cadunt sine alio medio. Et ita de medio in medium cum resolutione graduata, & cum instrumento præuiso, quod excitat intellectum non transeundi vltimam istam latitudinem, donec sit ad finē suum quæ est principium materiæ & operis, vt supradictum est, & principium latitudinis respectu materiæ & operis, & finis dictæ latitudinis respectu habēdi propriam notitiam doctrinæ intellectualis, ad satisfaciendum operibus naturæ. Et quando per talem inuestigationem intellectus inuenit per instrumentum demonstratum accommodatum corruptioni, quæ corruptio firmat & roborat intellectum in actualitate, per vera & infallibilia signa, quæ falli non possunt per causas desideratas, tunc veniunt effectus. Totum hoc rotatur & vertitur simul per rotam circulatam, quia sic transit medium sicut principium, & etiam principium sicut finis. Tunc scit principia per causas cognitās, de quibus postea potest homo operari, qui hoc cognoscit, & conquirere effectum suæ causæ, quæ est suæ naturæ verum principiū & operatio naturalis, & ita declaratur modus, quomodo habemus notitiam per artem intellectuā, per proprium instrumentum, nō tantummodò de principijs, scilicet materiali operatiuo naturæ, sed de tota ista latitudine inclusiue sine transgrediēdo illam: cuius inuestigationis nobis pateret demonstratio, sicut patet per hoc quod dictum est supra, quōd opus naturæ non transit de extremo in extremum nisi per media, nec per consequens opus cum intentione, nisi per successionem operationis. Et vt sit verum im-

mediate demonstratur per formam intellectualem & intellectuam, quæ figuratur ab operatiua vniuersaliter. Per istam figuram demonstratur quomodo intellectus inuestigat spiritualiter, quod natura monstrat corporaliter, & in quo loco incipit percrutatio ad intelligendum essentiam operationis, vnde nos docuerunt omnes Philosophi per magnum excitamentum.

Figura intellectualis.

<i>Principium inuestigationis</i>	<i>Finis inuestigationis</i>	<i>Perfectio in auro.</i>	<i>Vniiformitas in auro</i>
<i>Mistio in igne</i>	<i>Resolutio in aere</i>	<i>Motus in uapore</i>	<i>Calor in aqua.</i>

Aurum in loco instrumenti finalis, & perfectionis quod creatum est per naturam exemplariter: quum ergo aurum, quod est nobilior lapis omnium preciosorum sit finis, & perfectio operis naturæ per suum complementum in latitudine mineralitatis, citò venit actio intelligentiæ percrutando per scientiam propinquam sensibilitati causæ immediatæ, quæ præcedens est istius perfectionis. Et sic dat nobis intelligere sensus sensibilitatis per directum signum tam in materia, quàm in operatione. Et scito quòd in percrutatione incipit moueri spiritus rationis, qui rectum est instrumentum nostri intellectus, citò facit videre vniiformitatem, quæ propria causa perfectionis suæ, scilicet auri, sicut ipsa confirmat per proprios effectus suarum experientiarum: Vnde exemplum contrarium viue demonstrat per verba, vel loquelas viceuersaliter, quòd materia contraria vniiformitati est causa quæ resistit suæ perfectioni. Ergo materia difformis non est tam completa inquantum contradicit causæ, quæ est propria perfectionis: quoniã de suo vero contrario, quod est vniiformitas est propriè causata. Et sicut vera vnitas est causa immediata magnæ perfectionis, sic successiue per retrogradationem vides nostrum spiritum esse veram mistionem, quæ est antecedens & causa immediata vniiformitatis. Ergo tu potes bene cognoscere magistraliter, si in te est spiritus agiographus, quòd secundum naturam præcedentem generis veniet suus succedens per directam homogeneitatem. Et postquam mistio causatur de vnitate, sic solutio est vera causa propriæ mistionis: quæ solutio est magnum principale, perfectum & secretum coniunctiuum in omni natura de pluribus partibus in vnitate. Et sic maioratur quãdo est paulatiue subtiliata & minuta. Et quum talis solutio sit causa mistionis, sic motus subtilis æqualis solutionis. Quare si motus sit nimis fortis, æqualis subtilitas discordatur, quæ est causa notabilis resolutionis: sicut motus continuus subtilis, & bene continuatus, est causa in sua materia subtilis motus: Et ita reperit noster intellectus medium & principium operis naturæ per rationem finis philosophicaliter.

Cognitio rationis facta per reuolutionem contrariorum inueniendo practicam respectu nature.

S ergo calor de quo causatur prima actio operis naturæ, est subtiliter temperatus & bene continuatus sine additione aut diminutione, sed secundum quòd intellectum est intendendo ad aspectum naturæ: motus illius, qui est sua actio per suam vniiformitatem nobilitatur. Et postquam iste motus sic erit sublimatus, nunquam videbis resolutionem exaltatã. Et si solutio est sic appropriata, mistio inde saltabit, quæ est fortiter illuminata. Et si mistio est in tali forma facta causabit vnitatem, quæ est natura mouens, cuius proprietas causæ perfectionem, quæ est finis & conclusio operationis. Quare patet, quòd quæ omnes istæ perfectiones descendant à calore temperato, quæ est prima operatio respectu subtilis vniiformitatis materiæ naturæ, quæ est spiritualis: cuius actio refluit & respicit suos fines: & in quantum elongatur ab actione prædicta, scilicet

scilicet à motu subtili, in tantum succedētia erunt diminuta à factō completō:
& inquantum primi motus subtiles erunt meliores, in tantum mellorabuntur
succedentes voluntati naturæ. Si bene intelligis naturam, bene intelliges suas
operationes, quia ei assimilantur per vniformitatem. Fili, natura est vna fortis
compositio de materia subtili & vniformis, humida & viscosa, animata calore
per suam claritatem, quæ est virtus cælestis: quæ natura non indiget composi-
tione vel multiplicatione alicuius alterius materiæ, quia ipsa continet in sua cō-
positione totum illud quod indiget de quatuor elementis in sua perfectione,
& extra ipsam nihil continetur quod sit necessarium suo composito: quare si al-
liam rem ibi imponas, tu non cognoscis naturam, nec vnquam habebis perfe-
ctionem suæ operationis. Et si eam cognoscis, tu scies omnia sua opera: quia
quum nostra medicina debeat fieri de pura natura, & natura pura non sit alia
res, nisi talis compositio, quā supradiximus, necessaria res est quod vnitas suæ
operationis æquipolleat vniformitati suæ compositionis. Et sic potes intelligē-
re, quod opera nostræ medicinæ, quæ ipsa facit dum fuerit excitata per calorem
extrinsecum, non sunt nisi opera naturæ, quum dicta medicina sit de istamet
natura, quæ non est aliud nisi vera cōpositio purissimæ naturæ. Et hoc scimus
per sensum experientia, quem nobis in sua sublimatione demonstrat: quia om-
ne illud quod non est de essentia sui compositi segregat & separat, sicut perti-
net per suas partes puras splendide cælestes se demonstrando sine macula pro-
faciendo congelamentum, quod est in igne permanens. Sic ostēsum est, quod
non indiget aliqua alia natura, vt veniat ad finem suæ perfectionis. Et postquā
intellectus comprehendit causas & opera media: & visis omnibus illis, scilicet
principijs & fine, non potest esse quod homo possit errare, postquā habet prin-
cipium bene continuandi ignem: idcirco omnes operationes superius decla-
ratae per hoc quod sequitur, ponuntur rei petita: Non quod intelligas, quod
solutio facta per diuisionem & per attractionem sit per ignem cōmutiē cau-
sata in natura per generationem vel renouationem indiuiduorum in similitu-
dine suæ speciei, imò proprie causatur immēdiatē per calorem confortatum,
qui in natura propinquē & intrinsecē illuminatur claritate cælesti excitata, &
non adhuc per calorem communem immēdiatē, sed per virtutem motus cau-
sarum mobilium mouentium & motorum, in tantum quantum natura requi-
rit, quia motus est causa excitationis caloris naturæ, qui calor prouenit ab igne
qui est fortior elementorum existentium in cōpositione naturæ. Præterea po-
tes intelligere, quod ignis existens in compositione naturæ, est quarta pars na-
turæ, & alia pars quarta est aqua, alia terra, & alia aer: tali modo quod debes in-
telligere, quod quodlibet illorum quatuor elementorum elementatur magna
puritate. Et ita de quatuor naturis puris est illa cōposita per talem proportio-
nem, quam requirit forma & species nostri arg. viui, quod est natura cōposi-
ta de quatuor sine transgressu mensuræ æqualitatis, per quam resultat nobilis
proprietas quam custodire debes ab omni igne combustibili. Quoniam si al-
quid prædictorum elementorum, & maxime ignis dissoluatur & separetur à
composito naturæ per aliquem ignem extraneum, forma corrumpēretur cum
suis proprietatibus. Sic etiam fiet, si ei admisceas terram naturæ extraneæ, quia
sua terra est ei proportionalis æqualitati aque, aeris & ignis: & aer cōmensu-
ratur ei æqualitati aque, ignis & terræ: & ignis similiter ei proportionat æqua-
litati aquæ, aeris & terræ. Quare necessarium est, quod vnum non resoluatur
sine alio. Et hoc sine adiunctione rei alterius nature: intellige ergo principium
nostræ resolutionis factæ suæ merito compositionis, & non dislocationis sci-
licet elementariæ, sicut sit resolutio sophistica in aqua communi, seu vulgaris

quæ resolutio ostendit separationem sicci & humidî, quæ natura elegit per cōparationem, & per consequens demonstrat destructionem formæ per motum rerum elementarium motarum & mouentium, quæ sunt in supradicta compositione naturali: quia motus rerum mobilium existentium in composito, est causa excitationis caloris naturalis in rebus corruptibilibus & generalibus sine inflammatione, vel sine consumptione humidî radicalis. Tamen motor causarum mobilium qui est in compositione elementaria secundum plus aut minus causatur immediate per calorem extrinsecum proportionatum æqualitati motus omnium illorum elementorum, ne vnum resoluator sine alio ad conseruandū suam speciem, quæ est de omnibus suis elementis in forma arg. viui, & talis calor est informatius toto composito. Sic intellige de fixo & non fixo, donec se inuicem amplexentur. quoniam volatium non portat in ipso causam exterminationis, per quam possit diuidi in partes compositas, imò totaliter volat, aut totaliter manet sine aliqua resolutione elementaria, sicut patet per suam formā quia si ignis separaretur ab humido, forma corrumpetur, quæ est certa elementaria proportio: ita quòd nullum elementorum suorum separaretur ab alijs in eorum perfectis resolutionibus sub conseruatione speciei in forma arg. viui. Quare recolligendo omnes causas, potes cognoscere quòd secundum quòd ignis communis bene fuerit informatus per sapientem intellectorem ad exigētiā propriæ naturæ, causabitur fortiter & plenitudinarie suus motus, qui est excitatio & propriè directio ignis in natura existentis: & secundum quòd calor naturalis fuerit à dicto motu excitatus per omnia sua elementa cum omnibus suis motibus, quæ debes fixare in tuo intellectu, quia subiecta sunt hoc modo, quòd gentes ignorant. Ergo quum motus sit causa caloris in causis naturæ generat de illis & pullulat feruorem, quando calor extenditur, qui est de propria essentia materiali naturæ, sicut dictum est supra ad causandum feruorem quem causat per digestionem magnam sine hoc, quòd partes compositi naturæ aliud mundi sentiant, aut non sentiant. Quoniam si perditionem haberent sentire in eorum mutatione, forma compositi corrumpetur. Ideo inspicias ad ignem, quando eum facies ne sit nimis fortis, & non transeas metas verorum motuum existentium in informatione ignis nostri secreti (scilicet furni secreti) quia motus nimis subitaneus nimis inimicatur naturæ, ut patet per rubedinem visam ante suum terminum, qui iam declaratus est. Iste est qui dissoluit & resoluit partes suas existentes de essentia puræ naturæ, & per vinculum amoris dulciter eas amplexatur, & alias effugat sine cremabilitate, quia non sunt de genere sui compositi. Et per istas causas potes satis percipere, notare & intelligere, quòd si ignis est nimis fortis vel acutus motus spirituum fortiter decipietur. Et si fuerit nimis fortis calor naturalis non resolutus sentiens ignem pungentem nitetur seruire partes sui compositi sine resolutione nunquam faciendā: quoniam viles partes cum puris in proprio mercurio obuiabit ignis naturalis fortiter defendens, & omne resolutum in spiritum sentiens ignem supradictū non intendit vnquā operari ad corruptionem generationis, imò fit cum corruptione destructionis, per quā actus & renouatio specierum manet corruptus per subitum actum ignis ardentis comburentis causam fixam, scilicet thelon, qui prius demonstratur sine resolutione, eo quòd spiritus recedit, qui deberet dissolvere eum, & defendere contra magnum Draconem totum deuorante. Ideo cognoscas & directè scias, quòd quum volatile non sit de se fixum, non potest expectare ignem intransientem in materiam per extraneum motum, nec cum sua causa fixa consequenter potest esse fixum, quum habeat fugere. Quæ fixatio indiget fieri de materia tenui tam ignis quam materiæ essentialiter. Et sic debes intel-

intelligere calorem naturæ venientem à motu veniente de calore cōmuni (vel contrarij) vt videre potes per præsentem figuram practicaliter.

Figura practicalis operis naturæ.

<i>Initium motus</i>	<i>Calor Resolutio subtilis</i>	<i>Resolutio Individualis</i>	<i>Mixtio Calor subtilis</i>	<i>Perfectio Motus subtilis</i>	<i>Finis operis Calor naturalis</i>
--------------------------	---	-----------------------------------	--------------------------------------	---	---

Recapitulatio artis intellectualis cum diuisione suorum membrorum.

SI cupis habere & consequi perfectionem, quæ est perfectio operis & totius istius artis, oportet sapienter considerare primò naturam & formam, per quas materia portata est ad perfectionem: & quum hoc sit necessariū scire in causa petita & requisita, quæ superat totum naturæ cursum, nec eā possis habere, nec realiter possidere in forma aut materia sine operatione: tamen ipsam potes scire & satis bene intelligere per virtutem spiritus agiographi recurrendo finis naturæ, qui portauit suam materiam ad perfectionem aureā, per certas experientias demonstratiuas regulatas à doctrina intellectuali acquisita per dictam virtutem. Quoniam talis doctrina facit videre causas inuisibiles per sensibilitatem, & hoc secundum quod magis aut minus est regulatum, tam per sensum rationis, quam per instrumentum demonstratiuum cognite experientie super materiam naturæ, per talem intellectum sic acquisitū poteris habere totam scientiam operationis naturæ istius latitudinis: Quare per talē scientiam poteris in posteris multum bene te custodire & dirigere, vel dirigi per instrumenta demonstratiua, quæ habebis in mente tua in omni opere artis cum paruo adiutorio. Modus recurrendi ad opus naturæ est duplex: Primus est, quod tu habes considerare compositionē auri, quod natura creauit tam in forma & in materia, quam in perfectione. Et hoc fiat, vt quando habebis notitiam dictæ compositionis possis assimilari naturæ, & ipsam sequi in quantum possibile est sine transgrediendo latitudinem, quando eris in nostro magisterio. Secundus est, quod habeas perscrutari compositionem aliorum metallorum, & causas eorum tam in forma, quam in materia conuenienti, & nihilominus mouenti quantum ad operationem: quæ perscrutatio completur per differentiā contrarietatis sicut demonstratur per propriam naturam eorum remotā à perfectione omni homini clare intuenti. Iste modus datus est ad cognoscendum euitationem erroris in operibus artis: sed primus in quantum est perfectiū, datus est ad bene intelligendum, cognoscendum, sciendum & continuandum opus philosophale respectu perfectionis naturæ, & ad supplendum & corrigendum causas erratas per casum fortunæ. Vnde dicimus post patres nostros quod nisi cognoscas corpora omnium metallorum cum natura principiorum illorum tam occulte quam manifeste, & nisi hæc sciueris, nūquam scies causam quæ est superans in superatis, nec quæ est diminuens in diminutis. Et qui per istum modum non procedit inuestigare causas naturæ, nunquā erit in suo processu verus philosophus, imò potius constringet eum vtilitas ignorantie per causam necessariam ignoratam per obfuscationē & tenebrositatē magnæ confusionis, nec vnquam poterit peruenire ad perfectionem transmutationis prædictorum metallorum. Forma igitur artis intellectualis ad habendum notitiā per veram doctrinam desuper dictis, est perscrutandi per directum instrumentum naturam causarum, de quibus dicta corpora immediate & gradualiter descendunt vsque ad eorum principium, quod dicitur prima materia composi-

tionis eorum in natura radicata: Et est primus gradus & principium istius latitudinis. Et secundum quod tu cognoscis gradus, successiue tu debes intelligere sine transgressu naturæ eorum actiones æquipollentes caloris eorum informatiuorum continuè, quia omnes æquipollent vna alteri tali modo quod natura cuiuscunque gradus requirit actionem proprię proprietati suæ tolerabilitatis. Et sic quum tu habueris notitiam supradictam per inuestigationem propriam artis intellectiuæ sine transgressione metarum rationis cooperantis sub istis instrumentis demonstratiuis (vel diuinis) quæ regulant sensum & totum intellectum, per quæ erunt eorum causæ patefactæ & demonstratæ per reali cognitionem, quæ cognitio est directè nota per proprietates graduum, quæ sunt in scala philosophali, scilicet per doctrinam mediorum eorum, & eorum priorum extremorum sicut immediatè dependent ab eorum propinquis naturis, vt supra dictum est, & satis demonstratum per figuram perfectionis intellectiuam, & per figuram operatiuam perfectionis, per quas potest haberi cognitio intellectiua naturæ omnium corporum diminutorum à perfectione per instrumentum contrarium respectum habentem in oppositū dictæ figuræ intellectiuæ, quæ est perfectionis, vel suorum instrumentorum perfectiorem, quæ per rationem elongantur ab eorum causa contraria, sicut apparere potest per presentem figuram, quæ est perfectiua & imperfectiua ad finē, quod tu intēdas & videas defectus eorum per contraria vincula formata cum differentiis,

<u>Corruptio</u>		Perfectio		Vniiformitas		Mistio		Confusio		Difformitas
		figura		perfectiuerum				figura		perfectiuerum

Per hanc figuram patet, quod difformitas est instrumentum contrariū vniiformitati, & quantū plus est sibi contrarium, tantū elongatur à perfectione, & magis participat imperfectionem, quæ est corruptio & instrumentum contrarium perfectioni, quoniam omnis causa demonstrat suū effectum magis propinquum secundū proprietatem suæ naturæ & concordantiæ, vel contrarietatem per alias differentias causatas secundum plus vel minus: quare quū natura sua sit difformis, vult & requirit sua improprietas imperfecta per potestatem suæ naturæ scilicet imperfectam, quod materia sua perueniat in causam imperfectam. Veruntamen debet intelligere hoc esse ex parte fragilitatis naturæ, & non ex parte formæ proprietariæ: sed per formā cognoscitur perfectio vel imperfectio materiæ in quantum forma recipit determinationem suæ materiæ: quoniam sicut eam recipit, ita eam demonstrat, & per illa intrauit instrumentum liter sua materia in esse perfecto vel imperfecto: Quare concluditur, quod si tu cognoscis naturam formæ, iam verò cognosces meritū materiæ, si sit perfectionis vel imperfectionis: Ergo considera formā respectu materiæ, quia forma de qua fit proprietas est summū instrumentum, & per hoc instrumentum potes acquirere multas artes reales, quæ secretæ & occultatæ sunt in natura: & in quantum difformitas elongatur à perfectione, & appropinquat in perfectionem, in tantū potest sentire tuus spiritus, quod summa vniiformitas appropinquat magnæ perfectioni, & elongatur à magna corruptione, & tanquam confusæ appropinquatur difformitati, & ab vniiformitate elongatur: sic mistio appropinquatur vniiformitati, & elongatur à magna difformitate per virtutem proprietatis auri causatæ à perfectione. Sed quum omnes causæ cognoscantur per radicem suæ formæ, & sine ipsa cognosci nō possunt, ideo loco exempli in capitulo sequenti dicemus, quid sit forma.

De for

De forma et eius consequentia.

TV primò debes intelligere & realiter notare levando spiritum per sublimationē habendo intellectum, quòd quū velis habere realem perfectionem, oportet te evitare omnes casus, qui sunt contra naturam, & eligere, ac accipere omnes naturales, de quib. prima hæc est præcessiua, quæ est perfectionis & materiæ verè vnita, vel vnitatis quatuor elementorum, quæ dicuntur arg. viui cum proportionē formali, quæ est species realis cum forma mercurij, per quam resultat magna proprietas, quæ perficit eum in esse naturali, & in specie cōmuni nobili & generali, per quam conseruantur ab eorū corruptione omnia septē metalla. Quapropter si vis scire instrumenta huius nobilis speciei, ipsa sunt omnia complexionalia, quorum in generali est propria operatio per nobile instrumentum vi proportionis in esse naturali istius latitudinis, hoc est dicerē secundum suam speciem, in qua propriè omnia continentur. Quapropter si hæc species destruat, ut patet in resolutione Sophisticorum, qui nituntur dissolvere in aquam nubium destruentem naturam, & totam suam compositionem, forma corrumpitur, & sua proprietas, & dissolvitur vera virtus in alia latitudine, & omne illud, quod in eis continetur, sicut nobis demonstrat instrumenta magnæ latitudinis, quæ est superius descripta. Vnde dicimus quòd in sequendo filios doctrinæ, quomodo debeat fieri dissolutio indiuiduorum, scilicet quòd fiat sub conseruatione earum specierum, in qua & per quam conseruatur nobilis proprietas, quæ facit ligamentum & vnionem rerum miscibilium per amorem assimilantem eorum proprietati, quæ iam alterata sunt sub conseruatione earum propriarum formarum. Vis adhuc scire plus quæ sit virtus formæ? Est illa per quam materia est contenta, sicut res diuina & digna, nō quòd forma virtuosa contineatur per materiam, quia in natura nō est desiderata materialis forma, quū de ea non indigeat in esse diuino vel diuinali, sed tantummodò ad esse diuidui: quapropter indiuidualitas prouenit à proprietate materiæ, quæ desiderat perfectionem, sicut causa imperfecta. Et à proprietate formæ venit dignitas diuinalis, quæ est causa perfecta, & perfectio nata dictæ materiæ in esse completo secundum quòd summus dedit naturæ istius latitudinis. Propterea tibi demonstratum est, quòd materia corrumpi habet sub sua forma prima scilicet aurea, & gubernari & regi sub sua potestate, quia sic se habet, quod dat pro restauratione suæ materiæ propriam speciem, ideo consequitur formam quæ portat eum ad perfectionem: propterea sulfur nostrum quòd fit, nō est aliud quàm arg. viui, in quo est forma continens materiam totius de quo indiges. Si hoc potes intelligere per magnam realitatem, tu intelliges omnes alias causas per naturam factas sub conseruatione earum specierum in corruptione indiuiduorum: Ideo custodias spiritum ne euolet in corruptione aut resolutione suæ propriæ materiæ cum omnibus suis elementis: quia ille est qui reformat aut restaurat vitam euntem contra mortem omnino rem destruentem, nisi forma sua eam custodiat per suam perfectionem.

De materia et eius diuersitate.

Dictum est superius & realiter demonstratum, quòd vniformitas in materia est causa immediata magnæ perfectionis, & diuersitas in substantia, est causa corruptionis. Per ista duo contraria instrumenta demonstrantur opera sulfuris & arg. viui omni filio doctrinæ scire volenti naturam corporum attingentem perfectioni vel imperfectioni, per quæ manifestè cognouimus opera sulfuris & arg. viui media siue instrumenta claræ experiētiae, quæ vidimus per regimen earum fixationum: quoniam quum sit res notabilis, quòd sulfur nō possit fixari sine euolatione, nisi prius calcinetur, illud calcinabimus, & in-

L

ueniemus in calcinatione, quòd tota sua humiditas radicalis exterminabitur, ita quòd in fine per nullum artificium fundere non potuit, quanuis per imbibitionem suæ terræ cum secundo suo spiritu non fixo inflammabili habuisset aliquoties fundere per virtutem sui spiritus motiui imbibiti in partibus suæ terræ cū magna ignitione. Sed in fine quū non fuisset fixum omni tempore in sua operatione portabat nigredinem vel cremabilitatem per exaltationem & resolutionem suæ substantiæ non fixæ & inflammabilis. Et hoc tibi demonstrat natura cupri, si suas causas scis inuestigare. Adhuc quū fixamus istam secundam substantiam, videmus humiditatem illius radicalē totaliter exterminari & falli in flammam in sua calcinatione, & in substantiam terrestrem realiter reuerti sine aliqua fusione, nec sine qualicunque ingressu. Et hæc experientia satis tibi monstrat naturam ferri, quia cognoscimus quòd portat sulfur fixū, cuius proprietas est non posse fundi ratione exterminationis suæ humiditatis: nec sua humiditas non fixa potest eum in confusione seruare, quin debeat cremari vsque ad finē suæ exterminationis in terram turbatiuam omnino effectiuam contrarietatis, quæ est instrumentum oppositum, & contrarium vniformitati. Vnde nos concludimus quòd proprietas sulfuris est confusio in substantia: quæ confusio est contra veram mitionem: & adhuc magis habet proprietatem sulfuris difformitas in substantia, quæ est contra vniformitatem: & non tantum non portat corruptionem in se ipso, sed in omni alio, quæ est perfectionis. Quare declaratum est, quòd tenet ambiendo & amplexando omnes operationes, quæ sunt contra naturam, & quæ sunt corruptionis. Totum contrarium istius videmus in fixatione arg. viui, quod fixauimus duobus modis sine exterminatione suæ radicalis humiditatis. Primò fixauimus eum per conseruationē suæ innatæ humiditatis complexionatæ in sua propria terra, in proprio igne per moram temporis, vel per cautelam bene conseruatam: deinde fixauimus eum cum festinatione ad videndum exterminationem sui humidi in terram & ad tentandum suæ fixationis virtutem per præcipationem, quòd reuertitur in terram ponderosam mortuam sine viua luciditate: sed postea per sublimationem successiuam dictæ terræ fixæ viscosæ, & densæ in radice suæ nature cum vita imbibitionis & mitionis suæ secundæ substantiæ non inflammabilis, inexterminabilis, vidimus quòd fuit fixum, & in veram fusionem conuersum, & pugnam ignis superauit in eo quiescendo sine operatione: Et hic modus passus est ignitionem & primus est sine ignitione. Intellige secundum gradus medicinales, & nō corporales: quia ignitiones medicinales sunt sine ignitionibus corporalibus, & cum ignitionibus corporalibus. Et sic declaratur, quòd argentum viuum est sufficiens dandæ perfectioni cuiuslibet gradui, scilicet, aut cum ignitione, vel sine ignitione. Vnde potes intelligere, quòd substantia argenti viui fixa est causa retardationis suæ fusionis. Sed substantia fixa cum volatili per vniformitatem, est causa fusionis sine ignitione. Causa perfectionis istarum fixationum sunt proprietates arg. viui, de quibus prima est viscosa in substantia subtili sine separatione: Et per hunc intellectum dimiserunt Philosophi in scriptis ad finē, quòd filij doctrinæ habuissent perscrutari dictā compositionem lapidis in forma: Quia arg. viu. per nullas causas exterminationis se in partes diuidi permittit, quia aut cum tota substantia sua ab igne recedit, aut cum tota sua substantia in igne remanet stans: & hoc est notum in præcedentibus. Et ideo tibi datum est intelligere, quòd quum tu fixas vnum elementorum, tu fixas omnia alia cum tali proportionem, qualem natura requirit, vt supra diximus: Vnde resultat forma, per quam omnes sapientes dixerunt, quòd cum rota circulari lapis debet fieri de omnibus suis elementis. Alia proprietas est densitas in substantia subtili adhæ-

Duplex arg. vi:
fixatio

adhærenti humiditati radicali sine terminatione cremabilitatis, & per istā causam fixatur sine cōsumptione suę humiditatis, scilicet proportionabilis ad formā, & accipit requiem in igne ratione suę magnę densitatis, & sui nobilis ponderis. Alia proprietas est compositio fortis & vniformis à natura, & per hoc nō dimittit se in suis operibus separari, nec diuidi per partes, sicut facit sulfur, quin indigeat per suam proprietatē, aut totaliter exhalare, aut totaliter manere: quū sit substantia exceptiua totius operationis, & per consequens totius combustionis, quam ignis non potest superare, imò superatur: Quare quum alię res sint combustibiles, & in fine exterminentur, & in flammā deficiāt dempto arg. viuo per suas proprietates, quę sunt causę naturales perfectionis: Quum ergo arg. viuū sit de substantia vniformi: est igitur manifestum, quòd ipse est causa magnę perfectionis: quam vniformitatem sequimur assimilando suę naturę per commistionem sui sulfuris factam in loco decoctionis naturalis. Si ergo argentum viuū ratione suę vniformitatis est causa perfectionis, sulfur per suā difformitatē est causa corruptionis in omnibus proprietatibus: & sic in omni genere caloris sicut ostensum est per rotam finientem metallorum imperfectorū cuius contrarietas docebit te proprietatem arg. viui in sua fixatione: per quas causas docuerunt Philosophi ad finem, quòd filij doctrine per ignorantia proprietatum sulfuris non caderent in errorem: Quòd quum arg. viuum, quòd est caput & fundamentum, & radix operis, non possit fixari sine vapore alicuius sulfuris in natura calentis, præceperunt, quòd illud acciperent de sua propria substantia appropriata naturę terrę per subtractionem suę secundę humiditatis cum fixatione & calcinatione: quia substantia sulfuris non est aliud, quàm appropriatio ipsius in materia terrę subtilis per congelationem: quoniam quū sulfur sit actiuum principium congelandi suum mercurium, cogitare potes q̃ indiget calore temperato, cum quo possit digeri substantia arg. viui. Adhuc ad complendum dictam congelationem, oportet quòd habeat penetrare totam substantiam mercurij: Vnde oportet, & est causa necessaria, quòd dictus calor sit de temperata acuitate: & ideo opus est illam humiditatem ingrossantem calorem separari cum cautelis per industriam, & per ignem appropriatę calcinationis ad euidenciam & respectum suarum causarum iam primitus cognitarū per operationem. Vnde dicunt, quòd arg. viu. conuertitur in purum sulfur, quādo congelatum est, & quantò plus calcinatur, tantò melius appropriatur naturę terrę, & elongatur à proprietate arg. viui, per quam elongationem acquirit proprietatem sulfuris.

Observatio, aliās conseruatio, nature medię perfectiue & homogeneę.

ET quia sulfuris proprietas fixi, terrestris, cuiuscunque generis fuerit, impedit ingressum & fusionem, quamuis non sit inflammabile, tamen habet in se proprietates prædictas contra arg. viu. acquisite ratione perdurationis suę primę nature, quę est de pura vnione primę compositionis: quia sulfur terrestre non est de homogeneitate mercurij. Et quamuis talis substantia sulfuris sit de compositione mercurij, non tamē de tali proportionē, quin oporteat ipsum separari à misto proportionabili tam per artem, quàm per naturam: quā separationem appellamus calcinationem philosophicam, quę ducit nos ad veram proportionem & puram naturam: quia illud quod est verē proportionatū non portat in se aliquam superfluitatem: quare cum substantia terrę sit difformis respectu purę proportionis nature intrinsecę ratione suę grossitatis extreme, ipsa impedit & resistit vniformitati suę aquę viscosę, quę est ex compositione proportionabili intrinsecā euacuata cum natura perfectionis. Ad cui-

tandum istum errorem omnibus filiis veritatis reuelauerunt Philosophi datas veras & claras doctrinas ad attingendum secretum naturæ. Prima doctrina est quod quum habeant accipere, nisi substantiam mediam, quæ participat inter grossum & simplum, quia non tenet aliquam superfluitatem, imò est pura natura & homogenea proportio grosso & simplici: grossum deponimus per sublimationem, quum non sit transitus de extremo ad extremum, nisi per sua media. Ista autoritas habet locum in multis alijs locis secundum naturam cuiuslibet elementi. Causa perfectionis totius nostri magisterij, est ista substantia media facta de duabus proprietatibus, scilicet sulfuris incombustibilis, & arg. viui interminabilis per artem magisterij, cum adiutorio concordantiæ naturæ homogeneæ & proportionalis: quæ substantia per suam subtilitatem nunquam turbat ingressum, imò potius causat bonam fusionem, quum ratione subtilitatis sibi deposita sit forma & impressio causæ suæ figuræ. Ista est minor pars sæcum de qua indiges in sublimatione mercurij, qui debet superari ab arg. viui. in quantitate. Et ideo dicit Geber, quod minima pars illorum sufficit cuilibet experto: Nam quantò minoris quantitatis fuerint sæces, tantò maioris exuberationis mercurij necesse est esse: quia quantò minus est de corpore & plus de arg. viuo tantò plus nobilitatum est arg. viuum & exuberatum in potentia perfecta. Si verò e conuerso, tunc e conuerso. Quare adhuc non cogites quod ista substantia media sit corporum, vel arg. viui immediata perfectio, quanuis sit principium perfectum, in quantum participat cum natura media. Et non erit finalis perfectio, donec primitus coniungatur cum perfectione suæ fixationis, quæ est ei operatio propria secundum exigentiam suæ propriæ naturæ: quæ fixatio fit seruando suam volatilitatem, confortando naturam fixam super causam volatilē, per nutrimentum dictæ substantiæ cum suo proprio arg. viuo in igne, in quo similiter retinetur natura dicti mercurij. Propterea scias, quod quum dicta substantia non sit fixa sine ista operatione, quæ est ei pura, propria & finalis, licet propterea non perdat actum faciendi nobilem impressionem: quia hoc scit cōsequi: tamen facilius cum corporibus non firmatur perdurabiliter. Alia doctrina est, quod quum arg. viui sit tantæ perfectionis, quod habeat superare sulfur per mensuram rationis in sua commistione, & illum multum bene decoqui donec sit congelatum, sed non propterea fixum, tamen fixatur congelando secundum proportionem, vel cum tali nutrimento quod sit cum igne proprio: dictum congelamentum in suis cameris vel cauernis fixatur armoniacē, quia quum mercurius contineat suum verum sulfur in terra multum subtili, quæ est prima causa suæ fixationis, paruum additamentum sulfuris naturalis sufficit ei in adiutorium suæ inspissationis. Propterea si substantia primi sulfuris in quantitate superabit substantiam arg. viui, proprietas corruptiua superaret in suis actionibus proprietatem perfectiuam, & tunc mollities metalli istius medicinæ esset celsiua, & non extensiua: Et ita per rationem proprietatis sulfuris visa est proprietas arg. viui, quæ dicitur extensiua in sua commistione. Quapropter declaratum est, quare talis operatio non est naturalis, nec simulatur naturæ, quia natura in sua decoctione facit superare arg. viuum in sua mistione, quum ipsa sit causa perfectionis: sicut patet in auro quod datum est nobis in exemplum. Unde dico vobis, quod quum sit inter alia corpora compositum de minori quantitate sulfuris, & maiori substantia arg. viui, propterea inter alia corpora mineralia præseruatur à combustionem & inflammationem, quæ est proprietas arg. viui perfecti, sicut demonstratur per aliud signum proprium, quia quando aurum ponitur in puro mercurio, talis amplexus fit de vno in aliud, quod per dulcem amorem nascentem ab eorum natura vnum copulatur cum alio sine separatione, si

ne: sicut vidimus per preparatorium fermentationis, quia de corpore fixo miscetur cum causa non fixa, quæ postea fixatur per virtutem fixi, dum seruata fuerit eorum virtus media, quæ debet exuberari & confortari per scire autenticum sensibilitatis. Quare scire valeas, & cum forti notitia figas in tuo animo ad videndum, quid sit perfectio & causa illius: Quoniam si corpus alteratum non recipit leuiter arg. viu. quodcunque sit, vel suam propriam substantiam, iudica illud certe esse multum elongatum à magna perfectione.

Ista figura est de metallis imperfectis, in quibus est corruptio sulfuris & arg. viui secundum diversas mensuras, ut per actiones circuli, quæ est de Generatione Veneris & Martis cum ignitione, & stanni, & plumbi, & conuersio.

Excellent	Nimis fortis	Cōbustio & perditio	Parū puri cū minimo impuro	grossū cū simp. creatā
Calor	motus	Resolutio	Confusio	Difformitas
diminutus	diminutus	cruditas sine diuisione	minimū puri cū modico imp.	grossū cū simpl. crudā
1. actio	Secūda actio	Tertia actio	Quarta actio	Vltima actio.

Postquam declaratum est, quod arg. viu. est causa magnæ perfectionis, ut patet in auro & argento, de quibus fac medicinam sicut tibi diximus, sed non vulgariter. Vnde dico tibi quod intelligere velis cum isto præambulo, quod de arg. viuo non fixo non potest fieri, nec etiam de fixo: Imò sit de certis medijs cognitis caris in natura, vocatis & nominatis arg. viu. quæ media non sunt in toto fixa, nec omnino volatilia: & secundum mensuram eorum fixationis & volatilitatis poteris inuenire grossitiem ignis appropriati per signa coniuncta cum adiutorio simplicium: quoniam aliqua media sunt talis nature, quod grossities fixa patitur ignem fortiozem, quam simplicitas, quia magis de natura fixa, ideo plus superat ignem quam volatile, ut pertinet. Vis scire proprie, quæ res sit media, & totum effectum? Est vna substantia realis cōposita vaporabiliter de duobus contrarijs simpliciter differentibus specie & non genere. Tamen non intelligas, quod contrarietas sit tam magna, quod per eam corrumpatur formalis species generis: imò est causata sub tali mensura, quod forma conseruatur in corruptione eorum vel indiuiduorum ad voluntatem nature in certa proportionem; quæ proportio ostendi non posset nisi per figuram & per operationem magistri. Intellige ergo mensuram contrarietatis, quia corruptio indiuiduorum causatur per eam, & in eam et fuit latitudo sine permutatione propriarum specierum, aut deturbatione, & sine fallacia proportionis, sicut fit in sola (vel foda) & silice in vitro, quæ de vna latitudine in aliam permutatur, quando tota natura herbe perdit suam figuram, & in vitrum terminatur, quod est de natura lapidis: Ergo tu potes bene percipere, quod talis corruptio transit proprias metas generationis, per quam natura mutat suas proprias partes ad similitudinem suæ speciei sine transgressu suæ latitudinis, sicut videre potes de metallo ad metallum. Vnde dicimus pro certo, & clare videre possumus, quod tunc species mutatur, quando genus vnius in aliud transmutatur, & proportio transcendit suam mensuram per magnam destructionem innatæ nature: quia corruptio fortis, quæ deuorat speciem sui primi generis, similiter conuertit materiam mortuam in aliam renouationem: quia intantum non potest corrumpere, nec mutare, quin sub aliqua forma habeat terminare: ita quod multo melius est, quod in planta transmutatur in aliqua figura existenti in potestate sui proprii generis sine transgressu metarum propriæ latitudinis. Quapropter cognoscere potes, quod quando corruptio infra terminos suos sine transgressu figurarum sui proprii generis fit, tunc renouatur bene cum suis indiuiduis per speciem conseruatam cum cor

ruptione similis generis: & hoc omni tempore aduenire per propriam corruptionem, secundum quod mensurata est per artem Geometrię: tamen si per eam solum vis eam mensurare, & credas hoc modo bene facere, nullo tempore poteris consequi hoc, quod natura habet facere, quia est iuris (vel vis) naturę & non artis ponentis suam curam similia opera facere, sed eam non potest attingere, nisi sagax natura per vim suam ingeniosum ei adiutorium tribuerit: ideo require naturam, quādo ars tibi deficiet, quod te velit succurrere per proprias mensuras, quę arte cognitę sunt per proprias formas causatę solum per solam naturam, & nunquam per artem: & intellige medię & eorum propriam naturam: Quia magnum secretum & nobilissima scientia est in rebus confusis diuersę naturę, quę sunt omnes vnus generis positę per mediocritatē in vnitate, per quam causatur fortitudo metallorum de omnibus virtutibus existentibus, vel quę possunt existere in ista latitudine mineralitatis. Quoniam extrema sunt secundum formas confusas in proprijs medijs per naturam compositis cum adiutorio artis, quorum natura ad voluntatem artistę, facit vertere suam substantiam totam fixam vel fugitiuam: Et hoc fit sine dubio secundum quod vnū contrariorum superat aliud: Vnde vnum dicitur propria causa volatilis, & aliud dicitur causa fixa per substantias diuisas contrarietate. Quare tibi patere potest, quod de vno, nec de reliquo, lapis fit, sed de duobus simul, quum in alium modum non possimus de volatili in fixum, nec de fixo in volatilem, nisi per medię teneantur eorum naturę in vnitate compositionis perfectę. Et quando dicta medię sunt completa & fixa, tunc volatile tenetur & ligatur per fixum, quę fortiter tenet concatenatum, ita quod postea ignis eum non superat, sed superatur: tam magna est colligantia quam solutio fecit illorum inuicem in concordantia facta per catenam nobilis missionis. Iam incipe tuam corruptionem, quę est proprium instrumentum dissolutionis ad habendum medię, quę tibi supradiximus, quia illa sunt principia artis philosophalis ad habendum finem, & complementum tui desiderij: & bene intellige formas eorum, quia de aere & terra quod nos appellamus aquam, est verus mercurius Philosophorum: sine quo nunquam potes aliquid finire. Duo extrema aquę quam nuper tibi descripsimus, sunt arg. viu. vulgi quod est totum aereum, & terra mineralis, quę est fixa & permanens: de quibus separatur alius aer fortior in natura. Deinde quando aqua est facta, quę computata est pro extremitate aeris, qui tenet medium inter aquam & ignem, videas perfectę omnium elementorum intrinsecationem & amplexionem: quoniam si illa intelligas, tu intelliges magnum lapidem & perfectum ipsius. Et non sis festinus quando eris in opere, sed suavis ad principiandum seu incipiendum: quoniam virtus in isto opere est habere patientiam, postquam opus est inceptū cum continuatione, Ergo sublima cor tuum ad omnipotentem Deum.

Explicit Theorica huius Artis Intellectiuę.

Quamuis iste liber hic intituletur Ars intellectiua, tamen Raymundus in suo Vademecum, siue clausula testamenti in tertio principio practicali in capitulo, Quod terra debet esse ex duobus corporibus, in fine ante capitulum, Quę sit materia lapidis, & quę requiruntur &c. vocat librum istum, Tractatum de intentione Alchymistarum, quia ibi remittit pro mensura reductionis ad capitulum Practicę congelationis per viam reductionis, quod sequitur in secundo libro.

P R A.



CORRUPCIO & depuratio fiunt simul subtrahēdo partem causæ (vel essentia) corruptæ. Qui hoc scit facere cum notitia habita per verum intellectum. R. ergo de volatili, & pone fixum in eo per formam bene cognitam, quam dicam tibi: & ita pone in temperato calore, donec fixum sit sublimatum mediante volatilis adiutorio. Sed primò debes intelligere, quòd sublimatio aliquoties accipitur pro depuratione cum sua corruptione sine congelatione. Per hæc tibi dico quòd comprehendas per vnitatem intellectiuam operationū omnia capitula primæ partis. Accipe ergo septies tantum de corpore volatili quòd fixum superet, & pone fixum in eo per nouem dies cum continuatione ignis appropriati, qui facit motum talem, qualē vult natura: Et vas in quo ponitur supradicta materia ponatur ad dirumpendum qualitates ignis in balneo Mariæ pleno aquæ, quia illud est quod conseruat per suum nobilissimum calorem tincturas placabiles à sua cremabilitate: deinde habebis duo filtra, vnum subtilius altero, deinde facies tuam materiam transire per grossum filtrum in tali diuisione, quòd totum volatile non separet à corpore per nimiam expressionem: sed illud debes colare inclinando filtrum vt tota substantia corporis dissoluta mista cum arg. viuo transeat per dictum filtrum. Caueas tamen bene inclinando filtrum, quòd nihil de grossitudine corporis transeat nisi subtiliter colando: Deinde recipe filtrum subtile, & totum illud quod per grossum colauit, fac per subtile trāsire, donec senties corpus quod est inter simplum & grossum, quod pones infra vnū vas rotundum cum collo longo cum quinque partibus arg. viui. Deinde recolliges terram quam reperies dissolutam ab vniformitate totius cōpositi cū cautela cognita, quam dicemus in præsentī.

Processus Practicæ, et prima rotā corruptionis.

TV recipies corpus grossum à simplici separatum, & in ipsum pones de volatili per filtrum transacto, vt dictum est, quinquies tantum sicut de fixo: Deinde de volatili dimitte in subtiliori filtro ad separandum terram, quam pone per se, & interdum grossum corpus cum sub arg. viuo sibi addito pone infra mortarium factum de ligno, de quo fundum sit magis planū quàm rotundum, nec multum profundum: Deinde gira & verte totum in circuitu cōpositum per mortarium: collige illas terras, quæ sunt omnino terrestres & plenas corpore ponderoso cum conchillis, & pone cum corpore dissoluto factō simplici infra suum vas rotundum cum collo longo: & hoc totiens reiterabis, donec in composito nō sit plus de tali terra quam colligere possis: Deinde R. filtrum subtile in quo est volatile, & illud fac colare per inclinationem ad longitudinem filtri: & sint venæ ipsius bene stratae plicando filtrum per longitudinē super quam transit supradictum arg. viuum bene vniformiter: & quādo veniet ad finem dicti colamenti, scilicet depurationis, videbis vnā magnā caudā plenā terra mortua arg. viui sublimati, quam terram recollige, vt dictum est supra, & pone in alio vase de vitro cū collo longo: Deinde recipe corpus grossum, & cola subtile non per expressionem, sed per inclinationem in filtro magis grosso, & simplum dissolutum iunge cum toto volatili, & pone grossum ad partem: post fac transire per filtrum subtile volatile, & primitus infunde in grosso subtiliato, quod erit infra filtrum ponderoso: deinde ponendo cum arg. viuo in vase, in quo terra est: post misce grossum cum subtili volatili transacto

per filtrum subtile, sed primò subtrahes tantum quòd non maneant nisi quinquies plus de subtili volatili, quàm de grosso corpore ad separandum terram, sicut dictum, reiterando actionem omnium præscriptorum, donec videris esse mundum à terrea immunditia in visibili figura per proprietatem primæ decoctionis. Decoctionem oportet te reiterare in supradictis operibus donec grossum corpus fiat subtile. Et sic completur rota prima pro conseruatione tincturarum omnium elementorum.

De corruptione per secundam rotam.

DEinde fac secundam rotam circularem super corpus gracile transactum per subtile filtrum in digestionem consimili primæ, quæ est digestio perfectionis. Et hæc sunt opera quæ Philosophi dicunt quatuor, contritio, imbibitio, decoctio, solutio, facta per ignem naturæ, non per viam humanam, nisi in separando grossum à subtili, & terram à compositis ad citius expediendum: quoniam quando res plena implet vnā vacuum impedit consequi actum perfectum: Propterea subtiliamus cum leuigatione, & separamus leue à ponderoso, & è conuerso sine transgressu termini propriæ latitudinis, sed secundum exigentiam quam natura requirit, & rectum ordinem operationis cuiuslibet regiminis volumus inclinando perfectioni naturæ.

Putrefactio compositi.

Post dictorum complementum, pones in fimo totum compositum dissolutum, quem fimum prius posueris in quodam vase terreo perforato in circumferentia, quod intret balneum: Et sit balneum continuè plenum aqua: Et hoc dicitur propriè furnus secretus Philosophorum, in quo causabitur causa supradicta, seu materia dissoluta, & continues ignem per modum supradictum quadraginta dierum spacio, quia sic stabilitum est, vt melius possit essentia perfecta separari à putrido, & leuari superius in altum per sublimationem, quæ postea portatur in fermentum completum.

Separatio aque.

Post dictum terminum recipies compositum, & inde separabis aquam, quæ propriè fit de raritate terræ, & de spissitudine aeris per distillationem in balneo Mariæ, & gubernas ignem vniuniformiter donec videas aquam distillari per virtutem dicti caloris. Et hoc tibi scire facimus, quòd humor qui distillatur per calorem balnei, est aqua pura per proprietatem suæ frigidaæ naturæ, & sui effectus.

Separatio sui aeris.

QVando videbis quòd nihil aquæ poterit plus haberi per calorem balnei hoc sit in signum quòd in igne actiuiori debes separare aerem qui est vapor magis calidus, & maioris perfectionis, quia aliquid de fixo tenet ligatum per vniuniformitatem dissolutionis. Vnde patitur ignem respondentem sui puncto: separa ergo aerem per ignem appropriatum factum per cineres, sicut alias tibi declarauimus. Hic est fermentum superius nominatum factum de duabus naturis, de quibus componitur virtus media, quæ est inter extrema fixa & volatilis, de quibus vnum sal causabitur artificialiter.

Separatio ignis. Elementorum extractio.

AEre separato, deinde separandum est elementum ignis cum simili igne cineris sicut aer, licet modicum fortiori per hunc modum, quòd aqua per balneum distillata reducatur super faeces. & inhumetur per triduum, deinde per cineres distilletur, ignem vniuniformiter continuando, donec nihil per illum calorem percipiatur distillari: hoc facto, ponatur aqua per sead distillandum in balneo, & ibi residebit post aquæ distillationem ignis inferius cum modico aere

aëre immisto, quem supra cineres exiccabis aerem recipiendo cum aliò prædicto (Nota hîc quomodo post inhumationē distillatur primò per cineres, quod tamen alibi primò fit per balneum: sed hoc fit hîc, vt à terra per mediũ aquæ extrahatur aer, qui in se etiam continet ignem: ideo summè nota.)

Rectificatio Elementorum.

Elementis sic separatîs, ipsa nobiliter rubificabis: quia rectificando per septenam distillationem, digeruntur cum magna appropriatione. Et nota, quòd de elementis humidis separantur partes, quæ non sunt de specie sue compositionis, (de qua separatur terra, de aëre ignis.) quia in ventre humidorum vel vere aquaticorum portantur species nostrorum spirituum, quæ per virtutem ignis à corpore soluuntur, & in aquam ambiguntur: Deinde bene inundantur & lauantur in magna digestionē sicut alijs tibi reuelauimus, & adhuc parati sumus tibi plus reuelare & dicere donec intelligas, dum terminum suæ moræ pati possis: quia in scriptis nolo tradere in longa summa negotiũ quod rotundum est ut pomũ: quoniam in circulo rotundo habetur totus intellectus præsentis artis.

Introductio reductionis faciendæ per intentionem alterius digestionis per Theoricam.

Quando elementa fuerint rectificata, adiunge partes fixas, (scilicet terræ vel ignis) comminuti per calcinationem cum humido volatili ad dissoluendum. Propterea tibi dicimus, vt aspicias & intelligas doctrinas nostras, quas per Theoricam tibi dedimus, scilicet quòd sulfur nõ superet magnam perfectionem vniformitatis, quæ venit ab arg. viuo: Et intellige principium tuæ reductionis, quam natura facit per dispositionem tui nobilis intellectus: quia vnus fumus subleuatur à supradicta terra, quæ est prima causa tui congelamenti. Vnde aliquæ partes sunt quæ sunt coniunctiue & aliæ diuisiue: putæ coniunctiue sunt de pura essentia veri compositi: sed quia aliæ non sunt de simili causa, ideo diuidimus eas adiungendò puras naturaliter. Et hoc solummodo facit natura quæ trahit per virtutem attractiuam illud quod est de sua essentia, & dimittit eiciendo per virtutem expulsiuam totum illud quod non est de suo composito: quæ separatio nunquam posset fieri manualiter, vt plures gentes credunt sine natura cum modo debito & propriè cognito per magnũ intellectum: quia partes puræ & etiam impuræ quæ per ignem cremantur, & in terram vertuntur, sunt ita simpliciter subtilitate, quòd non posset fieri separatio, nisi natura ibi esset, quæ in suo ventre trahit illud quod est de sua essentia, & extraneum reuult. Tene certitudinaliter, quòd sic vult natura ad perueniendum suæ perfectioni: & quando conceperit fumum fixũ in suo ventre conuerit eum volatilem, quãdo postea totum separatur à causa obscura (cinere vili) quæ inferius remansit, & debet residere per sublimationem.

Practica congelationis per viam reductionis.

Sintelligis causas prædictas, tu purè poteris congelare ad velle tuũ: quoniam sicut soluitur, sic congelatur cum obseruatione actionis contrariæ. R. ergo de aqua separata, & de illa imbebe tuam terram secundum proportionem suæ virtutis (scilicet nec parum, nec multum) & post continua decoctionem in furno secreto donec eam videas congelari: & talem imbibitionem, decoctionem & congelationem reitera, donec videas tuam terram albam post multos colores. Mensuram istius congelationis & dissolutionis factam per reductionem non possumus aliquo modo facere quòd sit cognita naturæ operanti, nisi per scitum sensibilitatis, per quem habemus proportionem existentem inter

duas propinquas mensuras: quæ proportio non recedit à sua specie: & quia nō separatur à sua specie, citius adiungitur in sua potissima complexione, quæ est calida & humida: & ideo conseruata est per certam & cognitam maneriē congelandi & deinde resoluendi respectu proportionis cognitæ, in quantum est possibile. Ergo roga Deum omnipotentem gubernatorem omnium, vt te adiuuet veniendi per mensuram ad dictam proportionem: quia ille qui propinquus est, maiorem partē habet in opere: Quare debes intelligere quod dicta congelatio est media & non extrema: Quoniam si esset extrema, substantia gelati spiritus in humido volatili non maneret. Iterum similiter si dissolutio quæ est eius oppositum opus participaret in sua extremitate, generatio actionis suffuria totaliter corrumpetur, & de facto submergeretur in gurgite fataliæ, quia generaretur calor & siccitas per appositionem substantiæ humide in mensura nō seruata per artem Geometriæ. Propterea caueas ne nimia siccitas vel nimia humiditas per appositionem improuisæ factam, vel excessiua administratio non corrumpat magisterium. Forma conseruandi prædictam mensuram propinquiorem naturæ ad perueniendum dictæ proportioni in quantum est possibile, est quod tantum debet continuari dicta decoctio super compositum, quantum sua dissolutio requirit, & tantum per imbibitionem dissoluere, quantum operatur per decoctionem: De hoc dabimus exemplum vt melius intelligas nos in graduatione per signum demonstrabile: fiat vna figura de septem literis considerando contraria & extrema ibi existentia, quæ sunt calor, frigiditas, siccitas, humiditas, congelatio & dissolutio, vt patet in figura hîc inscripta, quam omni quod esset manca & inintelligibilis cum aliquot lineis, donec melius explar nactus, apponatur à me vel ab alio.

Et ita patet, quomodo omnia extrema transmutantur in eorū proprijs medijs gradualiter in tanta concordantia, quod nullus credere posset: nec aliquis homo intelligere potest nisi per scientiam sensibilitatis, quæ non potest acquiri nisi per intellectum quem dat nobis spiritus agiographus: Vnde aliquā partem suæ propriæ essentia in nostra mente habemus per propria instrumenta bene concatenata cum fortissimo ligamine, quæ fecerunt nos intelligere & sentire magnam nobilitatem transitus mediorum, quia in quantum approximan- tur eorum perfectioni, intantum elongantur ab eorum corruptione. Habes ergo scientiam & claram artem infallibilem nobiliter, mensura nuncupatā, in certis gradibus propriæ Geometriæ quam tibi dedi, si tibi fuerit concessa per illū, qui dat omnia, vel subtrahit ad suum placitum. Quare respicias in te, si te voluerit inspirare perscrutando formam quæ est propria rota ipsius graduationis. Quia nunquam fuit homo nec philosophus qui præsentem regulam in tanta amplitudine tradiderit per artem sicut nos facimus. Et si bene notaueris intrinsecationes prædictorum, bene intelliges totum actum nostræ imbibitionis in opere completo. Adhuc intelliges hoc quod inuenimus in scriptis per Iohel Prophetam super istam mensurā, & super omnes causas profundabiles in certis gradibus formarum cum arte quam tibi dedimus in summa breui facta cum proprio puncto extremitatum ad contraria concordandum. Secretius omniū regiminum est forma imbibitionum omnium. Audias quid dicit Bonellus doctor probus: In ista aqua est odor maximus: Et scias pro certo quod totus intellectus Philosophorum est in imbibitionibus: Quoniā si cum aqua scias imbibere, & cum certa mensura mensurare, quia opus nostrum est in aqua sapientū, & regimen operis: Quia aqua nostra facit dissolui, coniungi corpora, & gratiosè depurari. In aqua est totum nostrum scire & secretum & finis desideratus. Vnde pro scientia sic tibi dedimus artem mensuræ cum bona voluntate, quam transu-

transulimus ab arte Geometriæ, & vt bene intentum cōpleas, tibi nunciamus.

○ mensura omnium imbibitionum quantum facis corpus placabile.

○ mensura aquæ celestis toto mundo es substantialis.

○ mensura quantum facis temperatum corpus. ○ mensura quomodo id alligas.

○ mensura quomodo coniungis mundum, & elongas eum à corruptione.

○ mensura quomodo facis corpora perpetua, & ponis in aurum omnia metalla.

○ mensura bene scis mundum regere & conseruare, facere mori & uiuere.

Cum mensura natura regit mundum, & totum quod est per naturam compositum.

○ mensura quomodo facis congelare hoc quod dissoluisti & bene coniungere.

Quare dico, si mensura non esset, nunquam profectus à lapide saltare posset. Quando volueris ergo lapidem benedictum, de electis medijs accipias ipsum: Quia mediū & omnes eorū naturæ, non sunt aliud quàm puræ mensuræ.

De sublimatione sulfuris, reductione completa.

Quando habebis H naturaliter congelatum in G, & colores omnes fuerint transacti, tu recipies totum congelatum & pones infra vnum forte fundum de terra qui sustineat ignem fortem: & fundum illud collocabis supra furnellum sine adhærendo parietibus furni sine alutello alio, ita quod subintret furnum dempta superficie, & sit bene lutatum contra fundum, & bene adæquatum furno: post pone supradictum fundum de terra vnā magnā cucurbitam de vitro, cuius fundū sit apertum, quod sit sine fundo in tanta apertione, sicut est latitudo & amplitudo fundi de terra, ita quod iustē adhæreat vniformiter dicto fundo terreo dum fuerit superposita: & bene inuicē sint ista vasa lutata & vnita cum cappa posita super orificiū vasis vitri habentis duos alembicos: Post incipe ignē de carbonibus in circuitu lutaturæ vasis per superius donec vas vitreum temperatē caleseat. (Hoc puto fieri ad siccandum lutaturam, & ad calefaciendum primò vitrum, ne per ignem cum flamma quæ fieri debet in furno vas quod esset frigidum, vbi ille ignis desupra fieret, frangeretur) Post fac ignem in furno cum flamma: & in hoc sis cautus, quia opus est vt facias tam fortem & magnum ignem sicut potes facere, quia non sublimabitur nisi per fortissimum ignem, quia est inter fixum & volatile. Et scias pro certo quod est inter fixum & volatile, sed cum fortissimo igne sublimabitur: Vnde magis fixum remanebit semper magis bassum, tamen separatum à suis facibus, & magis volatile semper altius ascendet secundū punctum ignis graduati correspondentis suæ propriæ naturæ. R. ergo illud quod inuenies sublimatum & per certos gradus super D, G, congelatum, quia hæc est propriè substantia mercurij sublimata in conseruatione suæ humiditatis conuersi in purum sulfur non vrens factum & creatū de substantia inextiminabili. Ista est substantia media, ista est virtus ponderosa, ista est forma mensurata quam tibi supradiximus in capitulo de Nobili materia, quæ est causā magnæ perfectionis. Fæces quas in fundo reperies de natura B & C, & separata à D quæ sunt contra naturam: ideo projice eas tanquam iuuitiles, quia non sunt nisi turbatio & confusio. Alii qui sunt qui ad melius simplicianum & vniendum dictam substantiam clarā sublimant altera vice: quare si volueris sublimare, sublima sine facibus cū igne appropriato secundum exigentiam suæ proprietatis.

Fixatio aquæ & aeris.

Postquā habueris subtilem substantiam & mundissimam mercurij per sublimationem in certa mensura, illam debes fixare per operationem correspondentem suæ proprietati, quia sic oportet fieri priusquam omnium corporum permutabiliū sit perfectio completa. Quando ergo volueris eam fi-

xare, hoc facies per exuberationem corporalem. R. ergo vnciam vnam argenti puri & amalgama cum duabus partibus arg. viui depurati per sublimationē, quam appellamus rectificationem (credo esse distillationem per alembicū, aut lauacrum eius cum sale & aceto) & cum ista amalgama adde decimam partem sulfuris sublimati, & pone totum in vna cucurbita cum vna parte suae aquae, & pone ad coquendum in balneo Mariae donec fuerit congelatum: postea pone super cineres ignem vigorando gradatim, donec fuerit subleuatum illud quod fuerit volatile: Post permittite vas frigescere, & totum illud quod fuerit sublimatum reduc super faeces, quae sunt clarae & pulchrae cum altera parte similis aquae praedictae, deinde coque totum in balneo Mariae donec congelatum fuerit: post pone ad sublimandum in cineribus vt supra. Et sic reitera, scilicet solutionem mediam & congelationem, deinde sublimationem: vigorando semper ignem donec fixata sit de aqua ad duplum terrae. Quia scias pro certo, quod in qualibet reiteratione dictae congelationis omni tempore fixatur aliquid de re, quae magis propinqua est fixationi: quia in dicta materia est ligata causa volatilis, quae retenta est in basso per talem proprietatem, scilicet quando fixum superat volatile semper per puncturam ignis credit fugere. Sed cum causa fixa in suis proprijs interioribus teneat volatile concatenatum, nunquam postea potest velle suum complere. Et si velis scire propriam differentiam quae est inter fixationem & congelationem, discrepantia talis est: quia est actio propriae differentiae quae dat instrumentum quod bonus artista incipit in forma operandi in igne bene graduato, quia sine igne cineris non potest totaliter fixari. Et si non fuerit per eum materia separata, quod fit in sublimando aliquid causae volatilis ad abbreviandum opus fixationis. Sed dummodo non te tædeat in magna mora temporis, cuius natura indiget ad opus suum, poteris fixare de dicta aqua quantum volueris: sed nunquam in fine penitus erit fixa, imò percipies quod semper vltima congelata minus fixabitur quam praecedens.

Quia si velis in L. H. quod est sulfur fixare, oportebit ibi ipsum congelare per ignem magnae mutationis, quē tibi supradiximus in reductione. Et quando aqua gelata fuerit in forma mensurata, postea pones L super k similiter congelari: quia sicut in L. H. per k fixatur, sic in I per H, totum k congelatur, quando per solutionem H, I fluunt in k, sic per illos tres, L congelatur postea: & sicut L congelatur, sic k fixatur in tali proportionē, quod magis resistit igni quam antea faciebat in sua congelatione. Et quando L gelatur, M ponitur super L, & sic M gelatur: L confixatur post suum gelamentum, & k fortius quam L: & deinde similiter L fixatur, quoniam M non fit nisi congelari. Et sic transit opus istius fixationis vsque de G. Quare potes in te ipso sentire, quod postquam L congelatur, fixatur per virtutem decoctionum & imbibitionum. Et sicut dictum est de k, sic intellige de alijs literis. Haec fixatio non posset fieri per solam affationem, nisi esset opus dissolutionis. Quia per causam earum imbibitionum facit natura in causa humida omnes suos motus, tali modo, quod tantum facit ei pati quod suum humidum facit sequestrari cum adiutorio nostrae affationis: Et sunt causa proxima mortificationum, & per affationes sunt mortificationes, quae tranfierunt per veras paufationes. Et ad intelligendum praescriptam figurā reperies quod k est magis fixum quam L, & L magis quam M. Et sic de alijs potes intelligere clare. Sed inueni aliam practicam, quoniam aliquando volatile est ita subtile quod portat fixum secum nisi bene custodiatur, quia totum fit per calorem ignis appropriati: & sic sine igne cineris potes bene fixare, sed cum longiori tempore & cum patientia, quoniam per hoc opus melioratur, quia per congelationem totius sublimati aqua existens in suo ventre facit armoniam suae fi-

xationis & armatur à natura fixa ad debellandum sæpe in igne ardenti. Et quādo per quem volueris de duobus modis fixaueris aquam tuā, similiter fixabis duas patres aeris. Et quādo hoc fixatum fuerit & bene inceratum, proijce vnā partem super mille (aliās centum) mercurij, aut cuius volueris corporis, & habebis argentum purum melius quā de minera si volueris illud probare per rationes præcedentes à sua proprietate secundum cursum naturæ. Et nota quòd virtus multiplicationis venit per exuberantiam naturæ mediorum (scilicet fermentorum) quia natura boni mediij (seu sulfuris) in natura mellioris cōuertitur (seu fermenti) per reiterationem solutionis & congelationis. Considera ergo super naturam mediorum sicut reuelatum est. Item cōsidera causam fixationis per contrarietatem: Et nota quòd fixum semper retinet plus, & attrahit naturā fixi quā volatilis, & conseruat contra ignem. Et ideo Geber in vltima præparatione lapidis præcipit, quòd post separationem vel sublimationem fixetur, & postea dissoluatur, & post præcipit calcinari illud quod non potest dissolui, quia talis est vltima præparatio. Causatur differentia inter corpus & spiritum, scilicet inter volatile & fixum: Hęc differentia habet locum tam in metallo, quā in corpore calcinato totius fixi, quanuis calcinatum magis retineat quā metallum. Fiat ergo vnā parua latitudo istorum duorum contrariōrū generum, vt simul repræsentata lucidius & melius possint influi in tuo intellectu: quia causam vnus contrarij non potest aliās demonstrare vel discooperire nisi in præsentia sui contrarij: quia sic vult ratio philosophiæ data per authoritatem sic dicentem: Opposita iuxta se posita, magis elucescunt: & quia inuicem sunt contraria, sunt operationes contrariæ: Quia vltimus terminus consequentis & immediatæ operationis fixi est volatilitas, & volatilis est propriè fixatio. Faciamus ergo concordantiam contrarietatis per operationem artificialem sic, quoniam de pluralitate fit vera vnitas per misionem naturæ confortando mediū naturæ: Deinde intellige causam, quia interdum in terra fixatur: Volatile corpus fit volatile ambobus correspondentibus ad vnum certum terminum: quia in quantum spiritus fixabitur per rectam naturam, in tantum corpus fit volatile per suam naturam, quæ volatilitas correspondet mensuræ fixationis spiritus, & fixatio spiritus correspondet mensuræ volatilitatis corporum: tali modo quòd totum est fixum, & totum volatile. Sic vides per virtutem diuersarum mensurarum quòd Philosophi faciunt corpus magis fixum quā prius erat existendo in sui natura per naturam volatilem quam recipit à spiritu. Et sic habes scientiā Philosophorum ad inueniendum mensuras quas cognoscunt per proprias latitudines punctuatas ad exigentiam certorum punctorum venientiu à contrarijs operationibus fixi & volatilis: Et ita tali modo facimus de contrarietate veram concordantiam.

Miscibilium forma.

Forma misionis quæ fit in prima misione disponit miscibilia ad suscipiendum formam Elixiris, quæ fit per differentiam specialem: Et hæc forma specifica, vnde meliori iudicio dicimus quantum ex parte habilis materiæ lapidis præparati, & fermenti præparati, aquæ inspissatæ, & olei terminati: Ex parte Hæc quatuor cō
stituent Elixir: quidem vltimæ misionis constat in modo faciendi per differentiam specialem. Nam terra, aqua & oleum in vnica reductione insimul non ligantur, quia non solum siccitas terræ mortificaret oleum, sed phlegma aquosum, frigidum eius mortificaret, calidum aut siccum euolaret in fumum. Ideo eleganter præceperunt Philosophi, vt aqua prius figatur & inspissetur per reductionem illius ad naturam olei quod est corpus liquidum: Et vt illud postea post reductionem vltimam submergatur in oleum suum, & ipsum similiter terminetur in Elixir

M

perfectum. Ista est mistio naturæ, quia natura facit eam & nō ars, licet hoc fiat per modum sibi datum cum calore communi temperato respectu essentia naturæ. Per rationem istius misionis dicebant Philosophi quod nostrum magisterium nō est opus mechanicum vulgare, imō est opus naturæ sicut patet per suam misionem naturalem. Et intellige, quod per virtutes misionum supradictas exiuit causa mediorum huius artis, per quæ natura transit ad complementum per causam propriam mediorum naturæ; nec est alia causa nisi per misionem factam vaporali ter de duobus extremis materialibus existentibus in generatione naturæ metallicæ liquabilis cum proprio & necessario motu facto per excitationem caloris mensurati ad exigentiam essentia virtuosæ naturæ metallicæ. Et sunt ista duo extremitates, sulfur & arg. viuū, vnde saltant humores & vapores, à quibus vaporabiliter cum successiua & continuata operatione creantur metalla nostri magisterij per naturam transeundo de vno in aliud successiue. Quia natura quæ per aptitudinem materia suæ habet compleri, per suam magnam sapientiam & diligentiam vniuersalem non transit de extremo ad extremum sine complemento omnium suorum mediorum, sicut declarauimus in philosophia huius artis: quorum naturam supremè habes notare in isto magisterio, si de corporibus metallicis volueris facere perfectam transmutationem. Dicimus, inquam, quod multa scientia naturali indiges, qui de dictis medijs in intellectu omnium qui nituntur conuertere essentiam vnius metalli in essentia alterius, de quibus non est aliquis nisi fuerit philosophus, qui persequatur causas à quibus effectus condescendunt.

Coniunctio terrarum Solis & Lune.

Magister Arnoldus de Nouauilla reuelauit in suo Rosario post alios philosophos, quod aurū & argentum per symbolum nature, quod in eis est notabiliter inter se conueniunt, & in magna participatione vnum cum altero in natura metallina, sicut homo & mulier in natura humana: Hoc intellige in prima misione quæ debet fieri inter ipsa & per viam reductionis. Cum quare Philosophi reuelauerunt hanc conuenientiam & affinitatem, & ad euitandū difficultatem coniunctionis quam spiritus debet facere cum corpore. Quia si corpore argenti vistantur modò facere tuā copulationem per modū reductionis, natura esset nimis remota in affinitate, & per consequens erit nimis difficilis copulatio corporis lunaris cum spiritu per rationem grossæ substantia terrestris per dissolutionem euacuatæ cum sua substantia corruptibili respectu Solis, & nimis elongata & separata à natura arg. viui: Quia vnum corpus quanto plus separatur à natura sui arg. viui, tardius cum illo adheret: quia per amorosam affinitatem medijs spiritualis, qui debet colligi cum corpore in vnitatem fixæ & attractiue compositionis fit coniunctio arg. viui cum corpore. Et per hoc quod maior quantitas arg. viui est in compositione auri, & per consequens minor corruptio, quā tota sua materia sit purè essentialis & incorruptibilis, Philosophi posuerunt loco virtutis agentis & masculi: quia propinquius adheret naturæ arg. viui ratione contenti in ipso scilicet sui arg. quod portat symbolum & affinitatem in concordantia amorosa cum natura sua similis quæ appellatur arg. viuū, quia aurum non potest pati tam fortem corruptionem, quin in sua substantia terrestris, quæ appellatur grossities ignis sit plus de compositione arg. viui incorruptibilis, quā de sulfure corrupto, quia sulfur suum est tota pura materia essentialis respectu substantia argenti, quæ est grossior & impurior & minus fixa, & per consequens magis corruptibilis. Et per hoc arg. viui habet minorem adhaerentiam cum substantia argenti, quā cum substantia auri, ratione maioris contenti naturalis existentis inter aurum & argentum: quia substantia auri non

non miftionatur miftione groffa refpectu corporis lunaris, imò potius fit miftione minima, ratione partium effentialium minus subtilium, in tantum quòd quando ipfum aurum folum eft vel cum focietate fubmergitur in mercurio, & in profunditate fui verticis abfconditur tanquam ignis & calor naturæ. Et per hoc fixatur mercurius, quòd illud eft quod digerit fubftantiã mercurij, & indurat cum adiutorio temperatiz receptæ à fubftantia corporis lunaris, quod eft proprium & proximum principium originis omnium ad indurandum fpiritum digeftum per ignem naturæ. Et per has rationes ad citius expediendum & meliorandum cõmiftionem, & quòd præparatio non confundatur, & quòd vnum ab alio recipiat temperantiam cum maiori propinquitate in natura & affinitate, dixerunt honorabiles Philofophi, quòd arg. vii. cum Sole & Luna leuius miftionatur, quia arg. vii. cum arg. viuo citius mifcetur, quia in illo recipit facilius amicitiam, deinde cum auro immediate & pofttea cum argento, quia melius participant cum natura fua, vt patet in eorũ reductione: & per hoc percipe fecretum quòd aurum fuper omnia alia corpora penitus fubmergitur in mercurio ficut prius dixi, quia mercurius nimis libenter recipit illud quod eft de fua pura natura, quia in illa recipit tantam alleviationem quòd in feparabiliter vnuntur: & ita econuerfo renuit caufam remotam. Intellige per caufas iam dictas quòd in principio tuæ reductionis quæ eft principium compositionis lapidis, aurum & argentum naturaliter conueniunt ad præparandũ principia, fcilicet fulfura album & rubeum, mediante aqua alba & rubea cũ fuis proprijs fermentis: Et fic fit prima pars: fed in fecunda parte fcilicet in compositione Elixiris & fermentat ionis difconueniunt: quia in Elixiri argenti nihil intrat nifi argentum purum cum fuis principijs albis: nec in Elixiri auri, nifi aurum purum cum fuis principijs rubeis: Et fic multiplicata eft tinctura per fermentum.

Recapitulatio Magifterij in fuma abbreviata.

TV debes in te recolligere, quòd virtus formatiua exiftens in materia fementali, eft influxa in calore & fpiritu, ficut in materia fimplici. Et calor cum dicta virtute eft anima non ficut actus corporis organici phyfici portās in ipfa potentiam vitæ: fed eft tanquam faber in fua fabrica fabricans fuum clauum vel rem aliam fecundum formam fui intellectus: Et per hoc vocatur fabricatrix & formatrix fui humidi paffiui per hoc quia fabricando inducitur per fiffillationem, & facit venire in mutatione diuerforum colorum conuenientium fecundum fuum fenfũ & intellectum fuis actibus & proprijs operationibus, dā gerendo, terminando & condensando fecundum naturam fua: Deinde habebis in notitia fuos colores cum omni bus fuis caufis: & tu fcies per indagatiõ nem naturalem proprios motus fuz naturæ cum adminiftratione fcientifica ignis communis gubernati per artem ad exigentiam effentiz naturæ fine trāfgreffu fupradictæ virtutis informatiuz, quæ dirigit calorem fecretum ad digerendum fuum humidum fpirituale cum quo mifcetur per mutationem coloris in colore mifto: & deinde in colore albo, & vltimo in colore rubeo. Et hoc tibi fufficiat de difpofitione tuæ materiæ, quia natura in ipfa mirabiliter operatur ad fuam perfectionem, cuius motus fibi ipfi ita adhærent vni viæ & ordinĩ, quòd in meliori manerie & certiori nullus homo mundi poffet excogitare.

Practica totius magifterij in generali recepta: & eft capitulum optimũ & practicum.

PRima caufa quam debes habere in tuo intellectu, eft habendi magnā quantitatem arg. viui: & in illo debes lauare corpora, quodlibet per fe conterendo, imbibendo, & decoquendo in balneo Mariæ: & qualibet vice diftillando per filtrum (aut pannum) & feparādo nigrum innaturale, quod eft eorum pri-

mum coopertorium. Ista operatio reiteratur totiens, donec corpus Lunare in toto separetur dicto suo coopertorio, ita quod sit album ad modum terræ albæ, siue luciditate metallina. Ista terra bibit & recipit nimis libenter arg. viuum quia est sibi humidum radicale in tota sua natura. Et per hoc debet dissolui per digestionem continuatam, sicut dicemus postea, scilicet post separationem dicti sui coopertorii: quam separationem cognosces per suā calcinationem, vel inde parum & modicum ponendo super carbonem (vel super laminam ignitā si nigrefaciat illam) & nisi conuertatur in album, adhuc tenet de dicto suo coopertorio, quod prohibet receptionem arg. viui tanquam extraneum à sua propria natura. Et si fuerit album, illud recipies & reiterabis totiens prædictum regimen donec trāsierit per filtrum grossum cum reiteratione calcinationis; Tūc videbis arg. viuum dissolui in colore cælesti: & pones qualibet vice illud quod fuerit dissolutum in tua calcinatione in vno vase ad partem: & sic sublima, siue distilla aquositate mercurij à substantiā terrestri, vt creari possit nitor & fulgor in lapide nostro, pro vt nobis natura demonstrat in auro & argento, quorum splendor non constat nisi de subtili aqua mercuriali terminata & considerata in ipsa. Et per hæc metalla habentia subtiliorem humiditatem, & puriorem & magis densam sunt plus fulgentia & magis resplendentia. Et per hanc causam aurum resplendet super omnia metalla, deinde argentum. Item albedo in materia metallorum constat & causatur ab humido mercuriali causato & terminato per siccum terrestre multum subtile & fortiter digestum. Caveas ergo, & bene inspicias quod habeas terram bene subtilem & bene digestam: quia vbi fuerit bene digesta, bene simpla, & bene subtilis facta per digestionem caloris complexionalis, tantò plus deficcabit suum humidum mercuriale, & subtilius penetrabit in profundo, quàm faciant calces vulgariter factæ & ignoranter deductæ per ignem cōmunem. Et quando sic omnia fuerint facta in materia simplici, recipe totum dissolutum separando puluerem, & fac transire totam istam dissolutionem altera vice per filtrum ad melius mundandum. Et si pro prima vice transierit per grossum filtrum, recipe eam & fac transire per subtile & magis simplū filtrū, & sic separabis subtile à grosso: deinde recipe grossū corpus, & illud calcina tantūmodò vna vice si volueris, & post reduc eum ad suum regimen faciēdo eum transire per grossum filtrum donec totum transierit. Et sic poteris reiterare quoties volueris, donec totum fuerit dissolutū: quia qualibet vice resoluitur magna quantitas, sicut potes percipere in recto pondere libræ. Tamen sunt quāmplures qui ad abbreviandum istud regimen, postquā terra alba fuerit semel, vel bis resoluta, ponunt totum ad putrefaciendum sub intentione separando substantias per sublimationem: sed postea habent maiorem poenā in secundo regimine, quando venit in separatione animarū. Quare dico tibi, quod quantò plus reiterabis primū regimen dum fuerit notabiliter bene factum sine combustionē tincturæ, in tanto plus abbreviatur secundum regimen cum leuiori separationē ratione essentialium putrefactarum & subtilitarum in primo regimine, & quanto minus, minus. Item dico quod ad purificationem elementorum distillationes sunt nimis longæ propter viscositatē aque & aeris. Et ideo si volueris abbreviare tuas distillationes, pone in plures partes (id est vasa & cucurbitas) & quamlibet partem pone in suo alembico, & distilla quamlibet per se in suo balneo & habebis abbreviatum opus: Et possunt poni omnia elementa in vno balneo longo.

De tri

De tribus humoribus in compositione arg. viui repertis.

Ratione proprietatis cuiuslibet dictarum substantiarum Philosophi realiter demonstrant, quod in compositione arg. viui sicut reperitur in sua propria minera habentur proprii humores: primus est frigidus & phlegmaticus participans cum prima terra, quæ tantummodo eam humectat materiam totam: Et ista amplificatur in larga dissolutione. Tertius est in ipsa subtiliter vnctuosus participando cum tertia substantia terrestri: & iste est qui causat subtilitatem in substantia, in qua est sine inflammatione: Secundus est mediocris humor radicalis, & cultus, & imbutus in essentialibus partibus secundæ terræ, quæ nunquam separatur ab ipsa. Et de istis duabus medijs substantijs constat proxima natura mercuriosa in sua pura radicalitate, & nostrum arg. viuum volatile, incombustibile & aereum, a quo omnis causa germinandi & oriendi habet crescere & multiplicari cum sua pura materia, & natura: & humida radicalis composita de duabus substantijs, scilicet de terra mediocri, & de aqua media inuicem symbolizantibus in natura, & continentibus quatuor elementa, de quibus indiget pro forma suæ proportionis, & sunt sulfur & arg. viui. in eorum proprijs radicalitatibus creatis in vase naturæ proximæ ab vno latere vitrioli & sale: sed in alio latere constat principaliter cum metallo imperfecto, id est preparato, vel mercurio sublimato. Separa ergo hanc preciosam substantiam a vitriolo & sale, & ab omnibus humoribus cum illis participantibus, & intellige reducendo aeri sicut natura tibi demonstrat. Quia quum dictæ substantiæ radicales arg. viui iam dicti concurrant in sua compositione per quatuor elementa, repertum est, quod partes terrestres mediæ in natura calidæ & aeræ symbolizantes per igneitatē simplicem sunt vi subtilitatis in tantum ligatæ & coniunctæ, quod nulla illarum partium potest resolui ab alia, imò quælibet resoluitur in qualibet sibi simili in compositione homogeneitatis: vel quælibet fixatur cum qualibet per fortem vnionem aut colligationem, quam habent ab inuicem virtute partium minimarum ad inuicem coniunctarum & ligatarum cum calore æquali concucato multiplicata inæqualitate in vasis mineralibus secundum naturæ debitum ad exigentiam suæ propriæ essentiae: Et ratione dictarum substantiarum aquaticarum potes causare per te ipsum vnā aliā latitudinem. Et nota, quod tertius humor vnctuosus per sublimationem naturalem exterminatur in terrā nigram extra speciem naturæ metallicæ: sed phlegma innaturale opportunum illius aliquoties per accidens conuertitur in humidum radicale, quod postea terminatur in speciem metalli fulgentissimi.

De compositione mercurij, & de sua natura reali, & de suis partibus extremis, separabilibus.

Primò fili tu debes intelligere & ponere in tuo intellectu, quod in ista arte reali non debes inquirere per suam proprietatē nisi de causis magis (vel magisterij) quæ sunt in latitudine naturæ metallicæ. Scire facimus tuo intellectui quod arg. viui. est illud tanquam principale liquabile, & primū elementum metallicum. Et ad melius intelligendum differentiam sulfuris & arg. viui, per substantias separatas respectu suarum compositionum, facimus tibi scire, quod arg. viui. continet suum propriū sulfur calidū & acutū: Et deinde sulfur continet suum arg. viui. quod est sicut aer & epulum ignis: quoniam dictū arg. viuum in sua propria radice est per ingenium naturæ primò compositum de terra alba subtili sulfurea calida & aerea mista & collecta in aqua clara, donec facta est vna substantia homogenea in natura merallica cum mensura veræ proportionis clara elementaria cooperante influentia stellifica, quæ est virtus for-

mae metallificae per magnam concordantiam dictae materiae sicut causa diuina & digna per quam completa est individualitas argenti viui, in quo est primo pausata forma naturae metallicae tali modo quod siccum est temperatum per humidum, & humidum per siccum sine separatione vnus & alterius. Et per hanc diffinitionem potes comprehendere quod est fortis compositionis ratione fortis missionis humidi & sicci in sua radice, sicut dicemus tibi de istis duabus substantiis separatis scilicet de terra & aqua, per quas tibi datum est intelligere quod quando dicimus sulfur vel argentum viuum, turbatur tunc intellectus quum totum sit de vna compositione: Sed quando dicimus sulfur exterminabile, intellige hoc per proprietatem elementi terrestris: sed quando dicimus arg. v. vulgare, intellige aquam suam viuacitatis (extracta à vitriolo & sale petrae) secundum virtutem & rationem quam suum subiectum requirit per extrema & media cum substantiis separatis per sublimationem naturalem concordantem & in naturam symbolizantem, licet sulfur sit in omnibus elementis, tamen illud nunquam est exterminabile, quum non sit nisi vapor & actio aeris & ignis. Et ab isto dependet nostrum magnum secretum per quod sublimatur omne humidum radicale, dum fuerit abstractum à radice suae terrae sine exterminatione vel combustionis suae carae tincturae: quam exterminationem recipit per virtutem elementi terrestris. Sed quando iterum reuertitur non est exterminabile ratione proprietatis quam recipit à sua humiditate: ergo quum volueris illud venari à terra habes recipere cum proprio receptaculo scilicet in aqua sua, quae est argentum viuum & proprium conseruatorium suae combustionis. Deinde dicimus tibi quod in supradicta terra per virtutem elementalem reperiuntur tres substantiae terrae: prima est subtilis ab humana sensibilitate, (vitrioli) sed per experientiam reperta est grossa, grauis, fusca, & tenebrosa, impediens ingressum & claritatem luminosam: Et ista est inqualitate sicca & frigida, de natura vitri. Secunda (salis petrae) est valde subtilis humanae sensibilitati, sed per experientiam reperta est fuliginosa, remota à perfectione ratione suae extremae qualitatis, quae est calida & sicca in magna crematione: Et ista substantia participat cum sulfuribus, quae cremantur in aliquo latere: Et sunt istae duae substantiae propria vasa inter quae argentum viuum procreatur, scilicet illud de quo intēdimus in opere naturae: & est sicut foetus in matrice. Tertia substantia terrea est terra media calida & humida aere & subtilis, & in mediocritate humanae sensibilitati, (non est proprie terra, sed vapor extractus ab illis. 2. supra) & per experientiam reperta est magnae perfectionis, quia est pura natura & humidum radicale, de quo lapis noster recipit gradualiter suam nascentiam immaculatam in proprietate metallica. per hoc dixerunt Philosophi quod istam substantiam habes separare per sublimationem à dictis duabus substantiis, quae sunt vitriolum & sal. Morienus apertè tibi dicit, quod si vis facere rem perfectionis, quod tu extrahas puram substantiam mercurij à ventre vasorum vitreantium, (haec est sublimatio mercurij) quia de ista substantia constat lapis noster.

Mercurius subtilis.

Intellige ergo verum idioma Philosophorum affectum super proprietates substantiarum naturae: nisi ergo ipsas intellexeris per substantias separatas, nunquam realiter intelliges proprietates eorum veri idiomatis: Quia ipsi clare loquuntur in philosophia eorum, imò naturae: cum philosophia non sit alia res nisi reuelatio secretorum naturae in idiomate proprio naturali, sine quo substantiae naturae non possent notificari non plus sicut alia causae siue bestia vel planta, nisi portauerit nomen, & effectum, quod in generalitate dat notitiam habitus causae: Et ideo diuersa fuerunt idiomata inuenta in natura per diuersos philosophos. Vnde quilibet locutus est in sua philosophia clarius quam potuit secundum cursum naturae, saluando

saluando proprietatem suarum figurarum, licet vnum idioma sit magis clarum & magis proprium quàm aliud, in quantum actor fuerit melior expositor respectu proprietatum quarum natura demonstrat effectus omni bono naturali intelligenti cum magna realitate: Nec credere debes quòd facti & boni philosophi in sua philosophia tibi occultauerint sensum eorum, quia non esset factum veræ philosophiæ: quum sua proprietas & requesta cum clara intentione velit reuelationem propriam, & claritatem radiosam causæ occultæ, & manifestaionem puram sine occultatione: cuius intrinsecum in perfecta locutione reducunt ad purum intellectum factum & immissum à Deo cœlesti, in quo examinatur & depuratur virtus contrarij, sicut facit aurum in sua propria fornace.

Finis Practicæ Alchimix Raymundi.

LIBER RAYMUNDI, VT PVTO, DE INTENTIONE

ALCHIMISTARVM, ET TOTVM CONTINENS: EX

Gallico in Latinum versus, relictis aliquot verbis Gallicis, ex tuto, vt erant.



POSTEA QVAM per valde longum tempus nostrā vitā exercuimus querendo & in quirendo per orbem vt cognoscerem & scirem veritatē istius scientiæ, habendo multa quæ sita & collationes cum multis doctis, quærendo scientiā per regiones, oppida, & ciuitates: associauimus inuicem & vniti sumus tres socij ex magno & fido amore & sinceritate: ex quibus vnus erat Theologiæ doctor, alius eques & doctor in legibus, alius erat mercator & ciuis clarus & sufficiens. Ex qua cōgregatione nos reportauimus ex firma & fida legalitate vnus cū alio omnes intētiōnes nostrorū desideriorum in quærendo mundū. Et benedicta altissima & æterna Trinitas quæ donat suas gratias quibuscūque illi cōplacitū est: & quæ nouit cogitationes hominū, illuminauit nostras intentiones & clarificauit nostras intelligentias, ita quòd sciuerimus & cognouerimus veritatē fallaciarum, & cōmorauimus simul ex ma. sinceritate in vna ciuitate ònes, & operati sumus simul eadē cōcordia, vno ordine, & vno voto, & vna dispositiōe veritatis exercēdo & abbreviando dictas collationes & operas nostrorū quæsitōrū, & repertorū in diuersis regionibus. Et ex illis pro meliori nostri facti declaratione exposuimus aliqua quæ manifestè videbantur nobis locum habere & veritatē. Nam de rebus frustratorijs & non validis nos nihil loqui volumus: quandoquidem admodum pauci philosophantiū & querentium à nobis visorum in orbe, agnoscant veritatem: & nihilominus existunt aliqui admodum sufficientes, sed pauci sunt cogniti. Ideo nos hunc paruum librum per 8, capita exponemus: ex quibus primum erit de intentionibus operantium à nobis per mundum visorum: secundum erit qualis intentio quærentium esse debeat: Tertium erit, in quibus, & ex quibus rebus operari debeat in ista scientia. Et quatuor sequētia capita erunt de quatuor principalibus regiminibus totius nostri operis. Vnde primum est de dissolutione, putrefactione & mortificatione: Secundum de separatione, distillatione & sublimatione: Tertium est reducere & circulare: Quartum est fixare & proijcere: Octauum erit de alijs quibus abbreviationibus totius nostræ artis.

CAPVT PRIMVM EST DE INTENTIONE OPERAN-
TIVM, QVOS VIDIMVS
per mundum.



ODESTE fili intentiones operantiū in mundo sunt diuer-
sæ & extraneæ. aliqui enim operantur cum sale, cum alumine,
cum sulfure, aut cum arsenico. alij calcinant corpora, & solvunt
ac congelant: alij faciunt amalgama & illud fixare volunt: alij
congelare volunt & fixare mercurium festinanter extra cursū
naturæ: alij volunt fixare & colorare Lunam sub speciebus &
materiis extraneis. Et omnes hi qui in hoc ponunt ipsorum tē-
pus, decipiuntur, & abutuntur seipsis & alijs: quoniam omnes hæ operationes
non sunt ex naturæ intentione: Et eorum species sunt crassæ & cœdæ, nec possunt
simul vniri aut perfectè misceri, atque ita eorum operationes sunt nullius effe-
ctus. Sed nos reperimus alios qui ratione naturali sequebantur cursum in suis
operibus, ideo illis fides adhibui debuit. Et præcipue vnum vidimus, qui ex
solo mercurio voluit operari per tenuem ignem, & vas, & graduationem di-
gestionum: Et hoc approbat Arist. & omnes alij philosophi dicentes: Mercuri-
um in se continere suum proprium sulfur, à quo congelatur partim in aurum
& partim in argentum: & non solum in aurum & in argentum, sed in perfectā
& veram medicinam. Alios vidimus qui cum mercurio voluerunt soluere au-
rum aut lunam in ambobus vt facerent eorū matrimonium, quæ res est inutilis
nisi eorum copora sint ex subtiliatione facta spiritualia sicut est mercurius, &
post coniungere & tenere ad ignem graduatum, vt superius est dictum. Et hæc
non seruiunt tantum solum quam ad celerandum eorum operas, aut ad haben-
dum fortiorem & firmiorem colorem, sed hæc omnia opera talia sunt longa
in eorum labore. Item nos vidimus alios qui ex vno solo mercurio bene su-
blimato & mundificato faciebant ipsorum operationes separando quintam es-
sentiam, & creando 4. elementa, & postea per subtilem circulationem & fixa-
tionem faciebant eorum operationes per stabilem digestionem: & hæc fuere
opera mirabilia & nobilis pretij. Alios insuper vidimus qui mercurium subli-
mabant & fixabant per calcem ouorum & per salem armoniacum, postea sol-
uebant & trahebant elementa, & postea per subtilem viam congelabant & fi-
xabant, & fuit Elixir pretiosum. Et omnes has vias tenebant aliqui subtiliter
laborantes à nobis cogniti aut visi eundo per mundum. Sed alios postea vidi-
mus, qui aquā mercurij faciebant, & in ea dissoluebāt corpora & putrefaciebāt
& postea per alembicum distillabant, & ex ea materia faciebant & creabant
eorum sulfur, de quo & per quod creabant & faciebant eorum medicinam aut
Elixir, & complebant id quod volebant. Etiam vidimus qui corpora soluebāt
per aquas dicti mercurij, & pariter soluebant tantundem dicti mercurij & cō-
iugebant, & post putrefaciebant, & ex his separabant elementa, postea recti-
ficabant & reducebant aquam super terram paulatim & quando congelata e-
rant, sublimarunt: & de sulfure quod inde habebant, faciebant medicinam cū
mercurio & Luna solutis in dicta aqua mercuriali. Et si volebant vt ad rubetū
est idem opus, quia tantum oportet ponere solem pro luna, aut facere quodli-
bet cōpositum per se. Postea cum elementa sunt separata & præparata debent
coniungere duas terras simul, & super eas reducere aquam albam & creare suū
sulfur album, postea rubificare dictum sulfur cum aqua rubea & postea facere
Elixir, id est album & rubeum quodlibet per se post separationem sulfuris albi
facti ex sulfure rubeo.

Item.

Item nonnulli alij dissoluerunt corpora seorsim, scilicet Solem & Lunam & pariter soluerunt eorum rectum pondus salis petrae preparati pro Luna: & sal armoniacum aut sal commune bene preparatum pro Sole: & coniunxerunt simul quodlibet ad partem suam: postea putrefecerunt & fecerunt & cōpleuerunt eorum operationem omnem, ita ut superius diximus. Et omnes hae scriptae operationes sunt notoriae & nobilis effectus: & eas satis cognouimus. Sed nihilominus non sunt adhuc de nostra intentione: non idcirco quod nos dicere velimus eas non esse nobiles & sufficientes: sed pro labore ac tempore nos quaerimus & petimus terminum magis abbreviatum nostrae intentionis. Et istae sunt intentiones operantium quas per mundum & regiones vidimus, scilicet facere operationem notoriam cum qua possent purgare & sanare corpora infirma tam creaturarū rationalium quam corporum metallicorum, & dare ac restituere defectum naturae, aut corruptionem in perfectam sanitatem & claritatem luminosam omnis perfectionis.

Qualis debeat esse intentio querentium in hac scientia.

C A P. II.

Palam omnibus esse debet in genere, qui hac scientia uti volunt & eam scire, quod haud nitantur vel intendant solum velle facere frustum metalli sed velint tantum ac tam alte transcendere naturam, ut ipsi possint semelfacere rem vnam aut decies aut centies aut milles plusquam perfectam. Quoniam quoties perfectior erit aut in triplo aut in quadruplo aut centuplo illa producet e seipsa, & hoc modo superabit naturam: quoniam natura non potest in suo naturali cursu facere res nisi indiuiduas & in singula frusta aut partes perfectas aut imperfectas aut neutras, ita ut quotidie videri potest in auro quod est perfectum, & amplius non est. Et postea in alijs corporibus metallorum quae sunt neutra, & post in omnibus alijs rebus, ut sal alumina, aëremes (gramenta) vitriolum, sulfur, arsenicum, sal armoniacum, mercurius, qui duo in se continent, nempe neutralitatem & imperfectionem, quae alias dicuntur res naturales, non naturales, & contra naturam. Quoniam igitur notum est, quod nisi hae res ad perfectissimam & magnam simplicitatem & subtilitatem reducantur, in his non potest paulatim augeri nec indui tam altus gradus & exaltatio supra naturam: ideo consulimus omnibus qui hac scientia frui volunt, ut bene animaduertant, in quo ponant suam intentionem, ne tempore abutantur & vita propria in rebus crassis & extraneis aut sophisticis, quia istud nil aliud foret quam tempus amittere & abuti. Sed firmant suas intentiones & cogitationes in rebus firmis & stabilibus, sequendo naturam per amabilem viam ut ea ipsis donare velit de suis gratijs, & se superari patiat per ordinem & viam, id est, ascendere ad Caelum, & se gubernari permittere per amicabilem concordiam, id est, pacifice reuerti de Caelo, & concordare firmam rem ac stabilem.

De quibus et in quibus rebus operandum sit in hac scientia.

C A P. III.

Charissime & perfecte amice notum est apud omnes Philosophos, quod lapis philosophicus est in omnibus rebus in quibus nutritur. Et iam probatum est per omnes sectas generationum, quod omnia generant similia sibi ipsis: patet ex equo equus, & ex homine generatur homo: quale igitur semen seminaueris, tale semen colliges: quoniam auri semen deaurat, & argenti semen argentat. Et nihilominus iudicium est omnium Philosophorum, quod aurum & argentum Philosophorum, & illorummet mercurius, non sunt

ex vulgaribus: quoniam vulgaria sunt mortua, & illa Philosophorum sunt viua id est operantur vt viua. Sed iam probatum est quod viua descenderunt à mortuis, quia in omnibus rebus quæ quatuor elementa continent potest reperiri aurum & argentum, & argentum viuum potentia, & non actu siue visibiliter quousque ob ingenium & operationem operis artis & regiminis humanarum manuū & cum digestionem sit res ostensa, quæ fuit amplè occultata & sepulta: sed propinquius & proximius est in vna re quā in alia. Chare fili, argentū viuū creatum est ex purissima & leui terra subtili alba aerea, & aliquādo sulfurea, & ex rore cæli purissimo & incorruptili tali modo vnitum & digestum, quod vnum ab alio separari non potest, & naturaliter ita vnita quod ad talem finem propter quem factum est vnum, etiam aliud sit factū. Et est prima materia mineralium, quæ dicta est à Philosophis aqua viua & sicca: ex qua quando incarnata est & pullulat à terra coniuncta & digesta per calorem sulfureum purissimum & clarum, album aut rubeum & incombustibilem ex termino digestionis fit ignem sufferens, & ex millibus ouorum generatur aurum vel argentum, aliaue res prout coniungitur vni vel alij rei. Quoniam sepius est sublimata, & sepius resoluta & congelata in tantum vt acquisierit virtutem sulfuream in se, nam iam est probatum & dictum quod habeat & contineat in se suum propriū sulfur, ppter quod in aurū vel argentum conuersū est. Vnde iam probatum & iudicatū est, quod ex omnibus mundi rebus, vnde poteris & scieris quatuor elementa extrahere, nempe talem terram subtilem albam purissimam & claram & aquam albam claram limpidam & leuem, & oleum album aut rubeum, & ignem clarum lucidum & rubeum: & ea optimè rectificare & subtiliare, & postea coniungere simile cum suo simili, idest terram & aquā simul & facere vnitatem aeream, vt facit natura, & postea coniungere aerem cum igne, seu sulfur quod ex his creaueris duobus primis elementis cum oleo, & totum simul coniungere. Et quod volueris rubificare, rubifica cum igne. Et si scis coniungere proportionaliter & non diuise, ita vt in illis non sit diuisio vel repugnātia, nihil erit in hoc mūdo quod non possis & scias benefacere. Scias ergo quod ex omnibus rebus à quibus seperare potueris terram, aquam, aerem, & ignem, poteris securè dicere quod in illis aut ex illis rebus potest creari lapis Philosophorum aut sit ex diuisione elementari aut per conuersionem elementarem: sed bene credimus quod citius & securius possis extrahere & debeas extrahere ab auro & ab argento & ab argento viuo vulgari, quā vt possit formari aut fieri artificialiter: quanuis artificium subtiliter & debite intellectum & in opus positum sit incomprehensibilis precij. Quoniam natura depurata & simplex reddita, & debite administrata, facit in momento temporis opera mirabilia. Et ideo ne desperes de rebus quæ arte & ingenio humano assimilantur naturæ operibus sed perseuera & inquire subtilitates earum: & nil erit quod non possis & scias facere. Ergo apparet quod & in salibus & in aluminibus, in vitriolo, in sulfure, in arsenico, in aëremens, in marchasita, in tutia, in plumbo, in stanno, in ferro, in aere, in argento viuo, in aqua & in liquoribus, & in omnibus hisce rebus vniuersaliter & diuissim potentia & non actu, quoad per hominis artificium sint reducta & conuersa in aurum & argentū plusquam perfectum, aut ad duplum, aut triplum, aut sextuplum, aut centuplū. Et propter hoc dico & probō quod proprie non sit nisi in auro & argento & argento viuo: Et ex eorum morte generantur & procreantur ea quæ nos querimus & petimus in nostra arte.

De

De primo regimine nostri operis id est dissolutione.

CAP. IIII.

Carissime & perfecte amice debes honorare super omnes alias res re quæ aperit portam solutionis. Quia solutio est clavis principalis omnium nostrarum operationum. Et quia iam probatum est quod omnia genita sunt similia, Ergo ex germine corporis liquidi generatur corpus liquidum. Vtere ergo istis nobilibus materiis in quibus iacent perfecta & radiantia quæ omnia alia illuminant: quia sine istis non potes habere opus perfectum. Et fac ut illa nutrantur lacte arboris eorum principalis & primordialis naturæ: quoniam natura non consentit (sesioit) nisi cum sua natura: & fac ut deducantur ad simplicitatem: quoniam res vlla quæcunque illa sit non est præparata, nisi reducta sit ad suam primam naturam & materiam, id est ad aquam, & nisi ex toto & per totum dempta sit & extra proiecta de sua prima specie, id est ut distilletur per alembicum, & ex toto electa & posita extra suam primam formam, id est ut ex sua indiuiduitate sit ex toto corrupta & extra posita & de nouo genita: quoniam nunquam aliter verum aurum nec verum argentum fiet, nisi in omnibus formis & speciebus sint depurata intus & foris & in eorum recta propagine & linea conseruata & custodita sint, quoniam si ponantur in eorum dissolutione & corruptione extra rectam lineam primæ ipsorum generationis, opus erit tum: ex toto vituperatum & damnatum. Dissoluite ergo has duas naturas aut materias aut luminaria, & reducite in primam formam & naturam aut speciem, in quibus erant antequam fierent corpora, id est in aquam mineralem: quæ proprie est aqua mercurij, & mercurius Philosophorum: Quoniam crassities & terrestritas materiæ corporum non tingit, sed tenuis & subtilis anima & substantia quæ est in eis, illa tingit & colorat: Et ideo dicit Arist. quod in corporibus inueniuntur animæ de quibus in Alchimia fit mentio, & sunt corpora mansiones animarum. Et ideo descendentes ad hanc præsentem praxim, diuidemus duas in partes caput istud, id est in præparationem & corruptionem corporum perfectorum, & in præparationem corporum imperfectorum, & primo perfectorum.

Nos ergo capiemus libras tres vitrioli fini de Hispania aut Romani, & libras duas salis petreæ: quoniam bene scis, quod vitriolum est formatum & creatum per naturam ex propria specie & natura mercurij, id est ex quatuor elementis mineralibus, ita ut est mercurius: & omnino ita est de sale petra, & non solum de sale petra sed etiam de omnibus alijs generibus salium. Et propterea spiritus ab his separatus & extractus & in corporibus metallorum colligatus & coniunctus dicitur proprie mercurius. Et ideo separemus ab illis spiritum, qui est valde tumidus, qui est de natura cæli & ignis, & spiritus quintæ essentia: qui omnia corpora dissoluit & corrumpit, & facit volare & ascendere in aerem in materiam & substantiam fumi & aquæ ob suam magnam vim & naturam quam tenet à cælo vnde creatus & genitus est in natura & specie minerali, & ex forti dracone calido & toleranter (souffreux) compressus (emprait) & alluminatus per quem omne corpus metallicum, & spiritus corrumuntur & dissoluantur, & digeruntur & subtiliantur.

Sint ergo primitus bene præparata & mūdāta, & quodlibet per se bene pulverizatum, postea misce simul & pone in cucurbita, & desuper pone alembicum, & bene luta & sigilla luto sapientie facto ex argilla & pilo, vel farina & albumine oui. Et vas sit ex duabus partibus vacuum, & tertia plenum: Postea situetur in furnello in cineribus circum circa ad spissitudinem duorum digitorum, & facias

distillare aquā cum igne ad eam conuenienti ad computationem, 8. vel 9. aut x. horarū vsque ad 14. cum phiala vel receptorio ad nasum distillatorij. Et quū dicta cappa vel alembicus incipit distillare (a gannir) aut quod dictę guttę aquę impressionem faciunt & bulliunt fortiter super lamina veneris, tunc appone aliam phialam & recipe totam aquam continuo cursu & in mensura vt guttę aclarient (rarefiant) ab eorum numero, aut accelerent, auge aut minue ignem donec tota aqua & fumus transierint & distillauerint in dictam aquam, eam educendo cum bene forti igne. Et bene caue nē amittas ex mala firmatione aut sigillatione tuos fumos & spiritus dicti valis: quoniam est tota vis tuę aquę & virtus tui lapidis & tu i operis. fac ex hac aqua tantum vt satis habeas,

De dissolutione tue Lune & Solis.

CAre fili, quemadmodum ex resplendenti natura & proprietate naturę luminaris & claritatis Solis & Lunę, cęli sunt omnes orbes & circuli cęlestes & elementales cęli & terrę illuminati & confortati in valore & augmento: ita prorsus ex natura, anima & claritate, quę iacet & reconditur in corporibus Solis & Lunę, quę tam magna est & inestimabilis cum dissoluta est, extensa & subtiliata, vt homo nequeat æstimare: sunt enim ab his corpora imperfecta omnia & spiritus illuminata & perfecta ab eorum corruptione & reducta in perfectam luminositatem & claritatem, & ita in bonitatem perfectam: & non solum omnia illa corpora, sed etiam corpora humana reducuntur ab eorum infirmitatibus & ægitudinibus ad perfectam sanitatem.

Capias ergo quod tibi placuerit ex his duobus luminarijs, & quod finum sit ex cęmenti aut copellę examine, & pone in phiala longi colli, & fundi rotundi super cineribus tepidis, & pro qualibet vnciā dicti corporis cape vncias 6 dictę aquę in phiala bene clausa cum cera quoad totum vertatur in aquam claram viridem aut auream. Et amborū est idem labor: præterquā quod pro qualibet vnciā Lunę pones simul vnciam salis petreę optimę & purissimę purificati & desiccati. Aut dissolue quodlibet per se, postea coniunge cum erunt frigida. Et pariter pones ad Solem vnciā salis armoniaci optimę sublimati & præparati cōtra vnciam dicti Solis: quoniam quum sit fortioris compositionis, indiget etiam fortioris & asperioris corruptionis. Et quādo totum erit in aquam conuersum, tenebis per horas viginti quatuor in dulci igne seu calore temperato, postea pone in alembico vitreo in balneo Marię ad distillandū donec sint congelata vas & phiala bene clausa & lutata, pone phlegma per se ad partē: Et fortiorē quę post phlegma veniet cōserua, quoniā potes (dictū phlegma) fortius facere superponendō vitriolo nouo exiccato a sua simplici humiditate ad ignem in patella plumbea, & facere vestram compositionem vt superius dictū est, & hanc aquam ponere simul quando fuerint bene puluerizata & posita in dicto vase, in quō conseruabis talem qualis erit vsque ad necessitatem vel exigentiam. Et ita facies de omnibus alijs. Et ita congela quodlibet per se, & deinde dissolue & super proiice de aqua noua vt supra, & resolue & cōgela, & de nouo solue & cōgelaper aquā nouā: Et ita fac toties donec creuerint in pondere suo ex spiritibus dictę aquę quantum ponderant, id est, quod si dictus Sol vel Luna ponderat duas vncias, vt alias duas crescant ex dictis spiritibus: & maneant in loco calido post dictam distillationem dicti balnei liquefacta & fusa vt oleū. Et tunc ponantur quodlibet in phiala colli longi & fundi rotundi, aut in cucurbita conuenienti & tecta, & teneas in dicto balneo dictam Lunā per nouem aut decem dies: Solem autem per viginti vnū aut donec nigra deuenierint

rint intus & extra vt materia corruptissima, quæ dicitur oleum gloriæ, & materia nigra, & tenebrosa, vt gumma fusa: tunc ponatur ad dissoluendū in aliquo loco frigido super laminis vitreis, collige mundè & purè & bene depurata: & si fæces habuerint, nihil valent. Et ita erit tua materia dissoluta & liquefacta,

Solutio tui Mercurij.

TAli modo & prorsus eodem vt fecisti de Luna, facies etiam de mercurio qui erit purissimus & optimæ mineræ tam ad album quàm ad rubeum, ita pariter custodies aquam bene sigillatam quousque distillabitur per alembicum, & erit dictus mercurius conueniens pro omnibus sulfuribus tam ex corporibus perfectis quàm imperfectis, idest ad coniungendum ad creationem omnium sulfurum nostræ Lunæ. Sed statim postea faciemus aquam mercurij quæ seruetur ad creandum Elixir.

Secunda pars huius regiminis quæ est de corporibus imperfectis.

CAre, & perfecte amice, ita & tali modo vt docuimus supra de corporibus Lunæ facies de corpore veneris & martis: quoniam operari possunt & fundi eodē modo, præterquam quòd forsan erit aliquod vitium in eorum solutione, & præcipue in marte. Et ideo consulo tibi ne facias aquas tam fortes, quia si opponis lib. 2. vitrioli solum libram vnā salis petreæ & ita habebis aquam sulfuris & mercurij.

De duobus corporibus mollibus.

CAre fili, duo corpora mollia fundi non possunt aut in opus poni vt dura & ideo oportet vt prius calcines tali modo vt factū est de medicina plumbi, excepto quòd stannum calcinatur igne fortiori quàm plumbum: & debes mouere (ducere) inter calcinandum vt factum est in minera plumbi cum spatula vel cōcleari ferreo donec amplius non faciat oculos aut scintillas ignis. Et postea solue in bona qualitate aceti distillati, postea depura per filtrum, & congela per alembicum in balneo Mariæ. Ea cum fuerint congelata in modū gummi, capias, & ad quoduis eorum adde suum rectum pondus dictæ gumme mercurij antequam illa soluantur, & bene simul incorpora & teneas in lento calore per quatuor aut quinquies dies: & postea pone ad fundendum super lamina vitri donec totum soluatur. Et si fæces supersint aut remaneant, adiunge de mercurio vt antea, & iuxta suum pondus: postea pone ad fundendum vt antea, & sic toties facias donec totum soluatur in aquam. Ita habebis aquam allegorice ex viridi, quæ est aqua mercurij & sulfuris, quam ad partem custodi.

Secundum regimen quod est de separatione aut diuisione & sublimatione.

Regimen secundum huius mysterij, est diuisio aut separatio aut sublimatio, quod est vnum tantū regimen. Nam sublimatio est nomē generale, quod capitur pro omnibus operibus huius artis. Et hoc est quod dicit Hermes quòd oportet te magno ingenio separare crassum à simplici, & subtile à spisso: & facere ex crasso exile vel gracile & simplex, & de sicco humidum, & ex graui leue, ex duro molli: & hoc est, vt facias ascendere per alembicum: & hoc totum fit vno solo ordine & via vt tibi aperiam nunc, per dissolutionem aut resor-

N

lutionem, congelationem & distillationem hac via.

Cape alterutrum ex duobus corporibus aut spiritibus, quod tibi magis placeat, quoniam idem est quo ad operationem, & pone quum solutū fuerit in suo alembico siue in cucurbita conuenienti, cum alembico desuper bene & conuenienter clauso, sigillato, & lutato: & cucurbita sit brevis & larga, & imple minus quā medietatē, & non plus: & postea colloca & accomoda super furnel lo in cineribus parū plus quā materia contenta: & ignem adhibe & distilla totā illā dissolutionem ad ignē. x. aut ab 8. vsque ad 12. punta quoad non amplius distillet. phiala sit ad rostrum alembici bene sigillata. Et ne facias dictę materie nimium ignem & fortem, sed dulcē, ratione, & debita mensura: & cum frigidum fuerit, capiatur dicta materia relicta in dicta cucurbita, & pulueriza, & pone in loco humido frigido ad resoluendum sicut prima vice fecisti, postea ad distillandum, vt supra dictū est. Et ita toties dissolue & distilla vt omnes dictę materie transcant & distillentur per alembicum. Et omnes distillationes pone simul in vase vitreo conuenienti bene clauso cum cera, & fæces nigras in vase relictas quæ nullius sunt valoris abijce, nihilominus si aliquid ex corpore insolubile manet, reteretur solutio vt per primam aquam in principio dictum est donec totum corpus aut spiritus distillata sint, & per alembicum transferint ex virtute & vi spiritus qui moratur in nostra aqua, quæ dicta est aqua vitæ, vel vitæ. Et scias quod quando tuum corpus aut spiritus prorsus per alembicum transiit, tunc habebis aquam præcisam, quam sapienter custodi: Nam si eius valorē scires, custodires perinde vt tuum oculum: Quoniam tunc compleuisti verbū Hermetis, quia fecisti ascendere à terra ad cælum, & deduxisti crassitiem corporis ad simplicitatem & ad naturam spiritus: nam aliter non esset præparata nec sublimata, nec intus mundificata & foris. Et tunc etiam bis aut ter distilla per alembicum, & debite sit præparata. Nam quo plus subtilabis aut mundificabis, tanto plus valebit. Et ita sunt omnia corpora & spiritus ad æqualitatem deducta, & præparata vt simul ponantur, & fiat matrimonium aut coniunctio, quia aliter nullo modo fieri potest, nisi corpora & spiritus quæ coniungere vis sint reducta ad vnicam essentiam, & vnam naturam: tunc enim miscentur & coniunguntur vt aqua cum aqua fit: Et ideo stulti decipiuntur, qui putant posse coniungere spiritus cum corporibus in eorum crassitie & diuersitate naturæ & decepti sunt: quoniam hoc nec ficum valet: quoniam fieri non potest, donec deducantur in vnam æqualitatem formæ. Vide si non fit per nostrum supremum sulfur aut per simile factum per hanc artem, quod omnes virtutes minerales habent colligantiam in concauitate suarum spherarū, & de quo nos dabimus doctrinam & modum faciendi hinc prope in nostro tertio regimine Reductionis, quod sequitur.

Tertium Regimen Reductionis.

Optime fit, Reductio tantum significat, quantum reducere aut reponere vnam rem transportatam aut disseparatā à suo proprio loco, aut corruptā de suo proprio esse & natura, vt sit reducta & reddita suæ propriæ formæ & nature, aut in melius. Nutrias ergo lapidem de bono in melius: quoniam si nutrias in simili nihil acquirit. Si nutrias in peiori, patietur dānum. Si nutrias in meliori, accipiet acquisitionem. Si nutris in suo individuali, nutris in suo simili. Si nutris in alijs commistis, nutris in peius. Vt vitentur hæc omnia dubia faciamus nostra corpora aut spiritus sublimare & ascendere, & eleuare extra suam terram aut indiuiduum, id est ex frustis & partibus suis terrestribus, & conuertamus in naturam cælestem: Et postea per hoc notabile regimen reductionis

his nos in eorum essentias recipiemus nouum indiuiduum, id est noua corpora depurata intus & foris per nostram secretam circulationē, quam hoc modo faciemus.

Fili honeste, ego te admoneo quod potes facere vnam aut plures diuersas cōpositiones corporū aut spiritū per se solos, aut ex corporibus & spiritibus simul. Capias ergo quod tibi placuerit, ita vt superius nos pręparauimus, & ponatur in vase circulationis bene clauso & sigillato, vt nil possit intrare vel exire, neque aer possit corrūpere: & sint duę partes valis vacuę & tertia plena: & situetur & aptetur super furnello ad hoc conuenienti in cineribus parū plus quā materia contineat: & reguletur cum igne vnico die ac nocte, & æquali vsque ad quadraginta dies, aliquando vsque ad octoginta, aliquando vsque ad centū, aliquando breuiori tempore. Et scire debes quod citius res aliqua cōuertitur in illud quod antea fuit, quā in id quod nunc antea fuit. ergo citius aqua corporū circulabitur & inspissabitur quā aqua spiritū: & postea illa corporum & spiritū, quā illa spirituum. Cum igitur videris illas virtute nostrę circulationis esse cōuersas vt gummi, aut vt spissitudo mellis, aut olei, bene spissas seu densas & concoctas, bene citrinatas, scias illas esse sufficiēter circulatas. Et propterea notare debes, quod circulatio corporū per illas fieri potest a quadraginta in quinquaginta aut sexaginta dies: & illa corporum & spirituum ex sexaginta ad septuaginta vel vsque ad octoginta: & illa spirituum ab octoginta ad nonaginta, vel vsque ad centum: quoniam isti sunt iusti termini circulationum: Tamen vt vas circulatorium sit in cappa aut alembico talis caloris erga palmam, vt tepidi, aut parum plus. Et ita Deus & natura disposuerūt vt in suis operibus. Materia ergo facta spiritualis, continuanda est eodem calore vsque quo elementa sint coniuncta ex eorū modo & industria. bone Deus quā admirabile secretū huius capituli de circulatione. Bone fili illud est quod a vili terra se spoliatur, & valde nobilem aliam induit. Tam nobile est corpus hīc intus genitum. Optime fili, corpus est naturę cęlestis, quod ex omnibus elementis est hīc genitum. Dilecte fili, quemadmodum lac coagulatur in calore ob virtutem coaguli, ita etiā sacrata anima & virtuosa natura corporum & elementorum quę quietē iacet & quiescit in virtute istius aquę aut materię, coagulatur & congelatur ex nutritura caloris in nostro vase intus in aqua dicta & materia: quanquam aliquando ob suā magnam puritatem & simplicitatē non videatur tibi ad oculum nisi per signa superius ostensa. Nam quemadmodū totum lac non coagulatur, sed solum illud quod conueniens est ad caseū faciendum, ita tota nostra aqua vel materia non coagulatur, sed nisi pars illa quę conueniens est ad opus nostrum. Et propter hæc signa visa, nos ponemus nostram materiam tota in vna cucurbita cum suo alembico bene sigillato & clauso ad congelandū per balneū, donec non amplius distillare possit, & postea pone super furnello in cineribus, & sit ignis conueniens, non nimis asper, sed cum ratione administratus, vt illud quod distillari potest distilletur, quod erit tanquam oleum, aut si nihil venit, bene est: nam aliquando materia tam bene unita est in sua circulatione quod nulla res separatur nisi aqua non valens: nihilominus in aqua ab eo ter distillata, dissoluere debes & depurare & per alembicū congelare vt dictum est: & aliquoties coquere aut sublimare vt dictum est: & si nihil sublimat, tanto melior est & magis digesta. Tunc tantū opus est nutrire in igne aut furno philophorum, donec recuperauerit suum liquorem aut liquefactionem, & peruenierit ad suum principalem colorem: aut incerare oleū, aut de tinctura tantū & quoties fundatur, & intret, & tingat. Tamen si vis vt fluat & fundatur ex se, tanto melius valet, & est melioris effectus vel maioris

ad creandum Elixir magnum; Tamen notare debes quòd sulfura creata ex corporibus imperfectis debēt esse illuminata per tincturam Solis aut Lunæ, id est ex eorū oleo, quia alterius non habent opus (glossula. hic veritatē dicit, & secretū maximum: nā docet ex corporibus imperfectis cōficere sulfur, ex quo cum altero fermentorum perficitur medicina secundum illud fermentum.) Item si videres quòd tuum sulfur esset volatile & fumigans super lamina ardenti, aut super carbone, pone in cucurbita conuenienti ad sublimandum cum optimo & forti igne toto vno die, quoad totum tuum sulfur sit sublimatum album vt nix: nam quo plus sublimatum est, erit etiam maioris effectus: nam est sulfur & arsenicum Philosophorum, quod nec ardet, nec foetet, nec comburitur. Et potes creare tuum sulfur ex quolibet corpore per se preterquam ex Saturno & Ioue qui habēt suam rectam portionem mercurij, & illud quod eis conuenit aut opus est. Sed si vis creare de Luna & mercurio, aut de Sole & mercurio, aut de Venere & mercurio, vel de Marte & mercurio, poteris facere & per pondera æqualia. Sed magnum sulfur Philosophorum creatū est de corpore Solis & Lunæ cum illorum pondere mercurij. (Et hic nota ex quibus cōponitur magnus lapis Philosophicus, & verum dicit: hunc docet facere Raymundus in suo Codicillo seu vade mecum, per eum transmissio ad Regem Angliæ Eduardū, vt in suo proœmio dicit.) Et quando congelata sunt, tunc debes ponere ad sublimandum vt dictum est, & tunc sublimabitur & ascendet alte ad summum sulfur album Philosophorum, & rubeum manebit deorsum, iacens demissum ad fundum vasis, fixum, & fustum, totum vermiliū tanquam rubeum vitrum, id est, quòd quando sulfur Lunæ est circulatum, debes imbiberi de aqua corporis Solis paulatim, & coquere de octo in octo dies, donec habuerit suū pōdus vt dictū est. Itē aut ambo circulabis quodlibet per se, postea coniunge aut congela quod melius est: postea fac sublimare vt dictum est. Et sic ita bene compleueris caput istud de circulatione vel reductione. Nam videndo omnes inquisitores huius artis, habebis sulfur album & rubeum ambo in vno vase, & compleueris verbum Hermetis dicentis, quòd oportet descendere à cælo in terram, & possidere magnas & altas geuerationes: Et ita feceris de aqua aerem & de aere ignem & terram: quæ tamen non dicitur terra, sed lapis cælestis & alii pretij. Et ideo dicit Philosophus, lunge elementa quodlibet suo simili, nempe terram aquæ, & fac ex aqua aerem: & postea iunge aerem cum aere, id est oleū cum sulfure & igne, si vis rubificare: quia ex oleo & sulfure fit totum secretum, quod omnia metalla tingit in aurum vel argentum.

Modus faciendi oleum & tincturam.

BOne fili scias non opus esset vt te molestes in extrahendo oleū nec tincturā nisi ex duobus corporibus perfectis: quia vt superius diximus, in illis est liquor vnus, qui est vnum oleum, vna anima, vna tinctura, quæ propriè dicitur lux & lumen illorum corporum, aut in album aut in rubeū: ex qua propriè nostrum sulfur fit aut album aut rubeum. Et ideo est durable & liquidū, quia descendit à germine corporum liquentium, vt superius ostendimus. Et ita pariter ex ea met anima sicca, oleo vel tinctura, generatur nostrum oleum vel tinctura nostra per dissolutionem & putrefactionem, vt nunc dicemus. Sciendū est quòd prius nostra corpora dissoluemus aut alba aut rubea, omne autē in tali modo & forma vt supradiximus in capitulo primi Regiminis, & per eandē met aquam omnia in tali forma & modo vt dictum est. Postea congela & conuerte in vnum gummi nigrum vt dictum est: (supra per duo folia vel circiter.)

Quæ

Quæ nigredo apparens nunquam est dicta præterquam calcinatio: quia corpora nequeunt resolui nisi prius dissoluantur & aperiantur per calcinationem ignis. Sed istud non est ex cōmuni, sed ignis nō naturalis qui moratur in nostra aqua, quæ ex temperantia nutritiue operationis per suauem digestionem & per solennem resolutionem in alembico mammillari conuersa est in purum sanguinem & in lac virginis, id est in tincturam rubicundiorē sanguine, & in tincturam albiorem lacte, qui habent tam grandem tincturam & tam admirabilē quod aliquis homo nesciret numerare. Et ideo bene caueant operantes Sophistæ, qui per species extraneas volunt suum aurum & argentū alienissimē colorare: quia nulla vera tinctura generatur nisi ex nostra confectione, aut ex simili, facta per nostram artem, per debitam administrationē, id est ex Sole & Luna & mercurio: quia in his tribus iacet corona regalis. Igitur capias vnum illorum quod tibi placebit ita præparatū, & pro qualibet vñcia corporis perfecti ita parati pone duodecim vñcias aquæ mercurialis factæ hīc post quartum regimen Elixiris in phiala longi colli & fundi rotūdi super cineres tepidas aut in balneo Mariæ per duos vel tres dies & tunc conuertetur in aquā diuersorum colorum (Nota in hoc passu coniunctionem corporis dissoluti per mercuriū primi regiminis cum mercurio quarti regiminis, vt corpus in hoc putrefiat, & inde oleum extrahatur ab illo corpore). Tunc pone in vno putrefactorio clauso & sigillato in fimo ad putrefiendum per quadraginta dies in nostro furno secreto in calore febrili, quia in hoc temporis spatio natura disponet in tuo opere, & natura digeret & coniunget corpus spiritui, & spiritū corpori, & fiet vnum & idem. Postea pone in alembico bene firmato cum sua cucurbita ad distillandum per balneum Mariæ, & sufficit vt aqua bulliat: sic accipe aquam viuam & delbantem per se, & phlegma id est primam aquam seorsum, & tantum collige quantum veniet. Postea transfer tuum vas super furno in cineribus & ad ignem conuenientem recipe oleū & tincturam. Quod si totum ascenderit, & nihil in fundo remanserit, bene est: sin minus, reponē desuper primam aquam, & dissolue, depura, & pariter vt antea distilla: & recipe bonam aquam & bonū oleū seorsim, & pone cū suis similibus quodlibet in sua phiala. Et ita toties facias vt in dicto vase nihil relinquatur quā vna terra nigra sine vilo bono. Et si de tua aqua deficeret ad extrahendū tua elementa, cape de aqua mercuriali noua. Postea distilla quodlibet tuorū elementorū quinquies vel septies quodlibet vice bene sigillatum, & conserua seorsim bene firmata: quoniam ex istis aquis & ex istis oleis debes perficere omnes magnos Elixires: nam oleū tingerit, & colorat, & fixat tuum Elixir & tuos spiritus, & donat ingressum: & si cōtingeret (nota magnum secretum) vt quando ponis tuam materiam dictam ad distillandū post suā putrefactionem, totum transiret per alembicum per balneum, tūc cape totam tuam aquam, & pone in vno vase circulatorio ad circulandū intus in calido fimo in nostro furno secreto per spatiū quadraginta dierū, scias quod digeretur & inspissabitur in modum olei citrini, quam postea pone ad distillandum per balneum, & oleū per cineres: quoniam scias quod per balneum non distillabitur, quia quod natura & ignis concoxerunt morabitur aut manebit in dicto vase vel cucurbita post distillationē aquæ, & ideo oportet te distillare per cineres. Et si non satis habes pone etiam aquam ad digerendum vt antea: & ita totum aut toties facias vt satis habeas, rectifica & custodi vt dictū est. De tuis corporibus & spiritibus, quæ per alembicum transierunt potes oleum facere (secretum nota) per digestionem, eo modo vt iam diximus.

BEate fili, nos habemus duo Elixir ad coniungendum, nempe vnum corporeum & vnum spirituale: vnum corporeum, id est illud corpus in quo oportet sequi naturam: quoniam oportet super vnum corpus fixum fixare vnum spirituale, id est aquam, oleum, & sulfur: per quæ totum completur mysteriũ, & de quibus prouenit tota dicta tinctura: Quandoquidem sine dicta coniunctione & vnione illorum non possit mysterium compleri. Et quia omnia debent ordine fieri & mensura, nos ordinabimus in omnibus illis rebus pondera & mensuras, & coniungemus quamlibet speciem cum suo simili & cum ordine suo, nam si nos ponimus oleum cum terra, aut ignem cum aqua, nos corrumpemus mysterium. Coniungito ergo & pone aquam cum terra, vt illam reddat leuem, & conuertat in natura aeris, & postea coniungemus oleum: quoniam oleum tingit & colorat aquam & terram, & facit eas fluere & fundi. Et si est ad rubeum, adiunge ignem super oleum, quoniam illum colorat & digerit vsq; ad quartum gradum: sed ad album nõ est opus igne, quoniam est completum per tria elementa, quorum quartũ complet totum mysterium: sed quia sulfur non potest intrare intus in corpora, nisi mediãte aqua, quoniam facit matrimonium intra corpus & animam, id est inter sulfur & corpus, pones elementa per ordinem vt hinc superius diximus: quia si plus terræ heberet quàm debeat, materia non fundi posset nec tingere, & si nimis aquæ haberet, faceret spirituale, & si parum, durũ, & bruum. Et si nimium aeris haberet, nimis coloraret, si parum, non haberet colorem. Si nimium ignis haberet, combureret misturam vel mysterium, si parum, non desiccaret bene omnes misturas. Diuides ergo tuum opus per quatuor elementa, vt componas res tuas mensura & ordine: Quoniam ad album pondus in genere est terræ pondera tria minus quarta: aquæ duo, & vnum pondus cum dimidio aeris. Sed pondera rubei sunt terræ duo pondera, & tres aquæ, totidem aeris, & vnum pondus cum dimidio ignis: quoniam est calidior quàm Elixir ad album. Et quia in eorum natura inuicem nomina usurpant, quoniam quando sulfur est coniunctum cum fermento, appellatur terra, cuius post aquam in hoc nomen gerit spiritus, qui est medium inter corpus & animam, id est inter corpus & oleum. Amplius dico tibi, quod nisi sublimes omne illud quod ponis in Elixir, neque aurum neque argentum quod inde fiet, erit perfectum integrẽ. Et nisi corpus ponatur in Elixir, iam corpus non diliget spiritum vt debet. Et nisi præpares corpus quod ponis in Elixir, numquam aurum vel argẽtum quod inde fiet, erit habile ad opus. Et idẽo oportet vt calx quæ ponetur in Elixir, sublimetur, vt omnino sit simplex & singularis. Sed vt hæc res debito modo fiat, opus est vt in omni fermentatione, summa seu potestas rei aut corpus fixum excedat volatile, alias compositio rediret in fugam: quia dicit Philosophus, Si proiciatur parum sulfuris super multum corporis, ita vt super illud habeat potestatem cito conuertet eum in puluerẽ talis coloris quale fuit corpus super quo proiectus est spiritus.

De modo & compositione magni Elixiris.

PRimò capies vitriolum, sal commune præparatum, & mercurium mundum & purum, & incorporabis & sublimabis optimẽ his, vel ter, vel quater, qualibet vice nouam materiam, sed non tantum vt prima vice prope dimidium (alij non diminuunt qualibet vice quàm quintam partem facum)

&

& cape suum pondus salis armoniaci optime sublimati cum sale communi preparato semel vel bis vel ter: & incorpora optime simul, & ter sublima, qualibet vice incorporando quod superius est cum eo quod inferius, & aufer sal armoniacum in suo pondere quod superius ascendit, & cape dictum mercurium nigrum qui inferius relictus est vel subsidit, & pone ad fundendum in balneo Mariæ, & serua aquam seorsim bene depuratam: Postea cape Solem vel Lunam optimam, & solue in aqua vitrioli & salis petrae Lunam, sed salis armoniaci & salis petrae Solem: postea congela per balneum, & imbibere cum hac aqua mercuriali reservata, paulatim imbibendo & desiccando quoad sufficienter (but) biberit & creuerit Luna ad duplum, & Sol ad triplum, coquendo & siccando singula vice: postea sublima bis vel ter cum armoniaco dicti mercurij ad partem seu seorsim seruat &c. postea se pone sal armoniacum, & pone materiam tuam ut fundatur in balneo Mariæ, vel in loco frigido: & postea si hæc omnis materia soluta est, bene est: sin minus, reiterra super non solutam, solutam, ut antea dictum est, quoad tota solvatur: tunc depuretur per filtrum si opus est, & ponatur in alembico ad congelandum per balneum Mariæ: postea transfer tuum vas in cineres, & vase bene sigillato sublima ad fortissimum ignem toto vno die: tunc sine infrigidari, & aperi tuum vas, & collige sapienter tuum corpus & mercurium simul sublimata & in altum conscensa: terra nigra quæ infundo remansit nihil valet, quam proijce. Item cape hoc corpus & spiritum simul coniuncta & vnita, & dissolue in elemento aquæ supradictæ in capitulo de Oleo, & pariter dissolue de tuo dicto sulfure parum antea hic facto fusibili & fluibili & fixo ad tertium materiae supradictæ, id est ad album, album, ad rubeum, rubeum: coniunge simul, & postea pone in alembico vitreo lutato, (de souldes) bene clauso & sigillato pone super furnello in cineribus ad distillandum lentissimo igne donec siccum sit: Postea paululum auge ignem & continua per dies quindecim: Postea fortitet auge, ut si aliquid sublimari debeat sublimetur: Postea dissolue, sublima, & reimbibere corpus fixum effundendo suam aquam desuper & congelando & sublimando: & ita toties reiterra, ut totum sit fixum ob virtutem nostri sulphuris fixi, & imbibere duplum sui suæ aquæ: Postea dissolue & imbibere ex suo oleo tantum aut toties imbibendo & decoquendo ut imbibere vnus pondus cum dimidio: Et cum nil amplius sublimare voluerit auge ignem primo die fortiter, secundo fortiolem, tertio fortissimum, ut ad fusionem metalli. Et ita factum erit fluidum, fixum, iracundum, deses vel pigrum aut firmum & fixum ex potentia nostri sulphuris fixi, postea permitte fundere: cape laminam crystalli, aut crystallinam & pone in vno crucibulo super lento igne deguttando desuper de oleo suo gutta post aliam donec fundatur ut cera. Et tunc proijce vnus pondus super decem & vnum ex his decem super alios decem, & vnum ex his decem super decem mercurij puri: & ita infinite, quoad inuenis illum Solem aut Lunam perfectam: quia eodem modo fit Elixir ad album ut ad rubeum: & non est differentia, præterquam quod loco cuiuslibet rei albæ pones rem rubeam, id est pro Luna siue loco Lunæ, Solem, & pro mercurio albo, mercurium rubeum, pro aqua & oleo albo, aquam & oleum qui dicitur ignis rubens: & ita erit completum nostrum Elixir magnum & album & rubeum: hoc est enim primum opus perfectum, & Elixir completum.

De alio Elixiri per aliam viam.

BOne fili, aliud maius Elixir postea est, ut capias de mercurio sublimato & facias inde aquam, & postea, ut superius dictum est, dissolue tuum corpus album, & sublima totum per modum, ut dictum est supra, vnum pondus

corporis contra duo dicti mercurij: postea dissolue in aqua dicti mercurij parā antea facta ut supra, & pariter de dicto sulfure albo & fixo tertiam partem dicti mercurij & corporis: postea congela & contine in lento igne vel furno Philosophorum, paulatim ignem augendo, usque ad sex dies, & septimo da illis optimum ignem: & si totum erit fixum, bonum est: sin minus, reiterna soluti o nem & incerationem & sublimationem rei non fixæ super fixa, donec totum fuerit fixum. Postea totum in aquam rubeam dissolue, & postea congela: & per tres vices dissolue & congela, postea imbibe paulatim donec biberit suum pondus aquæ rubeæ, & sit fixata cum eo. Et pro eo tali modo & forma imbibe ex oleo rubeo aut ex igne Solis dissoluto in oleo rubeo, imbibendo & coquendo donec biberit vnum pondus & dimidium sui, & fundatur ut cera sine fumo: & facias projectionem ea forma & modo ut superius diximus: Et ita habebis Elixir album aut rubeum: quia si tu imbibis ex aqua & oleo & igne ad rubeum, erit Elixir ad rubeum: Si imbibis solum ex aqua & oleo ad album, erit Elixir ad album.

Tertium Elixir.

CApies mercurium communem vulgarem, & dissolues in aqua in qua dissoluebas tuam Lunam aut Solem in primo regimine, quam iussimus seruari seorsum ad congelationem dicti balnei Solis vel Lunæ tuæ: & pariter dissolue in alia parte de Sole aut Luna in hac simili & propria aqua, & in alia parte de tuo sulfure: & cum hæc tria fuerint soluta, sic coniunges, vnum pondus corporis, duo mercurij, & vnum dicti sulfuris. Postea teneas simul in lento calore id est in balneo per tres dies: postea cōgela per alembicum in balneo, & pone in phiala longi colli pro tanto temporis spatio ut sit fermentatum & fixum, sepelias in cineribus calidis super furnello, aut pone in ovo philosophico aut furno secreto Philosophorum: & nisi habuerit leuem aut facilem fusionem & tincturam, incera & imbibe ex oleo & tinctura Philosophicis superius factis, quoad fundatur & intret ac tingat: ita habebis Elixir aut ad album aut rubeum iuxta illud quod pro fermento posueris & sulfure. Et si volueris album Elixir rubificare, rubifica illud cum igne Solis & sua aqua & oleo ut dictum est hic superius: & ita habebis Elixir album & rubeum: (glossula. si hæc tria supradicta fixentur per vas circulationis, aut in duplici vase videtur esse optima medicina & solennis.)

Quartum regimen Elixiris. de alio Elixiri in genere.

Illi & amice, tu potes facere Elixir ex sulfure cuiuscunque corporis volueris aut ad album aut rubeum, hoc modo: Accipe tuum dictum sulfur ad album vel rubeum, & incera ac imbibe ex oleo corporis Solis aut Lunæ iuxta album vel rubeum quod facere vis. Et quando biberit dimidium eius quod ponderat, pone in vno ovo philosophico in furno secreto philosophico, tantum augmentando ignem paulatim ut videas eam fluere ac fundi: postea fac tuam projectionem super corpus unde creasti dictum sulfur, aut super Iouem vel Lunam. Et sciendum est quod Elixir Iouis est totus albus, & non potest seruire nisi ad album, nisi sit rubificatum cum igne Solis: nec pariter Lunæ Elixir. Et ideo debent proijci super Iouem aut Venerem. Et illi Solis & Martis pariter sunt toti rubei, & propterea debent proijci super Lunam. Item ex Venere & Saturno potes tu facere Elixir ad album aut rubeum iuxta suum fermentum. Et ideo proijciantur aut super Saturnum, aut super Venerem, aut super Lunam, iuxta

iuxta eorū colorē. Et nota quòd omnes hi parui Elixíres projici possunt pro albo vel rubeo super mercurio congelato cum odore plumbi aut sulfuris communis, cinabrio posito in crucibulo (en claucaulx) & in horis sex erit fina Luna aut Sol, vnum pondus super decem aut viginti aut triginta vel quadraginta aut quinquaginta iuxta gradum aur marcham Elixiris.

De aqua Mercuriali huius capituli.

BEnigne fili, super omnes aquas mundi, aqua mercurij necessaria est: Quoniam si haberes omnes aquas mundi non potes cum illis transire, quia ista claudit & aperit nostram artem, & secum portat clauem & seram: ideo claram habes & secretam, & nulli reueles, quia esses excommunicatus à Deo & maledictus, quia arcanū est & donum Dei: & Deus qui cognoscit & scit corda creaturarum, donat illud quibus illi placet. Facias ergo in nomine sancti Spiritus ita: Recipe libram vnā boni & fini vitrioli, & dimidiam libram boni & fini salis petrae, & tres quartas mercurij bonae mineræ: tere & incorpora bene omnia simul, postea pone in cucurbita cum suo alembico bene firmato & lutato ad distillandū super furnello in cineribus quoad omnis aqua & spiritus distillauerit & transierit bene spiritus custodiendo: postea sepone phialam quando erit frigida & bene sigillata sine aere: quia sic erit distillata aqua & anima mercurij spiritualis. Postea recipe mercurium qui erit in vase sublimatus tanquā pinguedo (groas) diuersorum colorum, postea recipe libras tres boni fini acetii (acetum testamenti Raymundi) aut aquae vitæ, & intus pone libram vnā vitrioli & tantundem salis petrae in cucurbita cum alembico bene clauso & sigillato ad distillandū, quoad fumus & vis materierum transeat & distilletur in dicta aqua vel aceto. Et in ea dissolue mercuriū dictum superius sublimatum & dicta aqua portabit secum gummam & spiritum dicti mercurij, quem depura, postea pone totum purum qui est dissolutus & depuratus ad congelandum per alembicū in balneo Mariæ: postea desicca in suauī calore in sicco hypocausto: postea dissolue in anima dicti mercurij similiter ab ipso superius distillata. Et pone ad distillandum lento igne super cineribus calidis: & quando bona aqua venit quæ laminā dealbabit, recipe seorsim per se, & bene sigilla: & postea projice de super primā aquā, & solue, & depura vt supra, & distilla: & interim pone bonam aquam seorsim. Et ita fac de hac aqua tantum, vt satis habeas: postea distilla per se ter, qualibet vice bene sigillando, & per alembicum in cineribus. De hac vel cum hac aqua potes soluere omnia corpora & spiritus, vt diximus in capitulo de Tincturis. (glossula. Hic est mercurij exuberatio ita adnutriendum infantem nostrum, scilicet sulphur aut terram.)

De nonnullis abbreviationibus Artis.

Carissime & perfecte amice, omnis abbreviatio quæ est in ista arte, est, vt soluas corpora in aqua mercurij post eorum calcinationem, & postea distilla per alembicum. Fili, corpora soluta & coniuncta cum dicta aqua mercurij, sunt conuersa in propriam aquam mercurij, quæ est magna aqua aut alba aut rubea, quæ dicta est aqua permanens, de qua potes fixare mercurium aut ad album aut ad rubeum in Elixir perfectum, ita: Recipe vnā vel duas vncias corporis calcinati, vt superius diximus in capite de Elixir, & per illammet aquam mercurij ibi dictam dissolue tuam Lunam, & sublima, vt ibi nos monstrauius, ita vt vnum pondus Lunæ habeat in sua coniunctio-

ne cū ipsa tota sublimata tria pondera mercurij, aut duo si citius fixare vis. Postea habes vnum poudus arsenici sublimati cum aceto & limatura veneris post bullitionē (purgationē) postea cum sale cōmuni, & coniunge simul tuum corpus & mercurium simul coniūctum cum tantundem dicti arsenici & bene incorpora & imbibe ex aqua superius dicta aut ex aqua alicuius alterius corporis soluti: & singula vice imbibe, & incera, & sublima, semper reddendū fixum super corpus fixum: & toties reitē operationem vt totum sit fixum humile manēs, & fundens: quod fiet breui temporis spatio. Et si tu fixas per aquam corporis imperfecti, incera cum oleo Lunæ aut Solis, ut faciat Lunam perfectam aut Solem: sed si fixas per aquam corporis perfecti, sufficit modō vt fundatur. Et si vis leuioris fusionis, incera cum oleo corporis perfecti: postea facias profectionem vt superius tetigimus. Quod si rubificare velis aut mercurium aut aliquem album Elixir aut similiter aquam albam mercurij, dissolue tuum corpus solare calcinatum in aqua mercurij superius facta, aut in aqua magna mercurij albi: & post suam putrefactionē distilla aquā per balneum & oleum & tincturam super cineres. Et quando omnia extraxisti & separasti cape totam tincturā quæ ibi erit, quia est magni ruboris, & distilla per balneum & in fundo vasis morabitur ignis in modum gummi valde rubei, quam per discretionem desicca in cera, & imbibe cum sua aqua paulatim & cum suavi calore toties donec valde rubescat & luceat: & dissolue vnum pondus contra sex sive aquæ, & imbibe illud quod vis rubificare ad suam quartam partem per incerationem, imbibitionem & decoctionem, donec sit rubicundissimum: postea pone ad sublimandum, & quod digestum non erit neque tinctum, per virtutem illius ignis Solis eleuabitur in altum & sublimabitur: & quod erit rubificatū morabitur in fundo totum humile, fūsum in massam vermilliam seu rubeam & fixā ex virtute magna & potenti quæ est in igne Solis, quando est elixatum, solutum & præparatum.

De multiplicatione.

Quotiescunque multiplicare vis, debes dissoluere vnam partē tui Elixiris quęcunque sit, & dus partas mercurij sublimati cum copore perfecto, siue ad album siue ad nigrum secundum tuum Elixir, in aquā mercurij simplicis aut compositæ: postea coniunge & congela per balneū, postea pone super igne sicco per septem dies: duos paruo, duos forti, duos fortiori, septimum fortissimo, postea incera cum suo oleo albo aut rubeo: & tuum Elixir erit multiplicatum in tali forma, quod si vnum pondus conuertebat decē nunc conuertet viginti, & ex vna vncia habebis tres vel quatuor. Vide ergo gratiam Dei & mirabilia naturæ.

De furnis & vasis.

Furni & vasa sint facta per discretionem operantis, omnia ad vnus similitudinem. Et debet furnus intus habere vnum bonum pedem & dimidium latitudinis & palmū magnum spissitudinis, factus ex lateribus & argilla aut luto. Et aliquando habebit vnum allutel ad laborandum cum cineribus: aliquando vas aquarium pro balneo vtendo, aliquando vas pro fimo ad putrefaciendum, aliquando fundum super cruce ferrea: & erit tectum desuper tintinnabulo ad calcinandum, aut vsum pro stuba siue hypocausto sicco: & eleuata sint in altitudinē secundū discretionem operantis: & sint rotunda & retro habeāt duo foramina

ut ignis habeat aerē, ut melius ardeat, & antequam habeat portam convenientē
ad ignem faciendū: & habeat ad minus paruum pedem altitudinis, ut ignis ha-
beat suam distantiam ad ardendū quando vas intus sedebit. Et debes habere
cucurbitas, alembicos, & phialas omnia ex vitro Veneto, quod ex soda factū
est, ad hoc ne corrodamur ob vim salium materiae. Et sint omnia vitra densa &
fortia & bene recocta, ut securius possit mysteriū compleri. Et ita cōpletus est
noster parvus liber, unde nomen Dei sit laudatum, qui donat qui
bus illi placet & subtrahit: in cuius manus nos illū
reddimus & committimus in presentem
custodiam.

Explicit totum Continens,

SVM MARIA LAPIDIS CONSIDERATIO ET EIVS ABBREVIATIONES.

Libellus è Gallico in Latium versus fideliter.



Vm ita sit quòd natura per suum continuum cursum in multis eius annis inter mineras diuersa generet metalla, idcirco notandum est quòd si operaretur continuè per suum regimen sine cessatione, illa posset multum abbreviare de suo tempore. Sed aliquando & saepe natura deficit à suo regimine, aut ob calorem & frigus temporis, aut ob nimium humorem aut siccitatem temporis. Quum igitur ingenium & artificium humanum procurans & sequens artem & regimen naturæ, possit multum supplere, cōplere, & abbreviare illius regimen: quumque verum sit quod omnis mercurius est sulphur, sed omne sulphur non sit mercurius: & in suo extrinsecò vel aperto sit frigidum & siccum, declinans ad humiditatem: ergo suum occultum est calidum & humidum declinās ad siccum: ergo suum occultum est sol, & plusquam sol, suū apertum est album, ergo suum occultum est rubeum. Est igitur seipsum concipiens & generans, sicut coagulum in lacte factum, & in eodem die parit. Et sicut fermentū in pasta, & nuit in odore. seruus est fugitiuus & seruus rubicundissimus, qui nigram vxorem accipit, id est continet elementa quando in fouea posita sunt, id est nutritur per ignem moderatum, & ex eorū morte generatur nouus fructus. Vnde apparet quòd seruus fugitiuus est noster lapis procurans nigrescere per suam mortem aut regimen ignis, cum quo omnia sua elementa conuertuntur in eorum contrariū, & inde procedit noster Sol in vna solari reuolutione. Operare igitur cum illo vt natura operatur. Bone fili, Quando natura ingreditur mineras vt creet Solem aut Lunam, non habet in suo initio Solem vel Lunam: sed tantūmodo habet sulfur & viuum argentū Et etiam iuxta sapientes doctores & bonos Philosophos, suum propriū sulfur est creatū ex se ipso, & ex eadē materia illa, & ex calore seu igne celi, & incarceratione minerarum ex cursu Solis & stellarum, & ex influxu & coniunctione celi & elementorū sunt omnes minere genitæ. Et etiam pro certō scias, quòd si dicta materia mineralis non esset intus firmata & clausa ne dictus calor eam nudam cōtingat, nullum opus à natura intentum in suis mineris veniret ad perfectionē. Et ideo fuit admonitio Alchimistarū vt furnos seu fornaces facerent quæ significant firmamentum, & vasa significāt mineras, in quibus est materia mineralis. Et ex hac propria materia operatur natura intus in mineris. hæc propria materia est omnium quatuor elementorum, & non ita vt quis possit dicere quòd sit terra vel aqua vel aer aut ignis, sed vna materia composita à natura ex voluntate Dei qui in se continet quatuor elementa: & ideo dicit Arist. Oportet te elementa leuia, pura & munda miscere super leui igne, & cauere malitiam ignis donec sint coniuncta ex eorum concordia vel sententia. Fiet ergo furnus ex argilla, pilis, & fimo equino cum aqua dissoluto & fabricatur ex lateribus, aut ex terra forti, & spissus, dimidij pedis & sufferens ignem ollæ (souffiant le feu de potte) terræ, rotundus & eleuatus, sesquipede latus intus, & habebit ab igne vsque ad vas pedem paruum: & habebit vnum spatiū vnus tripodis ferri, aut fortis tetræ per vnam regulam perforatam circulatorum vel quatuor coronarum situatarū vna in aliam æquali mensura, ad faciendos quatuor gradus ignis. Vnde ignis primi gradus erit magnus vt anseris ouum magnū & alij augescentes iuxta mensuram, & secundus sicut ouum struthio cameli, & ita alij iuxta hanc mensuram aucti: & maior erit magis quam semipes aut fere vt paruus pes. cogita in corde tuo intelligentiam, Et hoc est quod dicunt Philosophi

loſophi quòd Sol feriat rectè in oculū, id eſt, vt ignis feriat rectè per totū. Et ſuperius erit furnus eleuatus ita vt habeat tripedē ſuper quo dicta materia erit in proprio vaſe: & deſuper tectus erit capitio (chappe) quod circuibit totum furnum, in ſummitate cuius erit foramen quod capiat tres digitos, vt fumus & ignis melius aſcendant ad digerendum dictam materiam quando tranſibit: & habebit portulam iuſtè factam, vt aperiat & claudat quando volet ſentire calorem intus ignis, quæ habebit diſtantiā palmi inter parietes furni & vaſ vbi eſt dicta materia: & ſubtus erit alia rotunda in modum patellæ, vt melius fiat ignis carbonum toto die bis, & ſingula vice bene circundare cum cinere, ita vt pro ſingulo igne pro primo gradu habeat libram vnā carbonū, & debet ille ignis durare per ſpatium centum dierum in tali diſpoſitione vt manus in calore ſuo naturali, & calor furni vbi eſt dicta materia inuicem correfpondeant, & in tali ſpatio temporis dicta materia debet nigra fieri intus & foris, præterquā quòd fortasſe videbitur circumcirca aut foris extra materiam vna pellicula tãquam ſi ad eſſet mercurius, ſed intus eſt tota nigra: & ſunt elementa ſua tota liquefacta & ſimul corrupta & diſſoluta ob ignis æqualitatem, qui non po- teſt aſcendere niſi meſuratè vbi eſt dicta materia, in qua calorē habet æqualē ab omni parte. Et ſecundus ignis tamdiu durabit tantum tēporis vt primus in tali diſpoſitione vt poſſis vaſ tangere vbi eſt dicta materia, & non plus. Et ideo ſi feciſti primum ignem vnus libræ carbonum ſingula vice, facias iſtum ex duabus libris, id eſt ex quatuor libris in die naturali: quia ſi vis facere in qua- tuor vicibus, id eſt de ſex in ſex horas, & qualibet vice vnā libram, poteſ facere. Et in tali temporis ſpatio dicta materia congelabitur in puluerem rubeum aut nigrum. Et ſi in termino octoginta dierum aut circiter audias tuā materiam deſluere ac bullire, bene eſt, & illam conuerſi vt lapillos de iayet nigros: tamen bene credo quòd non faciet uſquam circa primos quinquaginta dies tertij ter- mini qui tunc ſimiliter fieri debet. Et ideo ignis tertij gradus durabit per centū dies vt aliſ cum libris tribus carbonū ſingulo igne, ſic ſunt ſex libræ ſingulo die naturali, ideo fac ex tua diſcretionē, quia dictus calor eſt vt poſſis manum po- nere vbi eſt dicta materia, & non plus. nihilominus vt ad ſingulum gradum i- gnis debes prohibere vnā ex dictis coronis dictæ tegulæ furnelli, vt dictus calor habilius aſcendat in altum ad concoquendū dictam materiam. Et cum dies quinquaginta erunt elapſi, dicta materia per ſuam digeſtionem conuer- tetur & redibit ad albedinē margaritarum lucidarum & vt pinguedo fuſa, quæ tunc dicitur lapis pretioſus ad albū. Sed ſi vis rubificare, oportet te vltra quar- tum gradum tranſire, qui eſt ex quatuor libris carbonum ſingulo igne. Sed me- lius eſt ignem facere ex truncis lignorum ſiccorum & leuium, vt dicta materia ſit rubea abſque eo quòd vitrum fundatur: & ideo tunc debet eſſe in dicta cap- pa furnelli foramen in aſcenſu ſeu in ſūmo detectū, vt melius & fortius dictus calor aſcendat altius vt digerat dictam materiam, qui durare debet à quinquaginta in quinquagintaquinque dies: ergo eſt iſtud ſulfur rubeum, & Sol Phi- loſophorum.

Nota quatuor gradus operationis ignis per hos verſus.

Primus dicatur quòd ſenſus ei dominetur:

Hic non ſufficiat quia nimis prorogat opus.

Senſibus æquato gaudet natura ſecundo:

Tertius excedit, cuius tolerantia ledit.

Deſtruſto ſenſu neſcit procedere quartus.

Capias igitur mercurium veræ mineræ qui per corium tranſierit leporis aut ſimilis, & poſtea per duplicem linteolum, poſtea denuo per corium leporis, & poſtea pone in ouo vitreo philoſophali pleno parū minus quā medietas bene clauſo & lutato ex luto facto ex ſagimine vitri & cineribus &

argilla bene simul contusis, & cum aqua distemperatis. Postea defodias in vale terreo forti, & lutato in medio loci cinerum bene cribellatarum circumcirca ad spissitudinem duorum digitorum, aut plus, postea bene tegas cum suo cooperculo, & luta, & pone ad fornacem, ut superius est dictum. Et hoc est quod Philosophi dicunt, Ignis & Azoth sufficiant, id est, quod ignis & mercurius debent sufficere veraci & perfecto artis inquisitori.

Sunt ergo tria inquirenda de mercurio, id est suum nutrimentum, id est sua dissolutio seu putrefactio, & sua congelatio, quæ est suum nutrimentum, & sua mortificatio per primum & secundum gradum: Secundario debet sua dealbatio considerari, quæ est sua fixatio per tertium ordinem: Tertiò, sua rubificatio, quæ fit per quartum gradum, qui est suus calor ultimus. Et tunc dicitur alkasel, id est quinta essentia genita. Quia ergo humiditas illius mercurij mista est cum sua subtili terrestreitate: quia si corpus non est alteratum, & subtilissimè tritum & purificatum & conuersum in suam spiritualem substantiam, sua virtus quieta non potest extrahi & misceri cum sua subtili terrestreitate, nec coqui per hunc quartum gradum, quoad sit aurum super firmam petram sine extranea mistione. Est ergo hæc medicina: De qua proijce vnum pondus super tres partes Solis fusi, & totum erit conuersum in medicinam: de qua proijce vnum pondus super centum partes mercurij bene mundi, & totum in purum Solem conuertetur. Et potes infinitè conuertere hoc modo: Proijce vnum pondus tuæ medicinæ cum duobus ponderibus puri mercurij, & postea pone ad furnum modo consueto per ignem tertij gradus ad album, & ad rubeum per ignem quarti gradus per spacium quinque dierum, & totum erit conuersum in medicinam talem, quod pro vna vncia medicinæ tres habebis. Et si conuertet vnum pondus decem in prima vice in præsentia vnum pondus ibit super viginti, & secunda vice super quadraginta, tertia super octoginta, & ita in infinitum potes multiplicare & meliorare de sua bonitate, ut rem mirabilem & gratiam Dei.

Quomodo potes abbreviare de uno anno ad dimidium in fermentatione equali.

SCias care fili certissimè, quod potes ex dimidio abbreviare sui temporis per fermentationem: sed non ad meliorandum in sua bonitate: quoniam mercurius solus tenet in se omne illud quod necessarium est illi præterquam ignem & vas. Sed ut abbreviemus de suo tempore, nos ita faciemus.

Primò Solem habebimus, aut Lunam finissimam, & amalgabimus cum viuo mercurio puro & mundo, & bonæ minæræ: postea extrahemus nostrum mercurium extra dictum Solem per corium leporis quanto magis poterimus: postea ponemus dictam materiam inter duas paropsides terreas factas in modum duorum craterorum argenteorum aptando scutellas vel paropsides, ut vna super aliam coniungantur intrando vna in aliam per vnâ lineam: postea lutabis iuncturas, & pone super furnello ad hoc conuenienti per dimidiam horam, postea extrahe & tere bene, & reponere ut antea, & ita toties facias, quod tuus Sol aut Luna sit subtilis sine tactu: postea pascere cum tantillo mercurij puri & mundi, incorporando & conterendo, & aliquoties molendo cum aqua & sale: & qualibet vice seponendo quod ascendit, & reincorporando de nouo mercurio, & sublimando per dimidiam horam, & ne nimis calido utaris, & qualibet vice tali igne, quem possis sufferre ponendo manum

num ad fundum vallis per superius (par deſcure). Et ita toties facias, quòd totum corpus aſcenderit & conuerſum ſit in ſpiritus. Et ſi apparet vt ſilum dacher (chalybis puto) in ſublimatione, reincorpora denuo tum inſimo, aliter totum corrumpetur. Et nihilominus pone & incorpora cum tuo corpore parum petræ ſanguineæ, quæ facit corpora aſcendere. Et quando totum tuum corpus aſcenderit, & conuerſum fuerit in ſpiritus, ponatur in o-uo Philoſophali, & ad furnum ſupra nominatum per tres gradus, id eſt duos meſes pro putrefactione, & duos meſes pro congelatione, & duos meſes pro dealbatione: quia in opere rubei non opus eſt dealbatione, præterquam quòd in ultimo termino facies vnum meſem ignem tertij gradus, & ultimum meſem ignem quarti gradus: & ita opus tuum erit completum, quotieſcunque feceris vt dictum eſt, tam ad rubrum quàm ad album: ſed tamen ne miſceas vnum opus cum alio, ſed fac quòd cunque per ſe. Et fac tuam proiectionem & multiplicationem, vt ſuperius dictum eſt & c.

Quomodo opus abbreviari poſſit ex ſex meſibus, & quindecim diebus, in tres meſes & quindecim dies, per copulationem & matrimonium.

Cariſſime & perfecte amice, nos tibi diximus & dicimus, quòd potes opus abbreviare per fermentationem, vt hîc ſuperius nos tibi oſtendimus. Et etiam potes tu plus abbreviare per copulam, & matrimonium. Quoniam ſi coniunxiſti fermentum cum ſuo ſpiritu, nondum tamen eſt facta vnitas, neque ſtabilitas vnde illorum fructus procedit vſque ad hoc quòd natura pro tempore limitauit opus & ſecretum illorum interiorum per regimen ignis: ſed natura ex voluntate Dei ex ſuo ſecreto regimine aliquas res creauit viles, quæ in eorum apparentia vel apparatu deueniunt multum nobiles. Et illorum opus eſt ita acceleratum in tribus diebus, vt eſſet in tribus meſibus alijs. Et iſtud eſt fulfur & arſenicum, id eſt zarnec vulgare, & ſal armoniacum vendibile: Quum ita ſit, quòd hi duo ſint vnus naturæ ſatis ſimilis: ſed vnum eſt album, & aliud rubrum.

Capiatur ergo vrina cocta & deſpumata, poſtea per alembicum diſtillata, & cum calce viua facias vnum capitellum, & cum cineribus clauellatis, aut tartaro calcinato, quod melius valet & alumine plumæ calcinato: & per ebullitionem trahere totum ruborem & colorem dicti ſulſuris intus mouendo cum ſpatula lignea, aut ſuspendendo cum panno lineo. Et quum habueris totum ruborem, traxeris & depuraueris, congela per alembicum in balneo. Et poſtea habeas patellam latam, (vel ſartaginem) plumbatam, & intus pone bonam quantitatem aceti diſtillati ſuper lento igne diutius, in quo aceto ponatur tuum ſulfur congelatum, & omnes materiæ diſſoluentur, & tuum ſulfur petet fundum, & proſciet pinguedinem nigram deſuper, quam colliges cum penna: & quando erit bene purgatum à ſua nigredine natante, permitte reſidere, & cola totum liquorem: & tuum ſulfur erit in fundo, quod etiam purga ſi non ſatis eſt mundum, vt ſuperius poſtea fac ſiccari. Et erit magis vermiliū, aut rubrum quàm Sol, cui nullum aurum eſt conferendum in ſuo valore, quoniam eſt incombuiſibile, & magni precij.

Sed auripigmentum præparatur per ebullitionem & ſublimationem, vt dictum eſt alibi in noſtro libro. Capiatur ergo vnum pondus illius ſulſuris rubei, puri, mundi, & clari, & duo pondera mercurij coronati, id eſt, cui

Sol sit coniunctus, & factus spiritus, vt superius nos diximus, per sublimationem: quia nos coniungimus in hunc finem, vt mercurius ad se capiat, & attrahat omnem tincturam & naturam corporis, & deueniat de natura corporis: Et ad hoc etiam vt dictum corpus sit attenuatum, & subtile factum vt spiritus: & aliud, vt misceantur vnum in alio per vnā æqualitatem, & naturam, sicut si aqua cum aqua poneretur: & amalgama simul in sartagine plumbea super igne mouendo, & totum fiet puluis niger, quem pone ad vas, vt superius dictum est, per tres menses: Et primo mense da ignem primi gradus, aut parum fortioris, & secundo mense ignem secundi gradus quindecim dies, aut plus, & residuum temporis da ignem tertij gradus. Et primos quindecim dies tertij regiminis, ignem tertij gradus, & alios ignem quarti gradus. Et ne te chaille (puto cures, vel ne mireris) de coloribus qui appareant, quoad sit materia fusa in suo vase rubea, vt grammæ, aut alba vt superius dictum est. Si facias projectionem vnus ponderis super ducentos & quinquaginta saturni amalgamati cum mercurio, erit medicina: Projice adhuc, & tertia projectione erit purus Sol. Et si est ad album, facias super Ioue, & Mercurio: Et multiplicari potest, vt superius dictum est: id est, vt consideres multiplicationem esse completam per ignem sui ultimi termini.

Opus pulchrum, quomodo opus potest abbreviari ex tribus mensibus in sex septimanas.

CAre & perfecte amice, nos tibi dicimus, quod citius vna res conuertitur in aliud, quod aliàs fuit, quàm in illud quod nunquam fuit. Vnde apparet quod valde citius argentum viuum auri & argenti per se conuertatur in corpus fixum, in quo aliàs fuit, quàm viuum argentum, quod nunquam fuit corpus. Et vt veniatur ad hunc gradum festinum, & breuissimum, oportet nos habere argentum viuum illorum corporum, vt citius perueniatur ad nostram intentionem.

Et est intentio Philosophorum dicentium, qui argentum viuum corporum non extraxerit, & illud congelauerit in sulfur album aut rubeum, iuxta suum ordinem, iam nullam viam tenebit perueniendi ad veritatem artis. Ita ergo faciamus: Capiamus de corpore Solis aut Lunæ sublimatorium, & in spiritum redactorum, vt superius ostendimus, cum mercurio, & ponamus in vase vitreo tecto cum suo cooperculo vitreo situato in cineribus lentissimo igne vel calore, pro tanto spacio, vt videatis desuper venire in modum telæ (toye) coloris auri aut argenti, quam collige cum penna, & cum cochleari ferreo paruo bene subtili: & ita continua, & toties collige, vt totum tuum corpus ascenderit, & superius venerit à dicto mercurio, & non amplius telas vel panniculos faciat: & qualibet vice pone tuum mercurium dicti corporis seorsim in modum pulueris, & si fuerit vt argentum viuum, iam non est periculum. Tunc cape de hoc mercurio duo pondera, & vnum pondus istius sulfuris rubei clari superius dicti in alio capitulo, & amalgama simul, & tere vt superius diximus, postea super vitrea mensa, aut super porphido incorpora, & incera cum oleo sulfuris iam nuper, vt supra, facto, postea pone in alembico bene firmato in cineribus super furnello cum lento igne, ac suauis primis decem diebus, secundo fortiori igne, & tertio bene forti. Postea aperias, & si aliquid ascendit, rursus incorpo-

corpo-

corpora & incera vt antea, & erit fixum: fac ita ter, & erit fufum in vafe totum album aut rubeum. Et nifi fuerit fatis leuis fufionis, incera cum dicto oleo, quoad fufficiat, & fac proiectionem fuper Lunam ad rubeum, aut Saturnum, vt fuperius dictum eft: aut fuper Iouem, aut Venerem pro albo: Et potes multiplicare per modum, vt de alijs docuimus, id eft, vt tamen multiplicationes fiant ex tali mercurio, ex quo medicina facta eft.

Oleum fulfuris ita fit.

EXtrahe totam rubedinem fulfuris per eundem modum, vt fuperius diximus, praterquam quod tuum capitellum fiat ex aceto diffillato, loco vrinae. Et quum congelatum fuerit per balneum, mifce & incorpora cum ipfo tantundem falis armoniaci, quod totum pondera, & fuam medietatem calcis viuae, & totum pone ad diffillandum per alembicum fuper furnello in cineribus, & defcendet oleum rubeum, vt carbunculus, feu rubinus, & clarum vt lacryma auri (doril): conserua feorfum bene figillatum. Et fi vis habere pro albo, diffilla cum alumine glaciei calcinato per plures vices, loco calcis & falis armoniaci. Et hoc tibi fufficiat de hoc ordine, in quo nos fuimus bene informati in dicta ciuitate Bononiae per duos religiofos ordinis sancti Benedicti: Et Venetijs fuimus instructi de eo quod fequitur a tribus religiofis Carthusianis nobis reuelantibus, quod fuerit ex arte Ioannis de Rupefciffa,

Opus cum mercurio et oleo anthimonij.

Sciendum eft primo, quod eorum mercurius eft bene fublimate cum fale & vitriolo, & poftea per aquam fortem factam ex vitriolo, & fale petra: & fit dictus mercurius folutus cum medietate fui de fale armoniaci, & tribus vicibus diffolutus & congelatus per alembicum, & qualibet vice fublimate. Et de hoc mercurio ita depurato fepara fpiritum quintae effentiae coloris caelestis per acetum diffillatum, optimè claufum: poftea congela cum dulci igne feparando nigredinem defupernatantem, vel apparentem cum vna pluma, & in ficco hypocausto calcina per dies octo cum dulci igne, & poftea per fuam aquam aut per acetum diffillatum diffolue, & congela per alembicum in balneo, poftea fuper cineribus diffilla fuum ruborem, quoad guttae incipiant albificare laminam, poftea diffolue, & diffilla toties, quoad tinctura tota fit feparata a mercurio, & faeces nigrae projice extra, & ferva fimiliter fanguinem dicti mercurij. Poftea cum aceto diffillato, diffolue. colorem anthimonij bene puluerizati in phiala fuper cineribus calidis per octo vel decem dies, quoad fit bene coloratum, poftea cola, & depura, & congela feparando acetum per balneum. Et quando omnis color extractus fuerit, & per balneum congelatus ad mellis fpirifitudinem per furnellum cum cineribus, fepara totum fanguinem rubeum, qui eft precij inaeftimabilis, & per pondus aequale coniunge cum illo de dicto mercurio: & ita inuicem perfice, & fac putrefieri, poftea fepara elementa, & rectifica, & fimul coniunge hoc modo, vnum pondus ignis, quator pondera olei, & octo pondera aquae, & congela per circulationem omnia fimul: primo circula aquam, poftea congela, poftea labora cum oleo, poftea cum igne, & in hoc nil eft erroris, poftea fixa.

Aliqui illa elementa circularunt, & congelarunt cum illorum quarta ponderis parte fulfuris fuperius defcripti incombuftibilis, Et fulfur fuit curatum

& confectum per elementa, & elementa per sulfur, & fuit lapis Philosophorum precij inestimabilis, & congelauit argentum viuum sine numero. Et amplius dicebant illi, quod diuifim fieri potest de quolibet sanguine per se, & congelare elementa, vt dictum est, aut per æs vftum, per nutritionem dulcis caloris post eorum circulationem, aut de quolibet elemento per se, aut per portionem ordinatam tam bene, atque per sulfur, per solutionem, & congelationem ad quartam aquæ partem, & est medicina inestimabilis & c. Et etiam nobis reuelauit eorum religiosorum vnus per suam fidem, iuramentum, & per suum ordinem, vnum opus, vnde nobis fecit projectionem super mercurium, quod ita factum fuit.

Opus cum mercurio solo, & concordat multum cum Raymundo Lullio in fine sui

Vade mecum.

SIT mercurius optimè sublimatus cum sale comuni & vitriolo, postea cum sale armoniaco per quatuor vices, singula vice terendo omnia simul, postea repone suum armoniacum seorsum quod ascenderit, & cape suum mercurium in fundo totum nigrum, & optimè incorpora vsque ad brachiorum lassitudinem cum tantundem calcis corticum ouorum: postea pone ad sublimandum fortissimo igne, & suus mercurius fuit bene fixus fusus in massam, postea dissolue in aceto distillato, & depura, & congela per alembicum, postea pone ad soluendum super lamina vitrea in loco frigido, vel in fimo, & separa inde quatuor elementa, nempe aquam per balneum; & ignem, & oleum per cineres: & quodlibet rectifica per suam quintam vel septimam distillationem: & terram, & ignem per calcinationem & lauationem cum sua aqua, & toties quovisque sit clarè lucens: & reduc suam aquam, quoad totam ebiberit, & sit bene alba: tunc sublimetur, aut calcinetur, & lauetur per suam aquam, quoad tota sua terrestritas sit separata, & terra clara, & lucens, quam incera & imbebe de suo aere, coquendo, assando, & sublimando de octo diebus in vltius, donec fundatur vt cera, & rubifica per suum ignem. Si vis postea, fac projectionem.

Alia regula, & modus alius operandi.

Fuit quoque nobis reuelatum in ciuitate Mediolani per vnū Theologiæ doctorem & duos notabiles ciues opus tale, seu regula operandi, vt sequitur: Capiatur vitriolum, sal commune præparatum, & mercurius: & sine optimè sublimata quater aut quinquies, a rubricâ, & postea separa spiritum per acetum distillatum, vt dictum est, aut per calcem (seu potius aquam) Iouis, aut Saturni, & per acetum, postea fac aquam ex sale armoniaco ita: Prius optimè sublimetur cum sale comuni, postea facias aquam ita: R. sal petrae lib. semis, alumen plumæ tantundem, dissolue omnia in vrina per alembicum distillata lib. semis, postea fac totum distillare per alembicum, & quum aqua venit clara & lucida pone aliam phialam, & recipe vsque ad consumptionem sui spiritus, & in hac aqua solue sal armoniacum, & fac per alembicum distillare; & bene tamen conseruare spiritus: & in illa aqua solue tuum mercurium & distilla per alembicum: & quum laminam dealbat, recipe separatim, & toties reitèra, qualibet vice soluendo cum ea aqua vel simili, qualibet vice dissoluere, depurare & distillare quoad totum distillaueris bene, & faeces tui mercurij; & terram nigram proijce, & de ista aqua tantum fac, vt satis habeas. Postea habeas de corpore Solari aut Lunari ita calcinato vt diximus, aut dicemus parum post, & tantundem spiritus, id est mercurij hinc superius sublimati, & optimè incorpora, & subtiliter super lamina vitri per quatuor aut quinque dies, qualibet die octo horas, qualibet hora parum quiesce, postea tere, & imbebe

imbibe quolibet die semel tantum bene leuiter, ne puluis spiritalis euolet in aerem ex contritione. Et postea continuabis dictam contritionem per duodecim dies naturales, singulo die per spacium quinque horarum, imbibendo in principio cuiuslibet horæ bene parum de dicta aqua mercurij, & postea incera, continua per quinque dies dictam contritionem, quolibet die horas octo, & imbebe etiam ulterius plus in principio cuiusque horæ parum de dicta aqua mercurij &c. Reliqua scribere omisi ego Gulielmus Grataro lus ob tædium longæ iterationis.

LIBELLVS VTILISS. DE MERCV- RIO SOLO.

Ist lapis vnus, medicina vna, in quo magisterium consistit, cui non addimus rem extraneam, nec minuiamus: nisi quod in præparatione remouemus superflua. Quum enim arg. viuum per nostrum artificium in medicina fuerit præparatum, & in substantiam fulgidissimam fuerit reductum, & super corpora imperfecta fuerit projectum, ipsa sua puritate illustrabit, & sua fixatione perficiet. Mercurius nanque debite præparatus in tantum subtiliatur, & acuitur per præparationem in igne, quod tandem stat, & non fugit ignem, & erit omni subtili subtilius, omni agenti actiuius omni tingenti tingentius, omni penetranti penetrantius: & talem capit naturam, quod quum supra corpus projectum fuerit, propter affinitatem ad ipsum ex natura penetrat ipsum, & inducit sibi nobiliorem formam metalli secundum gradus præparationis diuersos. Studeas ergo, sicut docet Geber, in omnibus operibus tuis argentum viuum semper in commistione superare: quia videmus quod corpora quæ sunt plus de argento viuo continentia, sunt maioris perfectionis: & quæ minus, minoris sunt perfectionis: Quod patet ex eo, quia corpora quæ sunt maioris perfectionis, sunt argenti viui facillime susceptiva, vt aurum & argentum. Inuenimus autem quatuor corpora, scilicet Venerem, Martem, Iouem, & Saturnum, à perfectione diminuta, & in profundo naturæ suæ foeda existere: nec aliud superflui in eis experimur, quum nihil in eis perfectius inueniatur: ideoque arguimus aliquid diminutum in eis fuisse, quod compleri necessario accidit, per naturam eis conuenientem, & diminutum complementem. Est autem diminutio in eis scilicet paucitas argenti viui, & non recta inspissatio eiusdem in eisdem. Complementum in illis igitur erit argenti viui multiplicatio, inspissatio bona, & fixio permanens: Hæc autem per medicinam ex illo creatam perficiuntur. Quarto videndum est de mercurij mundificatione & sublimatione: Dicit Geber, quod mercurij duæ sunt mundificationes necessariae: vna quæ fit per sublimationem ad medicinam, alia per lavacrum ad coagulationem. Si enim volumus ex illo medicinam creare, tunc necesse est ipsum à foetulentia suæ terrestre itatis per sublimationem mundare ne liuidum colorem in projectione creet: & ipsius aqueitatem fugitiuam delere, ne totam medicinam in projectione fugitiuam faciat, & medio crem substantiam saluare per medicinam, de cuius proprietate est non aduri, & ab adustione defendere, & quæ non fugit, sed fixum facit. Mercurius autem crudus super quem projectio fieri debet, lauari debet in aceto calido ad ignem in scutella, & agitari digitis continue, quousque in particulas minutissimas diuidatur, & totum acetum euaporet, & mercurius exiccetur. Tunc projiciatur medicina suæ coagulationis, & coagulabitur in Solificum vel Lunificum

secundum quòd medicina fuerit præparata. Modus autem sublimandi mercurium verior & breuior, est per fæces factas de vitriolo Romano, & sale cõmuni ana, simul aliquantulum ad ignem desiccatis, & postea cum mercurio crudo in mortario bene tritis, quovsq; de mercurio nihil penitus videatur: Quo factò, ponatur hoc totum simul ad scutellam vitream, & superponatur allutel, & ponatur ad ignem: partes autem cuiuslibet horũ trium in pondere sint æquales. (glossula. humiditas euaporatur quovsq; gutta albißima sine fœtore quoq; appareat, postea claude foramen: alij tamen omnẽ humiditatẽ euaporant. Quintò, videndum est de mercurij fixatione: figitur autem mercurius per sublimandi præcipitationem, vt quã ad spondilia vasis adhæserit, deiciatur ad ima caloris cõtinue per alternatas vices, quovsq; figatur. Dicũt quidam moderni, quòd mercurius possit figi per continuationem sublimationis cum sale communi præparato: quo fixato separatur à sale per lotionẽ in aqua: Quia sicut ait Vincentius in Speculo doctrinali, omne sal & omne alumen dissolvitur & separatur à corporibus & spiritibus per lotionem in aqua calida: quæ tamdiu fieri debet, quovsq; falsedo de aqua recedat: tunc enim sal in aqua dissolvitur, & corpus vel spiritus residet in fundo. Hermes autem in secretis dicit, quòd ex omnibus metallis & rebus alijs quibuscumque combustis calcinatis & incineratis, & de cineribus lignorum potest fieri sal, quod ratione subtilitatis & acuitatis suæ figit mercurium. Et si res naturaliter est rubea, sal eius erit rubeum. Fit autem omne sal huiusmodi. Quando res perfectæ calcinata soluitur in aqua, sicut cineres lignorum magis calcinati soluuntur in aqua, de qua ratione igneitatũ quæ est in illis cineribus fit lixiuium. Quum autem illud lixiuium bene desiccatum super ignem in aliquo vase ponitur, euaporat successiue aqua, & remanet res seminigra, & dura in fundo. Hæc res in igne forti soluitur & liquefcit vt metallum. (glossula. ex solutione corporis perfecti in qua calcinatur illud, oritur sal virtutis summæ congelatiuæ, maximè mercurij præparati). Quum autem sic liquefacta fuerit, conseruanda est sex vel octo diebus in igne temperato in vase ad hoc apto, ne pereat, & perdatur: deinde ponenda est ad locum aliquem humidum super lapidem marmoreum, & successiue resoluitur in aquam. Hæc aqua postea ponenda est ad scutellam vitream mundam super ignem lentum, tunc euaporat aqua, & remanet sal album in fundo. (Hic docet fieri salem alkali). Si autem recipiantur cineres clauellati cum calce viua, & fiat lixiuium, & procedatur vterius secundum modum iam dictum, habebitur sal alkali, quod maximè facit ad fixationem mercurij. Aristoteles autem in libro Perfecti magisterij dicit sic, Sicut actiua non possunt suas virtutem demonstrare, nisi cum passiuis fuerint maritata: sic nec spiritus minerales nisi corporibus coniungantur. Corpus verò & spiritus non recipiunt se adinuicem, ita quòd spirituale fiat corporeum, & e contra, nisi vtraque sint ab omni sorde perfectissimè defæcata. Quum verò sic fuerint, eriguntur corpora à spiritibus, & spiritus tenentur & ligantur à corporibus super ignem. Recipiatur igitur vna pars corporis perfectè defæcati, Solis vel Lunæ calcinati, vel minutissimè puluerizati, & tantum de sale alkali vel de alio sale prædicto præparato: quib; duabus partibus addatur duæ aliæ partes de mercurio sublimato optimè purificato, & misceatur simul in aliquo vase ad hoc apto, & ponantur ad ignẽ lentũ ita quòd mercurius nō ascendat, & habebitur mercurius veraciter tandem fixus. Tempus tamen determinatum fixationis nullibi expressè inuenitur. Quum autem, vt ait Geber, Mercurius

Huius fixus est propter bonam partium adhaerentiam, & fortitudinem suae commistionis, quocunque etiam modo partes ipsius inspissentur per ignem: vltterius non permittit se corrumpi, nec eleuari etiam per ingressionem flammæ, quia aut cum tota sua substantia remanet, aut recedit. Hanc autem fixationem oportet fieri, vt dictum est, per ignem temperatum, quia calor temperatus est humiditatis inspissatiuus & commistionis perfectiuius. Ignis autem vehemens est humiditatis consumptiuius, & fusionis turbatiuius. Et quia ignis non est res, quæ bene mensurari possit, ideo contingit in illo errare sæpissime eum qui non est exercitatus.

Sextò, videndum est de mercurij calcinatione. Quum autem mercurius fixus fuerit, ponatur, vt docet Geber, primò ad ignem temperatum, deinde ad fortiozem & fortiozem, & calcinetur quovsq; solvatur in aqua, deinde coaguletur, & iterum calcinetur, & hoc modo fac tribus vicibus, antequam ad commistionem lapidis philosophici procedatur: quod tamen non videtur necessarium, nisi fortè propter medicinæ maiorem efficaciam, & igneitatatis intentionem. Dicit autem Vincentius in Speculo doctrinali, quòd corpora calcinare, nihil aliud est quàm extrahere humiditatem corrumpentem, & intromittere humiditatem igneam rectificantem, per quam est vita eorum, & essentia postmodum stans in igne examinationum. Humiditas autem quæ à corporibus per calcinationem extrahitur, eis postmodum cum mercurio reddenda est. Quanto enim magis res aliqua sicca est & calida, tantò magis bibit de frigido & humido.

Causa autem quare res quasdam calcinamus, est, vt scilicet melius solvantur: & propter hoc solvuntur, vt melius ab eis corpora inspissationem suscipiant in proiectione medicinæ. Vnde dicit Geber: Calcinatio est rei per ignem pulverizatio, cum priuatione humiditatis partes corporum consolidantis. Necessè est enim continuationem partium corporis abinuicem separari, vt ignis possit liberius ad quancunque partem eius minimam pervenire. Causa calcinationis spirituum est, vt ipsi melius figantur, & solvantur in aquam: quia partes calcinatæ magis subtiliatæ per ignem, facilius cum aquis commiscantur, & in aquam conuertuntur.

Modus autem calcinationis spirituum est, vt eis ad fixationem approximantibus administretur ignis successiue, & paulatiue augendo ne fugiant, quovsq; maximum ignem tolerare queant. Signum verò perfectæ calcinationis est, quando res calcinata in aqua calefacta soluitur, & soluta, post evaporationem aquæ coagulatur, & post coagulationem in igne funditur, & iteratò coagulatur.

Septimò, videndum est de lapidis philosophici vera compositione: Mortenius ad Calid Regem sic dicit: Omnis huius magisterij perfectio in captura corporum coniunctorum & concordantium constat. Nam & hæc corpora naturali artificio substantialiter adinuicem coniunguntur, & concordant, & funduntur, & adinuicem recipiuntur, calidum cum frigido, humidum cum sicco, si tamen purum inueniat purum. Et si aqua in terra non inueniat aliud quod admistum, per quod prohibeatur corpus ingredi in suum contrarium: vbi dicit glossa, Vera coniunctio est necessaria, vt corpus nostrum incombustibile permaneat: quod non fit, nisi debita coniunctione elementorum quatuor. Elementa autem verò commista remanent incombustibilia: si non verè coniungantur, comburuntur, nec vnum defendit aliud.

Vnde Hermes in fine secreti sui prout eum allegat Aristoteles in libro Perfecti magisterij, bene scripsit, dicens: Sicut enim hic mundus sensibilis, in quò

sumus, ex grauibus & leuibus, mollibus & duris, calidis & frigidis, humidis & siccis, inter se adinuicem à natura concordia pace ligatis, perpetuus factus est: ita lapis quem prædixi omnem rem vincens & penetrans subtilem & solidam ex eisdem in id ipsum à philosophia, nexu amicabili stante super ignem perpetuus est creatus. Sicut enim non possunt grauiam nisi leuium, nec leuiam nisi grauium consortio, superius vel inferius retineri: Sic non poterit calidum nisi frigidum, nec humidum nisi siccum admistione, quomodolibet temperari, & e conuerso. Quum verò alternatim congruè desponsantur, fit ex eis substantia temperata, quam non potest ignis violentia superare, nec terræ fortulentia vitare, nec aquæ limositas condensare, nec tactus aeris obumbrare. Calor enim & humor, frigus & siccitas, prout dicit idem Aristoteles in Lumine luminum, sunt radix & fundamentum omnium compositorum. In quocunque ergo composito ista quatuor magis concorditer sunt ligata, quòd vnum non multum prædominatur alteri, illud compositum fortius, sanius, durabilius, & efficacius reperitur, vt patet in auro, & in quacunque alia re bene complexionata. Similiter contingit in lapide nostro philosophico: Vnde in Turba Philosophorum dicitur, Conuerte elementa, & quod quæris inuenies. Conuerrere autem elementa, est facere humidum fixum, & fugiens fixum. Quum autem humidum & siccum continuè pertingant se ad inuicem, adipiscetur siccum ab humido facilem impressionem, & acquirat humidum à sicco, vt firmiter retineat impressionem, omnem sustinens ignem. Vnde propter humidum prohibetur siccum à sua separatione: & propter siccum prohibetur humidum à sua fluxibilitate. Subiectum nanque liquefactionis, vbi supra, est humiditas currens, permixta partibus terreis siccis, in quibus moratur, quum resoluit eas ignis, nec moueri potest propter vehementiam coniunctionis. Causa autem euaporationis est humiditas non vehementer terreis commixta. Fiat ergo vehemens commistio humidum cum sicco, alioqui humidum euaporabit, & siccum permanebit non currens. Sed si bene misceantur in humidum, facit currere siccum, & ab eo non euaporabit, & subdit, Permestio fit inter corpora, quæ adinuicem proportionantur in humiditate & ponderositate. Hoc semper verum est, nisi quando humidum cum sicco, & calidum cum frigido miscentur in compositione Elixir. Sed inter Elixir, & illud supra quod projicitur, debet esse similitudo, aliàs non coniungerentur.

Elixir Arabicè, significat quintam essentiam, Latine. Ex præmissis igitur apparere potest, quòd compositio lapidis philosophici consistit in debita proportionem frigidum & humidum, calidum & siccum. Constat autem, quòd mercurius calcinatus est calidus, & siccus, mercurius verò sublimatus tantum qui dicitur aqua permanens, frigidus est & humidus. Fiat ergo commistio istorum adinuicem in debita proportionem: quia sicut in Turba Philosophorum, si conficias absque pondere, mora eueniet: qua eueniente, malum putabitur. Vnde & Aristoteles in libro Perfecti magisterij sic dicit: Caveas ne ad componendum procedas, antequam inuenias componentium pondera completa quia secundum compositionem partium componentium est perfectio corporis compositi. Et licet de proportionem huiusmodi partium componentium doctores huius artis diuersimodè & valde obscure sint locuti: vna tamen proportio videtur esse quam omnes intendunt: Quandoque enim videtur loqui de partium proportionem componentium faciendâ in opere primo ad album: quandoque de proportionem faciendâ in opere secundo ad rubeum, quandoque de utroque simul.

In al.

In allegoria sapientum dantur duæ regulæ generales, in quibus vera proportio innuitur, ut videtur; nam scribitur ibidem, Si camelorum tuorum tertiâ partem consumas duabus tertijs reseruatis, iam ad propositum peruenisti. Item, Si medicinas æqualiter sumas, non sentis errorem. Senior enim dicit, Recipiantur permissiones in principio operis æqualiter & terantur, deinde desponsentur. In Turba autem Philosophorum sic dicitur: Coquite & imbuite terrâ cum tertiâ parte aquæ permanentis, quâ ad imbuendum reseruastis: quam desiccata imbibite septies de residuo, donec aliæ duæ tertiæ finiantur: Deinde ipsam calido imponite igni, donec terra extrahat suum florem. Quoties autem cineres imbuitis, toties per vices desiccetur, & humectetur, donec eius color ad illud quod quæris conuertatur. lubeo autem vos non simul aquam fundere, ne Elixir submergatur. (Hic est opus.) Accipiantur ergo in nomen Domini pro toto opere quatuor partes æquales mercurij sublimati, bene purificati: figatur vna illarum partium & calcinetur, quousque totaliter solubilis fiat in aqua: cuius veritas probari poterit in aliqua eius parte: quæ si sic solvatur, calcinata est satis. Et idem poterit de alijs partibus calcinatis præsumi.

Expediit tamen ad maiorem cautelam, quod mercurius sic perfectè calcinatus adhuc in igne forti per dies aliquot teneatur, ut maiorem intentionem caloris acquirat. Huic toti parti perfectè calcinatae, addatur vna pars de tribus partibus residuis mercurij sublimati non fixi, & imbuatur cum ea successiue tribus vicibus de septimo die in septimum in vase vitreo, vel alio ad hoc apto clauso, in calore lento: ne videlicet mercurius non fixus ascendat. Postea facta tali commistione, quæ fit circa diem quadragesimū secundum, putrescit & denigratur: deinde in alijs quadraginta duobus diebus successiue dealbatur, & tandem generabitur lapis albus. Qui si fusionem præstat facilem cum ignitione, perfectus est: si verò non præstat fusionem huiusmodi, & forsan summa volatilis mercurij, quæ fusionem præstat, vicerit summam fixi, tunc de summa fixi ingenietur addi, & è conuerso: & fiat fixū volatile, vel volatile fixum, quousque fusionem præstat facilem, ut dictum est, cum ignitione. Hæc medicina coagulat mercurium crudum in Lunam perfectam, & dicitur fermentum ad album: sed fermentum fermenti ad rubeum. Transmutat etiam hæc medicina alia corpora metallica imperfecta, purificata prius, & liquefacta, in Lunam perfectam. Et opus ad album est in hoc completum. Et quia, ut ait Senior, opus ad album est initium operis ad rubeum, & est vnum opus, licet plerique alij dixerint esse duo. Procedendo igitur ad rubeum, recipiatur lapis ille albus, & ponatur ad ignem successiue fortiolem, quousque primò citrinum, deinde rubeum, deinde quasi sanguinis adusti calorem acquirat: Quo viso, recipiantur residuæ partes duæ mercurij sublimati non fixi, & teratur & imbuatur hic lapis rubicundissimus cum eis successiue sex vel septem vicibus de septimo die in septimum in vase vitreo, vel alio ad hoc apto bene clauso in calore lento, & conseruetur quousque fortiolem ignem possit pati, & lapis rubicundissimus generetur: qui si fusionem præstat facilem cum ignitione, hic lapis omne corpus metallicū fustum, vel arg. viu. & signanter verum argentum fustum, ut ait Morienus, in purissimū aurū tingit. Rubor nanque in illa lapidis albedine continetur. De ista autem medicina ad rubeum loquitur Geber sic: Solaris, inquit, medicinæ præparatio est cæ maiori sagacitatis industria, diuturnioris laboris instantia. Accipe ergo partem lapidis tibi noti, & partem lapidis non fixi perfectissimè per sublimationem mûdati, & cum ingenio coniunge per minima, quousque eleuetur cum ea (hoc est dissoluendo in aquam) & iteratò cum illa figatur, & stet: Dehinc fixum volati-

le fiat, & iteratò volatile fixum: & totiens fiat fixum volatile, & volatile fixum, quovsq̃ue fusionem præstet faciem cum ignitione. In hoc ordine completur arcanum preciosissimum, quod est super omne huiusmodi scientiarum arcanum, & thesaurus incomparabilis. Et quanto huiusmodi complementi ordo reiteratur pluries, tanto medicinæ huiusmodi exuberantia magis multiplicatur. Ex reiteratione autem præparationis medicinæ huiusmodi, resultat bonitas alterationis, multiplicatio: ex diuersitate reiterationis operationis super lapidem in gradibus suis, resultat multiplicationis bonitas, alterationis diuersitas: vt ex medicinis quædam sui duplum, quædam verò decuplum, quædam centuplum, & quædam millecuplum, & sic in infinitum, Solificum verum & Lunificum, transmutet corpus metallicum vel arg. viu. præparatum. Hanc artem cū maxima laboris industria, & diuturnitate meditationis immensæ, inuenies: & sine illa non. Nos autem ista cum laboris instantia perquisiuimus, & oculo vidimus, & manu tetigimus: benedictus sit Deus gloriosus. Docet autem Geber hanc medicinam fieri per additamentum sulfuris fixi, sublimati, calcinati, & perfectissimè purificati, & omni adustione priuati: quod tamen non credo de vera intentione ipsius fuisse: quia de intrinseca natura mercurij est, vt idem Geber dicit, quod confert tincturam exuberantissimæ rubedinis, & fulgidi splendoris. Et dicit etiam, vt superius dictum est, quod in profunditate argenti viui sulfureitas quædam inadustibilis conclusa est, quæ ab ipso, nullo artificio vel ingenio tolli potest. Igitur additio sulfuris non videtur ad hanc medicinam necessaria. Si verò aliquid addendum foret ad intēdendum tincturam rubedinis, crederem ad hoc magis valere aurum calcinatum, quàm sulfur. Octauò videndum est de medicinæ proiectione: vbi sciēdum quod medicina debite præparata, quando supra corpus metallicum fustum, vel supra arg. viuum calefactum projicitur, ratione subtilitatis & igneitatatis metalli figit & decoquit, inspissat & coadunat. Inspissando autem & condensando pondus præstat: partes verò terreas magis crassas pro scoria relinquit. Cuius ratio est: quia quum medicina ista sit ex subtilissimis partibus mercurij, ipsa quærit in metalla suum comparem & sibi similem propter affinitatem & amicitiam naturalem. Vnde quantò plus illud metallum examinatur, funditur & probatur, tantò purius & lucidius efficitur. Quia per talem probationem abiicit sordes non coctas, neq; omnino transformatas, quæ propter nimiam terreitatem non erant aptæ transformari. Nam sicut venenum aliquod ratione actiuitatis suæ inficit & immutat, & penetrat totum corpus per intima sui in quod mittitur, ita hæc medicina ratione actiuitatis suæ igneæ, & ratione conuenientie naturalis, quam inuenit in corpore supra quod projicitur, cum natura naturæ congaudeat suæ, modo quo prædictum est, penetrabit. Et inde est, quod materia huius medicine in Turba Philosophorum venenum à Philosophis nuncupatur. Si verò medicina aliqua in proiectione ingressum non habuerit, tingatur in aqua mercurij, & habebit ingressum. Hoc autem lapide utebantur Philosophi, cuius beneficio longiori tempore viuebant. Præseruat enim corpora ab infirmitate, & reddit hominem semper hilarem, & præstat ei faciem iuuenilem, vt scribitur in libro Pietatis. ¶

Laudetur ergo Deus in æternum, super omnia benedictus, exaltatus in secula seculorum.

Huc Epilogi brevis loco referri possunt illa 17 carmina: soluere, purgare, & c.
Laua

L Auacrum mercurij secundum Geberem: Sumatur patella vitrea vel terrea & in ea mittatur arg. viu. super quod fundatur aceti parua quantitas, vel alterius rei consimilis, quæ sufficiat ad illud cooperiendum: postea mittatur ad lentum ignem ne ferueat, & agitetur continuè cum digitis super fundum patellæ, vt diuidatur arg. viu. in similitudinem pulueris subtilissimi albi donec totum acetum euaporauerit, vel arg. viuum recedat: postea verò quod faculentum vel nigrum videris ex illo emanasse, laua & abijce: & hoc iterata vice multiplica, quovsq; videris colorem terreitatis suæ in clarum, mistum albo & caelestino colore perfici.

Alibi vidi sic: Tere mercurium cum sale communi in mortario vitreo, lapideo, vel ligneo, donec sal denigretur: postea separa salem cum aqua calida.

Vltior doctrina de mercurio siue argento viuo: cuius primò ablutio & calcinatio & sublimatio ponenda est. Ipsum enim sic abluatur: Coque argentum viuum in oleo per diem, & ablue ipsum cum aceto distillato, & cum alumine, & cum sale armoniaco, & erit bonum. Si coxeris eum cum vrina erit bonum & album vt speculum: quòd si illud quod cum ipso volueris præparare non fuerit sublimatum, sublima ipsum. ablue ergo ipsum hoc modo, & est bonum: & hoc est vt mortifices ipsum argentum viu. cum atramento & sale, & sublima ipsum in aludel, cuius caput sit amplū & fundum angustū: deinde fiat aqua vehementer feruens, & proijciatur arg. viu. in ipsam, viuificabitur enim: proijce ab eo aquam, & operare cum eo: & si vis, sublima ipsum iterum: & sinò, vtere eo viuo sic: neque bonum est operari in aliqua re, nisi hoc modo. Rasis in libro 61. de 70.

Sublimatur autem secundum Socratem sic: Sume ex mercurio libram vnā salis armoniaci sublimati semel vncias decem, aluminis albi vncias decem, drachmam gypsi ad pondus omnium. Hæc omnia super tabulam vitream posita mista conterantur: deinde in panno posita cum calce super prædictam tabulam fortiter exprimantur, donec particulatim cadant: & postea optimè conterantur super grandem tabulam, & desuper fundatur acetum tubeum distillatum, & misceatur cum eis donec tubeum fiat sicut cinis. Hæc omnia sublimabis cū salegemma & talco bene tritis: aut si volueris, appone limaturam ferri: prolongabit enim eius sublimationem. Deinde, postquam acceperis eius humores, sublima ipsum iterum, aut cum spongia sursum in capite, aut cum foraminibus in capite, quod melius est: sintq; foramina tantæ magnitudinis, quorum capacitatem repleat digitus medicus. Quumq; puluis egredietur, fac ignem vehementem, qui sit in medio: sublimabitur enim: cum puluis cessauerit, remoue ignem, & cum infrigidatum fuerit, aperi: & quod in scutum adunatum fuerit, sume. Quòd si fuerit eius pondus cuius est sal armoniacus, vel parum minus, id completum est. Et si imminutum fuerit, quantum est tertia pars vel media, reduc ad sublimationem, donec consumas totum salem armoniacum. Impossibile est enim quin aliquātulum arg. viu. cum eo sublimetur, reconde ergo ipsum. Hic est enim eius sal armoniacus sublimatus. Reduc ergo vas illud ad ignem, & claude caput optimè, & fac ignem maiorem, & sic dimitte per totum residuum diei, post permittè infrigidari, & aperi, & accipe illud quod sublimatum fuerit, & pondera. Et si est tantum quantum arg. viu. scias quòd illud quod remansit est faex: ipsum sume quod sublimatum est ex eo & repone, deinde tere faeces illas & reduc ad ignem ad sublimandum, & quod sublimatur ex eis sume & coniunge alijs: hoc enim est arg. viu. sublimatum. Hoc fac ter: cuius hæc est probatio, vt ex hoc arg. viuo vncias quatuor sumas & salis armoniaci sublimati vncias

P

vnam, & optimè tere, deinde in crucibulo tenui funde. quòd si se soluerit & fixum fuerit, massam quasi albi plumbi factam esse scias: & si non, reduc ad opus: & hoc est argentum viu. completum. Quum in eo est hoc signum ante septem sublimationes: non est tale argentum super terram.

Sublimatur sic secundum Platonem. Sume de arg. viu. cum oleo abluto lib. vnam, & cum vrina & cum aceto in quo solutus sit sal armoniacus, postea sume de alumine & atramento tantundem, & extingue cum istis, & vnciam vnam salis armoniaci, & projice super acetum, deinde tere bene cum limatura & talco & auripigmento, & merdesenz idest calce viua, quorum vnūquodque sit tantū quantum ipsum est: postea sparge sal in fundo aludel, & sublima cum igne debili donec remoueaturs eius humiditas, deinde vigora ignem per dies, & noctes duas, & permitte infrigidari, & sume quod sublimatum est ex eo, & itera medicinas & operationes tribus vicibus, & ipsum sursum, aut si volueris fundetur. Secretum est in omni re quæ sublimatur vt fundatur: hoc enim signum est quòd perfectum est, deinde repone fæces donec præcipiā quod de eis facies. Et si ita iteraueris super arg. viu. sublimationem, fiet bonum Elixir in quarta: & in tribus reliquis fiet fixum, vel affirmabitur tibi affirmo. Deinde sume fæces, & tere & sublima eas, & sume quod remanet ex eis arg. viu. Et hæc est vna de bonitatibus eius. Alia verò est, quòd si proiectum fuerit baurac parum super ipsum, & feceris ipsum descendere, descendet argentum fixum. Vel secundum alios laua ipsum septem sublimationibus cum septem coloribus, cum oleo, cū vrina, cum sale distillato, cum aceto sublimato, postea cum oleo, deinde cum vrina, postea cū aceto, deinde cum aqua. Postea sume de alumine, quantum est medietas arg. viu. & atramenti Aegyptij tantundem, & tere totum in tabula vitrea terendo cum aceto sublimato, cū sale armoniaco, & super ipsum quotiescunque roras projice vnciam vnam (alibi drachmā vnam) salis armoniaci, hoc fac donec totū fiat sicut puluis. Dein sume calcecumenon, tale, limaturā plūbi, limaturā ferri, limaturā aeris rubei omniū ana quartā libræ partem: tere omnia cū argento viuo mortificato vel extincto, & rora ipsum cū aceto in Sole, donec siccetur: & quū siccatum fuerit, ipsum bene tere, deinde sparge super ipsum in fundo aludel librā vnam salis gēmae: & postquam remoueris humorem, sublima ipsum cum igne per duos dies & noctes, aut per duas noctes & vnum diē, si fuerit fortis. Deinde sume quod sublimatū est de eo, & tere & itera operationem super ipsum, donec assumas: deinde itera operationē super ipsum cum alijs medicinis septies: sublimabitur enim fusibilis massa ita alba vt lac: fac ipsum descendere. descendet enim argentum bonum.

Congelatio mercurij. R. salis alkali, salis gēmae, salis nītri, salis cōmunis præparati: tere insimul: de hoc puluere pone in crucibulo ad spissitudinem digiti, aut plus, postea de mercurio, deinde de puluere illo, & claude crucibulum plenum, luta & exicca lento calore, deinde pone intra quatuor carbones accensos: & quando erunt extincti, accende alios quatuor, & ita fac per diē naturālē, & inuenies congelatum.

Congelatio arg. viui cum sublimatione & mortificatione sub fimo. Accipe arg. viui quantū vis, & tere cū aceto acerrimo parum vt non mortificetur, & pone sub fimo decem diebus, vt melius subtiliētur omnes eius partes propter humiditatem fimi, deinde extrahe & distilla in cinere semel humiditatē aquosam quantū potes: postea iterum tere cum aceto acerrimo sicut prius, & dimitte sub fimo nouem diebus: deinde distilla ipsum quantū poteris distillare de humiditate aquosa & adustiuā, id est separa illam humiditatē aquosam, & acetum corrodit partem humiditatis aquosæ, & corrodit partem adustiuam totam. Iterum fac sic

fac sic tertia vice: & imbebe ut prius de aceto acerrimo, & dimitte sub fimo 5 diebus, quia melius separantur per humiditatem fimi humiditates aquosae ab arg. viuo, & acetum corrodit magis. Deinde ipsum distilla quantum poteris tertia vice. In ista tertia vice erit mortificatus & congelatum quasi coagulatus ab humiditate sua, quae est deleta beneficio aceti & humiditate fimi & distillationis. Postea iterum tere cum sale communi resolutum in aqua & sicca in cinere duodecim vicibus, quia si de humiditate aquosa aut adustiva aliquid remanserit, aqua salis corrodit & desiccet ipsum & attrahit, dum teritur & imbibitur & desiccatur cum aqua salis, & pondus diminuitur grauedinis suae, quia sal est constrictivus, & desiccativus. Siccando pondus arg. viui, & diminuendo, se congelat & constringit beneficio aquae salis, quae constrictiva est, donec habeat duritiem argenti boni mineralis. Pars una de eo, multas partes aeris dealbati & mollificati in Lunam purissimam conuertit.

Modus congelandi ipsum absque medicina est, ut impleatur ex eo vas forte usque ad summum, cuius caput cooperiatur cum sale & calce, & albumine oui, & permittatur siccari, & sub eo accendatur ignis a mane usque ad noctem: postea considera ipsum, & si inuenieris ipsum fluxibilem, accende ignem sub eo per alium diem, deinde extrahe ipsum, & inuenies ipsum lapideum qui funditur sicut funditur plumbum, & est albus sicut argentum: nec est differentia inter ea, nisi quia cito funditur. Funde ipsum & proijce in sale m solutum, donec dure scat & fiet argentum. Hic debes notare, quod non debes lutare vas, nisi quatuor digitos eius, quia per vitrum potes considerare a parte extrinseca, & debet firmare caput, ne a loco suo moueatur.

Congelatio ipsius sine sublimatione sic fit, Accipe de eo quantum vis, & mortifica ipsum cum rebus adurentibus peruijs, id est cum sale communi & alumine iameni & atramento & sale armoniaco & aceto acerrimo, & aceto mali granati, & sorbarum & mali siluestris si erit ad Solem: Et si erit ad Lunam, cum sale communi & alumine iameni & aceto acerrimo, ut adiuuent ad mortem suam & limatura ferri: quia haec omnia supradicta sunt desiccativa & constrictiva, quia desiccant & constringunt ipsum usque in finem sui complementi, scilicet sublimationis, solutionis, & congelationis. Et quum mortificatum fuerit pone & imple cannucum de canna, id est cannucum de ferro, id est de acerio (seu chalybe) & imple eum & pone in foueam, id est in ollam factam ad modum cannucci de ferro longa, & imple eam de plumbo, & funde donec cooperiat cannuccum, & dimitte per quatuor dies in igne cineris, semper proijciendo una hora post aliam de sulfure viuo quando minuitur sulfur, & semper cooperiendū vas cum aliquo coopertorio, donec fumus, qui dicitur odor sulfuris, vel oleum sulfuris viui, quod est subtile & penetratiuum per poros ferri extrahat secum odorem plumbi penetrando ferrum & claudendo, id est oppilando poros ferri ut non possit exire argentum viuum, & necat ipsum in cannuco intus detritendo & desiccando humiditatem aquosam vel adustivam donec nihil remaneat in cannuco nisi substantia arg. viui. Et istud opus congelationis arg. viui, est melius quod sit. Deinde extrahe frustum rubicundum si erit ad Solem: & si est ad Lunam, facias cum odore stanni, & cum odore arsenici citrini, & reconde hunc mercurium ad horam necessitatis componendi Elixir albi vel rubei. Postea solvatur & misceatur cum aqua calcis Lunae: distilletur & congeletur, & erit Elixir.

Mercurius sic calcinatur, Accipe calcem corticum ouorum partem unam, aceti partes decem, & coque sicut aquam alkali, & coque intus argentum & efficietur calx: quomodo valet magis laboratum, Sanguis humanus puluerizatus

tenet vcharic super ignem. Fumus Lunæ congelat mercuriū. Idem videtur de fumo cuiuslibet metalli, quā eorum fumus sit ex natura sulfuris. Fumus marchasitæ congelat arg. viu. quod sic fit, R. marchasitæ aureæ, mercurij, salis, ana: ea fac stare ad ignē lentum: deinde vigora ignem, & hoc fac per tres dies naturales. Marchasita dicitur apud Gallos glace de staing, apud Germanos, Vissemacq. Plumbum solo odore congelat mercurium, quod sic fit: Accipe vas vitreum & pone intus de mercurio quantum vis, quod vas bene sit lutatum cum forti collo, & pone in vase terreo, in quo bulliat plumbum super ignem carbonum à mane vsque ad mediam noctem, & in hagozo pone de sale armoniaed cum hirco (puto cū sepo) quantū vis, quoniam tantum inuenies, vt sit mercurius pone drachmas quinq̃ue de puro, de quantitate plumbi curandū non est: (glossa. plumbum de affidez. id est cerussa, & plumbum de alcosol, quod dicitur anthymonium, & plumbū de lithargyrio, & plumbū de serenez & almarchasita, hæc congelant ipsum subito. Et res bonæ eum desiccantes sunt sal & alumen, & gallæ, & cortices granatorū, hæc subito stringunt ipsum), Calcantus optime congelat mercuriū, inquit Bacon Rogerius. Milium Solis bene tritū sparge super mercuriū, nam tenet ipsum super ignem. Si vis coagulatum durū facere, accipe de puluere pumicis & salis gēnæ, salis armon, ana, & fac quod super ignē recipiat mercurius fumū eorum, & fiet durus vt stet malleo: & forte hoc faciet ipso prius mortificato & non mortificato. Item mercurius restringatur sic, Accipe de scillis (siue thecis) fabarū cum frōdibus & floribus, & extrahe succum, & cum eo laua mercuriū in vase vitreo multum, & ita fiet mortuū.

Modus bonus congelationis mercurij cum odore stanni: Fundatur stannū vt depuretur: post in ipso fuso ponatur forma ligni rotunda scilicet in modum pistatorii, & quasi plani, & ponatur vsque quasi apprimendo ad fundum vasis in quo sit stannum infusum, & quādo est prope congelatum extrahatur forma, & remanebit ibi concauitas formæ, in qua subito ponatur arg. viu. quod primò sit colatum per pannum lineum, & ligatum in panno lineo ponatur in formula, illa cooperiatur & infrigidetur: quo facto extrahatur & iterum fundatur stannum, & fiat vt supra, sed non mittatur in concauitatem cum panno, sed sine, & tunc cooperiatur donec frigeat, & ipso infrigidato separatur cum digitis & vnguibus pollicis à stanno, & isto modo fiet eius congelatio, sed hoc est pro albo. Aliqui post congelationem in stanno cum calce corticum aut cineribus interposita fundunt in crucibulo super ignem, & proijciunt in aquā salis communis & vrina & aceto, & est pulchrum. Sed alij post congelationē ponunt in canna longa ferrea mercuriū cum calce ouorum & tartaro calcinato & sale cōmuni, & bene claudunt vas cum suo cooperculo ferreo: & bene lutata cum bono luto circa vas & pone in forti igne, & ita fac intus fundere, deinde proijce in aquam salis communis & vrinae & aceti, & erit albus clarus, & poteris inde facere vasa.

Malleabile sic fit arg. viu. Ponatur stratus salis combusti vt supra: præparetur sal in crosolo, & imponatur mercurius vt supra, & circūfiat stratus salis præparati, & ponatur in forti igne per vnam horam vel minus, & extrahe, & erit malleabile.

Calcinatur postea sic, Fundatur in tegula & semper agitetur, & sic dum erit calcinatum totum, & longam postea faciat moram in fornace donec fiat albi coloris. Itera igitur sic, & omne complementum habebit: Accipe puluerē lithargyrij & calceumenon ana partē vnā, dictæ calcis mercurij partes octo, macerentur cum prædicta aqua vitrioli & pone in crosolo super fortem ignē per vnam horam & plus, & erit perfectum, Soluitur autem sic: Fac capitellum tale

tale, accipe magna ossa animalium & combure, & partes solidas accipe, & spongiolas projice, & de ipsis partibus solidis fac calcem ad modum calcis corticum ouorum: & accipe calcem & clauellorum tritorum ana partem vnam, & super his puluerizatis fundantur tres partes aceti fortissimi & distillantur, in quo mercurius malleabilis fundatur in crofolo, & erit clarissimus.

Accipe puluerem plumbi, puluerem stanni, vrinam pueri, acetum fortissimum, salem gemmam, salem nitrum, salem armoniacum, atramentum, oleum amigdalorum amaratū, & simul omnia misce ad modum vnguenti, & pone libram vnam argenti viui cum vncia vna aluminis, & hæc omnia in olla posita per septem dies dimitte, & in octaua extrahe, & argentum viuū super lentum ignem pone donec congeletur. Congelatio.

Præcipitatio mercurij: Accipe argentum viuū sine sublimatione & pone in canna ferrea vel vitreata longitudinis vnus brachij vel plus, quia tanto melius, & etiam melior est ferrea quam canea: pone in fornace carbonum. Quum recesserit ex argento viuū humiditas, discooperies os cannæ, & cum virga ferrea remouebis intus à canna id quod ei adhærebit per sublimationem in fundo cannæ demergendo, semper augmentando ignem, & ita faciendo donec plus non ascendat, quod frigidum extrahe, & cum ipso mitte aliquantulum crystalli igniti & puluerizati: Et postea accipe calcem viuam albam ex marmore quam impasta cum aqua communi, & pone in crofolo, in cuius medio fac foueam in qua prædicta pone, & mitte in fornace vitreariorum & dimitte diebus decem donec videas vitrum factum: post extrahe, in eo videbis vesicas aereas (acans) deinde fac aliud vas de calcina duplex, & pone in crofolo, & luta cum terra de Valentia in qua sit medicina, sic cooperatum & lutatum pone in fornace vitreariorum, ibique sit diebus viginti, post extrahe, nam inuenies carbunculum.

Argentum viuū soluitur sic: R. salis armoniaci & spumæ maris partes æquales, tere bene & consperge de eis in cucurbita vna, & pone argentum viuū desuper, & quod ex eo remanserit inuolue ipsum, & distilla cum igne debili, & distillabitur in primis aqua alba in qua non est utilitas, postea vigora parumper ignem, & distillabitur aqua argenti viui, licet in principio fuerit viuū aut sublimatum.

De modo cibandi argentum viuū cum limaturis, scilicet stanni & plumbi tam ad Solem quam ad Lunam. Accipe argenti viui quantum vis, funde plumbum, & postquam erit fusum, projice super ipsum tertiam partem de argento viuū & tere, quia bene teritur, postea tere cum sale communi optime præparato & in aqua soluto, & sicca septem vicibus terendo & imbibendo & desiccando: postea tere cum aceto & sicca alijs septem vicibus, quia per siccitatem salis & aceti humiditas aquosa & adustiua deletur perfecte. Deinde cera cum aqua salis soluti in aqua aluminis iamenti: de hac aqua cibata ista cerantur, & pone sub fimo quinque diebus: ipsum enim soluitur & mutatur in aquam: postea distilla cum amplo alembico quatuor vicibus aquam claram subtilissimam & odoriferam, & iam mortificatum est argentum viuū cum plumbo: Et sic poteris sublimare cum limaturis omnium corporum. Et si erit ad Lunam cibatur cum limatura stanni (seu gelatur) & soluitur cum sale communi & distillatur eodem modo sicut superius dictum est: Deinde solue atramentum rubificatum cum vrina pueri duodecim annorum & distillata quatuor vicibus: postea pondera libram vnam de aqua ista, & misce cum tanta aqua argenti viui cibati cum plumbo, & dimitte sub fimo per tres dies, ut bene incorporentur: postea distilla semel preciosissimam aquam argenti viui cla-

ram rubeam cum citrinatione, & ad Solis calorem congela. vna vncia, septuaginta vncias aeris preparati mutat in Solem obrizum. Et si rubificetur argentum viuum melius est quam alio modo. Eodem modo facimus ad Lunam cum alumine iameni, & sale communi: Et vna vncia mutat aeris, vel stanni quinquaginta.

De crucibulo quomodo fiat, Accipe acerium: fac fieri crucibulum ad modum crucibuli terrei absque vlla diuersitate, nisi quod habeat caudam longam, per quam teneatur, duarum palmarum, vt possit teneri super ignem ad bulliendum res in opere alchymico, & habeat cooperculum vt ingrediatur vnum in aliud hoc modo: Primum habeat cingulam vnā in circuitu rotundam, vt possit ingredi aliud cooperculum, Hæc bona sunt ad congelandum argentum viuum.

Libri experimentorum, qui est de 27 de 70 libris Rasis: Et est optimum capitulum, sed oportet alia primò uidisse.

In hoc libro dicam capitula composita ex elementis quæ præmissa sunt. Sume in primis de sulfure extracto à specie quam tu vis, rubificato vel rubificato, & tere ipsum bene in tabula vitrea die vno aut duobus, & imbibe ipsum ex oleo illius speciei distillato & albificato quatuor diebus, quinque quum desiccabitur, tere & imbibe ipsum, & assa inter duo vasa: & ita facias donec fiat sicut cera. Deinde sume ipsum sicut ceratum, & pone super omnes duras partes eius & mediā, quatuor partes argenti viui de lapide, ex quo extraxisti sulfur, & fac vnāquāque speciem cum sua specie, & quodcunque genus cum suo genere, neque diuersifices ea, quoniam errabis. Tuum quoque argentum viuum sit congelatum cum aqua lapidis: Ambo verò cerata simul iunge, & tere bene & imbibe bene ex oleo & diu tere, & assa ea cum igne parum fortiori: fient enim dura. Deinde tere ea bene, & pone super ea salē armoniacum qui fuit rubificatus cum igne lapidis, & imbibe postea bene, & renoua quaque die stercus inhumando, soluetur enim & fiet aqua rubicunda, sicut sanguis: fac ipsum cogelari in vase vitreo cum tenui igne: & quum congelabitur tere ipsum bene & imbibe ipsum ex aqua sedine & dissolue ipsum, & postea congela ipsum, et ita facias ter: proueniet enim tibi ceratum. Quod super Lunam proijce, quoniam ipsa fiet Sol, aut proijce super duo plumba aut super ferrum & conuertet ea in Solem. Et hæc quidem est via quod colorat rubificando. Scias ipsum. Via autem eius quod albificando colorat est huius conuersa: Et hoc est vt sumas de eius argento viuo albo sublimato quatuor partes, & de sulfure albo partes tres, & tere eas bene, & pone super eas de sale armoniaci albo extracto ex lapide partes duas, & tere hoc totum bene & imbibe ex aqua salis armoniaci soluti bene, & assa ipsum leui assatione, & hoc fac ter, sed qualibet vice sit assatio vehemētiore. Deinde post hæc tere ipsum bene & imbibe ex aqua salis armoniaci, & dimitte stare cum suo humore, & pone in vase vitreo, post & inhumando et muta stercus quaque die, et fac sic donec soluetur: Postea tere ipsum et congela: ignis verò sit tenuis donec congeletur et fiat album siue cineritij coloris: Et si color ille fuerit in eo, redi ad terendum, ad assandum et congelandum donec congeletur, et sit album: prius tamen ipsum solue vt fiat aqua currens, & non sit massa neque turbidum, & egredietur ceratum & multum album. Cuius vnā partem super decem millia Veneris rubeæ proijce, & fit Luna. Hæc est sententia eorum qui operati sunt cum argento viuo et sulfure: Eorum verò qui cum argento viuo solum operantur, operatio talis est vt sequitur. Sume de argento viuo sublimato fixo, et de argento viuo soluto partes æquales, fixum verò tere et imbibe ipsum ex soluto

luto et tere ipsum bene et assa leuiter: hoc fac donec bibat illud solutum rotum: deinde tere ipsum, et imbebe ex soluto terendo donec fiat sicut medulla et tamdiu imbibas ipsum donec tantum bibat quantum ipse est, et assa ipsum inter duo vasa cum igne forti: et si emiserit fumum, redi ad terendum ipsum et reduci ipsum ad opus sublimationis, donec fundatur in vase inferiori: fiet enim rectum, & non emittet fumum: Ex ipso projice, quoniam colorem bonum efficiet: postea imbebe ipsum etiam ex sua aqua & tere bene & solue: Soluetur paruo tempore, postea congela ipsum, & projice ex ipso super quodcunque corpus volueris: faciet enim mirabilia, & præcipue super ferrum: ipsum enim mollificabit & conuertet in Lunam rectam.

Eorum verò qui cum solo sulfure operantur, operatio est talis: Sume de albificato & sublimato quatuor partes & imbebe ipsum ex sua aqua, aut ex aqua argenti viui. Quod si volueris ut ipsum solum sit ex sua aqua solummodo: & fac de ipso sicut fecisti & non diuersifices: ipsum enim faciet plumbum & stannum & es, Lunam, & ipsum similiter facit arg. viu. Lunam in sua hora. Scias autem quod arg. viuum congelatur in duobus plumbis, videlicet congelatur sulfur præparatum in ferro. Scias ergo quomodo, quia est magnum arcanum.

Modus autem operandi cum solo sale armoniaco est, ut lumas ex eo distillato & cerato partem vnam, & imbebe ipsum ex sua aqua fortiter terendo, solue ipsum, & si eius solutio difficilis fuerit, imbebe ipsum ex sua aqua, & tere bene: soluetur enim: & quum factum fuerit aqua clara, fac ipsum congelari in vase vitreo cum igne debili in Sole aut in cinere calido, & hoc est maximum secretum: Et isti sunt quatuor modi albificandi. Quod si rubificare volueris, ponas pro quacunque re alba rem rubeam: terere verò & imbibere & assare & solvere & congelare est in hoc vnum ut in alio. Et si coniunxeris argentum viuum & sulfur & præparaueris ea cum sale armoniaco, erit optimum. Et si coniunxeris argentum viuum & sulfur & salem armoniacum, & præparaueris cum suis aquis, erit bonum: Lauda ergo Deum. Hæc Rasis in libro Experimentorum. Quodlibet nanque corporum & spirituum si perfecta præparatione fuerit præparatum, facit Elixir, ut dicit Arist. in libro de Perfectio magisterio.

Pulcherrimum opus de transmutatione metallorum.

AD honorem & laudem Dei tractetur hoc quod sequitur in hoc paruo libro de aliquibus metallorum transmutationibus. Et primò dicimus quod Luna de se est verum Sol, & illi aliud non conuenit quam perfecta decoratio. Et ideo fac ut habeas uncias tres Lunæ fine, & fiat cineritium ex duabus partibus cineris vitis aut lignorum bene recoctæ & lotæ, & vna parte ossium equi vel bouis bene combustorum ut alba sint & in puluerem redacta subtili & misce cum dictis cineribus & irrorentur aqua: post fac tuum cineritium in patella terrea forti, aut in fouea in terra iuxta quod debet esse magna bene æqualis & bene leuigata & bene exiccata. Postea fundatur tua Luna in dicto cineritio, & sit bene purgata & affinata, ita ut tua Luna sit ut copellata. Postea cape tuam Lunam ita mundificatam & percuti in laminas tenues spissitudinis albi duplicis vel circa. Postea habeas de sale communi præparato per modum qui sequitur. Capias poculum terreum & impleas sale, postea detine in tuo hypocausto & facies circumcirca & vsque desuper fortem ignem carbonum per spacium 4 aut 5 horarum. Et cum terminus dictus præterierit, permitte quiescere quantum vis vel coagulari extinguendo tuum ignem. Postea cape tuum sal quando est bene albus, & pone in vno alio vase cum aquæ mundæ magna quantitate, & permitte totum liquefcere circiter per diem vnum, & moue sæpius, ut citius fundatur. Postea cape linguas filtri & distilla paulatim dictam dissolutionem in

aliud vas, postea cape patellam terream plumbatam, & intus pone aquam distillatam superius dictam, & pone super paruum ignem & coagula paulatim; postea habeas palettam stanneam planam, & mundissimam, cum qua colliges tuum salem ea mensura qua congelabitur, & serua tuum salem, quoniam est preparatus. Postea cape tuam Lunam ita purgatam et percussam, ut superius dictum est, et habeas duos gliodes de barbier (Gallice) et in vno fac vnum stratum tui salis, postea vnum laminarum, postea salis, et ita alternatim donec duo tua vasa sint plena: postea coniunge vnum alteri et luta iuncturas. Postea habeas furnellum ventosum factum ad tuam discretionem, qui habeat craticulam ferream super quam pones tuum vas infossum in bonum ignem carbonum ita ut sit semper ut rubeum per spacium quinque horarum. Et supra tuam fornacem erit cappa vel tegumentum terreum quod tuum furnellum totum teget, & in fundo (aut superius) habebit vnum paruum spiraculum. Et quum terminus tuæ materiæ transierit, remoue vas & permitte frigescere. Postea cape tuam materiam & pone tuum sal ad siccandum & cape tuas laminas & videbis quod erunt ex imperfectione sua nigrescentes. Ergo frica eas bene de tuo posse (paulx) ut prohibeas eorum obscuritatem. Postea repone in nouo sale in tuo vase ut antea fecisti, postea in tuo furno ut supra: & ita toties fac ut inuenias quod tua Luna nil plus nigredinis teneat. Et tunc habebis tuam Lunam preparatam ut facias opus tuum. Tunc ergo funde & facias virgam rectam et politam et pondera, ut scias iuste quantum habeas. Et facias inde sexaginta partes æquales: postea habeas de fino auro quantum de Luna, et purga per modum qui sequitur.

Cementum Solis.

CApe de crasso sale aliquantum sicco ad ignem, sed non nimis: postea cura ut habeas mortarium æris aut aliud bene leuigatum, & intus tere dictum salem ad extenuandum: postea habeas ex magis vetustis tegulis, & magis rubeis quam sit possibile: & tere bene minutim & cribra optime, & munde. Postea cape duas partes tuarum tegularum ita preparatarum, & vnam partem tui salis antedicti, & bene simul misce: postea cape aurum superius dictum & percute in laminas tenues ut fecisti de Luna, & cape duo vasa ut fecisti cum Luna, & intus facies stratum tui cementi, & postea stratum tuarum laminarum & c. quousque totum sit plenum vtrunque vas: postea iunge simul & luta, postea pone in tuo furno ardente cum bono & forti igne per spacium vigintiquatuor horarum. Et in octo primis horis dimittes tuum ignem tectum suo coopertorio, ut moderetur calor ignis: et alijs octo horis remouebis cooperculum: et vltimis octo horis facies ignem fortissimum, qui fieri possit. Et in omnibus supradictis terminis tenebis tua vasa rubefacta ut de Luna fecisti: Postea cape tuum aurum quoniam est preparatum, & pondera, & fac ut tantum habeas quantum de Luna æqualiter. Postea habeas vas factum ex optima terra bene politum, & funde tuum aurum intus, postea da illi ad comedendum peciam vnā vel frustum argenti tui supradicti. Et ad primum frustum quod dabis, habebis peciam nigri smalti vel encaustri (esmail) latitudinis tui crucibuli, quam pones intus tenendo tuam materiam in fundo, & statim fundetur & custodiet tuam materiam ut nihil diminuat: Postea habebit tuum vas vnum cooperculum quod teget, & tegumentum pyxidis: Et in fundo dicti cooperculi erit foramen (buhor) paruum quod superabit aut supereminebit igni, per quod scies nūc tua materia sit fusa, & per quod tu illi dabis quotidie, id est singulis vigintiquatuor horis frustum tuæ Lunæ, postea claude vel obtura cum paruo cuneo vel obturaculo terreo. Et

Et non est obliuioni tradendum, quòd oportet vt tua materia semper sit fusa die noctuq. Et scias, quòd tota Luna præparata, vt dictum est, quam intus proijcea, conuertetur in purum Solem. Et ita potes proijcere vsque ad numerum infinitum, & probatum est. Et ne obliuiscaris quòd sub tuo vase oportet ponere sub craticula tui furni paropsidem siue scutellam terream, ne si tuum vas frangeretur, tua materia nimis amitteretur.

Alio modo subtilius.

Capiatur Luna affinata vt supradictum est, & limetur limatura bene munde, postea misceatur cum sui ponderis sale cõmuni præparato vt supra, postea pone in crucibulo clauso & lutato in vno furno, vt superius dictum est, per quatuor dies (fortasse horas): postea extrahatur aqua & lauetur cum dulci aqua calida: fundetur sal, & ita toties lauetur vt aqua exeat dulcis & clara: & singula vice permitte tuam Lunam residere, antequam aquam extrahas & salem, postea exicca: postea iterum misce cum sui ponderis noui salis præparati, vt supra, & coque per terminum vt supra, postea laua vt dictum est. Et ita habebis tuam Lunam præparatam & albam: quam pone in vno peros (vas est) bene polito ad furnum tanquam ad minium faciendum, & calcina per spacium septem dierum per modum faciendi minium ex plumbo & octodecim horas pro quolibet die, faciendo ignem cum flamma bene clara desubtus sine fumo. Et sæpius conuerte dictam calcem Lunæ cum cochleari ferreo paruo, & qualibet vice claude & obtura os tui vasis cum suo cooperulo bene iuste, et quolibet die irrorata tuam calcem Lunæ cum aqua sequentis: Et ita tua calx fiet admodum pulchra & naturæ Solis: Et tunc habeas tuum fermentum ex fino Sole, & imbebe & coque in furno venti vt dictum est superius præterquam quòd istud nutritur ad trigessimum, et aliud ad sexagesimum. Et nota quòd super tuo fermento fuso ad furnellum ponatur parum vitri aut nigri smalti (esmail) vt superius dictum est, & non decrescet aliquid. Et reuersio seu recursus tui operis est quòd quando conuerteris tantum pondus Lunæ in Solem, vt tuum fermentum ponderat, capiatur tua massa, & funde pro marcha v. estrelins (Gallice) finissimi eris cum tua massa, postea fac accudere in tenues laminas, & pone in cemento stratum supra stratum alternatim per placentulas crassas sicut panis denarij vel oboli (in Picardia vel Gallia) & nutrias in igne tubeum vt esse potest sine fusione, & per integrum diem, & ita erit finum, & ad modum bonum: postea permitte frigere & aperi. Et cementum ita fiat. R. partem salis communis præparati. partes duas regularum veterum, & magis rubearum quam inueniri possint: postea terantur in mortario æneo cum pistello ferreo, & fac tanquam lutum cum aceto fino, & vtere vt vis. Et tua crucibula sint fortia bene polita, & ex forti terra macinata ex alijs crucibulis aut similibus, & ossibus vstis, albis, tritis in tenuem puluerem: (Cementum Solis aliter etiam sic fit vt in margine erat) Duæ partes regularum sarracenicarum, tertia salis mista in fundo crucibuli posita, auri tenues laminas superpone, iterum puluerem supraponens, sic donec fuerit crucibulum plenum, pone super tripodem in olla perforata, & imple ollam carbonibus prius in loco vbi non sit ventus: & sic affinabit aurum. Additio.

Vt æs sit dulce vt argentum finum, Recipe æs vstum & funde cum borace in crucibulo: postea extingue in oleo de pointre (Gallice) & ponatur super in eade & sensim & lento modo planetur aut laminetur, & iterum coquat in crucibulo et extinguatur in oleo de pointre, et ita fac quater vel quinquies, ita vt

sit dulce satis: & illud æs vstum est finum æs ad alligandum aurum, & poni potest medietas plusquam alterius æris, & erit inde aurum pulchrius quam alterius æris.

Crocus ferri. Coloratio Lune.

Rauiax est ciuitas ubi sunt fortia uasa, quæ sunt nota Parisijs.

R Ecipe acetum bonum factum ex vino rubeo, & habeas limaturam ferri, & pone in vase terreo de Rauiax: Postea habeas acetum in quo sit soluta sua sexta pars salis armoniaci, postea pone super dicta limatura vt super emineat vnum aut duos digitos: Postea obtura tuum vas, & pone super cineres tenues per spatium octo dierum, & moue quotidie bis aut ter cum virgula lignea, & fiet totum rubeum aut vermiliū vt sanguis, postea cola & munda bene, & adijce acetum nouum pariter vt supra: & ita toties fac vt de hoc aceto satis habeas, & antequam hoc facias, vel hoc facto, habeas libram arg. viui sublimati & libram salis armoniaci & tere in puluerem & misce simul, & ter sublima simul, & qualibet vice misce quod ascenderit cum eo quod in fundo remanet, & tuus mercurius manebit niger in fundo tui vasis: & tuum sal armoniacū ascendet altē ad vas. Postea misce tuum dictum mercurium cum tantundē sui ponderis limaturæ ferri, & pone super marmor & fundentur in aquam: quam materiam ita fusam proijce totam in acetum ita rubeum in vase clauso & posito per tres dies super calore tenui. Postea purum distilletur per filtrum, & ponatur in alembico, & per balneum Mariæ separetur humiditas. Postea super cineribus in fornace recipe in alia phiala per modum aquæ fortis oleum vel aquā exeuntem vermiliam, & serua seorsum: & super facies ponatur de aceto nouo & soluantur, postea distillentur per filtrum, & congelentur per balneum, postea per cineres separa oleum rubeū, & postea pone cum alio, & ita fac toties vt totū habeas separatū, postea reseruetur. Et ne obliuiscaris quod hoc facto misceatur tuum sal armoniacum cum tantūdem calcis viuæ, & ponatur super marmor, & fundetur in aquam, quam recipe & pone cum sua quarta parte aut tertia salis petrae. Sic facias aquam fortē, & per alembicum in cineribus super furnello distilla aquam: in qua aqua forti solue purissimū Solem in folijs, quantum solui poterit. Postea cape tuum oleum rubeum, & si est libra vna, pone libram semis turæ aquæ solaris simul. Et pone in phiala super cineribus tenuibus 24 horas, postea per alembicum in balneo congeletur, & postea pone ad putrefaciendum in fimo equino calido in phiala vitrea bene firmata & clausa per quindecim dies: postea congela vt sit tanquam mel. Et habeas Lunam finam albam & cementaram, & vnge hoc vnguento ab vtroque latere, & pone in vno crucibulo stratum super stratum quoad sit plenum, & ad decem vncias sit huius vnguinis vncia vna & clauso & lutato tuo crucibulo pone in calore quatuor dierum: post fac ignem fusionis vt totum fundatur, & habebis Solem ad 24 caratos, qui si tibi no placet, recude tenuiter in laminas & vnge vt supra. Et si nimium colorem habebit, noli tantum apponere, & ita erit tua Luna perfecta. (additio in margine) R. vnam quantitatem auri in puluerem redacti, & vnam quantitatem limaturæ ferri, & vnam æris vsti & bene loti: & cape de sale armoniaco ad quantitatem omnium dictarum rerum, & fac omnia simul bene bullire, postea desicca super cineribus calidis, aut super prunis, vel ad Solē, & fac puluerem, & proijce vnum estrelin illius pulueris super tres estrelins argenti fini fusi, & hoc videbitur Sol. Item vna fini auri, vna fini argenti, vna fini æris fusi simul faciunt aurum 18 carati cum vna æris vsti sali.

Æs vstum sic fit: Limaturæ cupri vnum pondus, & quartam partem ponderis sulfuris viui & misce, deinde pone hoc in crucibulo, & cooperi cum tegula & luta cum luto sapientiæ ne aliquid vaporis inde possit exire. Deinde pone

pone os crucibuli inferius, & cooperi ipsum cum carbonibus, & ita dimitte per aliquas horas, deinde extrahe ab igne, & inuenies æs vstum; quod laua vt decet. Fit autem optimum secundum Geberem in libro Fornacum ex præparata Venere & c.

Saturnus & Iupiter ita transmutantur.

Primò fundatur in crucibulo, & superpone tantum mercurij viui quantum ponderat, & erit tanquam puluis. Postea bene lauetur cum sale & aceto, postea cum aqua quoad nigredo sit tota remota, postea exicca & misce cū suo sale cōmuni arso & calcina per quatuor dies & noctes ad ignem cum clara flamma, postea laua vt antea cū illis, ita vt nigredo tota remoueat. Postea funde & deduc in corpus per descensorium, sic sunt purgata ab eorum sordicie. Post ad hunc Saturnum ita purgatum debes addere ad marchā quinque estrelins fini Solis: & ad Iouem duo cum dimidio finæ Lunæ. Et opus est vt istud fermentum sit amalgamatum cum viuo argento, & factum ita subtile vt queat transire per medium panni duplicis. Postea pone super igne in crucibulo, & calefac paulatim, & illi dona Saturnum paulatim donec totum receperit. Postea pone in vno thes (vas puto) ad bonum ignem mouendo cum virga ferrea quoad viuum argentum discedat & Saturnus maneat: calcinetur ita vt sit ita vermilium vt scarlatum, aut album, & tunc est robouffez: postea habeas pro libra Saturni vnum quartum vitrioli rubificati, dimidium quartum ocreæ (doccre) vnciam vnam tutiæ Alexandrinæ, & dimidiam libram calcis viuæ, & omnia simul puluerizentur terendo tenuiter. Postea calcina septem dies ad flammam, postea reduc in corpus cum sale petra, & euphorbio & raffina, & cape quod finum erit: ita Solem aut Lunam habebis. Et pro Ioue cape dimidiam libram calcis, vnum quartum calaminæ albæ, alumen (aereum) vnum quartum fac vt dictum est antea, & erit perfectum. Item nota quod fieri potest specialiter Saturnus sine leuamento vel fermento Solis: Et ita fit. Capiuntur laminæ ferreæ subtiliter cusæ vel fabricatæ, & toties calefac rubeas & extingue in aceto rubeo & in vino, semel in vno, & semel in alio, vt relinquat suas squammas & mundetur vt venus & vermilium. Postea amalgama cum arg. viuo, & fac vt dictum est antea de Sole, & perfectum est.

Coloratio Lunæ: & est eius fixatio ad coniungendum cum Sole vt supra ostenditur. R. vitriolum (airement) vncias duas & pulueriza, & pone in crucibulo ad ignem vt rubescat, ita vt instar carbonis accensi rubescat: Postea tere super marmor cum forti aceto, & hoc modo fac per sex vel septem vices, id est igniendo & extinguendo: & hoc simili modo facies de limatura ferri Hispanici. Et hoc facto cape vnciam vnam dictæ scobis seu limaturæ, & vncias duas dicti vitrioli seu airement (Gallicè) & tere bene simul: postea habeas finam lunam de copella per tenues laminas, postea pone in crucibulo cum tuo dicto puluere stratum super stratum, & cooperi cum alio crucibulo & bene luta, & dicto luto siccato, pone in igne cementi (de chient) per vigintiquatuor horas & ita per tres vices, & qualibet vice renouando puluerem, & tunc tua Luna erit fixa manens in cemento reali (presce) vt recipiat tincturam, & erit pendorosior quam antea.

Fixatio Lunæ alia. R. cinabri tres partes & vnā partem sulfuris, tere in puluerem insimul, deinde habeas Lunam mundam laminatam tenuiter, & pone in crucibulo stratum ad stratum quousque crucibulum sit plenum ad modum cementationis: deinde cooperi & luta bene & pone in igne per quatuor dies vnde in primis duobus diebus facies ignem debilem, sed tertia die fortio-rem,

quarta die fortissimum: postea R. materiam tuam qualis est, & tere subtiliter, postea repone in crucibulo & reluta & repone in forti igne per quatuor dies integros, deinde extrahe & recipe boracem, sal petram, sal armoniacum, tere bene insimul & pone cum Luna sic calcinata & reduc in corpus per cineritum & erit fixa habens pondus & sonum surdum sicut Sol & c.

Alia fixatio Lunæ. Fac aquam fortem ex sale petra & vitriolo, recipe ultimam aquam, & in ista aqua dissolue vncias quinque Lunæ, & vncias sex mercurij (credo sublimati) & quando erunt simul dissoluti congela in vna phiala vitrea, deinde reduc in corpus cum borace & sale armoniaco, & habebis Lunam fixam, & sustinebit cementum, et erit dulcis, & habebit pondus Solis.

Fixatio Lunæ alia. R. Lunæ finæ de cineritio extractæ vncias duodecim, funde in crucibulo, fusum imbibe cum sulfure præparato, donec in puluerem nigrum conuertatur, tunc in frigidetur & ponatur in cineritio & reducat in corpus: Post iterum fundatur, & iterum cum prædicto sulfure imbibatur, ut primò fecisti, & iterum in corpus reducat, & sic fiat ter, & habebis corpus mundum quod est aurum album habens pondus suum & molliciem, fusionem & malleationem Solis, & sustinebit omne iudicium et examen Solis, & est parata ad recipiendum tincturam. Præparatio sulfuris. R. sulfuris libram vnā terussæ, salis communis præparati, vitrioli Romani, croci ferri ana vncias quatuor, misceantur simul & sublimentur, & rubeum ascendet, quod pone in vase vitreo, & serua. Et nota, quod de isto sulfure oportet vnciam vnā pro marcha Lunæ.

Alia fixatio. Dicitur quod sal commune multis vicibus præparatum, puta quinque vel septem vna libra proiecta super libras quatuor Lunæ fusæ fixat Lunam & dat pondus. Sed puto mafus esse si sal illud esset fixatum cum aqua ardenti (vel cum calce viua).

Capitulum valde magnum in albedine, & omnibus nobilius, ex libro qui dicitur Philosophus mirabilis. Accipe de arsenico pallido foliato aliquā partem, & de limatura cupri, aut de azimar tertiam partem prædictæ, & de sale alkali dealbato tantum quantum est illud totum prædictum, & illud totum commisce postquam per se vnumquodque fuerit bene tritum, & postea totum commoletur & dabitur ei bibere acetum acutissimum, & assabitur aliquoties, & postea moletur & ponatur in alutel & incendatur sub eo ignis temperatus, donec ascendat, & colliges quicquid ascenderit, quod moles cum fecibus, postea facies ut prædiximus, id est exaltabis donec dealbetur: ergo quā dealbatum fuerit coagulabis (vel fixabis) eum cum ruscaten, id est eum are vsto. Si verò volueris, hoc modo operaberis absque coagulatione: sed quod coagulatum est præualeat. Et opus eius est quod eum molas, & quod eum in bilance ponderes. Accipies quantum quartam partem superponderis de ruscaten, quæ pariter pones in vase quod prædiximus, & incendas à mane vsque ad vespertam, & leui igne: & postea frange illud vas per medium postquam in frigidatum fuerit, tunc inuenies ea sicut lapidem clarum ut cristallum: tunc illud separatim pone, ergo hoc est angulus magnus. Nunc ergo accipe secundum angulum: Exalta arg. viu. per atramentum: accipias de arg. viuo aliquam partem, & de atramento bono viridi aliquam partem, & de sale alkali dealbato aliquam partem: quæ omnia pariter molas, & potabis ea aceto potatione lenta vel leui, ne amassetur, & moraberis in ea molatione de viuo arg. donec nihil appareat: & postea assabis in forno panis per vnā noctem, & sic facies aliquoties: & postea moles & exaltabis in alutel donec dealbetur: & hic est adhuc angulus secundus. Et sit angulus tertius Alocaph: accipiam ex eo aliquam partem, & de altæ

altac aliquam partem calefactam, & ponentur in allutel & exaltabitur ter: hoc est angulus tertius. Et ecce est angulus quartus, vt accipiat argentum & limetur limatione subtili, & adiungatur ei arg. viu. lotum: sed opus est ei quod arg. viu. coquatur in aceto semel & bis donec exeat nigredo ab eo, & cum oleo semel & bis & cum vrina semel & bis, & ter & ter: & si vrina fuerit seruata, melior erit: tunc ergo mundabitur, & ita adiunges cum argento, & omnia simul misces (aut moles) donec fiat sicut butyrum, & donec non percipies argentum inter digitos etiam fricando: ergo cum sic factum fuerit completi sunt anguli, tunc coniunge omnia. Et hoc est vt accipias de arsenico condito albato vnam vnam, & de arg. viu. condito vncias duas, & de arg. cibato cum arg. viu. & condito tres partes. Postea hec omnia conuolue & mole cum sale armonia co & cum sale alkali soluto in aqua, & assa in leui igne, & saepe molas & assa donec super linguam dissoluatur: & hoc est eius complementum. Et condimentum salis armoniaci & alkali est, quod accipias de alkali libram vnam & pones super eam quatuor libras aceti acutissimi, quæ pariter bulliant, donec partes duæ minuantur, & pars tertia remaneat: tunc cum ea coagules ad Solem, aut leui igne, & postea accipe de eo coagulato aliquam partem, & de sale armonia co exaltato tantundem, quæ pariter molentur, & in aqua ponantur donec dissoluantur: & quum soluta fuerint, ex eis imbibes Elixir sicut prædiximus, donec dissoluantur super linguam, et pone eum ad soluendum.

Modus optimus inhumationis ad dissoluendum. Fama (vel forma) verò dissolutionis est quod ponatur in vase, quod Arabicè dicitur carora, & ponatur super trabem quæ perforata fuerit, ita quod carora bene ibi stet quasi cornu in scriptorio, quia carora est similis cornu: & fiant in circuitu illius foraminis quatuor foramina circum caroram existentia, vt carora sit bene suffulta in humatione illa, ne vacillare aut titubare valeat, ne medicina à carora effundatur. Et postea accipies ollam vel caldariam æneam vel æream quam implebis aceto bono, & in illud truncum perforatum in medio pones cum sua carora. Caldariæ verò os tegatur disco ore ad os, ne vapor exeat à caldaria, & in fundo disci foramen habeatur, per quod suffundes acetum cum minuetur, & ignis levis ponatur sub caldaria tribus diebus naturalibus: tunc medicina soluetur, & fiet sicut aqua. Postea illam coagula in olla plena cinere, sed non omnino plena: Et tunc coagulabitur duobus diebus aut pluribus: & cum coagulata fuerit, illam incerabis. Forma verò huius incerationis (seu oletum incerationis Elixir ad faciendum fusibile) est quod accipias de aqua alkali acuta, quæ quindecies fuerit iterata, duas partes, & de oleo abluto seu dealbato (albuminis ouorum) quod non incendatur, vnam partem, quæ coquas donec fiant vnum corpus quasi cera. Postea pone parum huius corporis super medicinam quam coagulasti & assabis leui igne donec fluat quasi cera à facie ignis. Tunc absconde tuum Elixir: pone drachmam vnā super triginta cupri, & veniet tibi argentum bonum Deo volente.

Alibi sic habetur: Verum Elixir componitur ex quatuor angulis, quorum vnus est arsenicum sublimatum fixum, ita quod non denigret laminam argenteam ignitam quando ponitur super eam: & hic angulus appellatur anima. Secundus angulus est mercurius sublimatus fixus, ita quod fundatur per se in modum metalli, & cum aliquantulo nitri vel boracis: & iste angulus appellatur spiritus. Tertius angulus est calx optimæ Lunæ: & hic angulus dicitur corpus supradictorum, scilicet animæ & spiritus: & etiam fermentum. Quartus angulus est aqua dissolvens & confungens prædicta tria, quæ dicitur aqua facta ex salibus acutissimis, in qua pluries debent coagulari & dissolui: & il-

Q

lud Elixir conuertit Venerem purgatam in Lunam: Alij dicunt, quòd omne metallum purgatum, aliud non. Ad rubeum autem sint omnia rubificata. Istud concordat cum vltimo capitulo tractatus magistri Alberti.

Auripigmentum sublimatum cuprum in argenti speciem dealbat: quo in loco nulla insunt latibula. Nanque super salgēma partes quatuor duabus alimizadir, id est salis armoniaci appositis, superius inferiori superpone. His itaque tertio cōmutatis, videbis quod optas: tamen aestimo illud prius debere esse mundum & sublimatum.

Aqua lithargyrj opus lactis virginis sic fit: Cooperies lithargyrium postquam tritum fuerit cum boni aceto vini, & eum coquas bene: sint de aceto partes quatuor, & de lithargyrjo vna pars, & bulliat ad consumptionem medietatis, & postea sumas pondus suum de sale alkali, & cooperies aqua clara & bona & coques eam donec bulliat multoties, & postea quamlibet separatim cola: postea R. de aqua alkali aliquam partem: & si posueris super aquam lithargyrj tota dealbabitur tunc, cum mista fuerit bene inuoluendo cum baculo, & dimittetur donec pausetur existens corpus album, & colorabitur inde aqua supernatans, & dimittetur corpus donec siccetur, & postea suspendatur in vase vitreo donec totum resoluatur: postea dealbabitur cum eo arsenicum dealbatum per molationem & Solis calidi siccationem, vel cineris calidi paulatim ita tamen ne fumum sentiat. Sed vsurub quum solutum est, multo præstabilius isto est. Et in argento viuo coagulato habentur opera mirabilia.

Secundum Albertū in de Mineralibus in tractatu tertio, capite 2. lib. 2. sic fit lac virginis, quando lithargyrium fortissimè lauatur cum aceto, & colatur sæpius per ipsum donec sit optimè translucens. Et iterum vetus alumen scissile & plumosum fortissimè lauatur in aqua, & sæpius colatur per ipsam quousque sit sicut lacryma: & istæ duæ aquæ permisceantur. Est enim ceruissimè hæc aqua coagulans, & videbitur lapis qui per eam coagulatus est.

Alibi lac virginis sic fit, Lithargyrium tere in puluerem subtilissimum, quæ cribra: quo cribrato pone in patella terrea plumbata cum aceto, & coquatur parum ad lentum ignem, quousque bulliat parum: tunc coletur per filtrum album, aut distilletur per filtrum, & recipiatur in vase mundo, & ita distilletur ter vel quater donec sit bene clarum. Postea accipe sagimen vitri & contere ipsum vt lithargyrium & cribra similiter: & pone puluerem in lixiuio forti (vel aceto) vel in aquam, & fac eodem modo vt de lithargyrjo: & quando velis lac ex eo fieri, misceantur adinuicem aquæ prædictæ, & vertentur in lac albisimū atq; spissum. Sagimen vitri & spuma vitri, idem: Lac virginis valet ad fallum phlegma, & ad guttam rosaceam.

Aqua lithargyrj dealbat per se, aqua salis alkali denigrat per se: quas quum miscueris, adde arsenicum fixum & operare ad albedinem.

Chalcanthi siue vitrioli multæ sunt species: quarū vna quæ est rubea est colorat, & vocatur chalcanthū Babylonicū & cerdonis, cuius sapor calidior sentitur cum stipticitate, vnde etiam linguam incidit. Quod autē ex eo electum est, quod non est vetus, carens lapidibus, cuius etiam partes longæ sunt & radiolæ. Alia verò species est quod dicitur Syrum, eo quòd de terra Syriæ videlicet de terra Ierusalem asportatur, cuius color est niger citrinitati attinēs. Aliud verò quod de Aegypto affertur & de Cabrit. Est etiam eius alia species quæ dicitur calcatidis (vel fortasse calcytis) & ipsum est chalcanthū, cuius color est viridis, quod est omnibus alijs fortius, atque calidius existit & asportatur de Cipro, vocatur Romanum: Ipsiū enim color parumper attinet coloris azuri, & est solidum & clarum. Aliqui tamen dicunt quòd Romanum primò positum

positum ad ignem funditur, sed Cyprinum non.

Tutia tres sunt species: vna nanque est Inda, quæ est lapis subtilis: cuius color licet sit fuscus, albedine tamen magis participat. Hæc verò gustata, frigida sentitur, & post paululum desiccatur, & deferitur à litoribus maris Indiæ. Et ipse est lapis albus & subtilis, ac si parum salis ibi esset suppositus. Est et eius alia species, quæ Tutia vocatur marina, & ipsa viridis lapis & asper atque perforatus, & asportatur à regione quæ vocatur Agni. Alia quoque eius est species quæ de Syria adfertur & Aphrica, atque à Tunicio & ab Hispania, quæ est lapis albus, depictus atque grauis, per quam æs rubeum tinctum in citrinum mutatur.

Arsenici duæ sunt species: vna crocei coloris, alia verò rubei: croceo vtuntur mulieres pro psilotro. Quidam Sophistæ accipiunt vnciam vnam Solis limati, & lib. mediā arsenici nōinati, terunt ipsum fortiter, & balneāt ipsum in vrina pueri, & ponunt in sacculo corij & constringunt ipsum bene, & dimitunt ita stare vsque ad mensem, & tunc videbitur Arabicum & c. Ex arsenico autē fit realgar: de arsenico tractatur Hermetis decimo capitulo.

Qui autem harum & aliarum specierum mineralium ampliore exquirat tractationem, videat Matthiolum in vltima aut penultima editione Commentariorum in Dioscoridem.

LIBER MERCVRIORVM RAYMUNDI

ILI oportet vt intelligas operationes, per quas creatur natura argenti viui, & postea si scis vel habes notitiam ad cognoscendum nostrum arg. viui. habebis artem integram: Quia operationes omnium non sunt plusquam vna sola, quæ fit per modum quē tibi dicemus: Tu accipe de liquore lunariæ quantum volueris (per lunariam intelligo arg. viui.) & de illo per distillationem diuidas elementa: sed primò separabis aquā phlegmaticam, in qua stat mortificatus spiritus, & continua in balneo tuam distillationem quovsque videas distillari aquam animatam, quæ incipit comburere, & illam distilla ad partem. Et quando illud quod poterit distillari per illum calorem receperis, & phlegma fuerit extra, sicut manifestat signum adustionis, illam diuidas in duas partes: & vnam partem seruabis ad creandū mercurium, vt cum eo terram lapidis sublimes. Et de secunda parte trahes elementa sine omni combustionē sub conseruationē proprietatis sulfuris & arg. viui per istum modum: Ponas partem aquæ animatæ super fæces, quæ erunt in similitudinem picis fusæ vel liquefactæ in fundo vasis, & statim pone alembicū cum suo receptaculo & incende ignem ferraturarum & luta cum pasta, & illū ignem continua quovsque quicquid poterit distillari distilletur per æqualitatem dicti ignis: postea pone in igne sicco cineritio, & illum continua de ferratura seu ramentis lignorum, distilla oleum, & ad finem suæ distillationis dimitte infrigidari materiam cum toto vase: Postea reduc suum liquorem primum, qui est aqua & non oleum, super fæces: & reitèra tuam distillationem; sicut iā dictum est, quovsque fæces maneant siccæ & combustæ: & quod humidum vinctuosum sit totum sublimatum sicut anima in substantia spiritus. Et fili, natura nostri spiritus operatur in omnibus rebus, & omnem rem excedit: & per illum fit nigredo, albedo, rubedo, siquādo scies bene miscere. Mistio illarum fit sicut tibi diximus, quia vnum intrat in aliud & figit illud, & rarefactum impletur condensato: & condensatum subtiliatur per rarefactū: & totū illud fit per solutionem & calefactionem & leui igne. Et iste ignis debet continuari,

quovſque elementa ſint inuicem amplexa cum terminatione ſuæ humiditatis, & ſua terminatio eſt quòd omne modicum comburatur, quovſque lento igne deſiccetur. Et ſcias fili, quòd vnum comburit aliud, & confortat, & docet pugnare contra ignem. Et ſic fili in coquendo perſequens elementa ad lentum ignem lætantur & conuertuntur in extremas naturas, quia liquefactum totaliter cõminuitur, & fit non liquefactum, & humidum fit ſpiſſum. Et per iſtum modũ fit corpus ſpiritus, & fit tenuis & fortis pugnans contra ignẽ. Et fili, proprietates cuiuslibet mercurij eſt diſſolvere & dealbare ſuum ſulfur. Et proprietates ſulfuris ſui eſt congelare et depurare ſuũ arg. viũ. Et fili, iſte vapor qui congelat arg. viũ. eſt de natura ſuæ propriæ ſubſtantiæ mediæ, quæ ſtat in terra ſicca ſubtili aerea miſta et digeſta et cocta cum lento igne ſectũ continuãdo. Propter hoc igitur reducitur arg. viũ. diſſolutũ ſuper ſuam terrã ſiccã paulatim, non autẽ ſemel ſeu ſimul: quia virtus ſulfuris draconici citius conuertit modicum diuiſum, quàm multum indiuiſum. Obſerua igitur quòd virtus draconis (id eſt lapidis philoſophici) non regitur pelago de Satalia: Quia hoc tu debes facere per intentionẽ congelandi & nõ ſoluẽdi. Sic fili, arg. viũ. regnat prius contra ſulfur, ſicut patet per virtutem præcedentis capituli. Continua igitur ſuam operationẽ, aſſationem, & imbibitionẽ, quovſque prima aqua habeat totum dealbatum, & ſit congelata per vaporẽ ſulfuris. Aliud nõ oportet te facere per contrariã operationẽ, quia ſicut arg. viũ. vincit ſulfur per totũ: ſic per contrarium, ſulfur ſiccũ vincit arg. viũ. per congelationem, & per reiterationem ſublimationis talis ſicut diximus. Et quando per iam dictam ſublimationem & frequentem aſſationem videris quòd maior pars mercurij quantitatis fuerit deleta, reitera cum forti igne ſublimationem ſuper illũ, quovſq; plus de ſua aqueitate purgaueris ex toto: & quando videris, quòd totũ fuerit eleuatũ ſiccum ad modũ pulueris mortui albioris niue contra ſpondilia vaſis, reitera iterum ſublimationẽ ſolũ per ſe ſine ſecibus ſuis: tunc enim erit perfectẽ mũdificatus & ſublimateus ad efficiendam tincturã ad album, cui non poteſt ſimilis inueniri. Quando ſublimateus et repperis dictam purã ſubſtantiam mercurij, tunc fixabis vnã partem illius, & nos tibi dicemus modũ fixationis in lapide maiori. Et quando illa pars fuerit fixata, fixabis poſtmodũ aliam. Igitur reitera ſublimationẽ partis non fixæ ſuper rem fixam, quovſque illa ſimiliter ſit fixa, cum experiẽtia probando ſi bonam fuſionẽ tibi præſtiterit ſuper ignẽ: Et ſi ſic, factum eſt: ſi non, coniunge ſibi de arg. viũ. exuberato, reiterando ſuã ſublimationẽ, quovſq; ſit fuſibile. Et modum exuberationis cuiuslibet arg. vi. tibi dedimus, ſi nos intellexiſti in practica lapidis maioris, in cap. quod incipit, Fili exuberatio nutritiua non eſt aliud & c. Et in iſta practica, in cap. quod incipit, Tu accipias & c. ſed illa illud facit de ſuomet arg. viũ. Et ideo ipla eſt ſimplex: ſi vis ſilam magis compoſitã, & vis eam de mercurio, diſſolue eam in aqua prima quæ eſt exuberata ex anima dicti mercurij de quo ſit tinctura, poſtea ſepara aquã per diſtillationem ſuper fæces, quovſque aqua biberit & traxerit ad ſe humiditatem fæcum mercurij. Iſta eſt humiditas creatiua quæ ſuper omnes alias manet ſuper pugnam ignis. Et ſic per ſolã ſubſtãtiam mercurij facimus excellentẽ medicinã albedinis. Et ſicut dicimus devno, ſic intellige nos dicere de omnibus: non expellimus aliquem nec vulgare nec communem. Et quando dicimus cõmunem, dicimus de illo quem Philoſophi intelligunt: Et quando dicimus vulgarem, loquimur de illo quem ruſticus intelligit, qui venditur in apothecis. Sed bene intellige, quòd ubi ipſe eſt communis, ponitur ſicut ſcimus nos, qui illum cognoviſcimus in propria virtute & c.

Inten.

INTENTIO SVMMARIA, QVAE ALITER DICITVR
Repertorium, valde vtilis ad intelligentiam Testamenti, codicilli,
& aliorum librorum Raymundi Lullij.



QVA nostra philosophica tribus naturis componitur b, e, & h. & aqua minerae consimilis, in qua lapis noster dissolvitur, & in ipsa terminatur, dealbatur, & rubificatur: non enim operi coniungitur nisi essentialiter humefaciendo partes lapidis resoluti, tanquam phlegma praeservans totum opus a combustione, industria artificis mediante: Veruntamen noveritis totam eius substantiam, scilicet phlegma in decoctione a toto composito separari. Est enim phlegma nostrum substantia media, & aqua mercurij prima, in qua principium lapidis est, scilicet dissolutio eius, nec intrat cum eo, quanvis viscera eius implentur naturae sensu ablato, nisi tanquam phlegmatica humectans partes rerum, & non generans vel augens. Vnde radicales humores sunt essentialiter lapidis partes sibi ipsis rebus imbibitae, a quibus constant partes rerum duntaxat: per istud utique augetur & nutritur quodcumque augetur & nutritur, per exuberationem illius humoris radicalis nutritur & augetur lapis noster, de quo loquitur in suo codicillo in cap. de Virtutibus & doctrina, quibus corrigitur error & c. & de illius exuberatione loquitur in sua practica. Est autem istud vere natura germinata, quae quanto magis in suo vase per ignem exigentem suo phlegmate decoquitur, tanto eius magis insita virtus cum singulis partibus amplius decoratur & aptior redditur, ut ex ipsa fructus multiplex generetur. Hoc enim dicitur natura, medius, & lapis, & mercurius, arsenicum & spiritus subtilis, duabus participans extremitatibus, & sulfur album & rubrum, stringens mercurium, & conuertens ipsum in argentum melius quam de minera. Phlegma enim in quo decoquitur sulfur nostrum quod dicitur aurum istud est, ut recipiatur spiritualiter aer humidus in mercurij substantia, donec ipsius media pars in aquam condensetur actione caloris corporis mediante: namque corpus metallicum velut virtus agens operatur tanquam masculus. Et istud ideo quoniam de proprietate sui est quod calor ipsius in humido includitur aereo, qui quum intrat poros mercurij frigidi, patitur & alteratur paulatim & paulatim: ut illud quod digeritur per calidum naturale, id resolvetur in aquam per minima: quoniam de proprietate cuiuslibet elementi est habere in se contrarietatem & agere in suum contrarium: partes vero quae in aquam resolvuntur, sunt in forma argenti vivi amalgamati cum corpore, qui resolvi nequeunt, nisi magis & magis subtilientur. Et ideo si arg. vivi volueris frigiditatem dissolvere, magis ipsam coagulas. Calor corporis quidem digerit & resolvit mercurium quantum deportatur in aquam cum suis partibus mercurialibus dissolutis: & sic phlegma nostrum ex tribus constat substantiis essentialibus, quae quidem essentiae elementorum sic ligantur adinvicem, quod plurimum uniuscuiusque cum plurimo alterius est adiunctum qualitatibus ipsorum: unde Alexander Peripateticus dicit, quod commistio elementorum facit mirabilia: eo quod elementa quosdam effectus melius operantur in misto quam in simplicibus. Et illud ideo quoniam in tali misto remanent propriae essentiae elementorum, quae sunt propriae virtutes operativae, ut patet per aquam nostram philosophicam, quae dicitur Metallina, eo quod ex solo genere metallico generatur. In hac enim aqua salvatur dispositio media, quae est inter mollietatem & duritiam, mediante qua fit transitus a mollietate argenti vivi ad duritiam metalli perfectissimam. Vnde nunquam fit transitus de extremo ad extremum, seu de contrario ad contrarium nisi per dispositionem determinatam,

quæ participat de duobus contrarijs. Nec est ista dispositio essentialis, arg. vi. in sua natura, nec sulfur in sui substantia seu natura, sed solum pars illorum: ex quorum alteratione partium essentialium ad terream substantiam mediã unanimiter peruenerunt: ideoq; fixationẽ quandã suscipit tanquam spiritus fixationis pronus ad requiem, qui cũ fixatur, separatur phlegma eius per desiccationem à toto cõposito generato. Ad suscipiendũ ergo phlegma, condensã aerẽ per calidum & siccũ, & siccũ rectifica per calidum & humidum (inhumando) & habebis aerem in vaporẽ: quoniam aer spiritualiter intercipitur in auri materia, & aliorum mistorũ. Aqua verò nostra cõposita post eius separationẽ alẽ bicũ est in colore clara sicut aqua cõmunis, & in principio suę separationis per filtrum, est in colore pallido, habẽs albedinẽ sicut albedo palearũ tritici: cuius causa est digestio (seu concoctio) conuertens corpus ad citrinitatẽ. Et anteq; separetur per filtrũ est nigra: cuius causa est corruptio terreitatis corporis tenebrosi, lucidiõres partes corporis detegens in forma corrupta, quãuis ita non sit. Et post eius decoctionem completam quæ fit per rarefactionem est candida in occulto: qui quidem candor nil aliud est quam spiritus à corpore resolutus, deportatus in phlegmate suo. Phlegma verò variatur in colore, quociescunque enim suum continens variatur, & toties phlegma: quoniam phlegma non variatur nisi propter formam spiritus. Nam spiritus in aliqua decoctione variatur in colore, & certẽ etiam tenetur in pondere, & augmentatur in virtute & potentia. Quum verò terra imbibitur cum aqua post separationẽ per filtrum, albescit materia nigra super Porfidum: sed statim cum materia conuertitur, albedo occultatur in materia: & ita facit donec virtus aquæ vincit virtutem terræ. Attamẽ anteq; ad eius terminũ verum in colore terra peruenerit, multi vel quasi infiniti colores apparebunt, de quib; incertissimẽ sciret aliquis dare intelligẽtiã. Facit enim terra in decoctione sua cũ aqua sua multas gladius lositates siue gibbositates ad modum ampullarũ, in quibus apparent omnes colores mundi ita resplendentes, quod rarò crederet quis, nisi qui videt & expertus est. Substantia verò huius aquæ est spiritus corporis lucidans atq; illuminans: qui in radice naturæ, metallo erat vnitus & coagulatus, nõ igne, sed virtute mirabili: sed dum coagulatus est, inuenitur participans duabus extremitatibus: & est partim fixus & partim volatilis: & ideo dicitur mediũ, in quo est virtus fixatiua: sed dum figitur, sequitur propriam naturam metalli, eo quod materia est natura metalli. Hoc enim vocatur sulfur, & est liquor dulcis, ad modum spiritus in puluerem sublimatus: nunquam enim potest creari liquabilitas in materia aliqua nisi mediante isto spiritu liquoroso. Iste enim spiritus generatur ex humore seminali duorum contrariorum quo ad caliditatem & frigiditatem: & vnus generis, quo ad suam naturam, quorum vnus est Sol, & aliud arg. viu. in vno gradu, in alio verò gradu est Luna & arg. viu. Veruntamẽ hoc arg. viu. in certo gradu, quãdo cum Sole coniungitur, cum nõ sit arg. viu. in natura sua, quia alias fortiores vires acquisiuit caliditatis. Arg. verò viu. tanquam materia patiens iungitur Soli: Sol verò tanquã agens. Non autẽ Sol iungitur arg. viuo, nec masculus cum femella, nec ẽ conuersio: quoniam realiter natura mediã viui arg. dominatur in auri materia & corrumpit ipsum, ac si ageret in ea sicut masculus. Non autẽ solum corrumpit ipsum, sed vterius ingreditur humiditatem fixam & calidã Solis, & cum suo iungitur spiritu, & hoc mediante illo in quo deportatur vtriusque genus. Vnde Sol non iungitur cũ arg. viuo, nec arg. viu. cũ Sole nisi per substantiã mediã. Nec vnum diligeret aliud nisi per talem dispositionem naturæ affinem, quorum substantia vna, scilicet arg. viu. supereminet substantiam Solis in quadrupla sui parte, & Luna in du-
pla

pla sui parte, eo quòd frigidior Sole: quia magis vigent virtutes actiue in Sole quàm in Luna in principio confectionis lapidis. Veruntamen quãtitas materiæ Solis non excedit precium in veritate vnus aurei. Plus autem excedit in valore materia Lunarior, eo quòd terrestrioris naturæ & fragilioris virtutis est. Et ideo cum auri virtute confortatur, & sine ipso debilitatur: Nam Luna quamuis frigida sit apud omnes in secundo, tamen est in tertio gradu: sed non habet tantam virtutem quòd possit agere in materiam passiuam arg. viui, nisi succurratur per materiam magis actiuam: & ideo terra sulfuris præparatur cum arsenico nostro, sicut arsenicum cum sulfure nostro. (arsenicum nostrum, terra Lunæ: sulfur, terra auri). Sulfuris autem cõpositio est, quòd si decoquatur oleo suo (id est aere) cum modico fermenti infra octo dies reuertitur totum in puluerem rubicundissimum tingens argentum in aurum.

Vbi seruetur materia quesita.

Præparatio autem aquarum, & an debeat poni in opere, & quid de ipsis fieri debeat, iam enarratum est in libris Philosophorum. Et iam dixi, quòd materia quesita reseruatur in humido balneo Mariæ, phlegmatico cõseruatio & putrefactiuo cum sua spissitudine in furno secreto Philosophorum.

Qualiter fiat distillatio.

Distillatio autem fit per venas vitri absque separatione materialium: imò coniunctione in furno nostro secreto est nostra sublimatio. Et iam de mediocorum naturis est satis declaratum.

Quomodo corpora nutriantur.

Corpora autem non nutriuntur, sed solum germen eorum in se ipsis cum igne variæ decoctionis, circa quam est hic aspicienda practica. Nam & corpora non sunt nisi germinis eorum pabula: quoniam hoc certum est quòd corpora mutantur, & alterantur, & reducuntur ad naturam germinis spiritualis: ipsum enim germen augmentatur congelando, & nutrit se ipsum dilatando sicut puer cum lacte virginis: ita quòd corpora tanquam fercula eius resoluuntur, & in ipsum conuertuntur: sic quòd dissolutio corporum fit, cum spiritus congelatur & nutritur. Et congelatio spiritus fit, cum corpora dissoluntur, & in aliam naturam reducuntur. Et ita congelatio vnus nō fit absque dissolutione alterius, nec ē conuerso. Et generatio formæ aduenientis non potest fieri absque corruptione præcedētis. Forma quidem corporum propter formam spiritus aduenientem, & tota substantia corporis cedit in alimentum, & formam substantialem spiritus: sic quòd omnis solutio est mortifera (corpori) sicut omnis congelatio viuificatiua, & causa vitæ propinquissima.

De forma vasis, et qualis sit.

Forma vasis quidem artificialis in quò dictum opus perficitur, talis est qualis est forma vasis naturalis cum suis longis venis, in quibus fit separatio puri ab impuro: nec est alterius formæ, & est vnicum vas cum duabus cãis. Nam ad hoc præcipue debemus naturam imitari.

Quando fiat fermentatio.

Fermentatio autem fit post originem infantis (id est post sublimationem sulfuris) vt sibi administretur optimū ferculū existens cum tota sui substantia, vt corpus debile magis ac magis substatetur & reducatur ad naturam fortiozem. Nam fermentatio nil aliud est, quàm cibus spiritualis conuertibilis in essentiam infantis: & vt totum efficiatur opus vnus naturæ: veruntamen in tali cibo præcedit ipsius præparatio. Nam hæc fermentatio cibalis, debet esse de sua propria natura, & sibi assimilanti, quoniam nisi assimilaretur ei, nunquam in eorum naturam incorporaretur, vel conuerteretur in naturam sulfuris.

Q 4

Quare fermentum preparatur.

Preparatur quidem & subtiliatur ut puræ sit nutrimentalis conuersio nis & tunc talis est natura nostri lapidis quod est conseruatiuus & confortatiuus: quanto enim magis preparaueris fermentum, tanto magis habilius erit ad conuertendum & dirigendum.

Quot modis fiat præparatio fermenti.

Est autem præparatio fermenti multis modis: vno modo per dissolutionem in aquam lapidis, & per reductionem: alio modo per calcinationem & lauationem cum arg. viuo, & eleuationem eius substantiæ mediæ: & deinde per dissolutionem in aquam lapidis & aquarum coniunctionem, & per istum modum est facilius conuersiuus: Alio modo per incerationem calcis, & dissolutionem eius: Alio etiam modo per vacuitatem suæ naturæ terrestris duræ & compactæ. Lapis enim noster est sicut corpus simplex, quod recipit cuiuscunque rei formam quæ sibi adiungatur.

Quomodo fiat coniunctio Solis & Lunæ.

Cum verò lapis ad album perficitur, fit coniunctio Solis & Lunæ, donec Sol traxerit Lunæ substantiam ad eius naturæ colorem: hoc verò fit cum igne lapidis: deinde continuetur, quousque patiatur cum rebus suis generis.

Quomodo medicina habeat ingressum.

Medicinæ autem tam albæ quàm rubæ cadere possunt & impressionem habere in omni quod sibi per minima iungitur.

Ad dandum ingressum medicinæ.

Si autem volueris facere projectionem super corpus, pone de eius spiritu in Elixir, & per talem artificium in illud habebit ingressum medicina: Et in hoc latet Practica apud plures.

ARISTOTELES DE PERFECTO

MAGISTERIO.



Cum solerti indagine vniuersarum rerum artificia philosophia comperierit sedulitate, tū carissime fili, exquisiitionis sagacia Alchymia artis magisterium adinuenit: quod eatenus reliquarum rerum præpollet argumentis, quatenus ipsum de secretioribus naturæ abditis reperitur. Ratio enim sufficit huius artis operandarum rerum apparetes & manifestas virtutes vel naturas tantum cognoscere: Nihil enim in arte hac perficeret nisi earundem interiores vel occultas naturas absque errore quis cognosceret. Ars enim hæc de Philosophia, est occulta, & est de illa parte Philosophiæ, quæ Meteora nuncupatur. Loquitur enim ars hæc non solum de eleuatione & depreSSIONe elementorum, sed etiam elementatorū: Scias hoc quia magnum secretum est. Scias præterea hanc artem vocari inferiorem Astronomiam, & superiori primæ est comparatiua. Loquitur enim superior Astronomia de stellis fixis in firmamento igneo, & de septē erraticis quæ planetæ nūcupantur, quia motu contrario firmamenti feruntur: Hæc autem ars loquitur de lapidibus fixis in igne, & de his quæ ab igne fugiūt: Lapidēs verò quæ stellæ dicuntur, sunt Sol, Luna, Mars, Saturnus, Iupiter, Venus, nistrum, calx, carbunculus, smaragdus, & reliqui lapides, qui ab igne non fugiunt. Lapidēs verò qui planetæ vocantur, sunt arg. viu. sulfur, arsenicum, sal armoniacum, tutia, magnesia, & marchasita. Isti enim super ignem non perseverant, sed seorsum & paulatim ab eo fugiunt & euolant, nisi ad ipsum sustinendum quibusdā in-

enoda-

inodabilibus vinculis & artificiosis nexibus indissolubiliter constringantur: quæ diutina constantia & subtili meditatione instantiꝑ simul operatione nõ festina, post multorum laborum fallacias & operationum diuersa sophismata philosophia perfectissimè est consecuta, & eorum arcana suis reliquit filiis. Si enim alius, quàm eius filius hoc attentare præsumpserit, vt indignus penitus repulsam patietur: & se, opus, & expensas amisisse meritò deplorabit: scias hoc quia magnum secretum est. Vocantur autem præacti lapides fusi super ignem corpora & animalia, & fugientes ab igne, spiritus. Sicut enim corpus siue anima nõ viuit nec erigitur nisi prius spiritetur, sic & prædicta corpora quasi mortua iacent, nisi cum prædictis spiritibus viuificentur & erigantur, seu opere naturæ in mineris suis fiat in millibus annorum, seu opere philosophiæ cum sint effossa de suis mineris, & hoc fit in die vna respectu operis naturæ: imò vt verius fateatur in hora vna: fit tamen cum medicamine, cuius compositio multi temporis spacium anticipauit. Dicuntur etiã lapides fixi super ignem substantiæ, & fugientes ab igne: quia sicut substantiæ per sestant, nec alterius naturæ beneficio reguntur, sic lapides fixi super ignem sua potestate perseverant: & sicut accidētia non possunt suas qualitates ostendere nisi cum fuerint substantijs sociata, sic lapides fugientes ab igne non possunt suas demonstrare virtutes nisi cum fixis fuerint maritati: Scias hoc, quia magnum secretum est. Scias quoque quòd prædicta non bene ad inuicem se recipiunt, nisi prius fuerint vtraque munda: non enim recipit corpus spiritum, nec spiritus corpus, ita quòd fiat spirituale corporeum, & corporeum spirituale, nisi sint ab omni sorde prius perfectissimè defœdata vel defœcata: cum verò sint sic, complectuntur corpus & spiritum, & spiritus corpus, & provenit ex eis operatio perfecta. Et eriguntur corpora in examinatione, & spiritus tenentur à corporibus super ignem: Scias hoc quia est magnum secretum. Quicumque igitur hoc ignorat secretum, ab opere manum suspendat, donec ipsum sciat: Dum enim hoc ignorauerit, nõ gaudebit operis sui perfectione: & cum hoc sciuerit, gratulabitur sibi operationem ad vota cõpleri. Rogo itaq; te fili, vt incessabili lectione philosophiæ libros scruteris, vt & eius filius & huius arcani magisterij habere sagaciã merearis. Qui enim in legendis libris defes extiterit, in præparandis rebus promptus esse non poterit: quia non potest de leui eius in Practica manus crescere cuius in Theorica intellectus defudare renuerit. Ille namq; ad operationem securius accedit, in cuius mentis ænigmate plures operationum imagines varièq; resultant. Ne autem tu fili carissime omnia philosophiæ volumina ad inueniendum prælibata secreta quasi errabundus percurreres, hunc librum tuo conscripsi nomini: in quo omnia ea cum suis præparationibus per sermonem completum redege, quæ in prænominatis nominibus propinquiora, faciliora & notiora reperi ad componendum album & rubrum Elixir, vt tibi ad operandum facilis esset aditus.

Est autem Elixir compositum ex speciebus limpidis antidotum, medicina & *Elixir quid* purgamentum omnium corporum curandorum & purgandorum, & attornandorum in Lunificum & Solificum verum. Caueas ergo ne ad condendum, vel componendum procedas, antequàm inueneris componentium pondera completa. Quia secundum componentium ponderum perfectionem, erit cõpositionis operatio. Scias hoc quia est magnum secretum. Scias etiam quòd non poteris perfecte mundificare, nisi prius mundificandorum naturas omnes & ægritudines bene cognoueris. Sunt etiam in prælibatis corporibus quedã ægritudines, quas partim à mineris suis, & partim ab elementis suis contrahunt qualitatibus. Omnis etiam elemētata res quatuor in se retinet qualitates acti-

uas & falsiſſimas, exterius ſiue interiſſus, molliſſimam ſiue duritiſſimam & horum mediū verbi gratia, res ſi exterius eſt calida & humida & mollis, interiſſus eſt frigida & ſicca & dura: Quia omnis rei manifeſtum, ſuo contrarium occulto: Scias, quia eſt multū ſecretum. Vnde ſi perfecte cognoueris exteriorū rerū conſiſtentias & interiores de leui tu cognōſceres, & econuerſo. Et ſi occulta manifeſtare ſciueris, ſcies & manifeſta occultare: Sed in quibuſdam rebus, vt in plumbo, totum manifeſtatum occultari, & totum occultum manifeſtari. Et in quibuſdam medium occultum manifeſtari tantum, vt in ære, & medium occultum manifeſtari vt aurum, vt ad ſanitatē perfectā perueniant, vel ſaltem ad neutralitatis officium perducantur. Scias hoc, quia eſt maximū ſecretum. Scias etiā, quod rerum quædam ſunt ſanæ, quædam ſunt ægræ: Sanæ dicuntur in quibus quatuor qualitates cum molliſſie & duritiſſie ita æqualiter exiſtunt, quod nulla earum vincitur à ſua contraria, ſicut in auro perfecto: In ipſo nāque ſunt ita æquata, quod neutra ſuperfluit alteri: Ægræ dicuntur illæ, in quibus eſt huiſmodi contrarium: Neutræ verò dicuntur illæ, in quibus ſpecies æqua proportionē terminatæ ſunt, tamen vna parum vincit alteram, ita quod leui artificio & pauco medicamine ſanantur, vt eſt aurum album & argentum purum in quibus ſola tinctura fixa incolumitas reſtauratur. Scias hoc quia & c. Vt autem hoc facere ſcias, totis viribus enitaris, & tu labora vt intelligas quæ dicam & Deus alleuiet te: Scias quoque quod res ita ſubtili artificio, & myſtica cōiunctio ne adinuicem ſunt æqualiter commiſtæ, quod in qualibet re omnis res exiſtit per potentiam, etiam ſi per viſum in ipſa non comprehendatur, ſed in rebus liquefactis clariſſus quā in aliqua re diſcernitur: Sunt enim auri interiora argentea, & argenti aurea, & econuerſo. Et in ære ſunt ſimiliter aurum & argentum potentialiter, licet non viſibiliter: & in eiſdem ſunt plumbum potentialiter & ſtannum: & in iſtis ſunt econuerſo aurum & arg. in potentia: quod totū tibi patebit cum eorum præparationem & ſubſtantiarum ipſorum transformationem, & ipſorum commutationem ſecundum naturæ actionem ſcies. Scias etiam quod non conuenit cum lapidibus non præparatis aliquid operari. Eſt enim operatio theſaurus rei & hōſpitiū complementi. Si ergo cōpleta & perfecta præceſſerit operatio, perfectum & completum aderit complementum: Et ſi diminuta, diminutum. Et quantum decreſcit perfectionis in præparatione, tantum expectetur diminutionis in operis proiectione. Semper tamen oppoſitiones viſus aliqua proculdubio præſtolatur. Præcedit autem operationem perfectæ operationis quædam rerum purificatio, quæ à quibuſdam mundificatio, & à quibuſdam adminiſtratio, à quibuſdam rectificatio, à quibuſdam ablutio, & à quibuſdam ſeparatio nuncupatur. Ipſa enim puriores rerum partes diſgregat ab impuris, vt grauioribus abiectis partibus, cum leuioribus opus compleatur: Et hoc dedit Hermes intelligere in ſuo ſecreto, quod de hoc opere composuit: dixit, Separabis terrā ab igne, & ſubtile à ſpiſſo. Scias hoc quia magnum & c. Scias quoque quod perfectæ præparationis negocium non ſolum contra ſuperfluum remotiōem, verum etiam contra deficientium adiectionem verſatur, ſecundum quod in quodam opère meo habetur, quod Lumen luminum inſcribitur. In eo nāque inter cætera quæ de huius magiſteriſſi ſubtilitate reſeruaui, dilucidè dixi, Quod perfecte præparare, eſt ſuperflua demere, & deficientia ſupplere; quia non poſſunt grauiſſima niſi cum leuiſſimum ſuperius, nec grauiſſima niſi cum grauiſſimum inferius conſortio detrudi: nec poſſet calidum niſi frigidum, nec frigidum niſi calidum: nec humidum niſi ſiccum, nec ſiccum niſi humidum: nec durum niſi mollis, nec molle niſi duri adiunctione aliquo modo temperari vel præparari. Quum verò alternatim congruè deſponſantur, genera-

generatur ex eis substantia temperata, quam non potest ignis violentia superare, nec terræ foetulentia vitare, nec aquæ limositas condensare, nec contractus omnes obumbrare. Et Hermes huius doctrinæ princeps in fine sui prænominati secreti, volens quomodo, & ex quibus lapis, quem prædixerat omnem rem subtilem vincere, & omnem rem solidam penetrare, compositus esset, ostendere, hoc idem insinuat, cum dixit, Sicut hic mundus creatus est, ita lapis quæ dixi est creatus, id est factus: hoc est, sicut hic mundus sensibilis ex grauius & leuibus, mollibus & duris, calidis & frigidis, humidis & siccis inter se inuicem à natura cōcordiæ pace ligatis perpetuus est effectus, ita & lapis quæ prædixi, omnem rem subtilem, & omnem rem solidam penetrare, ex eisdem in id ipsum per philosophiam verò ex amicabili fœderatis super ignem perpetuus est creatus. Scias hoc: Perfecta verò corporum & spirituum præparatio per superflui remotionem & absentis additionem, exercitio quatuor regiminum adimpletur: Primum eorum est ad naturam ignis reductio: secundum est in aqua resolutio: tertium est in aere leuigatio: quartum est ad terram compressio. Primum fit calcinando, secundum soluendo, tertium per alembicum distillando, quartum verò igne leui coagulando vel congelando. Et hoc est eorum integra præparatio: & hoc innuit Hermes in suo secreto prænominato, cum dixit, Suauiter cum magno ingenio ascendit à terra in cælum, & iterum descendit in terram: per hæc enim dedit intelligere, corporum calcinationem, & spirituum cum sublimatione fixationem: quia hoc est eorum calcinatio. Et solutionem ostendere volens, ait, Nutrix est eius terra, id est inhumatio: nutrix eius, & reuiuificatrix est: per ipsam enim res, quæ fuerant prius cum calcinatione mortificatæ, nutriuntur & reuiuificantur cum in liquorem in mundatione rediguntur. Item vt ostenderet distillationem per alembicum, ait, Portauit illud ventus in ventre suo: cum enim aquam per alembicum distillatur, tunc prius per ventum, id est fumum in aere leuigatur, & ab inferiori parte valis ad alembici verticem deportatur, licet propter conclusionem iterum in aquam reuertatur. Hanc autem distillationem quidam in rebus liquorosis loco sublimationis habuerunt, & ipsam sublimationem nomine vocauerunt. Item vt ostenderet coagulationem, in quas vis eius integra est, si versa fuerit in terram, id est ad fixationem, vt ostenderet generaliter quidquid per partes prius expresserat, dixit, Et recipiet vim superiorem & inferiorem, id est naturam superiorum & inferiorum elementorum: quia licet à leuioribus exordium sortiatur, debent tamen in grauiâ terminari, ad hoc vt super ignem perpetuam habeat perseverantiam. Hic enim loquens de præparatione vnius illorum tantum quæ ad componendum lapidem philosophicum requirit, exemplificando de vno, vt breuis fieret, in vno quoque singulorum præparationem integram denotat, quia tunc est eorum perfecta præparatio, cum versa sunt in terram, id est ad fixationem super ignem, & fusionem faciunt sine fumigatione: & tunc vincunt omnem rem subtilem, & omnem rem solidam penetrabunt. Scias hoc & c. Scias præterea, quod propter difficultatem & longitudinem integræ præparationis, quidam in agendo omittunt vnum quatuor prædictorum regiminum, quidam duo, quidam tria: & cum vno tantum procedunt ad componendum: quia quidam calcinant tantum, & componunt: quidam calcinant & solvunt & componunt, & ita de reliquis. Vnde scias quod prædictorum multiplices manauerunt compositiones secundum varios diuersorumque Philosophorum processus, tum cum igne, tum cum solutione, tum cum vtroque.

Quidam enim dixerunt, quod prædictorum non potest fieri totalis & perfecta commissio, nisi cum igne: Et quidam quod non nisi cum solutio-

ne: & quidam quòd non nisi cum vtroque. Illorum autem qui cum solo igne operabantur, duplex erat processus: Quidam enim accipiebant prædicta tantum separata, & conterebant in vnum fortiter & sublimabant subtile à spisso, semper reducendo id quod erat superius super id quod erat inferius, donec totum inferius remaneret, & in spissi naturam per ignis officium transmeabat. Et dicebant quòd hoc modo fiebat Elixir firmum super ignem apud Arabes. Quidam verò spiritus prælibatos cum sublimatione figebant, & postea sociabant eos corporibus calcinatis vel ablutis, & ex eis vnum corpus cum fusione faciebant: & dicebant quòd erat Elixir firmum super ignem: Et sunt viæ illorū qui cum solo igne operabantur. Illorum verò qui cum solutione tantum operabantur, duplex erat via: Quidam enim vnumquodque prædictorum separatim per se soluebāt, & eorum aquas secundum iusta pondera permiscebāt, & congelabant in lapidem, & dicebant quòd hoc erat perfectum Elixir. Alij verò huius sectæ Philosophi accipiebant prædicta abluta, & componebāt omnia simul & soluebant insimul, & postea coagulabant: Verumtamen quidā solutione facta, aquas solutorum distillabant per alembicum, dicentes, quòd hoc erat complementum claritatis ipsorū & splendoris, & tincturæ ex aggregato proveniebant inde. Nam aqua clarissima quam postea in aquam coagulabant, dicebant quòd illud erat verissimum Elixir. Illorum verò qui cum vtroque procedebant, septuplex erāt semita: Quidam enim soluebant corpora calcinata, & inde imbibebant spiritus sublimatos, & inde imbibebant corpora calcinata: Sed tamen hoc debilius est primo. Quidam autem cibabant arg. viū. cum corporibus, & soluebant, & ex huius aqua imbibebant sulfur & arsenicum sublimatum, & iterum soluebant totum hoc, & congelabant, & dicebant quòd hoc erat Elixir perfectum. Quidam verò cum sulfure & arsenico separatim, cibabant corpora sublimanda cum pondere sui, & postea soluebant & potabant inde duplum arg. viui separati, & iterum soluebant & coagulabāt & dicebāt quòd hoc erat Elixir rectum & bonum. Quidam verò cum corporibus cibatis cum sulfure & arsenico, vt dictum est, cibabant arg. viū. & coagulabant, & dicebant quòd hoc erat rectum & bonum Elixir. Quidam autē dicentes verè verissimum Elixir ex quatuor rebus debere constare eiusdem generis, non diuersi, & non ex pluribus nec paucioribus, quia tunc corrumpetur corpus, componebant Elixir ex quatuor spiritibus principalibus, scilicet arg. viuo, sulfure, arsenico, & sale armoniaco: ita tamen quòd arg. viū. prius sublimando figebant, & postea soluebant ipsum cum sale armoniaco præparato, dissoluto & distillato per alembicum: & tunc arg. viū. sic dissolutum distillabant per alembicum, & post ipsum coagulabant, & dicebāt quòd ipsum sic præparatum est, vera huius artis medicina, & lapis non lapis, & corpus spirituale, & spirituale corporeum, & id quod retinet omne volatile à fuga, & fermentum, & tinctura duorum Elixirum, & arg. viū. accidentale quod prætulit se auro, & vincit ipsum, & illud quoque occidit & viuere facit, & verum arg. viū. coagulatum, & pater omnium mirabilium huius magisterij. Postquam verò ipsum coagulauerant, vt dictum est, ipsum cum aqua salis armoniaci præparati & fixi, iterum soluebant, & inde imbibebant arg. viū. sublimatū & sulfur, & arsenicum præparata, & tunc soluebant omnia simul, & post distillabant & coagulabant, & hac coagulatione vltima cerabant, & dicebāt quòd hoc erat verè verissimum Elixir: Ego autem noui verissimè quòd quodlibet prædictorum corporum & spirituum, si perfecta præparatione fuerit præparatum, album & rubeum est Elixir per se solum: Scias hoc & c. Licet autem quàm plures fuerint adhuc modi ex prædictis corporibus & spiritibus Elixir componendi

nendi ex obscurissimis verbis Hermetis à diuersis Philosophis enucleatis scripti, laudabiliores tamen & eos qui veraciores existunt secundum huius rei proprium euentum semper cum Dei auxilio sum secutus. Itaque tu fili carissime operare secundum quem volueris prædictorum sex modorum, neque ad alios modos tua declinet intentio: quia si secundum ipsos fueris operatus, inceptum opus cum Dei auxilio sine concludes congruo, & exinde laboris mercedem recipies.

Secunda huius artis ratio.

OMnia quidem corpora quæ à Lunari globo inferius à summo condita sunt opifice, quatuor participant elementis, & quatuor naturis, & quatuor naturarum complexionibus, & quatuor principalibus coloribus & quatuor saporibus, & quatuor odoribus, & duobus sexibus. Elementa quatuor sunt, ignis, aer, aqua, & terra: quatuor humores naturales, sunt sanguis, bilis flaua, phlegma, melancholia. Naturæ sunt quatuor, caliditas, frigiditas, humiditas & siccitas. Quatuor naturarum complexionibus sunt, caliditas & siccitas, caliditas & humiditas, frigiditas & siccitas, frigiditas & humiditas. Quatuor principales colores sunt, albus, niger, citrinus, rubeus. Quatuor saporibus sunt, insipidum, acidum, dulce, & amarum. Quatuor odores sunt, bonus, foetidus, acutus, remissus, id est non multum acutus. Sexus duo sunt masculus & foemina. Altitudo corporis est eius manifestum. Profunditas corporis est eius occultum. Et latitudo est eius medium. Participant ergo omnia prædicta corpora secundum has tres dimensiones omnibus prædictis hoc modo: Corpus si in altitudine sua est terreum, in eadem est frigidum & siccum, melancholicum nigrum, acidum, foetidum, foemineum: Et idem in suo profundo est aereum calidum & humidum, sanguineum, citrinum, dulce, odoriferum, masculinum: idem in latitudine sua in vno latere est aqueum, frigidum & humidum, phlegmaticum, album, insipidum, remissum, foemineum: In alio latere est igneum, calidum et siccum, cholericum, rubeum, amarum, acutum, masculinum. Et hæc sunt ligamenta quibus corpora omnia adinuicem colligantur, quod in corporibus congelatis clarissime apprehenditur.

De plumbo.

Incipiam igitur tibi id ostendere, ut perfectius meditari mente, & sermone apertius recitare potero, à plumbo sumpta origine, ut completis & diminutis congelatorum partibus cognitis, & etiam cognito, in qua eorum parte diminutiones sunt completæ, & in qua diminutæ, expedite & absque contradictionibus recte ad operandum procedas. Voco autem hic completas quas in præcedenti parte vocavi sanas, ægras & neutras: Sanitas enim perfecta res est. Aegritudo & neutralitas diminuta. Perfectius ergo magisterium est corpora ad sanitatem, quam ad neutralitatem ducere, cum scienti vtrunque facile sit & possibile. Quidam verò Sophistæ naturarum rerum inscii, & secretum philosophiæ ignorantes, & regimentorum eius improvidi inuenientes scripturas eius de his rebus, easque non intelligentes, cum post opus nihil in manibus suis inueniant, errorem imperitiæ suæ philosophiæ adscribentes, hoc opus non solum difficile, verumetiam impossibile prædicant: de quibus philosophia non curat: non enim omnes ad hoc epulum conuocat, sed illos tantum qui huius mensæ accubitus digni, & istius miri refectioe epuli sunt inuēti. Satage ergo fili, ut non sis Sophista, sed sis Philosophus: ut rerum virtutes non solum meditatione, verumetiam medicatione & experientia cognoscas: Meditatio enim sine experientia nihil prodest: sed experientia sine meditatione proficit. Vnde plus est experientia quam meditatio perquirenda. Quicumque igitur expe-

R

rientiam huius artis fuerit affectus, erit in hac arte philosophus, & inter mensæ prædictæ conuiuas meritò numerandus, & ex ferculis quæ exuperant rei omnis mundanæ precium dulcedine & affectu perpetuo satiandus. Verùm cum de huius rei experientia nemo possit prima fronte esse discretus, tibi suadendum prouidi ut operatione incepta non cesses, si prima vice non fueris operatus, sed bis vel ter & etiam amplius si necesse fuerit reitera, quovsq; quod appetis perfectissimè deprehendas: neq; ab hac re labor inanis inanum rerū, nec expensæ rerum te amoveant: quia cum instantia vinctus, & cum sapientia superabis, & ad id, Deo duce, deuenies quod optasti: & de manuum labore mercedem & lucrum de rerum sumptibus rehabebis: neque indigebis huius operis reiteratione, ex quo semel ipsum perfectè peregeris. Quod si prima vel secunda vice labore fatigatus vel expensis perterritus cessaueris, inde detrimentum & non augmentum te scias incursum. Igitur antequàm incipias delibera, nec inchoes, nisi cōsummare disponas. Sed ne propter hoc nimia suspensione animum tuum arguam, quod tibi sum pollicitus, accipe.

De plumbo rursus.

Plumbum in sua altitudine frigidum & siccum est, argentum nigrum, mole in actu, & argentum in potentia, nigrum, terreum, melancholicum, acidum, foetidum, foemineū: in suo profundo est aurum, calidum & humidū aereum, sanguineum, citrinum, dulce, odoriferum, masculinum: in vno latere est frigidum & humidum, stannum & arg. viu. aqueum, phlegmaticum, albū, insipidum, remissum, foemineum: & in alio latere est calidum & siccum, id est ferrum, vel æs, igneum, cholericum, rubeum, amarum, acutū, masculinum. Cōuertitur igitur plumbum facilius in argentum quàm in aliud corpus, quia facilius est altitudinem corporum detegere, quàm latera eorum vel profunda: Et similiter leuius est manifestare latera eorum quàm profunda.

De stanno.

Stannum in altitudine sua est frigidum & humidum, id est secundum stannum & arg. viu. aqueum, phlegmaticum, album, insipidum, remissum, foemineum. In suo profundo est calidum, & siccum, id est ferrum, igneum, cholericum, rubeum, amarum, acutum, masculinum: in vno latere est frigidum & siccum, id est plumbum & arg. nigrū, terreum, melancholicum, acidum, foetidum, foemineum: in alio latere est calidum & humidum, id est aurum, aereū, sanguineum, croceum, dulce, odoriferum, masculinum: Conuertitur ergo facilius stannum in arg. vel aurū quàm in aliquod aliud corpus, quia facilius est ad latera corporum, quàm ad ipsorum profunda peruenire.

De ferro.

Ferrum in altitudine sua est calidum & siccum, id est ferrum & æs, igneum, cholericum, rubeum, amarum, acutum, masculinū. In suo profundo est frigidum, & humidum, id est stannum & arg. viu. aqueum, phlegmaticum, album, insipidum, remissum, foemineum. In vno latere est calidum & humidū, id est aurū, aereum, sanguineū, croceum, dulce, odoriferum, masculinū: in alio latere est frigidum & siccum, id est plumbū & arg. nigrum, terreū, melancholicū nigrum, acidum, foetidum, foemineum.

De ære.

Æs in sua altitudine est calidum & siccum, id est æs & ferrum, igneū, cholericum, rubeū, amarum, acutū, masculinū: in suo profundo est frigidū, & humidum, id est stannū, arg. viu. aqueum, phlegmaticum, album, insipidum, remissum, foemineum: in vno latere est calidū & humidum, id est aurum, aereū, sanguineū, croceum, dulce, odoriferum, masculinum: In alio latere est

est frigidū & siccum, id est plūbum & arg. nigrū, terreū, melancholicū, nigrū, acidum, foetidum, foemineum.

De argento nino

Argentum viū. in sua altitudine est frigidum & humidum, id est arg. viū & stannū, aqueū, phlegmaticum, album, insipidum, remissum, foemineū: In suo profundo est calidū & siccū, id est æs & ferrum, igneū, choleriū, rubeum, amarum, acutū, masculinū. In vno latere est frigidū & siccū, id est plūbum & arg. nigrū, terreum, melancholicū, nigrum, acidū, foetidum, foemineū. In alio latere calidum & humidum, id est aurū aereum, sanguineū, croceū, dulce, odoriferum, masculinum.

De argento.

Argentum in sua altitudine frigidum est & siccū, id est arg. & plumbū, terreū, melancholicū, nigrum, acidū, foetidum, foemineū: In suo profundo est calidum & humidū, id est aurum, æreū, sanguineū, croceum, dulce, odoriferum, masculinū. In vno latere est frigidum & humidum, id est stannū & arg. viū. aqueum, phlegmaticum, album, insipidū, remissum, foemineū: In alio latere est calidum & siccū, id est æs & ferrū, igneum, choleriū, rubeum, amarum, acutum, masculinum.

De auro.

Aurum in sua altitudine est calidum & humidum, id est aurū, aereum, sanguineum, croceum, dulce, odoriferum, masculinū. In suo profundo frigidū & siccum, id est plumbū & arg. nigrum, terreū, melancholicum, acidū, foetidum, foemineū. In vno latere est frigidum & humidū, id est stannū & arg. viū. aqueum, phlegmaticū, album, insipidum, remissum, foemineum: in alio latere est calidum & siccū, id est ferrum & æs, igneum, choleriū, rubeum, amarū, acutum, masculinum. Hæc est enim omnium corporū adinuicē convenientia, quam videntes Philosophi æstimarunt vnum posse in aliud transformari, & eorum æstimationem confirmauit actus. Conuerterunt enim argentum in aurum, vel e conuerso, & sic de reliquis secundum generationem & corruptionem. Nolo autem vt mireris si Sol in quacunque dimensione fuerit corporeum, & solus obtineat ne cum eo aliquod aliorum corporum habeat societatem: hoc enim suæ naturæ temperantia, & suæ substantiæ puritas & nobilitas meruerunt. Et propter hoc etiam inter omnia corpora obtineat principatum. Nolo etiā vt mireris, si arg. viū. inter corpora nunc & inter spiritus in precedentibus numeretur: suæ nanque naturæ conuertibilitas exigit, vt nunc corporibus nunc spiritibus societur. Spiritibus enim sociatur rationabiliter propter fugacitatem ab igne, quam habet antequam corrigatur, & quia exaltat in examinatione corpora, cum est correctum. Corporibus quoque de iure sociatur, quod in ipsum omnia corpora verti possunt, & ipsum ab omnibus corporibus potest reduci, vel quia per admistionem sulfuris cum eo, ex ipso omnia corpora originem sortiuntur, quod patet in generatione omnium metallorū.

Auri generatio.

Aurum generatur ex arg. viūo claro, misto cum sulfure rubeo claro, & in corde terræ longo tempore excoquitur calore modico. Et quia per longa tempora calore modico aurū decoctum est, & ipsius natura clara fuit, ideo coheserunt partes suæ adinuicem, quoad solidum graueq; fieret: ideo ne quæ sub terra putrescit, nec ab igne facile comburitur.

Argenti generatio.

Argentum generatur ex arg. viū. claro, misto cum sulfure claro, albo, & aliquantulum rubeo: & quia parum rubei sulfuris affluit, ideo non admodum auri subrufum fuit.

Capri generatio.

CVprum vel æs construitur ex arg. viuo turbido & spisso, & sulfure turbido rubeo mistis adinuicem, & diutius etiam quàm aurū excoquitur calore maximo: & quia multum est in decoquendo combustum, ideo multum roboris obtinet: laxi etiam est corporis propter eandē causam, quod perpenditur, quia vapor aceti subintrat corpus eius, & ipsum in colorem viridem dissoluit, qui flos æris nuncupatur.

Ferri generatio.

Ferrum oritur ex arg. viuo turbido misto cum sulfure citrino turbido, & cupro vel ære diutius excoquitur calore modico, vnde solidius est ipso, & ad virtutem ignis tardius ære fluit: quia calore modico longo tempore decoquitur, ideo constringunt se bene partes, nec est laxi corporis vt æs.

Stanni generatio.

Stannum oritur ex arg. viuo claro misto cum sulfure albo claro, sed tamen paruo tempore decoquitur calore modico: vnde si diu decoqueretur, in optimum argentum transiret.

Plumbi generatio.

Plumbum construitur ex arg. viuo grosso misto cum sulfure albo grosso, & parumper rubeo: quod autem ex sulfure albo factū sit, percipitur, quia aceto adhibito dealbatur. Et quia parum sulfuris vis rubeo affuerit declaratur in plumbo cum cōburitur: tunc enim coloris rubei efficitur, quod à magistris Sericon appellatur.

*Tertia pars huius artis.**Partitio.*

Consequentis sermonis eloquio, corporum mineralium hactenus explicitis infirmitatibus, & complexionibus mineralibus quoad subtilius excogitare potui: Deinceps ad eorum practican per spicaciter intimandā cum Dei auxilio proficiscar. Cum igitur sales & alumina præparata & aque penetrantes & serenantes ex eis compositæ secundum huius artis complexionē vltima reperiuntur, secundum tamen actionem eiusdem prima existunt, utpote quia sunt radix & fundamentum omnium purgandorum, ideo ab eis tertiā quam de huius artis practica instituam, exordior rationem.

Separatio salis communis ex salis gemme.

Accipe de quocunque horum volueris partem vnā, & in quatuor partes aquæ pluuialis claræ ipsum dissolue, & distilla per filtrū, & decoque in vase vitreo cum igne leui donec aqua consumatur, & sal in fundo vasis coaguletur: hoc facto, desicca ipsum cum igne leui vel ad Solem, & tunc cōtere ipsum, & imple ollam vitream vel vitreatam, & exclude os eius cum cooperculo lutato luto sapientiæ, ita vt non respiret, & tunc mitte ipsum in furno panis calefacto per noctem, & in mane extrahe, & aperī ollam, & salē qui est in illa dissolue iterum in quadruplo sui aquæ prædictæ, & distilla per filtrum, & congela vt dictum est: & hoc reitēra donec strepitus vel crepitus sint sopiti, quod fit post tertiam reiterationem: & tunc erit optimē separatum.

Additiones. Salem sic separa ex alio libro: Funde in aqua calida, cola & congela.

Preparatio salis communis ex libro Emanuelis.

Sal commune album quantum vis frica inter manus cum aceto acerrimo facto de vis acerrimis, & sicca ad Solem, hoc faciendo septem vicibus. Et quod erit clarum & limpidum inter duos linteolos pone, & caue a puluere vsque in finem huius regiminis: Deinde exiccatum tere & cribra cū cribro. Accipe subtiliores illius partes, sicca in furno vt melius soluantur, & solve in du-

in duplo sui de aqua dulci, scilicet aqua putei & tepida donec solvatur parum & parum in cacia ferrea, & coletur per duos sacculos lineos, & claude in cucurbita magna cæca, id est clausa: pone in fimo equino per septem dies: post septimū diem extrahe à fimo, cola per sacculos lineos in caldario optimè stagnato habente decem foramina ampla ad modum trium digitorum in summitate coöperculi, deinde pone in loco congelationis decoquendo ipsum lento igne de lignis salicis per diem vñū donec congeletur & aqua evanescat: deinde accipe de duobus salibus, scilicet de albo & viridi, & tere separatim, & desicca in furno per vñum diem extracto pane; deinde solve in duplo sui de aqua dulci tepida, & cola in cucurbita & dimitte per sex dies: post extrahe & cola in caldario coagulationis, donec aqua consumetur per foramina in fumū & sal erit coagulatum: Tunc aperi ista duo caldaria, & in vnoquoque inuenies saporem sapientum albi coloris, & saporem viridem à viriditate æris. Tunc accipe separatim & desicca in furno, & separatim solve, & separatim in fimo pone, & separatim congela donec perueniant ad hunc ordinē in septem diebus: Et quando erit factum, probetur super carbones vtrum fumet vel non, vel in lingua liquecat, vel in manu. Solutio eius est, vt ponas in viscere, id est ampulla de vitro albo, & suspende super fumum qui exit de ventre equi, & per diem vñum soluetur & mutabitur in aquam crystallinā, deinde distilla per alembicū cum amplo foramine ad modum vñius digiti, & totum cum lento igne in balneo aquæ, quia in cinere sine humore congelaretur: deinde fundetur super carbones in crucibulo donec fundatur & vertatur in naturam corporis, deinde dimitte in frigidari: Et quando erit frigidum, conuertetur in naturam salis, quem postea bene tere & solve in aqua.

Salis alkali separatio.

Accipe de alumine allofor, id est alkali bene trito partem vñā, & super ipsam proijce aquæ pluuiæ partes sex, & dimitte eam incerare in ea aqua tribus diebus, & moue quotidie bis vel ter cum baculo, vt melius fiat dissolutio, tunc distilla per filtrum, prius tamen bulliat in caldaria stagnata, donec sexta pars aquæ cōsumetur: tunc huiusmodi aquam congela, vt prædictū est. Deinceps fiat vt dictum est in sale comituni: hoc est dissolue ipsum in quadruplo sui tantum de aqua pluuiæ, & distilla per filtrum, & congela, & hoc reitèra, donec inuenias ipsum super ignem sine strepitu, & tunc erit optimè separatum.

Aluminis separatio.

Accipe de ipso albo plumoso partem vñā & dissolue ipsum in quadruplo sui vrinæ puerilis antiquatæ, & prius decoctæ ad tertiam sui partem, & tunc distilla per filtrum, & mutetur de vase in vas, donec nihil facis inueniatur in fundo vasis, vel distilla eam post sui decoctionem per alembicum, quod melius est: facta dissolutione distilla per filtrum, & tunc decoque cum igne leui vsque ad consumptionem vrinæ, & erit optimè separatum.

Atramenti separatio.

Fac per omnia de ipso vt fecisti de alumine iam eni, & erit optimè separatum.

Nitri separatio.

Tere ipsum fortiter cum aqua salis cōmunis bis vel ter, & tūc ablue ipsum cum aqua dulci donec sapor salis omnino recedat: postea funde ipsum, & erit optimè separatum.

Additiones. Regimen salis nitri: Accipe de eo, ablue in aceto acerrimo mali granati duabus vicibus, & sicca ad Solem: deinde solve in duplo sui de aqua putei, & cola & dimitte in fimo per diem vñum ad magis subtiliandum;

deinde cola & congela in cinere in cucurbita habente tria foramina ad modum unius digiti, deinde solue sub fimo in ampulla, postea distilla semel & reconde aquam perfectam.

Regimen salis Atincar.

Recipe salem armoniacum, salem nitri hoc est alkali, salem communem ana de vno quoque lib. semis, & de melle cocto & despumato vncias quinque & de sero acetoso quinque vicibus distillato per pannum vncias decem, & de vrina puerorum duodecim annorum vncias quindecim, omnia misce simul, & solue & pone sub fimo duobus diebus, deinde congela in cinere per diem vnum apertis foraminibus cucurbitae: postea solue in viscere (sive cucurbita) sub fimo, & reconde aquam perfectam. Ista est aqua cum qua congelatur arg. vna sine sublimatione & mortificatione: quoniam si posueris ipsum in crucibulo, & calefeceris parum, & proieceris desuper tres guttas de hac aqua, congelatur, & mutat res in infinitum, & cum eo soluis omnia corpora & spiritus: & valet ad Solem & Lunam secundum quod corpus fuerit preparatum ad alterutrum.

Regimen nitri Indici, tere & ablue cum aceto de vino rubeo & mali granati quinque vicibus, deinde funde & extingue ipsum in aqua salis communis & armoniaci de vnoquoque ana vncias duodecim. In his quinque vicibus erit calcinatum in subtilem puluerem, cui non est par ad Solem. Regimen nitri violacei, tere & ablue cum aceto sorbarum & mali granati septem vicibus, & sicca ad Solem vel in cinere, deinde funde in fortissimo crucibulo ferreo, & extingue in aqua salis communis & armoniaci. Regimen nitri rubei, tere & ablue in aceto mali sylvestris & citoniorum & in aceto prunellorum de spiritibus decem vicibus, deinde funde his decem vicibus, & extingue in aqua omnium salium, id est aqua atincar, & erit calcinatum in calcem Solis, quae dicitur Calx Soldani Babylonis. Regimen nitri albi, tere nitrum, & ablue cum aceto acerrimo albo viginti vicibus vna die, & sicca ad Solem post abluitionem, deinde funde viginti vicibus in cacia ferrea, & viginti vicibus extingue in aqua salis communis & alkali: erit calcinatum in calcem Lunae cui non est par, videlicet ad Lunam.

Taki separatio.

Accipe de eo quantum vis, & contere ipsum in pelle otina vel vaccina & lapillis crystallinis vel similibus sicut scia: & tunc ignias ipsum in cacia ferrea septies, omni vice extinguendo ipsum in aqua salis armoniaci & alkali & nitri salium preparatorum ana commistis, & erit optime preparatum.

Plumborum duorum separatio.

Funde de quocunque horum volueris quantum vis, & tunc ipsum colat, & calidum extingue septies in aqua salis armoniaci, & erit optime separatum.

Ferri ex eris separatio.

Laminas cuiuscunque horum volueris ignitas extingue in aqua hac. R. salis armoniaci, baurac, nitri, atramenti, aluminis iamini omnium ana vncias quatuor, salis communis, salis gemmae ana vncias duas, & projice super ipsa aceti vini albi lib. vna & semis, pone ad Solem diebus septem, donec in ea dissoluantur, & quanto plus steterit, melius erit.

Argentii separatio.

Accipe de eo quantum vis & funde eum in cineritio examinationis cum plumbo, postea fac ex eo laminas ad grossitatem tui unguis, & cimenta eas cum limatura chalybis pertenui, quae prius aceto & sale fuerit fortiter incerata (sale & aqua prius abluta, & per noctem in duplo sui de aceto forti fuerit macerata) & fac eas morari in furno panis optime calefacto per noctem v-

tiam

nam, & in mane extrahe & dimitte infrigidari, & separa laminas à limatura, & funde eas & erit arg. optimè separatum.

Sulfuris solutio.

Tere ipsam super tabulam vitream donec sit vt medulla: cum quo teras quantum est ipsius quarta de sale armoniaci, deinde in aere delicca: postea imbibe ipsum ex aqua salis armoniaci sublimati, quæ sit tanta quantum est eius pondus aut parum plus: deinde pone ipsum in vas super quod sit aliud vas: Postea inhuma ipsum in fimo quatuordecim diebus, & muta fimum seu stercus singulis tribus diebus: Resudabit enim vel soluetur si stercus fuerit calidum: & si non, tere ipsum bene cum aqua salis armoniaci, quanuis in eo remanserit aliquid ex ea ne cures inde, & inhuma ipsum donec soluatur. Quod si ante quatuordecim dies soluatur, non tamen extrahas donec dies compleatur: Stercus verò singulo triduo muta, & scias pondus sulfuris & aquæ, & cū soluetur, pondera ipsum. Quod si fuerit eius pondus cuius erat prius, bene erit: si fuerit minus, tanto erit melius: Et si fuerit plus, scias quod augmentū salis armoniaci est in ipso: Quod extrahes aut calefaciendo ipsum in vase aliquo, aut sublimando donec redeat ad pondus sulfuris: Deinde distilla ipsum: & qualis fuerit claritas, talis erit eius tinctura: si enim fuerit rubea, erit rubea: & si fuerit alba, erit alba. Congela cum ipso spiritum quemcunque volueris, & fige cū ipso, & calcina cum ipso, & cera cum ipso.

Modus distillandi est, vt sumas sulfur solutum & salē armoniacum, & ponas in vna cucurbita, & distillabitur in primis aqua salis armoniaci: pondera ipsa donec egredietur, quod sit parum maioris ponderis: Aqua enim salis armoniaci est subtilis, & aqua sulfuris est grossa sicut lac: Diuide & operare cum eo in eo quod volueris, quoniam bonū est. Est autem sulfur difficile ad soluendū tamen sustinere patienter. Eius altera solutio absque sale armoniaci est cum oleis: Aqua enim sulfuris est sicut oleum: acetum quoque soluit ipsum & cerat, & extrahit arg. eius viu. & rectificat ipsum, & facit ipsum Elixir, & ipsum dissipat & rectificat. Habes in Alberto in additionibus in cap. solutionis spirituum, secū dum Rasim in lib. de Lumine luminum, hoc expositum.

Sulfuris calcinatio.

Sulfur quantum vis tere & cribra & imbibe cum aqua salis armoniaci, & aceto mali granati: Et si erit ad Lunam, cum aqua salis cōmunis & aceto acerrimo de vino albo tantū, donec cum contritione & imbibitione cōmuniter desiccetur in cinere decem vicibus in vno die: deinde pone in vase sublimatorio & sublima sex vel nouem vicibus: quod est vltimum tam ad Solē, quam ad Lunam, ex libro Emanuel.

Sulfuris separatio.

Accipe de eo bene trito quantum vis, & pone ipsum in sacco lineo largo, & liga os sacculi, & pone in concha in qua sit lixiuum ad medietatē ponderis sulfuris de calce viua bene trita, & super calcē pone sacculū cū sulf. & desuper sacculū pone de calce viua tantū quantū est totū sulfur, & tunc pone conchā super recipiēs suū, & infunde desuper de optimo aceto (alibi dicitur fortissimo feruēte) donec calx per optimē sit extincta: & hanc vaporatōnē reitera septies omni vice renouādo calcē viuā: & tunc extrahe sulfur de sacco & pone ipsum in vase vitreo & decoque ipsum in capitello fortissimo in quo solutū sit prius in quaduplo sui de sale alkali & aluminis iamēni, nītri, salis armoniaci ana partem vnā, & decoque in igne leui cum suis vasis aqua & cinere mediante (alibi habetur in aceto vaporatōnis rerum suarum cum igne leui donec totum consumatur, tunc desicca & c.) per diem & noctem vnā;

R 4

tunc collige ipsum ut scias, & sicca & pondera: si fuerit libra una, adde ei limaturæ ferri subtilis uncias octo, & frica fortiter insimul cum fricatoria in paropside vitreata, & rora cum quatuor vel tribus ad minus uncias aluminis iam eni extincti & dissoluti in octo uncias aceti distillati, & frica (vel tere) fortiter, & tunc addes uncias quatuor calcis viuæ, uncias sex spumæ maris, & iterum frica hæc omnia fortiter in paropside prædicta, & tunc desicca peroptime ad Solem vel ignem lentum & tere peroptime & cribra per sedacium spissum, & tunc pone in aludel super stratum salis gēmx & sublima ipsum ut dictum est de mercurio, & reiterabis sublimationem & compositionem prædictam, & erit oleum optime separatum: Serua ergo ipsum ad horam necessitatis in vase vitreo.

Modus rubificandi ipsum.

Modus est vnus cum tincturis extractis de animalibus & arboribus vel lapidibus: Et alter est cum aquis rubificantibus, quæ sunt de speciebus limpidis: Et est magnum secretum cum funditur aliquis horum spirituum in operatione, tunc enim est Elixir magnum.

Auri separatio.

Fac de eo laminas ad modum tuxæ vnguis, & eas cementa cum hoc puluere, R. salis communis separati partes duas, lateris antiqui in ripis fluxionum & in litore maris reperti, quod melius est, partem vnā, tere optime & cribretur per sedacium spissum: tunc laminas dictas sic cementatas fac morari in medio athanor super tripodem per diem & noctem vnā, & implendo athanor, id est furnellum carbonibus viuis, & quum minuantur addendo semper de alijs, tunc igne remoto & infrigidato aperi crucibulum, & inuenies aurum optime separatum.

Argenti vni separatio.

Accepe de eo quantum vis & mortifica ipsum cum pondere sui atramenti separati, & cum tantundem salis communis separati torando cum forti aceto & assando in furno panis calido per noctem toties donec sit optime mortificatum: & tunc tere ipsum optime, & mitte ipsum in aludel super stratum salis gēmx, & accende leuem ignem donec humor cesset, & tunc vigora ignem paulatim donec totum arg. viu. ad vasis latera sublimetur, & hanc sublimationem reitera toties donec sit albilissimum, semper renouando omni vice prædictam compositionem, & erit optime separatum.

Alia separatio mercurij que in pluribus libris reperitur.

Accepe libram vnā ex eo & mortifica ipsum cum pondere sui atramenti separati, & salis communis separati uncias octo, & aluminis iam eni separati uncias quatuor, & iterum soluti in fortissimo aceto in duplo sui torando prædicta cum medietate huius aceti, in quo scilicet alumen iam eni est dissolutum, & frica fortiter in paropside vitreata, ut videatur quasi terra torrida: postea assa in furno panis in vase concluso, ita quod non respiret aliquo modo per noctem vnā, & in mane extrahe, & pone in paropside & rora ipsum iterum, & frica cum medietate aceti quod reservasti, & pone iterum in furno ut prius: tunc tere ipsum fortiter & cribra per cribrum spissum & pone in aludel supra stratum salis gēmx & pone ipsum super athanor, & fac sub eo ignem cum tribus vel quatuor carbonibus, donec omnis humorositas cesset, & tunc vigora ignem paulatim donec totum arg. viu. ad vasis latera sublimetur, & hoc reitera ter vel quater donec simile niui sublimetur, omni vice renouando compositionem prædictam, & erit optime separatum.

Additiones. Alibi sublimatur sic: R. de eo lib. 1. atramenti citrini boni lib. 1. salis communis albi combusti, lib. 1. aluminis de glacie lib. 1. tere omnia super por-

porphidum, quousque mercurius ibi mortificetur, ita quod nihil de eo viuum appareat, sed fiat totum nigrum ut lutum: postea pone in vase sublimationis, & sublima cum lento igne donec mercurius sublimetur: reduc eum iterum ad faeces suas imbuendo cum pauco aceto, & iterum sublima ut prius: ita fiat ter aut plus, donec sit albus.

Alibi ex libro Emanuel sic sublimatur.

Accipe de eo quantum vis, sicca & imbibere cum reiteratione fortissima in Sole in diebus Canicularibus donec erit massa dura cum aqua salis communis & aceti & aqua aluminis tamen si erit ad Lunam: si erit ad Solem, cum aqua salis armoniaci & atramenti. Deinde tere & pone in vase sublimationis, & sublima ipsum septem vicibus (vel undecim quod est ultima) tribus horis cum igne debili, & quatuor cum igne forti: non est tale super terram.

Arsenici separatio.

Vapora ipsum prius, ut docui te vaporare sulfur cum calce & aceto: & si non vis ipsum vaporare, non est vis: tere ergo ipsum vaporatum vel non vaporatum, peroptime cribra, & adde uncias quatuor (vel octo) de calcute (id est vitriolo) & uncias quatuor cerussae plumbi & rora cum uncis quatuor vel tribus ad minus aluminis tamen dissoluti in octo uncis aceti distilla ei ut fecisti in sulfure, & tunc pone ipsum in aludel, siue in vase sublimationis super stratum salis gemmae, & sublima ut scis: & itera hanc sublimationem, & erit optime separatum, semper renouando dictas faeces.

Arsenici calcinatio.

Tere, cribra, & imbibere cum aceto accerrimo, in quo solutae sint unciae decem de sale aliquantulum preparato, & si erit ad rubeum, cum aceto mali granati in quo sit solutum sal armoniacum, quod melius augmentat tinturam rubeam: Deinde postquam erit bene tritum cum imbibitione, & de siccatione quatuor vicibus in cinere, pone in vase sublimationis & sublima quinque vicibus vel septem, quod est ultimum super eandem faecem: Et valet tam ad Solem quam ad Lunam. ex Eman.

Salis armoniaci separatio.

Accipe de eo trito lib. 1. de spuma maris uncias quinque vel sex & de sale gemmae uncias duas, de sale communi & aluminis tamen ana unc. duas coteret haec omnia simul fortiter & cribra per sedacium spissum, & tunc mitte in aludel super stratum salis gemmae, & sublima ut scis, & itera super ipsum semel compositionem & sublimationem, & erit optime preparatum. observa bene.

Tutiae separatio.

Accipe de ea quantum vis, & ignitas eam in cacia ferrea septies, & omni vice extingue eam in aceto vini mirae fortitudinis, tunc redde ei acetum, in quo extincta est, terendo & imbibendo super marmor, & siccando ad Solem & tunc sublima eam sicut scis, et erit optime separata.

Magnesiae & marchasitae separatio.

Accipe de quacunque harum volueris quantum vis, & ignitas eam in cacia ferrea septies omni vice extinguendo eam in aceto fortissimo sicut dictum est de Tutia, sed tamen qualibet vice post extinctionem extrahatur ab aceto, & ponatur super porphidum vel porphyriten lapidem & fricetur fortiter, & cum aqua dulci abluatur. Hoc facto, igniatur ter, & omni vice extinguatur in aceto citrino, & erit optime separata.

Preparationes salis communis, salis gemmae, & alkali.

Accipe de quocunque volueris separato partem unam, urinae puerilis antiquatae & decoctae ad tertiam sui partem & distillatae per filtrum partem

duas & dissolue ipsum in ea, & distilla per filtrum & congela cū igne leui sicut scis, & sic itera sex vicibus, sed omni vice post coagulationem fac ipsum morari in vase concluso in furno panis per noctem vnam: hoc facto decoque ipsum ter, omni vice in duplo sui de aqua hae, R. laci lactis acetosi caprini partes quatuor, olei cōmunis abluti cū aqua dulci, & per alembicū distillati, vel pinguedinis testudinis, quæ melior est, mellis albi despumati ana, & omni vice coagula & assa ipsum in furno panis qualibet vice sicut predictū est. Tunc solue ipsum per se in vase solutionis vt scis, vel in aqua animalis semel distillata, quod erit factum die vna, & tunc distilla per alembicum, & adde ei æquale pondus sui de aqua aluminis (animalis) septies distillata per alembicū quatuor vicibus cū aqua vel cinere, et tribus cum cinere sine aqua: Et tunc coagula cum vase coagulationis cum igne leui, aqua et cinere mediante, ita quod tota aqua consumetur vel coaguletur cum eo: tunc resolue ipsum ter, et omni vice distilla per alembicum et coagula et proba ipsum super laminā ignitam, qui si fluxerit ad modū cere vel plumbi, factum est: si non, reitera super ipsum vltimū opus donec sic contingat, et tunc erit optimè præparatum.

Aluminis iameni preparatio

Accipe de eo separato partem vnam, & dissolue, & in vase solutionis cū aqua animalis (seu vrina) semel distillata per alembicum & coagula: Et tunc adde ei tantundē predictæ aquæ animalis, & coagula insimul, sicut prædictum est in salibus, hoc est, vt totum coaguletur cum ea, & sit prius septies distillata per alembicum, quatuor vicibus cum aqua & cinere, & tribus cum cinere: tunc iterum dissolue & distilla prædicto modo per alembicum & coagula sicut scis in vase coagulationis, & ita fac donec currat super laminas: & erit optimè præparatum.

Aliter. Pone alumen iameni in ollam vitreatam & argillatam, & pone in furno panis per diem vnam, deinde extrahe & tere, & imbibe cum aqua salis communis soluti in aceto de vino albo & vrina pueri duodecim annorū: Sed de sale & aceto & vrina æqualia sint pondera, distemperetur, et per pannū coletur, et de hac aqua imbibe cum trituratione et desiccatione aluminis iamenti quinque vicibus, & erit nimis albū: deinde pone in viscere (id est cucurbita vel bocia) sub fimo per diem vnum, et soluetur, distilla semel, deinde congela vsit niuei coloris: deinde reconde, quia omni die potest dissolui citissime in aquam claram: Et est vnum de retinaculis, tamen habet potestatem soluendi. Et etiam eadem est præparatio aluminis zucharini. Ex lib. Emanuelis.

Vitreoli preparatio.

Accipe de eo quantum vis vt prius, & ignias & extingue sicut præcepi de Tutia in aceto, postea solue ipsum in vase solutionis cum tantundem sui aquæ vitæ præparatæ: & cum bene solutū fuerit distilla per alembicum donec tota aqua distilletur rubicunda & clara, & tunc eam coagula: Et hoc opus itera super ipsum, id est solutionem & distillationem, & coagulationē, donec super laminam velocissimè fundatur, & tunc adde ei æquale pondus sui de oleo aluminis rectificato cum suo igne: tamen sit oleum prius distillatum & rectificatum rubeum, tunc ambo, id est oleum dictum & aqua salis vitreoli rubicunda, & sal eius rubeum dictum iungantur insimul & rectificentur insimul semel, & erit optimè præparatum.

Nitri preparatio.

Accipe de eo separato quantum vis & funde ipsum & extingue septies in aqua salis communis præparati, & tunc conterere ipsum & ablue à sale cum aqua dulci, postea sicca ipsum & pondera & adiunge ei medietatē sui de plum-

plumbo præparato, et funde insimul, et iterum tere: et tunc adde ei æqualiter pondus sui de mercurio optimè separato, et contere insimul torando cū aqua salis cōmunis præparati, et assando in furno panis per noctē: Et tunc sublima fugitiuū ab eo toties donec totus in fundo vasis cum eo remaneat: tunc abluē inde salem cum eō aceto distillato, quo factō sicca totum illud per optimē, et cetera cum aqua vitæ et solue in furno: Et fac postmodū de eo per omnia, vt dicam in præparatione auri, id est distilla per alembicū et cōgela et cera cū oleo philosophico, et erit optimē præparatum.

Talci præparatio.

Accipe de eo separato quantum vis, & pone iterum in sacculo lineo spisso rotundo, & largo, & liga os eius & suspēde ipsum super vaporem huius aquæ: R. vrinæ sublimatæ partes duas, salis armoniaci partem vnā, & maneat sacculus super huiusmodi aquam tribus diebus & totidē noctibus. Quarto die aperi sacculum & intromitte de lapillis albis ad sufficientiā, & tunc os sacculi liga strictē, & pone ipsum in scutella vitreata, & projice super ipsum de aqua, cum qua fuerit vaporatum, & frica fortiter inter manus, donec talc per poros sacculi exiens, in fundo scutellæ decidat: tunc dimitte ipsum residere, & effunde aquam subtiliter, & inuenies ipsum in fundo scutellæ similē arg. viuo præparato & soluto & distillato per alembicū, tunc pone ipsum ad soluendū in solutione nostra: & cum fuerit aqua clara, imbsbe ex ea pondus sui de arsenico administrato, & iterum mitte ad soluendum, et cum solutum fuerit distilla per alembicum ita vt nihil remaneat in fundo cucurbitæ, et fiet aqua valde peruisa, et coagula eam, et cera in crucibulo tenui super ignem lentum cum oleo albo philosophico sicut scis, ita vt currat ad modū ceræ vel plumbi ad minus: et de hoc cerato projice pondus vnū super cētum cufuscunq; vis duorū plumborū separatorū, et fiet Luna melior ea quæ est de mineris cum Dei auxilio, et eius virtute.

Auri præparatio: et hic est modus faciendi ex omni corpore lapidem seu Elixir quodlibet secundum suam speciem: uel compositē, si mixtionē intelligas: ideo nota.

Accipe de eo separato vel subtilissimè limato quantū vis, & sublima ab eo æquale pondus sui de arsenico vel sulfure rubeo sublimato ad rubeū, & albo ad album, donec medietas eius cum eo in fundo vasis figatur. Et imbsbe totum hoc de pondere sui aquæ salis cōmunis separati & persoluti, & sicca & assa in furno calcinationis die & nocte vna, tunc abluē inde salem cum aqua dulci, & sicca iterum: & tunc cera ipsum cum sale armoniaco separato rubeo ad rubeū, & albo ad album, & tunc pone totū ad soluendum donec aqua clarissima fiat: Et tunc sublima huiusmodi aquā & distilla per alembicū, & coagula & cera in crucibulo super ignem cum oleo philosophico fixo rubeo ad rubeum, & albo ad album. Et tunc projice de ipsō si est ad rubeum super argentum & fiet aurum bonum: & si est ad album, super æs, & fiet arg. bonum.

Alia præparatio auri que alibi reperitur.

Accipe de eo separato & subtilissimè limato partem vnā, & æquale pondus sui de arsenico sublimato rubeo, & frica insimul fortiter, & pone in aludel cum tantundē salis cōmunis præparati rubei & sublima arsenicū ab eo bis vel ter, & erit optimē præparatum.

Additio. Accipe bonum aurum purum, & habeas coram te paropsidē cū aqua munda dulci, & habeas cotem asperam mundam, cuius vnum caput teneas in manu tua, & aliud stet in fundo paropsidis in aqua, et tunc frica aurum in cote sæpe madefaciendo cotem cum aqua, quia limatura descendet ad fundum vasis subtilis: fac ergo tamdiu quod limetur de auro quantum volueris:

deinde permitte ita per horam, et projice aquam cum facilitate, et ablue ter et sicca. Eodem modo facias de argento: sunt qui limant cum lima subtili, et ita utuntur. Ex lib. de Artibus Romanorum.

Argenti preparatio.

Fac de limatura argenti separati per omnia ut de auro dixi: hoc est sublimabis eo equale pondus sui de arsenico vel sulfure sublimato rubeo ad rubescere et projice similiter ipsum super arg. vel æs.

Alia preparatio argenti.

R. de limatura argenti separati quantum vis, et fac de ea cum sublimato arsenico albo per omnia, ut dictum est in auro.

Plumborum duorum preparatio.

Recipe de quocunque eorum volueris separato partem unam, & funde ipsum in cacia ferrea, & projice super ipsum pondus sui de sale communi separato & pulverizato, & commove fortiter cum instrumento ferreo donec totum plumbum in pulverem convertatur, tunc ablue ab eo salem cum aqua dulci, & desicca pulverem illum & pondera, & imbue ipsum cum tantundem sui de aqua salis communis separati, & per se soluti, & tunc pone in crucibulo bene concluso ne respiret, & fac ipsum stare in furno calcinationis per tres dies & noctes: tunc eo infrigidato extrahe inde sal omnino cum aqua dulci, & tunc iterum ablue cum aqua dulci de paropside in paropsidem ad modum cerussæ, ita ut fiat albavix nix: tunc desicca ipsam ad Solem, & postea fac de ipsa per omnia ut prædixi de limatura argenti: & erit optime separatum.

Ferri et æris preparatio.

Accipe de quolibet horum volueris separato & subtilissime limato partem unam, & ablue ipsum ter omni vice cum medietate sui de arsenico, cuius medietas sit præparata ad comburendum corpora, & alia medietas separata solum, & fac ipsum manere in athanor calcinationis per diem & noctem: & omni vice fac ipsum descendere cum oleo (tartari) & per botum barbatum donec album & clarum descendat, & tunc tere ipsum & lima subtiliter & rora ipsum cum aceto fortissimo in Sole calido donec ipsum optime rubificetur: tunc pondera ipsum et adde ei tantundem arsenici rubei, et fac deinceps per omnia ut prædixi de auro.

Argenti vivi preparatio.

Accipe salis armoniaci, salis aluminis iamenti, cuperosæ ana vnc. tres, dissolve hæc in quatuor libris aceti distillati, & tunc mitte in ipso lib. unam cerussæ stanni, & fac ipsam manere intus per mensem vel amplius, quia quanto plus intus steterit, tanto melius est, & moue ipsam quotidie bis vel ter, & cum operari volueris, dimitte quiescere, donec clarificetur: & extrahe inde aquam claram caute, & distilla ipsam per filtrum: tunc congela ipsam, & congelatam pondera, & ipsum imbibe cum tertia parte sui de aqua calcinata alba ad album, & rubea ad rubeum: & tunc assa in furno panis per noctem, & post dissolve per se sicut scis, & inde imbibe mercurium separatum ad pondus eius paulatim super porfirium, & sicca bene & sublima sine strato aliquo alembico superposito cum suo recipiente, & quod sublimatur reduce super facces suas terendo super marmor, redde ei aquam quæ ab eo distillauit: & sic reitera toties, donec inde nihil sublimetur: Et tunc remoue sales abluendo cum aqua dulci, & tunc pone totum illud ad descendendum, & fac descendere in laminam, & cum descenderit fac sub eo ignem septem diebus secundum quod dicam inferius in operatione verissimi Elixir: tunc fac de eo ut fecisti de auro.

Alta

Alia preparatio mercurij, & calcinatio eiusdem, que habetur alibi.

Recipe salis alkali, salis gēma, salis aluminis, salis armoniaci separatorum partem vnā, & solue hæc omnia in duplo eorum de aqua occulti lapidis albi sublimata ter sine inhumatione, & dimitte quiescere die & nocte vna, tunc distilla per alembicum & coagula cum igne leui in vase coagulationis, tunc resolue ea prædicto modo ter, & distilla per alembicum & coagula, & proba super laminam ignitam, & si se resoluerit vt cera vel plumbum, factum est: sin autem, reitera super ipsum vltimum opus donec sic contingat, & erit Atincar. accipe igitur mercurij separati partem vnā, & de prædicto atincar per se soluto tantundem, & inde imbebe mercurium paulatim super porfidū, & cum totū absorbuerit desicca ipsum leuiter, & pone in aludel sine strato aliquo: & alembico superposito cum suo recipiente, & obturatis iuncturis cum luto magisterij sublima ipsum: & quod sublimabitur reduc super fæces terendo super porfidum, & reddendo ei aquam quæ ab eo distillauit, & sic itera toties donec indenihi sublimetur: & erit mercurius bene calcinatus & præparatus. Tunc accipe de aqua pluuiā distillata per alembicum & solue prædictam sublimationem in quadruplo sui huius mercurij aqua, ita quod totū atincar dissoluatur in ea, & mercurius remaneat in fundo paropsidis calcinatus. Cola igitur inde aquam cum filtro, & ita fac donec omnis falsedo recedat: tūc desicca ipsum & serua in vase vitreo ad horam necessitatis.

Sal atincar.

Calcinatio mercurij. Accipe salis cōmunis, salis gēma, & aluminis iam enana quantū vis, & solue: de hac aqua imbebe super marmor mercurium sublimatum terendo quousque satis biberit. Postea pone in cucurbita cum alembico & desicca: semper autem reddatur ei sua aqua distillata ab eo donec totā biberit, nec ascēdat: postea dissolue in aqua pluuiā, & inuenies in fundo mercurium album.

Additio alia.

Solutio ipsius.

Accipe salem armoniacū præparatum cum vrina præparata quousque sit lactea & dissolue in fimo equino sicut scis, et congela. **Additio.**

Auripigmenti sublimatio.

Recipe auripigmenti præparati lib. vnā, & batituræ cupri aut æris lib. .i. salis gēma aut salis cōmunis lib. .i. & hæc tria tere bene super lapidem marmoreum & misce bene & tere minute: deinde fac lectum vnum salis cōmunis in sublimatorio, & super illud stratum pone auripigmentū cū sua medicina, & sublima totum insimul vt sit in mercurio: Sed in hoc non requiritur tantus ignis, quia sulfur & auripigmentum citò comburuntur: & quando fuerit sublimatum videas si quid manserit in fæcibus: si sic, iterū sublima fæces quousque intus nihil remaneat, & pone cum illo sublimato & sublima ter, & serua mundē.

Aliter sic sublimatur.

R. auripigmenti præparati lib. .i. salis cōmunis præparati lib. .i. stanni calcinati aut plumbi lib. semis, cupri combusti aut limaturæ cupri aut ferri lib. semis, tere res ipsas quamlibet per se, & postea misce simul & tere minute, & pone ad sublimandū vt dictum est supra, & sublima ter & serua.

Descensio auripigmenti.

Recipe auripigmenti præparati dimidiā lib. & lib. dimidiā tartari calcinati & tantum calcis viuæ, & vnum quarterum salis cōmunis præparati, & tere bene omnia insimul, & pone cum aqua aluminis ouorum rectificata, & pone cum paucis sanguinis porci seu pinguedinis, & fac pastā non nimis duram, sed medio modo: & pone in descensorio, & sint intus virgulæ ferreæ,

S

quæ teneant pastam in fundo ne cadat quando vas vertetur quod inferius est superius: & appone coopertorium & claude cum argilla & fimo equino: Deinde fac fossam in terra, et verte vas quod superius inferius, et pone sic in fossa et appone terram circumquaq; et fac paruū ignē in principio: et deinde paululum augmentando, et hoc per dimidium diem, et in fine facias ignem fortē Et nota, quod paruū foramen quod est in parte inferiori vasis, semper debet esse apertum: et post sex horas dimitte ignē vt infrigidetur, et aperi vas, et reperiēs ad latera coopertorii auripigmentum quod descēderit album in similitudinem metalli albi fusi, vt argentū: illud collige et serua. Et si aliquid remanserit in fœcibus, iterum tere minutē, et appone aquam albuminis ouorū: et sic fac pastam, et fac descendere vt prius, et pone omnia simul.

Sulfuris & arsenici preparatio.

Accipe de quocunq; eorum volueris separato quantū vis, & decoque ipsum in pinguedine porcina vel arietina aut hircina in vase decoctionis, ita quod pinguedo semper supersit tribus digitis ad minus, & sēper pinguedo quæ super eleuatur remoueatur cum cochleari, donec ex ea nihil eleuetur: tunc remoue pinguedinē decoquendo in capitello facto ex cinere clauellato & calce viua & aceto distillato per alembicum: tunc calcina prædictū arincar prædicto modo vt fecisti mercuriū, & ablue cum aqua pluuiali distillata per alembicum, vt totum quod attingitur remoueatur, vt dictū est in mercurio: Tunc accipe de quocunq; eorum vis partem vnā & pone in aludel cū duabus partibus aquæ occulti lapidis albi inhumati distillati & rectificati septies alembico superposito cum suo recipiente, & claude iuncturas cum luto magisterij vt nō respiret, & pone in aludel in vase fictili cinere trito (vel tamisato) pleno, & fac desubtus ignem lentum sex diebus. Et septimo die vigora ignem donec nihil distilletur, semper aquam quæ inde distillat reducendo super fœces, donec nihil possit distillari. Tunc igitur remoto igne per noctē & diem vnā, refrigerari permitte: in fundo vasis inuenies laminam cristallinā, quam serua in vase vitreo bene sigillato ad horam necessitatis.

Additiones. Alia preparatio sulfuris.

Tere sulfur viuū minutē & pone in sacco lineo, & liga largē, & suspende in vno potto super ignem, & pone intus satis de lixiuio quod docebitur, & facias infra diu multū bullire: deinde remoue de sacco & pone in patella terrea, & coque per dimidium diem in vrina separata: deinde cola vrinam, & iterū pone in sacco & coque iterū per dimidium diem in lixiuio: postea extrahe & proijce supra de aqua calida ad sale remouendum: deinde exicca ad Solē & erit bene præparatum.

Sulfuris sublimatio.

R. sulfuris præparati, limati ferri aut cupri ana lib. 1. & libram salis cōmunis præparati: tere bene hæc omnia & misce simul, & appone de aceto & fac pastam, & pone in sublimatorio & lūta circumquaq; cum argilla, & pone per noctem in furno ad exiccandum: de mane extrahe & fac puluerem minutum, & postea sublimā, & hoc ter, & serua. Lixiuū cum quo præparatur sulfur & auripigmentum. **R.** vrinæ puerorū bene præparatæ, calcis viuæ & salis cōmunis præparati & cineris fabarū aut sarmentorū vineæ, & fac inde lixiuū iterando colationem quater aut quinquies, & appone satis de sale cōmuni aut de sale alkali.

Arsenici preparatio.

R. auripigmentum quantum voles, coque in oleo lini aut amygdalarū amararū, aut in sagimine porci super paruū ignem per dimidium diem: & sit tantum

tantum oleum aut pinguedo quod natet super auripigmentum ad spissitudinem digiti: & debet prius esse tritum in puluerem minutissimū: deinde post decoctionem aufer ab igne, & dimitte residere per aliquod tempus, deinde cola pinguedinem extra ut melius potes: Postea pone super ignē, & appone satis de vrina, & fac bonum ignem, & moue saepe cum baculo & fac bullire per duas horas, & deinde cola vrinam, deinde pone super ignē, & pone desuper acetum præparatum ad magnam quantitatem, & facias bonum ignem, & fac bullire per duas horas aut tres, & aufer ab igne, & extra cola acetum & iterum coque in vrina præparata, & iterum in aceto ad melius extrahendum pinguedinem, & proijce super aquam bullientem saepe. Deinde recipe & liga in sacco lineo non nimis stricto sed largo & cooperias in lixiuio supradicto, & fac intus bullire tuum auripigmentum ligatum in sacco lineo, & semper aufer imunditias quæ supernatabunt quouique plus non appareant. Postea extrahe & fac bullire in aqua ad extrahendum salem, & quando satis bullierit aufer et proijce desuper satis de aqua ad extrahendum pinguedinem & salem, & tunc erit bene præparatum ad sublimandum & ad descendendum.

Salis armoniaci præparatio.

Accipe de eo separato quantum vis, & solue ipsum sicut scis in albuminibus ouorum elixatorum, vel in aqua trium generum salis distillata per alembicum aqua & cinere mediante, & aquam quæ inde distillabit, redde ei, & sic fac donec nihil inde sublimetur. Itera ergo solutionem dictā & distillationem & coagulationem sex vicibus, & septima vice solue ipsum in duplo sui aquæ occulti lapidis albi inhumati, distillati, & rectificati, & cum bene solutum fuerit, mitte in aludel prædicto modo ad distillandum & coagulandum, ita ut tota aqua consumatur: tunc proba eum super laminam ignitā: quia si se resolverit ut cera, sine alicuius fumī emissionē, factum est: quod si non, fac donec illud contingat: & erit optime præparatum. Serua ergo bene ipsum in vitro bene concluso.

Additio: Soluitur autem sal armoniacus in albuminibus sic in vna hora: Accipe ouum decoctū durum, & illud scinde per medium, & remoto vitello imple concavitatem eius prædicto sale in puluerem redacto, & teneas inter manus bene clausas, aut in cucurbita infra balneum, et per horam modicū cōprimendo emanabit aqua, et hoc iuuat ad illud fixandum.

Alia præparatio eius quæ in pluribus libris reperitur.

Accipe de eo separato quantum vis, & solue ipsum per se sicut scis, & distilla per alembicū & pondera, & adde ei æquale pondus sui de aqua albuminis iameni præparati si est ad album, vel vitrioli si est ad rubeum: & coagula simul hanc solutionem & distillationem, & coagulationem reitera super ipsum septies, vel donec super laminam velocissime fundatur ut cera sine alicuius fumī emissionē.

Tertia præparatio.

Accipe de ea separata quantum vis, & imbiſe eam cum aceto fortissimō in quo sal cōmune sit resolutum, et sicca et assa in furno calcinationis per diem et noctem vnā, tunc ablue eam cum aqua dulci et sicca, et sic itera quinquies: tūc tere ipsam cum sale armoniaco separato rubeo (vel cū aqua viridis æris aut aqua auri resoluti, et sicca ad Solem, aut super ignem si velis, septies aut octies, postea pone ad soluendum; deinde ad congelandum, & iterū ad soluendum, & postea ad congelandum: deinde tere & incera cum oleo rubeo Philosophorum, aut alio oleo bene rectificato, & pone ad resoluendum et congelandum bis, et proba super laminam calidam si citō fundatur: si non;

reitera terendo & ponendo in crucibulo super ignem, & incorporando cum oleo guttatim, donec citò fundatur super lamina, & projiciatur vnum super quinquaginta æris aut Lunæ) & solue & distilla per alembicum & congela in lapidem quem cera cum oleo philosophico rubeo, & projice super æs purgatum, & fiet aurum bonum.

Magnesie & Marchasite preparatio.

Accipe de quacunque harum vis separata partem vnam, & imbebe eam cum pondere sui salis communis separati et soluti, duplo sui de aceto, et sic ca et pulueriza subtiliter, et pone in aludel, et fac subtus leuem ignem donec humiditas cesset, et postea fac sub ea fortē ignē duobus diebus cum suis noctibus, tunc abluce ab ea salem cum aqua dulci, et sicca et contere eam cum tantundem sui arsenici separati rorando cum quarta parte sui de aqua salis communis separati, et sublima ipsum ab ea bis vel ter, semper reducendo sublimatum super faeces suas: deinde fac totum descendere per botum barbatum cum oleo et nitro toties donec descendat frustum album ut argentū, et solue et distilla per alembicum et coagula, et hoc frustum cera cum aqua salis armoniaci preparati in lapidem crystallinū, quē cera cum oleo philosophico albo super ignem, et projice desuper stannum et fiet arg. bonū: et hoc arg. projice super æs, & dealbabitur optimē, & tunc iunge ipsum argento bono & fiet optimū.

Additio. Aliqui dicunt, quod non est necesse sublimare tutiam, magnesiā, nec marchasitam: dummodo tamen fuerint preparata. Magnesia verò & marchasita sic preparantur. Tere quovsque fiant pulvis minutus, deinde fac bullire in aceto & in aqua tartari per dimidium diem in quolibet: & postea in modico aceti, deinde cola acetum & lava cum aqua comuni & sicca pulverem et serua. Et si hoc modo prepararentur nō est necesse sublimare. Tutia verò quatuor sunt species, sed cōmuniter vtuntur ea quæ parum viridis est, & preparatur sic: Tere minutē & pone in cochleari ferreo, & pone cochlear in igne quousque tutia sit bene calefacta, deinde projice in aceto, postea extrahe & pone in dicto cochleari, & reponere super ignem, & iterum calefac bene, & iterū projice in aceto: & sic fac septies, et erit bene preparata. Sic preparatam potes sublimare. R. tutiam preparatam ad vnam libram, salis communis dimidiam libram preparati, et dimidiam libram bature (vel batiture) hæc omnia simul tere minutē, & pone in vase sublimatorio absque strato salis, & claude fortiter cum argilla: & fac primò per vnum diem, quovsque humiditas exierit: deinde magnum ignem per vnum diem, postea depone & aperit sublimatorium & reperiēs tutiā super faeces, quia non fugit ignem tantū sicut alij spiritus, nec ascendit in coopertorium sublimatorii: sic sublima simul, & serua.

Preparatio urine. Ponitur in pluribus loco aceti.

Collige urinam puerorum duodecim annorum in vase vitreato: & cum plenum fuerit, sine ipsam quiescere septem diebus, tunc euacua eam in alio vase cautē, ita quod fax quæ est in fundo non cōmisceatur, & ita ltera commutando de septem in septem diebus de vase in vas, donec nihil faecis de ea resideat: tunc coque ipsam usque ad tertiam sui partem & despuma & distilla per filtrum vel alēbicum quod melius erit, & ipsam in vase vitreo ad opus tuum serua.

Aque vite simplicis preparatio.

Oculti lapidis albi elixati quantum vis accipe & cōtere fortiter donec fiat sicut medulla, & fermentari per diem & noctem illā dimitte, & tūc pone in vase distillationis bene sigillato, & distilla aqua et cinere mediante, et aquam distillatam mitte super faeces suas, et distilla iterum, et sic fac ter:

ter: in pluribus libris non precipitur vt ponatur super fæces suas, sed quòd bis distilletur solùm, & erit factum: & tunc distillabitur aqua alba vt lac, quam v-
sui referua.

Additio. Liber duodecim aquarum ex lib. Emanuel.

Accipe argentum viuũ & mortifica ipsum cum rebus adurentibus, & per-
uijs, scilicet cum sale cõmuni & aceto acerrimo, alumine iameni, & limatura
ferri tribus aut quatuor diebus, deinde sublima septem vicibus super eandẽ
fæcem: Deinde solue cum alumine iameni soluto in sale & aceto acerrimo ad
libitum omnia: & pone arg. viu. sic imbibitũ sub fimo per quatuor, aliàs octo
dies, et vertetur in aquam claram, postea distilla semel, et proijce fæcem nigrã
quia per acuitatem salis aceti omnes partium superfluitates depurantur: et
reconde aquam vitæ, cum qua fermentatur Elixir album, soluendo et con-
gelando.

Secunda aqua. Accipe calcem Solis quæ est fermentum Elixiris rubei, &
solue cum atramento prius soluto in sale armoniaco & aceto mali granati per
dies quatuor, & quando est dissolutum distilla semel aquam claram, limpidam
rubeam & citrinam & odoriferam: Virtutem habet tingendi & etiam conge-
landi & soluendi beneficio salis: & hæc aqua est fermentum Elixir rubei.

3 Accipe calcem argenti boni & solue ipsam calcem cum alumine iameni
soluta in sale & aceto acerrimo: postquàm solutũ fuerit, distilla ipsam aquam
semel, quia est fermentum Elixir albi.

4 Stanni: Accipe calcem stanni, solue in alumine iameni & aqua salis com-
munis, omnia solue in aceto de vino albo per quinque dies sub fimo. Deinde
distilla semel aquam claram & albam, quæ habet virtutem soluendi & conge-
landi, & ponitur loco argenti in albo Elixir.

5 Saturni: Accipe calcem plumbi, solue cum atramento & sale armoniaco
in aceto mali granati & sorbarum, quæ sunt retinacula: & postquàm erit solu-
tum in tribus diebus sub fimo, distilla semel: et ponitur loco auri in composi-
tione Elixir, quia ibi sunt multa tingentia in Soleni.

6 De calce peregrinorum. Accipe calcem peregrinorum & solue cum alu-
mine iameni & zucharini solutis cum sale cõmuni & aceto de vino albo per
septem dies: postquàm erit solutum, distilla semel aquam claram, subtilem, &
odoriferam: habet virtutem soluendi & congelandi: est fermentũ Elixir albi.

7 Aqua gambariua: R. calcem gambariuam & solue cum atramento soluto
cum sale armoniaco in aceto mali syluestris, & postquàm per tres dies erit so-
luta, distilla semel: quia per acuitatem salis & aceti tingit, soluit, & congelat.

8 De calce ouorum: Accipe calcem ouorum gallinæ & solue cum alumine
iameni & zucharino & sale cõmuni: omnia solue in aceto acerrimo facto ex
vuis acerrimis per quinque dies, postea distilla semel per alembicũ. recharge
aquam, quæ valet ad Lunam loco aquæ calcis argenti.

9 Lilij: R. florẽ et pista cum radice ipsius, et sit ad libitum de vtroq;, et sem-
per roretur cum aceto de vino albo, quia melius et citius depurantur et subti-
liantur per acuitatem aceti: cola & dimitte residere per tres dies, iterum cola,
& ita fac colando per pñum donec erit clarum: deinde claude cum oleo ab-
luto per quinque dies, & distilla semel aquam claram subtilem & odoriferam
quæ valet ad Lunam.

10 Florum papaueris agrestis rubei: R. flores illos, & pista cum aceto mali
granati, & sorbarum semper rorando, quia citius inde clarificantur, postea co-
la per pannum quinque vicibus semper residendo, deinde postquàm erit cla-
ra, claude cum oleo abluto per quinque dies, & distilla per alembicũ semel

aquam claram, quæ valet ad Solem.

11 Squillæ: Accipe radicem squillæ & pista semper rorando cum aceto, in quo solutæ sint sex vnciæ de sale communî aliquantulum præparato: & cum bene fuerit pistatū cola per pannū decem vicibus donec erit clara, postea clau de cum oleo abluto sex diebus, deinde extrahe & distilla per alembicū tribus vicibus aquam clarā, pulchram, odoriferam: & valet ad Lunam, habet virtutē soluendi & congelandi.

12 Ralbumina ouorum coctorum fortiter, tere in mortario cupreo, pone in phiala vitri, & deinde sic in fimo ad putrescendū quousq; redacta sint in aquā deinde extrahe & distilla per filtrum, postea per alembicum forte, duplex, iuncturis bene sigillatis, & non sit magnus ignis, sed omnia distilla per cineres calidos, & post distillationem iterum pone in fimo per quatuor dies, & distilla iterum ad lentum ignē & multos cineres: & sic fac ter aut quater vsq; quo habeas signum perfectionis: hanc serua quia est preciosa.

Olei vitellorum ouorum preparatio, quæ in pluribus reperitur libris.

Accipe vitella quæ extraxisti à prædicto lapide occulto albo (parū supra in præparatione aquæ vitæ simplicis) & contere ea ad modum medulle & pone de ea lib. semis in alutel alembico superposito cum suo recipiente, et distillabitur aqua rubicunda crocea, et spissa, et abiectionibus à vase in humas eas per octo dies, reddendo eis aquam quæ ab eis distillauit, et iterū distilla per alembicum aqua et cinere mediante, et ita itera tribus vicibus. Hoc factō distilla tribus vicibus cum cinere sine aqua, et tunc aspice si sit album, et proba ipsum cum are ignito ad modū nummorum: quia si dealbauerit ipsum intus & extra, bonum est: & si non, itera donec sic contingat, & semper super faeces suas fiat distillatio: Ignis verò qui remanebit in fundo vasis siccus, & niger rectificetur: sic redde ei aquam albam, claram, quæ ab eo distillata fuerit assando & imbibendo, & postmodum da ei bibere aquam primam donec rubicundissimus fiat: Et tunc accipe de isto igne quantum vis, & solue ipsum in quadruplo sui de oleo suo rectificato & distilla donec rubicundissimus distilletur. Serua ergo ipsum in vase vitreo bene concluso.

Alia preparatio olei vitellorum.

Fac de vitellis prædictorū albuminū vt præcepi de albuminibus, & quod distillabit ab eis erit oleum vitellorum.

Capitellum de calce viua ex cinere clauellato.

Accipe calcis viuæ partem vnā, cineris clauellati partes duas, proijce super ipsa quadruplū sui de aceto forti calido, & itera supra cōpositionē donec sustineat onus colando in concha lixiuij: Quidā cum calce & cineribus addūt aluminis samenti aliquantulum, & salis armoniaci medietatē ponderis aluminis samenti, luvat etiam ad fixandum.

Aqua de lithargyrto.

Accipe frusti lithargyrii partem vnā, salis alkali, aluminis samenti separatorum ana quartam partem frusti prædicti, salis armoniaci medietatem eiusdem frusti: dissolue alumen & salē alkali in duplo vel triplo sui de aceto prædicto modo & cōmoue omni die ter, donec totum in huiusmodi aceto dissolutum & clarum appareat, tunc distilla per filtrum, & ad opus tuum reserua.

Frustum de lithargyrto.

Accipe de lithargyrto quantum vis, & tere fortiter, & ablue ipsum cum aqua de paropside in paropsidem donec grossiores partes diuisæ sint à subtilioribus, quibus siccatis adiunge sibi pondus sui de arsenico semel sublimate

inato, & sublima ipsum ab eis his: postea fac totum descendere per botum barbatum cum oleo intro donec frustum album descendat, & erit factum.

Additio. Dealbatio lithargyrii: Accipe libram lithargyrii & mole bene, postea accipe quinque lib. de sale, & mole bene cum lithargyrio, & pone in aqua per nouem dies, miscendo bis quotidie: post laua bene a sale & licca: & habebis lithargyrium dealbatum, si sit verum.

Aque rubee Anicenne ad tingendum quatuor spiritus sublimatos albos. CAP. I.

Accipe atramenti Aegyptiaci, limaturæ faulec ana vnciam vnā, floris æris tertiam partem vnus vnciæ, aluminis albi candidatis pannos (rochæ puto vel facis vini vstæ) quartam vnciæ vnus: sulfuris, arsenici citrini & rubei, lapidis armeni & lazuli ana vnciam semis, mellis albi despumati quartam libræ vnus, salis armoniaci, salis gēme ana vncias tres & semis: ponantur hæc omnia in quinque libris aceti, & dimittatur ad Solem per mensem vnum: vel si nō, fac ipsum bullire donec consumetur eius humiditas: prædicta tamen sint optimè trita & calcinata: tunc distilla acetū à facibus, quæ in ipso sunt septies & inde imbibe quidquid vis rubificare.

C A P. II.

Accipe limaturæ faulec libras duas & infunde eas in decem libris aceti per decem dies, tunc cola huius acetum, & pone in ipso arsenici (siue auripigmenti rubei) sublimati & puluerizati libram vnā, salis armoniaci sublimati ter & puluerizati quartam libræ vnus, tunc pone ad Solem, & augmentabitur sibi rubedo: tunc distilla ipsum per alembicum, & distillabitur albus attinens citrinitati: deinde reduc ipsum ad limaturam aliam recentem quam in ipso infunde, & distilla ipsum per alembicū vt prius: Et sic semper renoua limaturam donec distilletur rubeum vt sanguis: nam hæc rubedo nunquam remouetur. Quum autem præparaueris atramentum cum aceto & remoueris illud, semper egredietur bene rubeum, & erit color fixus. Scias autem quod nulla res rubea colorem retinet nisi illum qui imitatur eius naturam.

C A P. III.

Et melius est vt distilles acetum à ferro donec distilletur rubicundū, & acetum similiter ab atramento: & tunc iungas ambo insimul, & colores cum eis quicquid vis.

C A P. IIII.

Aquæ quæ faciunt rubeum sine iteratione distillationis sunt aqua Tutie sublimata, & aqua sedine lapidis siue hæmatitis, in quibus ponatur acetum, & distilletur semel quia sufficit: Aqua verò æris sola est melior istis: & fortior est aqua ferri cum sublimatur, & rubificatur: & si posueris ipsum in aceto fiet aqua rubea sicut sanguis, & est color fixus: Hæ duæ aquæ licet sint prolixæ, propinquiores tamen sunt breuioribus.

C A P. V.

Accipe de limatura faulec partem vnā, & tere ipsam cum quarta parte sui de atramento, & super eam proijce quadruplum sui de aceto forti, & distilla ipsum per alembicum ab ea, & ita fac decies renouando qualibet vice atramentum, & decima vice distillabitur aqua rubicundissima sicut sanguis, quæ tingit omnia super quæ cadit: & nunquam calor eius remouetur ab eis.

C A P. VI.

Accipe calcis viuæ partes quatuor, sulfuris viui partes tres, & proijce super ipsa aceti rubificati cum limatura cupri partes decem (alibi quatuor) & dimitte sic stare per decem (aliàs quatuor) dies, & tunc decoque donec acetum fiat sicut sanguis, deinde cola ipsum & distilla: hoc facto, R. chalcanti vi-

ridis arsenici sublimati rubei ana vnciam vnā, aceti lib. vnā, atramenti rubei vnciam semis, si ipsum inueneris, sin autē, sublimaviridem vel citrinum cum aqua pura: aqua enim distillata remanebit atramentum rubeum in fundo cucurbitæ quod pone in omnibus operibus tuis: tere ergo prædicta tria cum aceto prædicto, & inhuma per septem dies, et si solutum fuerit, distilla ipsum: sin autem, reinhuma donec soluatur, et tunc distilla ipsū et distillabitur ut hiacynthus: colora ergo cum eo quidquid vis colorare colore bono et firmo.

C A P. VII.

A Acipe de limatura faulec partem vnā & projice super ipsam duplū sui de aceto forti, & sine intus stare, donec optimè rubificetur: tunc distilla per alembicum donec acetum distilletur rubeum, & tunc colora cum eo quidquid vis, & similiter fac de limatura æris donec acetum optimè sit viride: imbi be ergo quod volueris & assa & rubificabitur optimè rubificatione firma.

Additio. Cum limatura faulec (puto ferri) appone vitriolum rubificatū, & distillabis oleum fixum, rubeum, philosophicum.

C A P. VIII.

A Ccipe duenec, salis armoniaci præparati ana quantū vis, & tere ipsa cum oleo de vitellis ouorum, sint sicut medulla, & tunc assa hæc assatione leui & repone, & colora cum eo quidquid vis coloratione firma.

C A P. IX.

A Ccipe limaturæ ferri faulec partes decem, atramenti Aegyptiaci quantū est quarta pars limaturæ, terantur & projiciantur in aceto vini albi distillato, & illud acetum ponatur ad Solem septem diebus, & tunc cola ipsum, et in eo pone chalcanti viridis vel colcotar rubei adusti si inueneris, sin autē, atramenti Aegyptiaci ana ad vnā lib. aceti dicti, vnciam vnā duenec, id est vitriolum, alacar vel alabric, id est sulfur ana vnc. semis (aliās vnc. tres) tere hæc quatuor, & projice in dicto aceto, & pone ipsum ad Solem septem diebus, & tunc cola ipsum, & accipe de lapide lazuli in quo sunt venæ aureæ quantum volueris, & projice ipsum tritum in dicto aceto, & decoque vel frāge eum intus per diem, & tunc in dicto aceto pone tantum salis armoniaci crystallini quantum ipsum est, & misce bene totum terendo fortiter insimul: hoc facto, inhuma totum donec soluatur: & cum totum factū fuerit aqua clara rubea, rubifica cū ea quidquid volueris colore firmo.

C A P. X.

A Ccipe de atramento Cyprino assato partem vnā, & tere ipsum cū quadruplo sui aceti fortis, & distilla ipsum ab eo, et ita fac decies renouando qualibet vice atramentum, et distillabitur rubeum sicut sanguis: quod si sic nō fuerit decima vice, reitera hoc toties donec id contingat: et inde rubifica quidquid vis colore firmo.

Modus rubificandi rem aliquam ex dictis aquis.

A Ccipe rem quam rubificare volueris & imbi be eam ex quacunq; volueris prædictarum decem aquarum, & tunc assa eam, & impressionē faciet aliquam in prima vice: deinde itera hoc opus donec fiat rubea ut hiacynthus. Nota denique quod spiritus rubificandi hoc modo debent prius esse sublimati albi, & corpora similiter debent esse calcinata alba, & tunc tinctura inseparabiliter in eis figetur.

Aqua rubea, à qua quatuor spiritus sublimati albi, rubei sublimantur.

A Ccipe salis cōmunis, salis gemmæ, salis armoniaci, aluminis iameni separatorum ana lib. i. salis alkali quantum de omnibus, vitrioli citrini separati lib. 5. ferri & æris quæ cum arsenico descenderunt albæ limaturæ ana lib.

lib. vnam, & vncias duas aceti vini albi lib. 4. cum isto igitur aceto & calce viua vapora prius sulfuris vivi lib. quinque, & postea dissolue in dicto aceto omnia predicta, excepto ferro, are, vitriolo: & tunc distilla huiusmodi acetum per filtrum, deinde ignito limaturas dictas in cacia ferrea & extingue in dicto aceto multoties, & omni vice post extinctionem tere huiusmodi limaturas optime in mortario zebaico, id est ferreo cum pistillo ferreo, & post contritionem ablue eas in dicto aceto: Et sic itera ignitionem, extinctionem, contritionem, & abluitionem, donec omnino huiusmodi limaturæ sint in dicto aceto dissolutæ: Hoc facto, igni vitriolum predictum extinguendo in dicto aceto septies omni vice in mortario predicto fortiter conterendo: tunc in humo in sterquilinio septem diebus, vel donec aqua clarissima & rubicundissima videatur: Et tunc distilla totum per alembicum aqua & cinere mediante toties donec rubicundissima distilletur, semper super fæces suas reducendo: & tunc serua eam ad opus tuum.

Preparatio mercurij, arsenici, sulfuris ad rubeum.

Accipe de quocunque horum volueris separato semel partem vnam, & ipsum imbebe cum pondere sui de aqua rubea predicta scilicet, qua spiritus sublimati albi, rubei sublimantur: & tunc sublima ipsum ab eo toties donec ipsum rubeum sublimetur: Et accipe huius sublimati rubei partem vnam et imbebe ipsum cum quarta parte sui atramenti preparati, soluti et distillati rubei, et sublimetur ab eo toties donec in fundo vasis figatur: hoc facto compleatur cum oleo philosophico rubeo secundum ordinem supradictum: Et hoc est complementum mercurij, arsenici et sulfuris ad rubeum.

Alia preparatio horum trium ad rubeum ex alijs libris.

Accipe de quocunque horum volueris separato partem vnam, & imbebe ipsum cum pondere sui de aqua rubea, a qua quatuor spiritus sublimati albi, rubei sublimantur: Et tunc sublima ipsum ab ea toties donec rubeum sublimetur & in fundo vasis figatur. Tunc ablue inde salem cum aqua dulci & sicca, & tunc cera ipsum cum sale armoniaco preparato rubeo & solue & distilla & coagula. Et tunc hoc coagulatum cera cum oleo philosophico rubeo, & proijce de eo desuper arg. separatū, & fiet aurum optimum. Hoc est complementum preparationis mercurij, arsenici & sulfuris ad rubeum.

Preparatio salis armoniaci ad rubeum.

Accipe de ipso sublimato quantum vis & solue ipsum & distilla per alembicum, & tunc adiunge ei medietatem ponderis sui de vitriolo preparato, & soluantur insimul & distillentur insimul per alembicum, & tunc coagula insimul: Hoc facto reitera super ipsum solutionem & distillationem & coagulationem septies, vel donec super laminam fundatur ut cera, & non fumiget.

Alia preparatio eius ad rubeum.

Accipe de eo sublimato quantum vis & solue ipsum & distilla per alembicum & tunc adiunge ei æquale pondus sui de oleo trium generum separato ab occulto lapide, & atramentum preparatum, inhumato & distillato, & rubificato rubeo, & hæc duo coagula insimul: Hoc facto reitera super ipsum solutionem & distillationem & coagulationem toties donec super laminam fundatur ut cera, & non fumiget: & erit consilium nostrum completum.

Additiones. Omne sal potest sic rubificari.

Tere sal, & appone aliquam aquarum rubearum & tere bene & sicca ad Solem, deinde tere & appone de aqua illa rubea, & ita fac septies aut octies, & pone ad dissoluendum, & cum dissolutum fuerit, distilla per filtrum, postea con-

gela, & iterum dissolue, deinde congela bis aut ter, deinde tere & appone modicum de oleo rubeo Philosophorum, & erit rectificatum: & inde poteris facere aquam si voles, & postea serua.

Hoc etiam modo poteris rubificare quatuor spiritus, ipsos sublimando bis aut ter, & miscendo semper id quod sublimatum est cum eo quod erit in fundo vasis: Et ita in qualibet sublimatione imbibere debes de aqua illa rubea, unde prius eos imbibisti: & cum tibi suffecerit pone sublimatum cum eo quod mansit in fundo vasis in vno crucibulo, & appone de oleo rubeo Philosophorum tres aut quatuor guttas, & postea serua. Et si citius vis rubificare tuos spiritus, & tuum sal, tere & appone de aqua rubea, & sicca ad Solem, & ita fac septies aut octies, deinde sicca et serua, et quando fuerit exiccatum, sexies aut septies tere bene et appone de aqua rubea, et postea dissolue, deinde congela, et melius erit: Et tunc rubificabis calces metallorum. Sed oportet quod semper imbibas cum oleo Philosophorum super ignem in crucibulo, quia aliter dictæ calces non possent leuiter fundi, nec reduci ad naturam metalli, nisi cum humiditate alligante et penetrante suas partes siccas et combustas: quod fit apponendo satis de oleo rubeo guttatim super ignem in crucibulo, donec fundatur ut cera: Hac tenus additio.

Oleum album fixum philosophicum.

Accipe frustum lithargyrii albi, stanni extracti cum arsenico lib. 1. & lima hoc subtiliter, & adde ei sulfuris, arsenici, separatorum alborum ana vnc. duas, mercurij separati albi vnc. quatuor & contere hæc omnia fortiter in simul cum octo vnc. aquæ salis armoniaci præparati albi, & tunc sicca & assa lœui assatione, & pulueriza fortiter, & pone in vase sublimationis, & sublima toties donec nihil de eis ascendat: tunc iterum cera totum hoc, quod erit in fundo sublimatorii cum pondere sui aquæ prædictæ: & tunc totum projice in duplo sui acetii ter distillati in 2 lib. aluminis tamen candidi & bene plumosi, & omni die moue bis vel ter fortiter, donec omnia in dicto aceto soluantur: vel pone acetum illud cum prædictis in loco solutionis, quod melius est. Illis solutis, distilla per alembicum septies super fæces suas, & egredietur vel distillabitur aqua alba clarissima, qua vtere circa vltimam cerationem corporis & spirituum calcinatorum ad album, & cerabuntur cum ea velocissimè cum Dei adiutorio eiusque virtute. Hæc enim est aqua alba permanens, aqua candida, et lac virginis, et acetum Philosophorum, et aqua serenans et penetrans, et aqua separans et coniungens: occulta ergo ipsam, et operare cum ea: Et extingue in ipso laminas æris separati, et fiet argentum melius, quam illud quod de mineris extrahitur.

Alio modo Oleum album fixum philosophicum.

Accipe cerussæ de frusto lithargyrii albisimi factæ, & cerussæ Iouis extracti cum arsenico ana lib. vna, & cera eas & solue in duplo sui aquæ salis armoniaci præparati, & tunc distilla per alembicum, & imbebe inde lib. 1. vel lib. 2. argenti viui sublimati & calcinati albi: & iterum solue & distilla per alembicum toties donec aqua alba distilletur clarissima: Et tunc vtere ipsa circa vltimam cerationem rerum ad album.

In pluribus libris inuenitur finis huius olei albi fixi sic: Quod postquam distillata est aqua alba clarissima, quod ipsa coaguletur coagulatione bona, & coagulabitur in laminam albissimam, quam cera ceratione bona & vltima cum sale armoniaco & oleo animalis (seu vitellorum ouorum) prius rectificato albo, et projice super æs separatum, et fiet argentum melius eo quod est de mineris. Et si laminam æris separati in aqua prædicta ante coagulationem extin-

xeria

teris fiet arg. optimum. Hoc autē oleum album fixū philosophicū, oleum animale album fixū philosophicum, & oleum serenans & penetrans, & germinans & separans & coniungens: & cum hoc oleo retinetur omne volatile a fuga.

Oleum rubicundum fixum philosophicum.

Accipe de sulfure citrino lib. 1. & vapore ipsum cum lib. 1. calcis viuae, & libris quatuor aceti fortissimi albi: tunc renoua calcem super hoc sulfur ter et postmodum renoua sulfur et calcem et sicca donec ipsum acetum optimè rubificetur, tunc hoc acetum diuide per medium, et in vna medietate dissolue quartam partem sui salis armoniaci separati, et in aliam quartam partem mitte limaturam ferri et aeris quæ cum arsenico descenderunt, et dimitte totū stare in eo septem diebus: et omni die bis vel ter commoue: octaua die separa acetum a limatura: et limaturam ignias in cacia ferrea, et extingue in eodem aceto ter, et omni vice contere eam fortiter in mortario ferreo cum pistillo ferreo, et ablue in prædicto aceto antequam remittas ad igniendum, et ita postmodum reitèra toties donec tota limatura in dicto aceto dissoluatur, et acetū illud sanguis rubicundus videatur: Et tunc distilla huiusmodi acetum super fæces illas per alēbicū toties, donec ab eis rubicundissima distillet sēper super fæces suas reducendo, tunc hoc acetum serua ad partem: Deinde accipe aliā medietatem aceti quam superius reseruasti, & adiunge ei salis armoniaci, vitrioli Cyprini assati de quolibet ana quartam partē sui, et contere fortiter, et fac ipsam morari in eo tribus diebus: sed omni die contere vitriolum fortiter bis vel ter in mortario ferreo, vt bene dissoluatur in dicto aceto: hoc facto distilla ab eis acetum cum alembico, tunc projice fæces, et renoua huic aceto distillato atramentum vel vitriolum decies sēper ad quartam partē aceti, et decima vice distillabitur rubeum vt sanguis, et inficiet omne quodcūq; tanget colore rubeo: Accipe igitur de duobus acetis iam rubificatis ana et iunge eis tantundem salis armoniaci præparati rubei (alibi tantundem aquæ animalis inhumatę distillatę & rectificatę ter & præparatę cum pondere sui arsenici) & ad lib. 1. huius aceti infunde in eo vncias duas mercurij sublimati rubei (& calcinati) & dimitte ipsum resolui in eum, & tunc pone totum in distillatorio & distilla insimul ter, sēper super fæces suas. Reserua igitur hanc aquam, & colora cum ea quicquid vis: & lauda Deum qui eam tibi dedit, quia ipsa est preciosior omni precio: Quoniam si Lunam vel aliquod corpus dealbatum in ipsam extinxe-
ris, efficietur Sol melior eo qui est de mineris.

Oleum rubicundum fixum philosophicum.

Accipe croci Arabici calcinati, vitrioli Arabici viridis, frusti lithargyrii (alibi dicitur aurei) & stanni calcinati rubificati ana vnc. 3. sulfuris viui, arsenici citrini sublimati rubei calcinati ana vnc. 6. mercurij sublimati & calcinati rubei. salis armoniaci præparati, soluti, distillati et rectificati cum oleo animalis distillato et inhumato et rectificato rubeo ana lib. 1. conficiantur autem sic: Incera crocum Arabicum et chalcanthum viride, et frustum lithargyrii stanni cum sale armoniaco et oleo animalis prædicti, et quū bene rorata fuerint mitte ad soluendum donec soluantur in aquam perusam et rubeam: Et tunc distilla per alembicū, & inde cera & imbibe sulfur & arsenicū prædicta, & tunc iterū mitte ad soluendum: & cū solutū fuerit distilla per alembicū toties donec clarissimū et rubicundissimū distillet, et tūc coagula illud in vase coagulationis, et cū coagulātū fuerit, tunc cera ipsum vltima ceratione super ignē leuē cū oleo animalis (scilicet vitellorū) ingrediēte donec fundat vt cera, tunc refrigera ipsum et projice de ipso pondus vnū super centū pōdera Lunę aut Iouis aut Saturni separatorū, et erit Sol optimus. Hoc autem oleū, est oleū philosophicū, quod

non accenditur, & oleum quod ardet in perpetuum, & oleum permanens, & oleum animalis rubeum: Occulta ergo ipsum, preciosius est enim omni precio, quoniam si Lunam aut aliud corpus dealbatum in ipso ter ante coagulationem extinxeris efficietur optimus Sol. (Nota ex hoc oleo dupliciter posse operari, scilicet ante congelationem in ipso extinctionem faciendo: & post congelationem de illo pulvere super corpora fusa proijciendo). Cum hoc etiam oleo ante suam coagulationem coagulatur arg. vii. cum quo eriguntur corpora, & cum ipso retinetur omne volatile à fuga: Et hoc oleū occultauerunt Philosophi, & cum eo fecerunt ex crystallo fulo carbunculum, quia est oleum penetrans & colorans, & cum ipso cerantur corpora & spiritus calcinati ceratione vltima ad rubeum: operare itaque cum eo, & lauda Deum, qui ipsum dedit. Additiones.

Oleum benedictum sic facies: Accipe lateres rubēos quos nunquam tetigit aqua, & accende in igne donec igniti appareant, postea extingue eos in oleo oliuarum, tere ad modum simlæ, & imple ex eis ventres distillationis vitreatos, deinde præpara super ventres capita eorum, & luta iuncturas luto sapientiæ ita vt non respirent, postea mitte super-furnum distillationis, & non sit velamen inter ventres & ignem, & intromitte ignem facilem sub ventribus donec distilletur rubeum vehementis rubedinis: custodiatur ignis ne accedatur cum oleo, & non possit extinguī & c. Alio modo.

Accipe tegulas novas & ignias eas frustatim, & pone in vase plumbato strictum os habente, & tunc pone intus oleum petroleon sicut inuenitur venale, & bene cooperi ne inflammetur, & cum frigidum fuerit, pura, & accipe tegulas prædictas extinctas, & iterum ignias bene & pone vt prius in oleum prædictum, & etiam de nouo si non sufficiat illud ad cooperiendum tegulas vt superabundet ad densitatem duorum digitorum: Tunc iterum depura oleum & tegulas bene tere & pone in distillatorio fortissimo vitreo, & cum prædicto oleo cooperi & distilla lento igne primò, postea fortissimo quantum habere poteris, tunc facias ipsum oleum sic distillatum incombustibile sic: Accipe tegularum saracenicarum minutissimè contritarum partes duas, calcis viuz bene tritæ, & cribratæ partem vnā, salis armoniaci bene triti partem dimidiā, tosti salis partem dimidiā: sales bene misce, tunc incorpora cum isto pulvere prædictum oleum ita quòd non supernatet, sed sit parum madidum, ita quòd pulueres dominantur, & quòd oleum non dominetur pulueribus, & pone in vase vitreo & distilla primò lento igne, postea fortiori quo poteris: Et iterū in nouis pulueribus distilla vt dictum est, & sic fac toties donec sit incombustibile, quod probabis ad candelam cum bombyce inuncto isto oleo, quod extinguet candelam. Parua quantitas istius olei præparati valet ad multam congelationem mercurij, & subitam introductionem omnium spirituum fixatorum.

Oleum album philosophicum: R. partem vnā calcis corticum ouorū, & pone cum sex partibus albuminis ouorum: misce omnia simul & pone ad dissoluendum per septem dies aut plus: postea distilla in cineribus ad lentū ignē, quovsque tota aqua sit distillata, deinde reitera illam distillationem super suas faeces bene miscendo & distillando vt prius: Postea recipe quod in fundo distillatorij remanserit, & tere & imbibe cum aqua ex hoc distillata: & iterum distilla tot vicibus reponēdo super suas faeces quòd nihil amplius distillet: sic reperies in fundo valis lapidem qui erit albus vt crystallos, quem serua: Deinde recipe vnc. sex salis armoniaci, & vnc. sex olei ouorum septies distillati aut bene purgati, & vnc. sex lapidis albi supradicti: hæc omnia misce insimul & tere super marmor, & imbibe & sicca quovsque biberit totam aquam & oleum: Et post-

postquam totum fuerit sic bene immassatū, pone & dimitte in vase vitreo per spacium quatuor dierum: Deinde proijce totum in vna libra aquæ albuminū ouorum & claude vas & in fimo pone ad soluendum per quindecim dies, & soluetur in aquam claram & albam vt lac: Et hoc est oleum completum album Philosophorum.

Fit etiam aqua seu oleum ex sanguine ouis & capillis & alijs, quæ dicitur etiam Philosophorum.

Oleum rubicundum fixatum: R. vitrioli Romani lib. 1. & semis, salis armoniaci, salis nitri, cinaprij boni & rubei ana lib. 1. & fiat aqua fortis: Sed proijce lasciuam, id est phlegma. In qua aqua forti extinguantur frusta laterum antiquorum candentia, siue laterum recentium nunquam tactorū ab aqua, & claudatur vas vsquequo materia fuerit infrigidata: postmodum frusta laterum extrahantur & puluerizentur, & in cucurbita alembico superposito ponantur & distillentur aqua vel oleum vsquequo faeces siccissimæ remaneant: in quo liquore dissolue mercurium bene mundificatum super lentum ignem & fixabitur, & rubificabitur, & erit materia liquida sicut thiriaca vel butyrum: de qua fac proiectionem vnum super decem Lunæ puræ, & conuertetur in colorem Solis fixum ad omne iudicium & examen, sed deficit in pondere nisi Luna primò fixetur.

Aqua seu oleum rubeum: R. atramenti & vitrioli rubificati, & parum salis armoniaci, & tantum limaturæ ferri, & pone insimul & proijce acetum supra, & dimitte per quindecim dies, & distilla decies aut pluries, quousque acetum distilletur rubeum vt sanguis, & qualibet vice renoua atramentum. Hactenus additio.

Crocum Arabicum, & vitriolum Arabicum viride.

Accipe limaturæ endanici (vel acerijs siue azarijs) partem vnā, & assa ipsā cum medietate sui arsenici citrini, cuius medietas sit separata solum, & alia medietas præparata ad comburendū corpora: Et fac ipsum descendere per botum barbatum donec albisimū & serenissimum descendat: Et renoua ei ter arsenicum supradictū: tunc frustum quod descendit lima subtiliter, & fac morari hanc limaturam in duplo sui de aceto vini albi fortissimi per septem dies, in quo prius sit soluta decima pars sui de sale armoniaco separato, & omni die commoue bis vel ter fortiter, & stet illud acetum ad Solem & in loco calido: septimo die extrahe limaturam ab aceto, & ignias eam in cacia ferrea ter, & omni vice contere eam ter fortiter in mortario ferreo, & ablue eam bene in dicto aceto, antequam ad igniendum reponas: & ita fac de septimo in septimum diē, donec limatura ferē dissoluta sit in dicto aceto, & ipsum acetum sit rubicundissimum quasi sanguis: tunc distilla huiusmodi acetum per filtrum, & post distilla ipsum per alembicum, & id quod in fundo cucurbitæ resedit accipe, quia illud est oleum Arabicum. Et si vis facere vitriolum Arabicum viride, fac per omnia de limatura æris separati, vt fecisti de limatura endanici, & quod in fundo cucurbitæ resederit illud est vitriolum Arabicum viride.

Ratio componendorum Elixirium ex predictis speciebus preparatis.

Accipe limaturæ Lunæ separatæ lib. semis, sulfuris & arsenici separatorij, & calcinatorum alborū ana vnc. tres, mercurij separatorij albi lib. 1. tere hæc omnia insimul super porfidum & imbibe cum aqua salis armoniaci præparati albi lib. semis, & tunc assa leui assatione: deinde tere & pone totum in aludel alembico superposito cum suo recipiente bene concluso, & pone super athanor sublimationis, & fac desubtus ignem leuem donec tota humiditas per alembicum in recipiente ceciderit, et tunc vigora ignem paulatim per duos dies, &

T

duas noctes, donec vna pars medicinæ ad latera vasis ascendat, et alia in fundo eius figatur: et tunc dimitte infrigidari, et fracto vase, id quod ascenderit superius tere fortiter et misce fortiter cum eo quod remansit inferius, et redde ei aquam suam quæ ab eo distillauit, & assa totum igne mediocriter fortiori, scilicet quæ prius aliquantulum: & tunc iterum tere, & ad sublimandum vt prius remitte: & sic reiterna sublimationem, contritionem & assationem paulatim vigorando qualibet vice assationem donec nihil penitus sublimetur, sed totum in fundo vasis remaneat. Hoc facto tere totum illud quod in fundo erit, & imbibere imbibitione rorida cum vnc. vna aquæ prædictæ, alias cum vncia vna olei philosophici albi: & tunc pone totum ad descendendum in imbercatum (puto vas vel alembicum) & fac sub eo ignem fortē per diem vnum, & fortiorē per alium, & tertio die fortissimum per tres dies & noctes, sicut est ignis fundēdis: tunc frange imbercatū & laminā vel frustum quod in eo inueneris cera vltima ceratione in crucibulo tenui super ignē cum oleo albo philosophico guttatim proijciendo de ipso donec fundatur velocissimē vt cera, & tunc extrahe crucibulum ab igne: & cum infrigidatū fuerit, ex hac medicina pondus vnum super 50 aeris separati pone, & fiet arg. bonū cum Dei auxilio & eius virtute. Si autē medicinam prædictā cum fixa est in fundo aludel, vel post descensionē ad soluendum posueris fiet aqua clara, & tunc ipsam coagulaueris in lapidē, & hunc lapidem teraueris cum oleo dicto in crucibulo super ignem, scias quod labor tuus multiplicabitur. Et si postquā soluta fuerit, ipsam semel ad minus per alembicum distillaueris, antequam coagules ipsam in lapidem, augmentabitur adhuc eius bonitas & fructus laboris tui. Item si acceperis limaturā Lunæ lib. 1. sulfuris & arsenici ana vnc. 3. mercurij lib. semis & processeris, vt supra dictū est, scias quod operatio non tantum valebit vt prius, & adhuc minus valeret si minus de spiritibus apponeres.

Si autem hunc processum vis ordinare ad rubeum, tunc accipe spiritus sublimatos & calcinatos rubeos, & aquam salis præparati rubei, & oleum rubeū & tunc procede per omnia vt dictum est: Et medicinam proijce super arg. separatum, & fiet aurum bonum: Et si loco limaturæ Lunæ, limaturā Solis posueris, adhuc operatio erit melior.

Compositio verissimi Elixir ad album.

Accipe arg. viui præparati albi lib. semis & solue ipsum in duplo sui aquæ salis armoniaci præparati albi & soluti, & distilla per alembicum, & inde imbibe lib. 1. arg. viui soluti, calcinati, albi: & illam solue & distilla per alembicum & inde imbibe sulfuris & arsenici sublimatorum & calcinatorum alborum ana vnc. 3. & iterum solue & distilla septies, quod est vltimum. Tunc coagula illud distillatum, & tunc tere hunc lapidem, & rorando imbibere ipsum ex vnc. tribus olei prædicti philosophici (alias ex vncijs tribus aquæ prædictæ) & tunc fac ipsum descendere in kimiam, & cum descenderit fac sub eo ignem leuem duobus diebus cum suis noctibus, & post mediocrem duobus alijs diebus cā suis noctibus, et fortissimum die vna cum sua nocte, et tunc infrigidari permitte, et frange kimiam (est vas) et laminam crySTALLINAM quam in fundo eius inuenies accipe, et tere ex ea vnc. 1. quam cera super ignem leuem in crucibulo tenui cum oleo philosophico albo, proijciendo guttatim desuper donec fundatur vt cera: dimitte ergo eam infrigidari, et tunc proba eam super laminā ignitā, quia si se resolverit velocissimē vt cera sine fumo cerata est: sin autem reducat ipsam ad crucibulum super carbones guttando desuper oleum prædictū guttatim donec sic contingat: Et tunc proijce ex ea pondus vnum super quinquaginta aeris separati, & fiet arg. optimum.

Si au-

Si autem hunc processum vis ordinare ad rubeum, accipe prædictos spiritus præparatos ad rubeum, & oleū rubeū similiter, & tunc procede per omnia vt dictum est, & projice medicinam super arg. separatum, vnciā scilicet vnā super quinquaginta, & fiet Sol optimus.

Modus componendorum Elixirium cibando.

Accipe de limatura argenti separati lib. semis, arg. vii. semel sublimati & reuiuificati sublimando cum calce viua lib. i. ciba itaque ipsum cum prædicta limatura, & tere fortiter insimul in mortario lapideo donec arg. vii. limaturam biberit, & fiat quasi butyrum, ita quod limatura non sentiat, & tere do ablue fortiter cum aceto & sale cōmuni separato donec acetum exeat inde clarum: tunc ablue inde salem cum aqua dulci, & permitte siccari, & cum siccatum fuerit addes ei sulfuris & arsenici sublimatorum calcinatorum alborū ana vnc. tres, & contere insimul fortiter donec fiat quasi vnum corpus, & illud corpus imbebe & incera cum vnc. sex aque salis armoniaci sublimati, soluti, et rectificati, et tunc pone totum in aludel cum suo recipiente bene concluso et lutato luto sapientiæ: et pone ipsum super athanor, et fac sub eo ignem leuē donec humiditas per alembicum in recipientem ceciderit: et tunc vigora ignem donec totum sublimetur quod ascendere voluerit: Tunc sine vas infrigidari: Et ipso discooperto id quod eleuatum est superius reduc super faeces suas tere do et reddendo sibi aquam, quæ ab eo distillata est: Tunc repone in aludel prædicto ad sublimandum, et ita fac donec inde nihil possit sublimari, semper reddendo ei aquam suam. Tunc pone totum ad descendendum cum kimia (seu vase apto) vt prædictum est supra, & frustum vel laminam quam in fundo vasis inuenies cera vltima ceratione in crucibulo super ignē cum oleo ingrediente: & tunc ex hac medicina projice pondus vnum super quinquaginta æris separati, & fiet Luna bona. Et si medicinā cum descēderit & fixa fuerit per decoctionem solueris in aquam peruiā & eam congelaueris, & congelatā ceraueris vltima ceratione vt dictum est, tunc duplicabitur in projectione.

In quibusdam libris inuenitur finis huius operationis aliter sic (vt inueni ita scriptum, cap. vltimum ex lib. Secretorum ad faciendum Elixir album & rubeū perfectissimum, nec est opus alio quando perfeceris istud): Quod cum ex limatura argenti lib. semis & lib. i. mercurij vt supra sublimati, & sulfuris calcinati albi & (vt puto) arsenici ana vnc. tres, factum est quasi vnum corpus, tunc illud corpus ponatur in crucibulo bene lutato, & crucibulum ponatur in cinere calido tota nocte in latere dextro, alia nocte in latere sinistro, & in mane extrahatur, & fracto crucibulo ponderetur quod est in ipso: et si est tantum quantum erat quando positum fuerit intus ad assandum, bene est: sin autem, compleatur ei pondus suum de solo mercurio viuo prædicto, & iterum mitte ad assandum prædicto modo: et sic ita fac donec habeas pondus primum. Hoc facto, cera totum illud cum aqua salis armoniaci præparati albi, et tunc pone in kimia ad descendendum, & post fac subter ignem per diem integram vel vt prædictum est supra. Et tunc cera huiusmodi medicinam cum oleo dicto: & tunc projice ex ea pondus vnum super viginti æris separati, & fiet optima Luna. Et si post descensionem solueris & congelaueris, & post ceraueris, plus valet.

Et si hunc processum vis ordinare ad rubeum, tunc loco limaturæ argenti ponatur limatura auri & aliæ species rubificatæ, & procedatur nec plus nec minus vt prædictum est, & tantum argenti separati conuertet in aurum optimū, quantum & prædicta medicina conuertit æris in argentū. Item si postquā medicina assata est secundum processum vltimum & completum est pondus eius per assationem, si ipsa imbibatur cum aqua salis armoniaci separati albi, & su-

blimetur in aludel donec de ipsa nihil ascendat, & post descendat et procedatur ulterius ut dictum est, ipsa melior et fortior erit, siue medicina sit ad album, siue ad rubeum. Item si medicina post descensionem soluat in aqua, et post distilletur per alembicū semel ad minus, et tunc congeletur, et congelatum ceteretur cum oleo dicto, adhuc erit melior et fortior: fac ergo sicut volueris, quia ultra Dei auxilium non posset aliud.

Rectificatio occulti lapidis.

Occultus noster lapis benedictus de re animata est sicut dixit Hermes: Verum sine mendacio certum certissimum. Sublimabis subtile à spisso suauiter cum magno ingenio, & ascendat à terra in cælum, iterumq; descendat in terram, vsq; dum bene rectificatum fuerit. Additiones.

Compositio Elixiriorum: R. auripigmenti præparati & ter sublimati & tantundem mercurij purgati & sublimati ter, & tantundem calcis Lunæ purgatæ & tantundem salis armoniaci purgati & sublimati ter, & misce has res insimul super porfidum, & tere insimul & sicca ad Solem, deinde iterum tere & appone de aqua tartari & tere bene & sicca ad Solem, deinde iterum tere, & pone de aqua, & postea sicca, & ita fac decies aut duodecies quovsq; facias quod sit ut vnguentum: & quod partes adinuicem subtilientur terendo, imbibendo, & exiccando: Et si velis loco aquæ tartari potes apponere aquam albuminis ouorum, aut aquam sanguinis rectificatam, aut aquā Lunæ aut stanni. Et postquam tu imbiberis & siccaueris tuam medicinam decies aut duodecies, ut dictum est, tere iterum & appone de aqua cum qua prius imbibisti quovsq; sit magis mollis quam pasta, & pone in phiala vitri in vno vase terreo, quod vocatur Solutorium, & claude bene cum panno lineo & terra aut pasta, et pone in fimo equino bene calido, et cooperi circumquaque et dimitte tamdiu in fimo quovsq; totum dissolutionatur in aquam, et de septimo in septimum aut octauum aut nonum renoua fimum calidiorem. Et si vis fimum tuum calefacere projice desuper de aqua frigida et calefiet: Et ita fac de omnibus rebus quæ sunt fortes et duræ ad resoluendum et conuertendum in aquā quando volueris eas resolvere. Et si accideret quod infra quatuor dies aut plus non vellent resolveri, pone super marmor et tere iterum bene, & pone iterum aquam desuper, et sicca ad Solem, et tere et appone aquā et sicca, et ita facias ut prius diximus. Deinde pone ad dissoluendum in fimo ut diximus. Et si accideret quod tua medicina exiccaretur, extrahe & tere, & pone aquam ut supra dictum est, & sicca ad Solem ut dictum est: & hoc sæpe quovsq; materia sit bene oleaginosa: deinde pone ad resoluendum ut dictum est supra. Et quando fuerit dissoluta in aquā, pone phialam in vno distillatorio pleno cineribus vsque ad iuncturā cooperuli, & sit phiala discooperta, & claude distillatorium & luta iuncturam: Postea fac subtus paruum ignem velut cum sit aqua rosacea: & quod distillabitur recipe & serua, & facies ignem per 24 horas aut plus, quovsq; medicina sit sicca, & quod non videas plus de fumo exire per canalem distillatorii: tunc deponere ignem & dimitte infrigidari: Et est bonum quod phiala ubi est medicina, habeat largum os, ut fumus inde melius possit exire propter phialam quod non rumpatur. Deinde remoue medicinam de phiala, & tere super marmor, & appone desuper aquam quam tu inde distillasti, & tere bene & sicca ad Solem ut prius, & pone ad resoluendum in fimo. Et si non fuerit satis de aqua ab ea distillata, appone de aqua de qua prius imbibisti quando primò posuisti ad dissoluendum: Et scias quod resoluetur in multo minori tempore quam prius fecerat. Et quando erit resoluta, pone in distillatorio & congela & sicca sicut prius fecisti, & serua aquam quam inde distillabis. Deinde tere iterum, & pone aquā desu-

desuper & exicca vt prius ad Solem, & pone ad resoluendum: & postea ad cōgelandum: & ita facias quater aut quinquies aut sexies quovsque totum sit fixum & expectans ignem: quia tantū poteris resolvere & congelare quòd nihil inde amplius distillabit, quando tu congelabis, & tunc dicitur esse fixum: Et iam scias quòd quādo tu resolveris tuam medicinam quater aut quinquies, tu distillabis illam per filtrum, & postea pone in phiala vitri, & phialam pone in vno potto pleno cineribus: & sit phiala clausa leuiter cum panno lineo, ita q̄ fumus possit inde modicum exire, & fac desubtus lērum ignem sub potto per diem & noctem aut plus, quovsq̄ tua medicina sit in lapidem congelata albū, vt est crySTALLUS, & serua: Sed nota quòd modus congelandi in distillatorio est securior quā alter. Et quando tua medicina est congelata, tere eam & pone desuper oleum sanguinis aut ouorum rectificatum, aut de oleo communi distillato septies cum sale armoniaco & calce viua, aut de oleo trium specierum (seu spirituum) aut de oleo albo Philosophorum: & non apponas multum de illo: Et postea mitte simul de aqua cum qua imbibisti quando posuisti ad soluendum. Postea tere insimul & pone ad resoluendum vt prius, & postea congela. Et quando erit congelata, tere de ea modicum, et calefac laminam cupri, & pone de hoc puluere supra, & si fundatur desuper & dealbet laminam, tuum Elixir est completum: & si hoc non faciat, tere iterum tuam medicinam, & pone in crucibulo super ignem, & appone desuper quinque aut sex guttas alicuius oleorum ante dictorum, & toties facias quovsq̄ videris signum dictum, & ita serua. Et nota, quòd si pluribus vicibus resolveris medicinam, etiam plus valebit plures partes tingendo: Et potest fieri istud Elixir absque calce argenti, sed non tantū valebit, sed citius fit, quia citius resolvitur sine illa calce: & illud proijcitur supra cuprum præparatum & conuertit in Lunam.

Alia compositio Elixirij: R. partem vnā auripigmenti præparati & sublimati ter, & tantum mercurij, & tantum sulfuris præparati & sublimati ter, & tere bene, & pone desuper de aqua salis armoniaci præparati & sublimati ter, & imbebe & incera & exicca ad Solem: & ita fac decies aut duodecies aut plus, quovsque bibant suum pondus de sale armoniaco quinquies aut sexies. Deinde pone ad dissoluendum vt diximus, & renoua simū ad tres, quatuor aut quinque dies, aut in tribus septimanis: Et quando erunt resoluta, congela in distillatorio in cineribus, & postea imbebe cum aqua quæ inde exierit distillata, & cū aqua salis armoniaci vt prius, & tere bene, & incera & sicca ad Solem pluries, & pone ad dissoluendum, deinde congela vt prius: Postea tere & pone aquam desuper, quæ inde erit distillata, & de oleo trium specierum, aut de oleo albo Philosophorum, & tere bene & pone ad soluendum, deinde congela vt prius, & habebis in fundo vasis lapidem albū: & appone desuper de oleo dicto septē aut octo guttas, & pone ad soluendum, deinde ad congelandum.

Alia compositio Elixirij quæ dicitur melior: R. lib. i. calcis Lunæ præparatæ, & tres vncias sulfuris præparati & sublimati ter, & tres vnc. auripigmenti præparati & sublimati, & lib. mercurij præparati & sublimati, & tere bene omnia simul, & appone aquam salis armoniaci præparati & sublimati, & exicca super paruum ignem carbonum & cinerum, & quando fecerint magnum fumū, remoue patellam ab igne, & pone longē ab igne: sed melius valeret siccatum ad Solem. Et quando erunt omnia sicca tere & pone in distillatorio & facias paruum ignem quovsque tota humiditas sit inde distillata, quam serua. Postea fac fortem ignem quasi sublimationis, & facias ignem tribus diebus et tribus noctibus, et tunc sublimabitur vna pars illius medicinæ, et alia remanebit in fundo: Dimitte omnia infrigidari, et tere omnia simul, scilicet quod sublimatū

est, & quod remansit in fundo, & pone cum aqua quæ exinde distillata est, & sicca modicum, & postea pone ad sublimandum vt prius, & toties sublimabis hoc modo quod tota medicina remanebit in fundo, & quod nihil amplius de ea sublimetur: Deinde tere & incera, pone desuper vnam vnc. aut duas de oleo Philosophorum albo, & pone in descensorio et fac descendere vt fecisti auripigmentum. Et facias primo die subtus paruum ignem, et secunda die fac fortio rem, et tertia die fac fortissimum quali esset ignis fusionis cupri. Et ita dimitte infrigidari, et reperi es in coopertorio descensorij lapidem album, quem recipe et tere et pone in crucibulo super ignē, et projice desuper duas aut tres guttas olei albi Philosophorum quovsque fundatur vt cera: Tunc depone crucibulum ab igne, et tuum Elixir est perfectum: et de hoc projice vnam partem super quindecim cupri præparati, et totum erit argentum. Et si vis ampliare virtutem tui Elixirij, tere iterum bene, et pone desuper de aqua salis armoniaci prædicti, et duas aut tres guttas olei albi Philosophorum, et pone ad dissoluendum, deinde congela vt prædictum est, et serua: Et poteris projicere super 80. aut 100. sed experiaris.

Alia compositio Elixirij. R. lib. 1. mercurij sublimati & imbibe terendo cum aqua salis armoniaci & sicca: Deinde tere & pone duplū sui ponderis de aqua salis armoniaci, & pone ad dissoluendum per octo dies, deinde distilla per distillatorium & pone in illa aqua duas vncias auripigmenti sublimati, deinde pone ad dissoluendum et congelandum septies aut plus aut ter vel quater, et vltimò congela in lapidem durum, deinde tere et pone desuper de oleo albo Philosophorum, et fac descendere in descensorio, et facias paruum ignem per duos dies et duas noctes, et vltima die ita fortem sicut ad fundendum cuprū, postea dimitte infrigidari, et tu reperi es in vase lapidem crystallinum: de quo accipe parum et tere et pone in crucibulo super ignē, et projice desuper duas aut tres guttas olei albi Philosophorum quovsque fundatur vt cera, et dimitte infrigidari, et pone de illo modicum super laminam calidam ferri aut æris, et si fundatur absque fumo bene est: si non, tere iterum & pone in crucibulo, & projice desuper de oleo dicto quovsque signum iam dictum appareat: & projice vnam partem super quinque cupri præparati, & efficietur Luna. Et si velis dissolvere aut distillare & congelare semel aut bis, augmentabitur virtus Elixirij.

Alia compositio Elixirij: R. lib. semis calcis Lunæ præparatæ, & totidē mercurij lauti non sublimati, & pone calcem super mercurium, quovsque biberit totam calcem, & fiat sicut butyrum, & nihil sentias ad digitum, quin totum sit molle, deinde laua cum aceto & sale præparatis, quovsque acetum exeat clarum, postea projice desuper aquam calidam quovsq; extraxeris salem, & aqua exeat vel efficiatur dulcis, deinde dimitte siccari, & quādo siccum fuerit pone cum duabus vncijs auripigmenti bene sublimati, & tantundem sulfuris bene sublimati, & tere insimul quovsque totum misceatur in vnum, & appone septē aut octo vncias aquæ salis armoniaci purgati & sublimati bene, & pone in distillatorio & cooperculum desuper, & facias subtus paruum ignem quovsque tota humiditas inde exierit, quam serua: Deinde fac fortem ignem quasi sublimationis, quovsque totum sublimetur, et dimitte totum infrigidari, et quod inuentum fuerit in coopertorio tere cum eo quod remansit in fundo vasis, & desuper pone aquam quæ inde distillauit, & tere bene iterum & pone adhuc in distillatorio, & inde distilla aquam ad lentum ignem, & fac post magnum ignē qualis est sublimationis, & misce sublimatum cum facibus & tere & imbibe cū aqua & sublima vt prius quovsque nihil plus sublimetur. Deinde tere & appone de oleo albo Philosophorum in crucibulo super ignem, & proba super laminam

nam ferri calidam aut cupri, quovsque fundatur vt cera, & erit completum: vna pars super quindecim cupri, & per iteratam solutionem & congelationem augebitur virtus eius. Hactenus additio.

Compositio aquae vitae simplicis & rectificatio eiusdem.

Occulti igitur lapidis albi recentis quantum vis assume, quem subtiliter commisces in vitreata scutella & commollies sine omni re alia ibiq; fermentari per diem & noctem dimitte: deinde in vase vitreo bene sigillato, vt non respiret ad humandum per 21 dies pones, ita quod singulis hebdomadis renouetur fimus. Completo itaque hoc numero, pone de lapide lib. semis in aludel vitreo, alembico superposito cum suo recipiente bene sigillato cum luto magisterij vt non respiret, & pone aludel super laterem (potius larē) præparatum cum suis vasis aqua & cinere mediante vt scis, & fac à principio ignem leuem per tres horas: Postea vigoretur ignis paulatim vsque dum tota aqua eius candida distilletur. Hanc autem aquam vocauerunt Philosophi sal armoniacum, arg. viuū, lac virginis, aquam vitæ, & aquam penetrantem & serenantem, ac domum illuminantem. Hæc enim aqua candelas accendit & omnes obscuritates fugat à domo in qua rectificata fuerit vsque in finem cum tota sua substantia, id est ipsamet et oleo eius, et igne & terra calcinata sicut scis. Distillata autem huius aqua prima vice vt dictum est, in humam iterum eam per vnam hebdomadā vt dictum est, tunc distilla iterum per alembicum vt prius, et sic itera tribus vicibus: Hoc facto distilletur iterum sine inhumatione tribus vicibus cum cinere sine aqua. Postquam autem huiusmodi aqua septies distillata fuerit, proba aliquantulum de ære ignito ad modum scilicet nūmorum extinguendo tribus vicibus in ipsa, quia si dealbentur intus & extra, bene est: & si non, reduc eam ad primū opus, donec sic contingat: Et tunc serua eam in vase vitreo bene sigillato cum cera.

Olei rectificatio.

Simili modo oportet vt rectificetur eius oleum cum humatione & distillatione ita vt fiat album: cum probatione æris similiter, vt dealbetur in eo: et tunc serua ipsum ad partem in vase vitreo bene sigillato. Ignis verò remanebit in fundo vasis siccus & niger, quem seorsum repone in vase vitreo bene concluso.

Rectificatio terre.

His peractis, exteriora lapidis à tela purgabis, & in vitreato vase bene cocto & nouo vndique argilla circumlutato diligenter cooperculo terreo cooperto, in quo scilicet cooperculo sint tria foramina parua, repone: & in furno figuli octo diebus dimitte, vt niuis candorē assumat. Huius calcis parti vni sex partibus aquæ prædictæ adiunctis vas vitreum vsque ad duas partes impleatur alembico superposito cum suo recipiente, & clausis iuncturis cum luto magisterij ita vt non respiret, ipsumq; in alio vase fictili ferreo, cribrato cinere pleno reconde: deinde in alio vase cum aqua ponatur, & subijce lentum ignem (nota hunc distillationis modum quia singularis est et lentissimus) per totam hebdomadam, vel vsque dum nihil aquæ vitæ distilletur: Postea die vna & nocte refrigerari dimitte, & inuenies in fundo vasis laminam crystallinā, cui redde ei aquam suam, quæ ab ipsa distillata est, vsque dum eam totam ebiberit: & tunc serua eam ad partem vsq; dum dicam tibi. His peractis, accipe salē armoniacum sublimatum ter & solutum & distillatum per alembicū, & coagulatum, & iterum solutum & distillatum & coagulatum, & itera tertia vice: Et si solutum fuerit septies cum aqua vitæ, & distillatum & coagulatum quolibet vice, & in fine resolutum in aqua, soluit omnia corpora calcinata, limata,

& etiam combusta: & spiritus omnes calcinatos & sublimatos solutione mirabili in crucibulo super ignem in vna hora cum Dei auxilio & eius virtute.

Compositio aque vitæ completæ & perfectæ.

Componamus aquam nostram philosophicam cum Dei adiutorio, & eius virtute. R. de aqua salis armoniaci soluti & distillati ter ad minus vncias sex, olei prædicti rectificati vt dictum est vnc. sex (vel septem) misce hæc duo, & inde imbue super porfidum vel super tabulam vitream vnc. sex de prædicta lamina paulatim donec totum ebiberit: & cum totum absorbuerit, dimitte fermentari in simili vase vitreo tribus diebus: quarto autem die projice hoc ceratum in duabus libris aquæ vitæ prædictæ in solutorio positæ, & sigilla os bene ita vt non respiret: & inhuma per quindecim dies: & decimasexta die inuenies laminam solutam in aquam albam vt lac. Et hæc est aqua vitæ completa, & oleum Philosophorum vel philosophicum, & aqua penetrans & serenans, candelas accendens, & domum illuminans, per quam omnes Philosophi sustentati sunt. Et cum hac aqua retinetur omne volatile à fuga, scilicet mercurius, sulfur, arsenicum, & aquila: mercurium dico sulfurem & arsenicum sublimate & calcinata: quæ omnia quomodo fiant, dictum est superius.

Additiones.

Rectificatio olei communis ad incerationem spirituum & ingressum faciendum. R. olei communis quantum vis, & cum calce viua optime confice vt sit vt farinatum: & quidam ponunt de sale comuni & sale tartari, & ita per duos dies dimitte, postea per alembicum distilla, & renoua super ipsum distillatum calcem & distilla quater donec non comburatur.

Alij faciunt prius bullire oleum cum multa quantitate aquæ, & ita immunditia descendit ad fundum: deinde colant oleum quod natat superius, & ponunt cum calce viua in vase ad distillandum, & distillant semel, & seruant in vase clauso.

Oleum incombustibile ad incerandum Elixir ad album: R. mercurij fixati per circulationem cum aqua lapidis occulti albi rectificati à calce corticis, & pone in furno resolutorio cum tertia parte aquæ mercurij, & die quarta dissoluetur in oleum album fixum incombustibile, et non rectificatur alio modo, nisi quod aqua separatur per distillationem, & oleum manet in fundo vasis, quod non potest distillari nisi cum maximo labore causa suæ fixationis, quia repugnat et perseverat in et contra ignem: et cum hoc oleo potest fixari omnis mercurius sublimatus, et dissoluit omnia corpora, quia est ex natura metallina: Et cum eo incerantur magna Elixiria: et bene seruetur in loco calido iuxta ignem, quia est naturæ calidæ: ergo si poneretur in loco frigido congelaretur in durum lapidem fusibilem similem marmori albo, qui postea non posset dissolui nec venire ad talem distemperantiam causa suæ infrigidationis.

Nota quod fit quedam distillatio olei cum virgis paruis positis in fundo cucurbitæ, & attingunt summitatem, & ascendit oleum per virgas illas superius, aliter non ascenderet: & debent esse virgæ paruulæ & decorticatæ: & credo quod de ista distillatione loquitur Arist. cum dicit, Modò scias quod olei distillatio fit secundum tres modos: et est in cap. de L. maiori.

Sed scias quod Rasis certè loquitur de illa distillatione cum virgis myrti, in suis libris de 70 & de 30 verbis: dicens in libro de 70: Sic etiam oleum, dum aliena sequaris vestigia, manabit.

Composi-

Compositio Elixiri Benedicti

Componamus igitur Elixir nostrum benedictum cum Dei auxilio & eius virtute. R. mercurij sublimati & calcinati lib. 2 sulf. & arsenici sublimatorum & calcinatorum ana lib. 1. & de aqua animalis philosophice composita, & rectificata iam dicta vnc. 13. & de huius aqua imbibere spiritus predictos paulatim super porfidum aut in paropside vitrea quæ melior est cum pistello vitreo donec totum bibit: & cum hoc factum fuerit, pone totum illud in aludel ad sublimandum alēbico superposito cum suo recipiente & bene sigillato cum luto magisterij, ut nullo modo respiret: & tunc pone aludel super athanor, & fac de subtus ignē leuē de carbonibus, donec tota humiditas in recipientē ceciderit, postea vigora ignē mediocrē quasi per sex horas, & tunc sine vas infrigidari, & cum infrigidatum fuerit, quod intus est extrahe & pone in paropside vitrea: & si aliquid de ipso super eleuatum fuerit, reduc super feces suas cum pistello vitreo suauiter, & reddēdo libi totam aqua, quæ ab eo distillata est: Et postea da ei potandum alias 13. vnc. aquæ philosophicæ predictæ, & cum totum biberit, remitte ad sublimandum ut prius: quod si pigritauerit ad surgendum vel bibendum, assa ipsum in aludel cum ampliori ore semper alēbico superposito cum suo recipiente & bene sigillato, quod non respiret, & hoc fac cum lento igne donec totum ebibat, & tunc sublima ut prius fecisti: tertia vice reduc super si aliquid eleuatum fuerit, & da ei ad bibendum alias 13 vnc. aquæ predictæ, & redde ei aquam suam similiter ut prius suauiter terendo donec totum biberit, & tunc sublima ut prius. Quarta autē vice redde ei aquam suam tantum, & sublima vel distilla, & hoc ex tunc fac toties semper reddendo ei aquam suam quæ ab eo distillat tantum, & reducēdo inferius quod superius eleuatur si aliquid sit, donec inde penitus nihil distilletur. Et cum ita factum fuerit, inuenies in fundo vasis laminam crystallinam stantem, penetrantem, profundantem, tingentem, & permanentem: cuius una pars si super 50 partes Veneris projecta fuerit, ipsam in verissimum arg. transmutabit. Hermes dixit in secreto suo unum super mille. Rogo te per fœdus Domini ne hoc secretum alicui ostendas nisi filio nostro: Et quicumque de hoc arcano secreto dignus fuerit, noster erit filius: & Deus alleuiet super te. Tu autem cum exaltatus fueris super omnes circulos mundi huius Lunaris, memento visitare & distribuere pauperibus & pupillis, viduis, & similibus, & eis succurrere in tribulatione eorum, ut valeas in die iudicii audire verbum Domini promissum, Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi: infirmus fui, nudus fui, sitiui, & omnia necessaria dedisti mihi cum visitasti pupillos & viduas, & his similes propter nomen meum: centuplum accipies, & vitam æternam possidebis. Amen.

Explicit liber Perfectionis.

Ordo libri huius breuiter talis est:

Primò rationes huius artis abundè describit octo capitibus primis.

Secunda pars de Metallorum generatione singulatum capitibus 6.

Tertia pars de Separatione metallorum & mineralium cap. 18.

Quarta pars, Preparationes omnium metallorum & mineralium aut fossilium cap. 43. Vbi alia etiam preparantur quæ ad opus conueniunt. &c.

Quinta pars, Olea philosophica parare docet pro Elixiri complendo, capit. 4.

Sexta pars continet rationem componendarum Elixirum ex predictis speciebus preparatis: Item compositiones aquæ uitæ philosophicæ, rectificationes omnium elementorum, & tandem compositionem Elixiri Benedicti.

Singulis partibus additiones posite sunt optimæ, ad doctrinæ abundantiam.

LIBER MAGITRI IOANNIS DE RVPE SCISSA
DE CONFECTIONE VERI LAPIDIS PHILOSOPHO-
rum clarè & absque quacunque palliatione, editus ab eo viro vtique à
Deo illustrato, quem libellum composuit ad hoc diuina præ-
monitus reuelatione.

P R A C T I C A.



NATVRA seu materia lapidis est res vilis precij, vbique repe-
ribilis: quia est aqua viscosa, cum sit arg. viu. cōmune sicut ex-
trahitur de terra. Et quia aqua viscosa scilicet arg. viu. genera-
tur in latrinis, dixerunt aliqui, quod in locis vilibus reperieba-
tur: Et multi bestiales non intelligētes intentum Philosopho-
rum, ipsum ad literam in stercorebus quāsiuerunt. Hæc autem
natura operatur aliquid, amouendo scilicet terrestreitatē, quam habet, & a-
liquid apponendo, scilicet sulfur Philosophorum: quod nō est sulfur vulgi, sed
est sulfur inuisibile, tinctura rubedinis: Et ego nominabo tibi eum nomine suo
& certè est spiritus vitrioli scilicet Romani. Et istæ duæ præparationes fiunt si-
mul sic: R. salis petrae & vitrioli Romani ana lib. duas, & tere eas subtiliter, &
in patella ferrea mouendo, desicca ad ignem lentum aliquantulum, vt aquea
humiditas recedat: deinde R. lib. i. mercurij de minera extracti, & non de plū-
bo facti, & volue ipsum in corio leporis, & sparge ipsum super materiam præ-
dictam calidam aliquantulum, quia seminabitur, et exibit, et mundificabitur
transeundo per poros corij prædicti vt non appareat in eo. Et pone totum in
vase aludel (seu alembico) ad sublimandum primò cum lento igne, donec hu-
miditas per foramen capitis vasis recedat aliquantulum, quod cognosces cum
gladio, si positus super foramen non recipiat ex fumo ascendente humorem:
postea claudere foramen cum luto sapientiæ: sed tutius est vt ante materia paulu-
lum desiccetur, & in aludello nullum sit foramen, & fortifica ignem per duode-
cim horas, & in fine da fortio rem ignem, vt bene totus mercurius sublimetur,
et extrahe ipsum album sicut nix est. In isto autē opere fecisti duo: Primò enim
purgasti ipsum à terrestreitate & nigredine ac humiditate maxima, quæ vndi-
que currit, & coagulasti eum, & reduxisti album vt nix, & contribilem & misci-
bilem & aptum ad digestionem in stufa sicca: & aptasti eum ad reducendum
in aquam prout inferius apparebit. Secundò, postea misisti in ipsum sulfur inui-
sibile Philosophorum, quod est tinctura rubedinis, & spiritus vitrioli Roma-
ni: & est ibi miraculum maximum: quia cum spiritus ille inuisibilis habeat tin-
cturam rubedinis, tamen coagulat mercurium in sublimatione in albedine ni-
mis. Et hoc est quod multi maximi Philosophorum scripserunt, quod lapis fit
ex mercurio & sulfure, quod non est sulfur vulgi, sed sulfur Philosophorum. Et
de prædicta præparatione, sublimatione, & operatione dixit magister Arnol-
dus de Villanova in Tractatu parabolico de maiori edicto, Nisi granum fru-
menti cadens in terra mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum
fuerit, multum fructum affert. Intelligas per granum frumenti in terra mortifi-
candum, mercurium mortificandum in terra salis petrae & vitrioli Romani: &
ibi mortificatum, & cum igne sublimatum multum fructum affert, nempe lapi-
dem magnum, quem omnes Philosophi quæsiuerunt. Signum autem quod spi-
ritus vitrioli incorporetur mercurio est, quia licet mercurius sublimatus mul-
tas faeces terreas dimittat in terra, tamen si posueris libram vnā, tantundem
rehabebis: sed hoc esset impossibile, nisi quod mercurius albius niue secū tra-
xit

Est purissimum spiritum vitrioli prædicti, quod est inuisibile sulfur. Demonstratur autem spiritus inuisibilis vitrioli ad sensum per ingenium sic: R. acetum & in eo extingue ferrum quatuor vicibus: Deinde pone ibi mercurium sublimatum & tritum per vnam noctem, in crastino distilla acetum per linguas bis vel ter donec sit clarum, post mitte in ampulla vitreata ad ignem lentum, & amoue cappam nigram ferream, quæ eleuabitur, & post purgationem da ignem & euapora acetum & remanebit ibi spiritus vitrioli in fundo, de colore floris gaudij amoenissimo supra modum si experto credatur: Et ita habebis ad partem mercurium mortuum effectum, & ex alia parte sulfur inuisibile super prædictum. Quare mihi est monstratum, quod mercurius per vitriolum sublimatus, secum portat spiritum eius, quia sulfur inuisibile lapidis tinctura appellatur. Nam de mercurio sine vitriolo sublimato, non poteris extrahere spiritum prædictum. Hæc est operatio prima.

SECUNDA OPERATIO

Secunda operatio huius artis est, Ab illo mercurio sublimato, qui est albus vt nix, extrahe spiritum eius qui à quibusdam magnis Philosophis quinta essentia clamatur, quia spiritus ille est incorruptibilis ferè vt cælum, licet sit non fixus volatilis, quia sic est necesse: extrahatur enim hæc quinta essentia, hoc est spiritus mercurij ab illo supra sublimato sic: R. lib. i. salis petrae & tantundem vitrioli Romani, et extrahe aquam fortem, & tere mercurium supra sublimatum, & dissolue eum in illa aqua forti supra cineres calidos in amphora vitri clausa per duodecim horas: quod si non dissoluatur pone intus de sale armoniaco septem partes aquæ vel plus: & hoc est maximum secretum in arte: (N. si in principio sumatur sal nitrum pro sale petrae, puto fore melius.) Appone ergo cor tuum ad ipsum, et post dissolutionem pone in vrinali, et desuper alembicum, et mitte super ignem, et distilla aquam fortem, quam recipe, et post totalem distillationem continua ignem, et ascendet per latus vrinalis spiritus mercurij: et hæc est quinta essentia albi orniue: in fine fortifica ignem, et totum ascendet: Deinde aperi vas, et extrahe quintam essentiam, et inuenies in fundo vasis faeces combustas et nigras à spiritu mercurij separatas. In hac autem operatione fecisti duo: Primò separasti illud quod in albo mercurij separato erat terrenum corruptibile et imperfectum: totum enim combussit illud aqua fortis: Et est mirum valde, quod de re alba vt nix, possit extrahi res terrestres et nigra. Secundò imbibisti intra spiritum mercurij amplius de spiritu vitrioli, qui est in aqua forti: et hoc est quod in prædicto tractatu dixit magister Arnoldus, dicens sic: Bibat, bibat, bibat quantum bibere potest per duodecim horas, (N. vices) quia mercurius dissolutus est in aqua vitrioli, hoc est de sulfure inuisibili, quam habet: Et hæc dissolutio fit in duodecim horis. Secundò dissolue spiritum mercurij in aqua forti, & sublima vt prius, & remanebunt in igne faeces non tot vt prius. Tertiò reitera opus, & nihil de nigris faecibus, aut parum inuenies, & tunc habebis perfectè quintam essentiam materiam lapidis secundariò præparatam, incorruptibilem, volatilem non fixam, et niue albionem.

TERTIA OPERATIO

Recipe præfatum mercurij spiritum separatum seu eius quintam essentiam, & tere mundissimè super lapidem, & pone puluerem in vase vitreo, & mitte in furno Philosophorum in stufa sicca ad digerendum, prout quidam volunt nominare: licet alij dicant ad calcinandum ad ignem lentum de carbonibus factum per octo dies, vel plus, quem furnum fortasse inferius describam vel alibi inuenies: Ibi enim decoquitur vt possit dissolui in aquam: quoniam quando aliter dissolueretur, nec opus perficeretur.

QVARTA OPERATIO.

Quarta operatio est, vt digestionē prædictam in vrinali ponas clauso in balneo infra ollam plenam aqua, donec tuus spiritus dissoluatur in aquā qua dissolutione facta & completa, pone desuper alembicū: vel in principio quando vrinale ponis in balneo potes desuper alembicum adaptare: Demum da ignem, & ascendet stilla roris madij in modum aquæ vitæ lucida lacryma oculi, lac virginis, purissima lapidis materia occulti vltima præparatione perfecta, gustu amara, ad literam acetosa, volatilis non fixa, incorruptibilis ferè per digestionem in puluerem, à Gebero nunquam cognita, ab Auicenna ignorata. Hanc Hermes palpauit, Alphidius aptauit, Rosarius intellexit, magister Arnoldus dictauit: Nam de hac quarta operatione quæ dicitur expressio lactis virginis, dicit magister Arnoldus, Quod oportet exaltare filium hominis in aeris cruce: quod est ad literam, de materia in tertia operatione digesta, quæ trita ponitur ad dissoluendum in fundo vrinalis, ascenditq; quod ibi est, purissimum & spirituale, & in aerem sursum conuertitur, & in cruce exaltatur capitis alembici, quasi Christus, vt magister Arnoldus dicit, eleuatur in cruce. Et ista dissolutione completa, habes tuam materiam vltima præparatione præparatam & perfectam: & si vnam guttā ex hoc lacte virginis super laminā igni tam proieceris, dealbat eam intus et extra. Et ita vidisti quod materia lapidis est vna, non simplex omnino, sed composita ex spiritu mercurij, & ex spiritu vitrioli Romani, quod dicitur sulfur inuisibile, non vulgi, sed Philosophorum: quia est tinctura mercurij & rubedinis: licet mercurius in se non habeat tincturam ad rubeum intrinsecus absconditam: sed propter purgationes quia nimis est terreus, dimittit, & ob hoc indiget sulfure purissimi vitrioli imbibi ad plenum vt supra.

Hac autem distillatione completa, inuenies in fundo vrinalis elementa tria mista simul, quod remaneat terra crassa & combustibilis: & extraxisti ab eo elementum aquæ animatum anima spiritali vitrioli Romani: & est per se sine alijs tribus elementis sufficiens materia lapidis maximè ad album, & ad rubeum consequenter vt dicitur. Si autem vis separare alia tria elementa ab inuicem, operaberis in hunc modum: R. illas fæces terræ, & pone ad digerendum in stufa sicca vt prius: postea pone in balneo ad dissoluendum & distillandum vt prius cum fortissimo igne: & quod ascendet per ignem balnei est elementum aeris de colore olei: recipe ipsum & serua: & cum nihil amplius poterit ascendere, transfer vas de balneo ad ignem sublimationis in cinere, & da ignem bonū & ascendet per alembicum elementum ignis rubicundum in liquore olei rubei: R. ipsum & serua ad partem: et ita habes à mercurio quatuor elementa ab inuicem separata. Primum elementum aquæ, quod lac virginis dicitur: Secundum elementum aeris, scilicet oleum resplendens in balneo distillatum: Tertium elementum ignis, scilicet oleum rubeum distillatum ad ignem: Et quartum habes in fundo vasis elementum terræ nigerrimum vt carbo, quod nihil ultra valet. Intellexisti hæc omnia: Nescio quid de mercurio clarius dici possit.

QVINTA LAPIDIS OPERATIO.

Materiam lapidis perfectè præparatam in hac quinta operatione docebo: quomodo videlicet materia præparetur ad album, id est, quomodo lac virginis digeratur & reducatur virtute ignis in puluerem tam subtilem, vt non sentiatur per tactum manus. Recipe igitur lac virginis: quod quidem lac dixerunt quidam Philosophi, animal cum sanguine suo: animal quod crescit in sublimando, & habet animam sanguinis, id est tincturam rubedinis, spiritum vitrioli supradictum: & pone infra vitri amphoram in fundo rotundā & ignias

& ignias ei collum & strangula ipsum cingendo cum forcipibus, caute tamen ^{Sigillum Her-} ita quod nihil possit exire quoquo modo: et ponas tegulam perforatam in col- ^{metis.} lo furni inter ignem & amphoram, vt lac virginis nō destruat ab igne: & po-
ne vas in furno philosophorū ad digerendum in igne, vbi vas habebit per inge-
nium ignem ab omni parte, vt vas æqualiter ignem recipiat, vt ad nullam par-
tem lac virginis possit euolare quomodocunque: id quod fieret nisi ignis ab
omni parte daretur æqualiter. Et est ars ad dandum ignem temperatum, non
excessiuum & operis destructiuum, vt subtus tot carbones accensi ardeant, vt
manus hominis teneri possit in aere inter latus furni et vas in quo est materia
id est lac virginis fulgentis: & cōtinuabis hūc ignem donec videas materiā de-
nigrari. Quod si nimis tardaret, adauge ei ignē: & cū videris materiā denigrari
gaude, quonā principiū digestionis tunc habebis: & continua ignē donec o-
mnes carbones cōsumantur: et vidēs materiā aliquantulū dealbari tūc augmē-
ta ei ignem paulatim et sensim donec videas materiā magis ac magis dealbari.
Et cum videris materiā perfectē dealbatā, habes perfectē lapidem ad albū.

Sexta operatio.

Sexta operatio docet lapidem iam completum perfici ad rubeum, nil pe-
nitius addito nilq̄ remoto, sic videlicet: Extrahe de vase prædicto quod
vocalur sepulchrum philosophorum: Et magister Arnoldus dixit, quod
lapis est clausus in eo, vt Christus in sepulchro: & partem vnā quam volueris
pulueris sine tactu accipe: per ipsum enim conuertes omnia metalla imperfe-
cta in verius metallum quam esset de minera. Reliquam partem cōclude in
vase vt prius, & fortifica ignem ei, iubente magistro Arnoldo qui dicit, Post-
quam lapis peruenit ad perfectionem albedinis, non sentiat pœnas crescentis
ignis, nec periculum aliquod, etiam si notabiliter fortificetur: quia sic ei expe-
dit, & est omnino necesse: cuius causa est in veritate per ignem lentum qui sit,
quando digeritur ad albū. non potest decoqui sulfur inuisibile absconsū vitrio-
li scilicet spiritus latēs sub albedine lapidis: sed digeritur spiritus illo igne ad al-
bum. Quapropter necessarium est ignem augmentare, vt attingat profundius
& digerat tincturam rubedinis & sulphur latens vitrioli, & ipsum exterius ap-
parere faciat, & nihil addito, nihilq̄ remoto, quod lapis albus per maiorem i-
gnem efficiatur, resuscitatus a mortuis cum diademate refulgente & gloriosus
vt magister Arnoldus excellenter testatur. Sed nota quod in duobus vasis si-
mul operari debes: in vno ad album, in altero ad rubeum. Et nota quod aliqui
operantur per omnia vt dixi de lacte virginis, & de elemento aeris: & ignem
non curant. Et est opus eorum per solum lac virginis nobile & perfectum pro-
certo, & maxime ad album. Alij verò miscent tria elementa simul: scilicet vnū
pōdus ignis, quatuor pōdera aeris, & octo pōdera lactis: & hic modus fortior
est ad rubeum, debilior verò ad album. Tres hos modos potes facere simul in
vno vase de solo lacte ad album: in alio vase de solo lacte ad rubeum: in tertio
vase de tribus elementis ad aurum, & in eodem furno, vt probes sublimitates
diuersorum modorum, & videas mirabilia maxima a Deo glorioso creata in
rebus. Credas vir Euangelice quod ante me nullus hominum in aperto hanc
scientiam & veritatem scripsit. Scito autem & aduerte quod philosophi ma-
gni quibus reuelatum fuit mysterium huius artis reuelationibus veritatis, im-
precati fuerunt maledictiones horrendas, timentes ne veniret arcanum ad
manus indignorum.

SEPTIMA PARS.

Septima pars huius operis est praxis virtutis elixir, hoc est medicine præfa-
ta: virtus autem seruata est, & perfectæ ad album est, vt cōuertatur mer-
v

curius in plumbum, cuprum, stannum, latonem, & chalybem in argentum verissimum.

Reliqua duo capitula: Vnum fuit de modo fornacis philosophorum, quod alibi melius supra posui: Aliud de modo tingendi & proijciendi Elixir, quod etiā satis alibi potest inueniri. De fermentatione autē Solis vel Lunæ nusquā mentionem facit hīc magister, cum tamen omnes philosophi concorditer dicant, quod Sol facit solem, & fixum figit: Et quale semen in terrā seminaueritis tale & metetis: Et non potest inueniri in re quod in ea non est: et cætera similia multa &c. Tu autem sicut prudens & discretus elige quod bonum est (omnibus probatis) & applica fermentum vt scis &c.

F I N I S.

A N N O T A T I O.

NO T A quod sal petreæ & sal nitri sunt vnum & idem: tantum differunt quod sal nitri est sal petreæ præparatum & purgatum à sale quem habet: & ita præparatum inuenitur copiose in apothecis: præparatur autem sic: Contunditur, & in aqua communi bullitur aliquotiens, vltimò bullitur, & feruens in vas proijcitur ligneum, quod vas habet multos erectos stipes quibus in bullitione adhæret prædictum sal petreæ: quibus frigefactis, colligitur: & tunc sal nitri vocatur.

Scias infallibiliter & in veritate, quod ex solo aceto nostro acerrimo & absolute nullo aliò extraneo addito, opus nostrum perficitur: quo absente, nec nigredo nec albedo nec rubedo consistit, quod facit Solem & Lunam purum esse spiritum. Quare aliqui hīc grauiter errant operando, qui solvunt amalgama nostrum in aqua forti: & per hoc, opus destruitur: quia in pluralitate rerum ars nostra non consistit. Venerabili igitur vtimur naturæ, cui aliena nolite introducere, nec aquam fortem, nec salem, nec puluerem: quia natura non emendatur nisi in sua natura. Et natura nostri acetī acerrimi benedicti, continet omnia necessaria in se &c. Recipe igitur de Sole foliato partem vnā, & de aceto nostro partes septem, & fac amalgama more solito. Deinde pone in vna vesica bouina de vitro, & obtura os vitri, & pone ad distillandum in fimo equino calido & humido per tempus, sic quod caput vitri remaneat in aere extra fimum: diebus finitis, extrahe vitrum de fimo, & pone ipsum supra cineres calidos, & ibidem permitte stare ore clauso dando ei lentissimum ignem tandiū quousq; videris materiam in vitreo esse coagulata &c. sicut scis.

De sale. Ignoscat mihi Deus.

Ratio de sale cibi: Scias quod sales sunt multi, & nobilius eorum est à loco qui dicitur Andaram, deinde sal panis, & sal Indus, qui est rubeus, & sal nabati, & sal calcis, deinde sal amarus qui est in Hispania in loco qui dicitur Bolongi. Eius quidem natura est calida & sicca: & est aqua quam coagulat siccitas ignis: & ex proprietatibus eius est, quoniam liquefacit argentum cum ignis vehementia, & addit in ipso albedinem, & vertit ipsum à corpore ita ad spiritualitatem: & similiter facit de auro, in quo ruborem augmentat, & abluit corpora à sorde, & corrodit sordiciē eorum, & cum ipso calcinantur corpora, & non cum alio. Et propter hoc nominauerūt ipsum Sapientes argentū communicans, propter albedinem suam: Et quoniam omnes homines indigent & vtuntur ex eo in omnibus rebus, & cum eo rectificantur creaturæ. Et
Deus

Deus excelsus non laudauit creaturam in lege veteri sine illo, & praecepit vt nullum sacrificium & oblatio fieret sine sale &c. Et sal inuenitur in omnibus membris plantarum, & calcibus lapidum, & ossibus animalium, & in omnibus rebus: Ergo secretum totum est in sale. Et qui scit solutionem & coagulationem ipsius, iam tunc est eleuatus supra secretum occultum quod est lapis sapientum: & ipse dealbat corpora & mundificat & resoluit ea, & coagulat spiritus, & retinet eos, & prohibet ab eis adustionem ignis. Pone ergo mentem tuam in sale, & praepara ipsum, & ne cogites praeterquam in ipso. An non vides apud complementum omnes redire ad salem armoniacum sapientum, & dicere ipsum multotiens: & ipsi volunt salem sibi post praeparationem eius: peruenit enim ex eo sal sapientum, nobile, fixum, & non fugiens ignem. Et Hermes quidem dixit filio suo: O Fili, quando sciueris saponem sapientum, consequeris concupiscentiam, & euades cum parte meliori. Et ipse quidem est difficilis super eum qui nescit, tamen peruius super eum qui scit eum. Inquit autem Cōpilator, Non perit quarens ad proprietatem nisi ignorantia eius quod verè occultauerunt sapientes, & de quo euacuauerunt omnes libros: & non explanauerunt. Et ego iuro per Deum sine quo non est Deus, qui est sciens, absens, praesens: Vir qui ignorat secretum salis, non comprehendet parū vel multum ex eo qui conceditur ei comedere: quoniam cum ignorat naturam eius, est sicut qui sagittat sine corda. De modo vtēdi est, vt accipias de ipso partem, & tere ipsum optimē, & vltimatē ponas ipsum tritum in olla, & bene obstrue seu tege & pone ad furnū panis die ac nocte: Deinde solue ipsum in duplo sui in aqua dulci, deinde coagula ipsum, & veniet sicut nix: repone ergo lapsum, et vtaris de eo non nisi soluto per modum vt scis &c.

De Elixir.

HOC Elixir tingitur tinctura sua, & submergitur oleo suo seu aere, & figitur calce sua, seu terra sua. Et oleum quidem est aggregans vel coniungens inter tincturam subtilem valde: & aqua id est argentum viuum est deferens tincturam id est elementum ignis, & oleum antecedens cum sale tingente: & tinctura perfundatur cum eo: & quando figitur calx, figitur cum eo propter vehementiam commistionis. Et exemplum calcis est terra. Et album quidem completur tribus, in quibus nō est ignis: Et citrinum seu rubeum, completur quatuor totis elementis seu partibus lapidis.

Totius mundi status periret, si noster in libris nominaretur lapis. O felix scientia quae a sciente quaeritur: non immerito super omnes huius mundi scientias perquirenda est: Quia qui eam habet, incomparabilē habet thesaurum: In salubri cōstellatione natus est in hoc seculo, diues diuitijs infinitis super reges & principes huius mundi. quis non diligit talia: quia sanum & longum se vtentem conseruat super omniū medicorum medicinas. Haec sunt bona, iusta coram Deo & hominibus, non per vsuram acquisita, seu per fraudem & deceptionē plurimorum: sed est speciale donum Dei, vt dicit Psalmus, Labores manuum tuarum manducabis, beatus es &c.

Vt placeat cunctis, nullum decet esse superbum:

Qui sic inflatur, deserit omne bonum.

Sit blandus facie, sit mitis, & ingeniosus:

Ni contemptibilis forte sit ipse citō.

Officio proprio sapienter sit studiosus,

Vt fiat doctus quiuis in arte sua.

V 2

DE LAPIDE PHILOSOPHORVM SECVNDVM VE-
RVM MODVM FORMANDO EFFERRARIVS MO-
nachus ad Apostolicum quendam scribit.



Duo sunt principia huius artis. Est ergo primò sciendum quòd res de qua omnes philosophi antiqui tractauerunt, est argentū viuum sapientū: quod alijs nominibus nūcupatur aurum, medicina, lapis philosophorū, Elixir, et alijs infinitis nominib. vt per ea quę inferius dicetur perpēdi manifestē poterit. Vocatur autē aurū ista medicina phyllca, quia vt dicit Geber: Qui metalla naturalia conuertit & transformat in verū Solem, est Sol: ideo bene dicit, quod facit Solem, est Sol: sed medicina philosophica facit hoc, ergo &c. Et sciendum est quòd huius rei principia sunt duo principaliter, videlicet materia & agens: Materia autem vt dicit quidam philosophus, est argentum viuum et sulfur seu arsenicum, quod idem est. Aduertatis tamen pater sancte, quoniam, vt dicunt philosophi, non est argentū viuum in sua natura, neq; in natura ad quam reduxit illud minera sua, huius rei principium, sed ad quam perducit eorum artificium. Et similiter de sulfure, & cuius corpori est inducere. Et ratio qua moti sunt est, quia nō inuenerunt in mineris argenteis et aliorum metallorum aliquid quod sit argentum viuum in natura sua, & aliquid quod sit sulfur simpliciter: minimè per se vnumquodq; illorū separatum & in propria sua minera & in sua natura istud iuueniet. Istud autem argentum viuū et sulfur quia vt dixi vobis et exposui productum seu deductum ad aliquam naturam aqueam subtilissimam clarissimā albiissimā et amoenissimam, quā philosophi vocant arg. viu. & ad quādam terrenam naturā subtilissimā quam vocant sulfur per artificium, quod philosophi mirabiliter occultauerunt, & discretè occultum esse voluerunt, nec in aliquo loco totum tradiderunt: sed per eorum libros sparsim & per partes diuiserunt. De quo artificio pater sancte nihil intendo pertractare, eo quòd vobis impossibile esset experiri, nec esset expediens quòd per aliquem experiri faceretis: Et esset etiā prolixum omnia quę in dicto artificio sunt necessaria enarrare. Est autem præfactum artificium prolixum & sumptuosum & maximè laboriosum, & inexperienced valde periculosum.

Est autem notādum, quòd Philosophi istud arg. viu. & istud sulfur vnam rē dixere: Et verè ita res est, quòd vna res est & de re vna exiuit, sicut aliās vobis exposui. Quòd vna res sit, demonstratur: Quia aliquando nomināt dictum argentum viuum sulfur, & sulfur vocant argentum viuum: & totum simul, arg. viuum et sulfur. Quòd autē solū sit vna res, omnes philosophi in pluribus locis dicunt. Dicit enim Lucas, Pluribus rebus nō indigemus nisi vna. Et Esric. dicit, sciatis huius artis fundamentum, propter quòd multi perierunt, vnum quid esse. Et Diomedes ait, Venerabili vtīmur natura, quoniam natura non emendatur nisi in sua naturā: quibus nolī alienum quid introducere. Et Boco-fen ait, Cauete ne alienum quid introducatur: Est enim, vt superius dixit Geber, in pluralitate rerum ars nostra superflua. Et Aftanus ait, Natura est vna tantum quę omnia superat. Itē Pithagoras, Omnibus nuncupatur nominibus, cuius nomen vnum & idem est. Et multa talia dicunt similia quę longum esset enarrare, ad ostendēdum et demonstrandū quòd vna res est sola, super quam actionē suam in huius operatione fundat natura. Quę res, vt superius dixi, est arg. viu. et sulfur quod vobis demonstraui. Sed queri posset, Quare ergo philosophi rem istā, si non est nisi vna, omnibus nominibus nominauerunt, & omnibus rebus comparauerunt: Ad hoc assignant plures rationes: Dicit enim

Diomedes

Diomedes, Quia hoc fecerunt quatenus insipientes et ignorantes istā rem nō cognoscerēt. Item **Morienes**, Inuidi nomina multiplicauerunt, & posteros seduxerunt. Vocant autem seipso Inuidos, quia inuidēt ne alijs quā sibi ipsis hęc sciētia proueniat. Item **Pithagoras**, Multis istam rem vocauerunt nominibus propter excellentiā suā naturā. **Bonellus** autem dicit, Quod nomina multiplicāt, quia in operatione huius rei omnes colores, qui excogitari possunt in mundo, apparent: & sic eius nomina diuersificauerunt secundum diuersos colores. In opere omnia elementa cōtinentur: quare ipsi rem nomine cuiuslibet rei elementatę nuncupauerunt. Quod autem in hac re sint elementa quatuor, **Orpholeus** dixit, Scitote quod in nostro magisterio oportet elemēta pura, cruda, syncera, & recta super ignem cōmiscere, & cauere ignis intensiōē quousq; coniungantur elementa, & sint se inuicem complectentia. Elementa igitur igne leui cocta diliguntur, letantur, & in alienas conuertuntur naturas: hęc **Orpholeus**. Ait etiam philosophus, Conuerte elementa, & quod queris inuenies: Conuertere autē elementa, vt quidam alius, est facere humidum siccū, & siccum humidum, & fugiens fixum. Ergo habetis p. s. quod in ista re vna, sunt quatuor elementa, quę visibiliter videntur & naturaliter extrahuntur: et ideo philosophi vocāt aquā istam, quatuor corpora & quatuor naturas: Dicit enim **Hermes**, Aqua illa est natura celestis, quę in corporalibus existentia elementa sua regione separat, & iterum ea componens, in vnum reddūt. Dicit enim **Nimidus**, Fit hoc compositum perfectum in omnibus quatuor elementis. Hac autem multiplicatio nominum, fuit causa erroris illorū qui operantur in nō debita materia, sicut in salibus, aluminibus, vrinis, stercorebus, sanguine humano, sulfure et argento viuo in natura, in marchasitis, & in multis alijs rebus: ignorantes quod in re non potest inueniri quod in ea non est, vt dicit **Geber**: nec intelligentes quod philosophi similitudinariē et metaphoricē in dictis suis sunt locuti: hanc artem preciosissimā & secretissimā, penitus nulli reuelandam putātes. De hac aqua siue de hac re, multa & infinita dixerūt philosophi, quod esset prolixum narrare. Habetis ergo p. s. quę sint principia materialia huius rei, seu causa materialis quę dicitur medicina philosophorum, quia arg. viuū & sulfur. Restat consequenter determinandum de causa agente. Agens seu mouens ipsam materiam ad corruptionem, est calor qui est instrumētum mouens ad putrefactionem, & non est aliud agens in mundo: Et hoc est quod **Alphidius** philosophus dixit, Scitote filij quod substantia agēs in hoc toto mundo est vnum, scilicet calor: Calore autem priuato nullus est motus aut actus, ipsius enim dispositionis materię radix, est calor: sed tamen multi sunt gradus caloris seu ignis. Est autem videndum quis est iste ignis, & in quo gradu est. Certē iste ignis, est ignis caloris fimi equini: Vnde **Alphidius** dicit, Igne coquitur quem tibi ostendam: Est se abscondere in equino stercore humido, qui est sapientum ignis, humidus scilicet & obscurus: qui ignis est calidus in primo gradu & humidus in secundo. De isto calore omnes locuti sunt philosophi sub verbis erroris & metaphoricis: Vnde assimilauerunt eum calori Solis, & calori naturali hominis sani. Dicit enim **Mesig**, Calore Solis res congelatur: Vnde decipiuntur insipientes qui vtuntur ignibus diuersis, non intelligentes verba philosophorum, scilicet ignorantes quod generationes & procreationes rerum naturalium habent solum fieri per calorem temperatissimum & æqualem, & non supra excedentem.

Modus Missionis.

Vllis principijs naturalibus huius rei, subsequenter videndū est de modo missionis seu conceptionis eorū adinuicem. Est autem sciendū quod

principia materialia huius rei super qua fundat natura actionem suam in eius operatione mirabili, sunt sulfur & argentum viuum, ut dictum est. Vnumquodque istorum adinuicem est fortissimae compositionis & vniformis substantiae: Et hoc ideo quia vnitae per minima, ut nulla ipsarum partium in resolutione possit alteram dimittere: imò quaelibet currit, quaelibet resoluitur propter formae vnionem, quam habent adinuicem per minima à calore agente æquali in sua natura ad exigentiā illorum essentiae. Est tamen aduertendum quod prædictum sulfur & argentum viuū conuertitur in terream naturam, & ex ambabus terrenis naturis resoluitur fumus tenuissimus à calore multiplicatus in vase. Et hic duplex fumus, est materia metallorum seu medicinarum vel lapidis philosophorum immediata: à fumo & à calore temperato in vase suae decoctionis vel decoctus conuertitur in * materiam eiusdem terrae: ideoque fixationē quandam suscipit, qua defluens aqua per vas eius spongiositatem dissoluit, & ei vniformiter inuiscatur, & per vnionem deueniunt omnia elementa secundum debitam naturalem proportionem, & miscentur per minima quousque faciant vniformem mistionē per successiuam decoctionē & diuturnam & temperatissimam in vase suo donec inspissetur & induretur: Et sicut medicina siue metallum siue lapis philosophorum. Ideò dicit Morienus, Dispositio sapientū & naturarum, mutatio est earum naturarum calidi, frigidi, humidi & sicci subtili dispositione admirabilis commistio: et est argumentum vnicum sapientum. Nota tamē quod ingressio, submersio, fixio, connexio, inspissatio, coniunctio, complexio, compositio, & mistio, quia ipsa congregata per diuisionem omnia alia cōmiscantur: Et hæc omnia vnum & idem sunt secundū Democritum. Cōmistio est miscibilium id est elementorum, nam ipsa sunt prima principia vnus cuiusque commisti. Nec ipsius misti naturam manifestam & occultam scire possumus, nisi sciamus ipsa elementa commiscere seu componere: Vnde Hermes, Intelligete filij sapientum quatuor elementorum scientiam, quæ suis patietia sunt rationibus in sua abscondita apertione. Eorum enim abscondita apertio nequaquam significatur nisi componatur, eo quod non perficitur donec sui colores peragantur. item nota, per minima id est per indiuisibilia: Nam minimum est illud quod est in diuisibile: nam si posset diuidi, nō esset minimum, apparet autem quod per minimas particulas ipsius corporis id est per indiuisibilia, fit commistio elementorum: nam elementum est simpla & minima particula ipsius corporis.

DE EFFECTIBVS PRINCIPIORVM.

Sequitur declarandū de Effectibus dictorum principiorum videlicet arg. viui & sulfuris. Ideò ad euidentiam ipsorum, est notandum quod in operatione ipsius rei consideratur plures gradus. Ait enim Lucas in Turba, Pluribus rebus non indiget nisi vna. Et illa vna res in vnoquoque gradu operum nostrorum, in aliam vertitur naturam. Huiusmodi autem gradus sunt secundū diuersas proportionem miscibilium elementorum, quæ in eius operatione eueniunt. Et quamlibet operationem in gradu suo secundum ordinem quem natura tenet in via & prosecutione generationis suae nomine alicuius metalli vocauerunt: nam primum gradum operationis suae, vocauerunt ferrum seu Martem: Secundum gradum, vocauerunt æs seu Venerem, Tertium, plumbum seu Saturnum, Quartum, stannum seu Iouem, Quintum, argentum seu Lunam, Sextum gradum, Solem seu aurum: Et infinitis alijs nominibus ista sua metalla metaphoricè nominauerunt, & totum istud ad occultandum scientiam. Hæc autem metalla in quantum generantur ab eisdem principijs primis videlicet ab vna prima materia quod est argentum viuum & sulfur, dicuntur & sunt effectus

fectus dictorum principiorum scilicet sulfuris & arg. viui. Et de quolibet predicto-
rum in speciali philosophi tractauerunt diffiniendo secundum diuersas eorum proprie-
tates quilibet per se, eo quod diuersam compositionem seu generationem in sui crea-
tione seu productione habuerunt. Est tamen aduertendum quod philosophi ali-
quando nominant illud quod vocant aurum suum, ferrum vel plumbum &c.
& sic de alijs: Et etiam est conuerso, ferrum vel plumbum, & sic de alijs vocant au-
rum: Et hoc diuersis respectibus: Quia in quantum resolutio & corruptio vnius
generatio vel causa est alterius, & effectus in sua causa. Vnde dixerunt quod au-
rum est ferrum, & sic de ceteris. Nota causam erroris illorum qui operantur in
metallis naturalibus, videlicet calcinando, dissoluendo, & congelando ea, cre-
dentes ab istis medicinam philosophos creare, eo quod philosophi dicunt quod
ex ferro, plumbo, & ceteris generatur aurum, eo quod illa res quam ipsi vocant
aurum vel medicinam auri, generatur ex resolutione seu corruptione aliorum
metallorum: Nam in eadem operatione generantur & corrumpuntur omnia
dicta metalla, & ex eisdem generatur aurum eorum. Vnde etiam dixerunt quod
ferrum, & sic de ceteris, est aurum, eo quod causa aliquo modo est suus effectus.
Per easdem etiam considerationes communicantur etiam sibi nomina adinuicem
aliorum metallorum, in quantum corruptio vnius est generatio alterius.
Est autem notandum quod omnia ista metalla vocant philosophi arg. viuum &
sulfur, eo quod ipsa ex eis fiunt & generantur. Prædictas autem generationes metallo-
rum philosophi complexiones* vocauerunt: sed omnes inæquales excepta auri &
argenti: Et ideo etiam arg. respectu auri dixerunt inæqualem. Solum autem au-
ri complexiorem seu perfectionem esse æqualem dixerunt, nec aliquam aliam di-
ctarum complexionum seu generationum quesierunt philosophi, nisi solum illam
quam vocant æqualem scilicet auri, de qua dicit Iohanninus, Quod elementalis
compositio, est illa quæ cum moderatione corpus dicitur incolume. Et nota quod
dicitur cum moderatione scilicet quatuor naturarum, scilicet caliditatem, frigiditatem, humi-
ditatem, et siccitatem, nam quando aliqua istarum naturarum aliam non excedit, tunc dici-
tur corpus æquale, quia tantum est de vna quantum de alia. Item dicitur incolu-
me id est sanum vel mundum ab omni causa corruptionis. Et nota quod hoc facit
stannum vel plumbum, ipsum aurum vel medicina auri: Ideo dicit Geber stannum
est plumbum purissimum, & est in eo qualitas fixationis vel spissitudinis duorum co-
ponentium, scilicet arg. viui et sulfuris, non qualitas quantitatis, quoniam in mixtione
vincit arg. viuum. Item Hermes & Filij philosophorum, Corpora sunt septem, quo-
rum nota quod aurum non est primum via generationis, sed intentionis nature, quia
natura semper appetit quod melius, nobilius & perfectius est, et ad hoc inten-
dit. Vel dicitur primum nobilitate & dignitate. Primum est aurum eorum optimum
caput & rex, quod nec terra corrumpitur, nec re comburente comburitur, nec a-
qua alteratur, eo quod complexio eius est temperata, & natura directa in calido &
frigido, sicco & humido, nec in eo quod superfluum est nec minus. Et ideo philo-
sophi prætulerunt illud & magnificauerunt & dixerunt, Quia sic se habet aurum
in corporibus videlicet metallicis, quemadmodum Sol in stellis. Sunt autem quæ
restant determinanda principia artificialia huius rei quam quærimus. nota quod
isti modi dicuntur principia artificialia, licet sint naturalia, eo quod natura mi-
nisterio & artificio eorum operatur. Et hi sunt modi operationis ipsius, quibus
mediantibus hæc res quam nos quærimus generatur, & in esse actuali deduci-
tur: Et est vnus modus sublimatio, alter modus descensio, tertius distillatio,
quartus calcinatio, quintus solutio, sextus congelatio, septimus fixio, octauus
iteratio: Et his similia dicunt infinita. Qui quidem modi, licet sint ad inuicem
ratione diuersi, sunt tamen iidem in re. Aliquando enim philosophi conside-

*Sensu complexio-
nes.

rantes materiam eorum, quæ quando est in vase suo & sentit Solem & calorem incontinenti exhalatur seu evaporatur in speciem fumi subtilissimi & ascendit in altum in capite vasis: vocauerunt talem ascensionem, sublimationem. Videntes postea talem materiam quæ ascenderat descendere ad fundum vasis, vocauerunt distillationem seu descensionem. Adhuc videntes inspissari istam materiam suam & denigrari & foetorem malum dare, vocauerunt putrefactionem. Videntes colorem nigrum seu fuscum & malum post longum tempus dimittere & aliqualem albedinem ad modum cineris coloris venire, vocauerunt incinerationem seu dealbationem. Ideo Morienus ait, Totum magisterium nihil aliud est nisi extractio aquæ ex terra, & aquæ super terra dimissio, donec putrefiat ipsa. Et hæc terra cum aqua putrescit, & cum mundificata fuerit auxilio cuncta regentis, totum magisterium perficitur. Adhuc videntes terram cum sua aqua commisceri, & aquam paulatim propter temperatam decoctionem diminui & terram crescere, dixerunt omnes, quod hoc erat ceratio perfecta: Vnde ait philosophus, Quod terra cum aqua ceratur, imbibitur, & temperata decoctione caloris Solis desiccatur & in terram vertitur tota materia. Vnde idem ait, Hæc est vis integra, si versa fuerit in terram. Item videntes quod tota materia veniebat in quadam dissipationem, & quod modo reducebat se ad solidam substantiam, & quia non fluebat, imò stabat stricte, dixerunt quod esset perfecta congelatio. Ait Plato, Soluite lapidem nostrum & postea congelate cum magna cautela, sicut vobis est demonstratum & habetis quasi totum magisterium. Idem alibi: Accipe lapidem nostrum, & pone in vase & assigne igne leui donec confringatur, & postea coque ad calorem solis donec congeletur: & scitote quod totum magisterium nihil aliud est, nisi facere rerum solutionem, & perfectam & naturalem congelationem: hæc Plato. Idem, soluite & congelate, & sic scietis totum magisterium. Item, Videntes materiam prædictam perfecte congelatam & inspissatam, ita quod nullo modo ulterius resolvebat se in aquam nec in fumum, dixerunt, quod verè erat fixata, quia eadem congelationem & inspissationem seu fusionem propter maiorem decoctionem caloris, viderunt venire ad perfectam desiccationem, & dealbationem, & quod ista albedo erat super omnes albedines, dixerunt quod hæc erat perfecta calcinatio. Item videntes hanc materiam ad suum colorem stare, & coloribus infinitis mutari, quia hoc fieri non poterat nisi per materiam resolutionem, ideo hanc resolutionem, dixerunt solutionem: nam in ipsa resolutione discontinuantur elementa, & vicissim agunt & patiuntur: Et ideo philosophi dicta elementa, coniuges vocant. Quare turpiter errant insipientes, qui credunt medicinam physicam creari ex alia re, cum tamen dicant philosophi, Filij Alchimici ac credentes suis cunctis dissolutionibus, sublimationibus, coniunctionibus, separationibus, congelationibus, præparationibus, contritionibus, alijsque insistant deceptionibus. Et sileant prædicantes aliud aurum à nostro, aliam aquam à nostra, quæ etiam dicitur acetum acerrimum, aliam dissolutionem et congelationem à nostra quæ fit igne leui: aliam putrefactionem à nostra, aliquid aliud volatile siue spiritum aliam aliquid à nostro videlicet arg. viuo & sulfure, aliquid aliud alumen siue sal à nostro, quod in albedine compositum, dicitur flos salis albi, vel aliquod aliud ouum à nostro, vel aliud sanguinem humanum à nostro, vel aliquid aliud à re vegetabili vel homine vel bruto animali extractum, fore in nostra operatione opportunum vobis vel utile. In hoc enim fore decipiuntur quod nostri lapidis tot sunt nomina, quot sunt res. Audiatur enim plures philosophos dicentes, quod non oritur ex homine nisi homo, nec ex brutis animalibus vel vegetabilibus nisi sibi similia, nisi erroneas sequentes aliquas falsas applicationes, per huiusmodi talia querant per quas & ipsi

ipsi meritò falsarij appellentur. Et taceant etiam credentes ex puluere bruti animalis basilisci opus nostrū fieri. Ex hoc enim fortè fallentur, quòd nostri lapidis odorē esse dicunt philosophi tanquam odorem sepulchrorū. Et propterea fortè credunt ipsum esse basiliscū, quod foetidissimū dicitur esse animal. Si autē inuenias hanc rem nostram nutriri sicut infans in vtero, sicut quidam philosophi dicūt, hoc tradunt illi ad similia nō ad temporis quantitatem, sed ad lenitatem decoctionis, quia res calore temperato congelatur: et cum dicitur nutriri ouorū nutritione, hęc omnia, vt videtis etc. Nōtate q̄ totum magisterium & tota intentio philosophorum nō est aliud nisi diuidere, mundare, & congregare. Et iterū, Tota perfectio nō est aliud nisi perfectè soluere & cōgelare. Nōtate quòd totū regimen consistit in igne & calore. Tota perfectio nō est aliud nisi elementa conuerttere. Totū regimen non est aliud quā coquere, et assare in tabulas tenues coaptare, limare, cū forficibus incidere, cōminuere, putrefacere, incinerare, aquare, separare, diuidere, mundare, dealbare, rubifacere, soluere, foliare, celare, cōmiscere, calefacere, pilare, cribrare, rigare, humectare, infumare, imbibere, impastare, desiccare, decoquere, subtiliare, fundere, gladio igneo incidere, malleo percutere, animam à corpore separare, perfundere, corpus in spiritū et spiritum in corpus cōuerttere, coire, imprægnare, sublimare, figere, descēdere, calcinare, soluere, corrūpere, coagulare: hoc totum vnum, & non aliud est nisi in igneo hoc calore, cucurbita, & alembico distillare. Et ista pro magno secreto in ista arte habeantur, vnde versus,

Quinque res est una, vas solum, coctio sola,

Huius solius, non est medicamen aliud.

Generalis philosophorū regula est hęc: Dicunt enim quòd non fit inspissatio alicuius humidī nisi prius fiat ex humido partium subtilissimarū exhalatio: Et nisi fiat prius similiter ex humido partium in magis crassarum subtiliatio: si sit tamen humidū in cōpositione seu cōmitione superans siccū, et vera mistio sicci & humidī, vt humidū contēperetur à sicco, & siccū ab humido: Et hoc nō fit nisi per diuturnam commitionem humidī viscosi et subtilis terre per minīma, quovsq̄ humidū idem cū sicco, & siccū idem cū humido fiat: Et huius subtilis vaporosi seu fumosi nō fit resolutio seu exhalatio subitò, imò paulatim & multo ac longo tempore: Et causa siue ratio est quoniā vniformis est substantia principiorum et naturæ: si ergo subitò fieret ab eis superflui humidī resolutio, cum non differat ibi humidū à sicco propter fortem eorū mitionem adinuicē resoluendam, vtriq̄ humidum à sicco in resolutione propter fortem vnionem quam habent adinuicem resolutio humidī viscosi, subtilis, fumosi diuturna & æqualis est causa inspissationis seu compositionis metallorum.

Explicit.

THESAVRVS PHILOSOPHIAE.

Reserat nobis eius salutare, cuius sunt omnia, cælum, terra, mare, qui de nihilo cuncta creare potuit: & dissona consona ligare voluit: & ægra statuit medicinis curare ex sua bonitate: quod antiqui sapientes ad plenū intelligentes, duplicem de hoc modum suis in libris posuerunt, vnum verum, aliū verò deūm. Verum quidem modum posuerunt verbis obscuris, vt à nullo nisi à filiis ad plenum intelligeretur. Hoc autem celauerunt, ne impij hanc scientiam vsurpantes, ad prophana perpetranda fierent promptiores: & de eorum peccatis essent rationem reddituri. Idcirco caue tibi carissime ne hanc scientiam alicui indigno participes, sed more philosophico eā celes, quam cum vero experimento cognoueris, amor eius & dilectio in te augebitur.

Falsum autem modum in verbis liquidis posuerunt: quem modum et eius errores cum suis causis dicere prætermittā. Sed carissime audi & intellige, & Deus tuum illuminet intellectum. Scito quod scientia nostra est scientia quatuor elementorū, et temporū, & qualitatum, et eorum ad inuicem cōuersio: et in hoc omnes philosophi conueniunt. Et scito quod in omni re sub cælo sunt quatuor elementa, non per visum, sed per effectum. Vnde Philosophi sub vela mento scientiæ elementorum, scientiam istam tradiderunt, & operati sunt: sed non intelligentes literam operationis, hæc omnia in sanguine, capillis & ouis, nec non & multis alijs truffis tentauerunt, et ego tentauī, et in stuporem fui redactus. Et ideo tanquā de sciētia desperatus, magisterium postposui: alias re probauī imbecillitate proprii intellectus. Ad me ipsum tamen postea reuertēs tādē cum Auitenna cogitare cœpi, Si hæc res est, quomodo est? Et si non est quomodo non est? Sciui igitur quod omniū metallorum materia & sperma est mercurius decoctus et inspissatus in ventre terræ, calore sulfureo, ipsum decoquendo, & secundum varietatem sulfuris & eius multipliciū diuersitatē, diuersa metalla procreantur in terra. Ipsorum enim prima materia est vna & eadem: ipsa tamen differunt sola actione accidentali, & in decoctione maiori vel minori, temperata vel intemperata, adurente vel non adurente: sic cōcorditer asserunt omnes philosophi. Certum quippe est omnem rem esse ex eo vel de eo in quod resoluitur: nā gelu conuertitur in aquā mediante calore: Clarū est ergo ipsum primò fuisse aquam: sic et omnia metalla conuertuntur in mercuriū, ergo ipsa prius fuerunt ex mercurio: modum autē conuertendi ipsa in mercurium, inferius ostendam. Hoc autē supposito, soluitur dictum Arist. dicentis quarto Meteororum, Sciant ergo artifices Alchimię, species metallorū permu- tari nō posse. Et hoc verum est, nisi ipsa (vt sequitur) reducantur in primā materiā. Reductio verò ipsorum est facilis et possibilis ad inuicē: nam omne crescens & nascēs multiplicatur, vt patet in omnibus plātis et arboribus & animalibus: nā ex vno grano mille procreantur grana: & ex vna arbore mille procedūt ramuli, & ab vno homine omne genus hominum procreatur: sicut vnūquodque augetur ex sua specie, sic et metallum potest per consequens ex se augmētare suum metallum. Et non est differentia vt dicit Arist. vtrum hæc fiant in organis naturalibus vel artificialibus. Metalla verò omnia in terra nascuntur & crescunt: possibile est ergo in eis augmentationem et multiplicationem fieri, & ita vsq; in infinitū. Sed hoc non potest fieri nisi per illud quod est perfectius in linea metallorum: perfectioris generationis est illorum metallorum cōpleta medicina quæ est elixir philosophorum. Ad hoc autem elixir perueniri nō est possibile nisi per suum medium. Vide naturā mediij, in quo semper est continētia extremorum. Extrema verò sunt sulfur & mercurius, & elixir cōpletum: ex illis istorum quæ magis depurata et decocta sunt & digesta, illa sunt meliora et perfectiora & etiam propinquiora. O carissime non oberres, quæ enim seminauerit homo, hæc & metet. Iam satis patet quis sit lapis, quæ medicina eius, cui nihil extraneum additur, nisi quod superflua remouentur: quia non conueniunt rei, nisi quæ propinquiora sunt ei ex natura. Nunc igitur carissime explicabo dicta philosophorum & verba sapientum obscura in parabolis celata, vt iudices me verba philosophorum intelligere, & ipsos verum protulisse affirmes. Est igitur illud primum quod philosophi vocauerunt solutionem, quæ est artis fundamentum: Vnde dicit Maria, Copula gummi cum gummi vero matrimonio, & fac illa sicut aquam torrentem. Rosinus philosophus ait, Nisi corpora in incorporea vertatis, in vanum laboratis. Item Parmenides de hac solutione tractat dicens in Turba, Quidam hanc solutionem audientes, putant

Solutio.

gam

tam fieri absque corpore suo cum coniuncta est, & factum est vnum permanens: Non est enim philosophorum solutio aquae iubilatio, sed corporum in aquam solutio seu conuersio ex qua primò creata fuerunt, vt videlicet in mercurium, prout gelu conuertitur in aquam liquidam ex qua prius fuit. Ecce per Dei gratiam vnum elementum quod est aqua, & ipsius corporis in aquam liquidam reductio. Secundum verbum est, quòd ex aqua fit terra leni decoctione totiens reiterata, donec nigredo supereminet: Nam vt dicit Auicenna in titulo de Humoribus, Calor agens in humido corpore primò generat nigredinem, vt est videre iu calce quæ apud vulgum fit. Ideo dicit Menabdes, lubeo posteros facere corpora non corpora per dissolutionem, & incorporea corpora per suauem decoctionem: in qua summè cauendum est, ne spiritus conuertatur in fumum, & euanescat per nimium ignem. Vnde Maria dicit, Custodi ipsum, & caue ne fugiat aliquid in fumum. Et sit mensura ignis caliditas solis Iulij mensis, vt ex suaui & longa decoctione inspissetur aqua, & fiat terra nigra. Sic ergo habes aliud elementum quod est terra. *Coagulatio.* Tertium verbum quod præcessit, est terræ mundificatio. Vnde dicit Morienes, Hæc terra cum aqua sua putrescit & mundificatur: quæ cum mundata fuerit, auxilio Dei totum magisterium dirigitur. Hermes quoque ait, Azot & ignis latonem abluunt, & nigredinem ab eo auferunt. Ideò dicit Philosophus, Dealbate latonem, & liberos reponite, ne corda vestra rumpantur. Hæc est enim compositio omnium sapientum, & etiam tertia pars totius operis. Iungite ergo, vt dicitur in Turba, sic cum humido id est terrâ nigram cum aqua sua, & coquite donec dealbetur. Sic habes aquam & terram per se, & terram cum aqua dealbatam. Quartum verbum est, quòd aqua quæ cum terra fuerit inspissata & coagulata, ascendat sublimatione. Sic habes terram, aquam, & aerem. *Mundatio.* Et hoc est quod dicit Philosophus, Ipsum dealbate, & cito igne sublimare, quousque ex eo exeat spiritus quem in eo inuenies, qui dicitur avis aut cinis Hermetis. Vnde & Morienes ait, Cinerem ne vilipendas, nam ipsa est diadema cordis tui, & permanentium cinis. Et in libro Turbæ dicitur, Ignis regimen augmentate: & per albedinem peruenitur ad cinerationem, quæ dicitur terra calcinata. Vnde dicit Morienes, In fundo remanet terra calcinata, quæ est naturæ igneæ: Et habes in prædictis proportionibus quatuor elementa nempe aquam dissolutam, terram dealbatam, aerem sublimatum, & ignem calcinatum. De istis etiam quatuor elementis dicit Aristoteles in libro de Regimine principum ad Alexandrum, cum habueris aquam ex aere, & aerem ex igne, & ignem ex terra, tunc plenâ habebis artem philosophiæ. Et hic est finis primæ compositionis, vt Morienes dicit. Nunc ad secundam compositionem transeamus, quæ *Sublimatio.* habet inspirare, tingere, & viuificare primâ compositionem. Vnde dicit Calindus philosophus, Nemo vnquâ potuit, vel postea poterit tingere terrâ foliatâ nisi cum auro. Ideò præcipit Hermes dicens, Seminate aurum vestrum in terrâ albam foliatam, quæ per calcinationem facta est ignea, subtilis, & aerea: In istam ergo terram aurum seminamus cum tincturam auri illi imponimus. Sed nunquam aurum potest perfectè aliud corpus tingere quam seipsum: Certè hoc non potest nisi perficiatur arte. Vnde ait Raimundus, Quauis hic lapis noster iam in se tincturam naturaliter contineat: nam in corpus magnesiæ creatus est perfectè, per se tamen non habet nisi perficitur arte & operatione. Geber dicit in Operatione radicum, Ad hoc fit operatio, vt melioretur tinctura auri in auro plus quàm est in sua natura: & etiam vt fiat Elixir iuxta sapiētum allegoriam id est compositum ex speciebus limpidum condimentum, antidotum & medicina omnium corporum curandorum *Tinctio.* purgan-

purgandorum & transformandorum in Lunificum & Solificum verum. Sed nunquid Solo auro, & non alio corpore indigeamus, audi Hermetem dicentē Pater eius, id est, primæ compositionis est Sol, mater eius Luna: Pater est calidus & siccus, tincturā generans: Mater eius est frigida et humida genitū nutriendus. Ideo Sol per se, et Luna per se, sunt difficillimę fusionis. Et dum coniunguntur in modum quo fit solidatura ad aurum, funduntur citissimē. Ideo dicit Maria: Accipe corpus proiectum, siue monticulum clarum, quod non capitur putrefactione, et tere cum elsapenos quod comprehendit tincturam spirituum & appropinqua igni, et totum liquefiet cito, si super eum proieceris uxorem suā Lunam. Igitur si in lapide nostro esset tantum alterum ipsorum, nunquam, facile fluere medicina, neque tincturam daret: Et si daret, non tingeret nisi in quantum esset: & reliquum, ut mercurius, in fumo euolaret: quia non esset in eo receptaculum tincturæ. Sed nostrum finale secretum est, habere medicinam quæ fluat ante fugam mercurij. Istorum autem duorum coniunctio est necessaria in opere nostro: Dicit enim Geber, In perfecto magisterio preciosius metallorum est aurum: ipsum enim est tinctura rubedinis transformans omne corpus. Ipsum est & fermentum totam massam conuertens ad suam naturam. Ipsum quoque est anima coniungens spiritum cum corpore: quia sicut corpus humanum sine anima est mortuum et immobile, sic & corpus immundum sine fermento quod eius est anima terreum et inuegetabile: Nam fermentum præparati corporis totam massam conuertit ad suam naturam. Et non est fermentum nisi Sol & Luna planetis appropriata: Quia sicut Sol & Luna cæteris planetis dominantur, sic ista duo corpora dominantur alijs corporib. metallorū quæ ad naturam prædictorum duorum conformiter conuertuntur, & ideo fermentum dicitur: Nam sine ipso gramina non emendantur. Dicit enim Raimundus, Sed hanc emendare non poteris nisi prius subtilietur arte ac operatione. Quare Hermes dicit, Fili extrahe à radio suam umbram. Igitur præparatio & subtiliatio fermenti nobis est necessaria, sicut est in fonte, quia quantum est ad creationem perfectē nascitur, sed non quantum ad operationem nisi prius alatur pauco lacte et post pluri, deinde plurimo, sic contingit ex toto in lapide nostro. *Ac-*

Dosis. cipe igitur quartam partem sui, hoc est vnam partem de fermento, & tres partes de corpore imperfecto, dissolue fermentum in æquale sui aquæ mercurij: Coque insimul lentissimo igne, & coagula illud fermentum, ut fiat sicut corpus imperfectum, et orificio vasis clauso. eodem modo & ordine ut dictum est sit præparatum: hoc autē præcipit Hermes dicens: Carissime, in principio operis recentis æquales partes permissionis commisce insimul, & tere donec desponsetur, et ale ut fiat in eis conceptio in fundo vasis, & generationes genti fiant in aere. Morienes quoque dicit, Fac in principio ut fumus rubeus capiat fumum album in forti vase firma coniunctione sine spirituum exhalatione, & hoc est quintum verum. Sextum verum est, ut quartam partem fermenti subtiliati coniungas cum tribus partibus terræ dealbatæ, & aqua sua imbebe huic, & ut prius toties hæc coque & reiterna, donec duo corpora vnum fiant sine coloris diuersitate. Vnde dicit Morienes, Cum corpus album fuerit calcinatum, mitte in eam quartam partem sui de fermento auri: Nam aurum est sicut fermentum panis, quod totam massam pastæ conuertit ad suam naturam: Coque ergo ipsum in aqua sua donec fiat res vna, & corpus vnum siccum: Quia ut dicit Maria, Percuriet ipsum aer, congelabit eum, & erit vnum corpus: & illud est secretum Scalæ: Tunc intruditur fermentum in suo corpore quod est eius anima. Et hoc est quod dicit Morienes, Nisi corpus immundum mundaueris & id dealbatum reddideris, et in id animam miseris, nihil in hoc magisterio

sterio direxisti. Ideo sit permissio fermenti cum corpore mundato, & nō cum corpore immundo. Nam vt dicit Gasius, In perfecto magisterio lapides non recipiunt se adinuscem, nisi utroq; prius fuerint mundati. Non enim recipit corpus spiritum, neque spiritus corpus, ita quid spirituale fiat corporeum, vel corporeum spirituale, nisi prius fuerint ab omni sorde depurati perfectissimē. Quando verò mundantur, mox complectuntur inuicem corpus & spiritus, & peruenit ex eis operatio vna perfecta, quia alterata sunt à natura & crassa, facta sunt subtilia. Hoc etiam dicit Astanus in Turba: Spiritus non coniunguntur corporibus, donec ab immunditijs perfecte fuerint denudati: & in hora conjunctionis maxima apparent miracula: tunc corpus imperfectum coloratione firma coloratur fermento mediante, quod fermentum sit anima corporis imperfecti: Et spiritus mediante anima cum corpore coniungitur & ligatur, & cum ea simul in colorem fermenti conuertitur, & sit vnum cum eis. Hoc est igitur Elixir, vt dicit Auicēna ad Assem philosophū, quod tingitur tinctura sua, & submergitur oleo suo, & figitur calce sua: cuius aquam inuenimus sicut est argentum vium in mineralibus, & oleum eius sicut est sulfur aut arsenicū in mineralib. & calx eius sicut est calx in mineralibus: Verū etiam melius, abundantiū & sublimius est opus: vt albū cōpletur tribus, in quibus nō est ignis: & citrinum quatuor rotatur rotis. De istis rotis etiam dicit Maria, In hac schola non sunt nisi mirabilia: intrant namq; in eo quatuor lapides, & eius regimen verum est. Ex prædictis igitur patet subtiliter intelligenti vel intuenti, philosophos in eorū verbis obscuris verū dixisse: Nam dicunt, Lapis noster est ex quatuor elementis: & ipsū elemētis cōparauerunt. Et primò ostēsum est qualiter quatuor ibi sunt elemēta. Quia vt dicit Rasis: Omnia quæ à Lunari globo inferius à summo condita sunt opifice, participant quatuor elementis, non tamen per vsum, sed per effectum. Nam lapis est vna sola res, tantum vna substantia, radix vna, & vna natura. Hermes dicit, Incipe in nomine Domini, & cognosce naturam lapidis. Ipse enim est à radice materiæ suæ, quia in eodem & de eodē: nec ingreditur aliud super eo quod non sit ortum ab eo: Re vera non conuenit rei, nisi quod propinquius est ei ex natura sua: nam vnumquodque diligit sui simile: Idcirco dicit Plato, Substantia vna, & vna essentia: in hoc vno est calidum, frigidum, humidum, & siccum: Ideò dicitur minor mundus, quoniam ex eo & per eum & in eo & cum eo sunt omnia metalla. Ipse quoque est sicut arbor, cuius rami & flores & fructus sunt ex ea & per eam: & ipsa est totum similiter. Vnumquodque non generat res nisi sibi similes ex specie sua: ita hæc res vna est & eadem, & quicquid de ea est, vnum & idem est & non diuersum. Hunc autem lapidem nominant philosophi nomine omnis rei corporis, & omnis speciei: Vnde Pithagoras, Omnibus nominibus nūcupatur, cuius nomē proprium est tantum vnum: vnde versus: *Dicitur hæc Luna nominibus omnibus vna.*

Et dicit Phieras, Tenebrosorum nominum pluralitatem dimitte. Natura quidem vna est quæ omnia superat, non autem diuersæ naturæ illam rem emendant: Verū quidem vna sola natura est, quæ se ipsam germinare facit. Igitur, vt dicit Diomedes, Venerabili vtīmur natura, quoniam natura non emendatur nisi sua natura: cui noli alienum introducere puluerem, neq; vllam rem. neq; res diuersæ illam rem emendant: Nam ipsa seipsam facit germinare.

Maria tamen dicit, Quod exhibit album & calx humida, quæ sunt vnū de vno sunt radices huius artis. Et philosophi nominauerunt illam multis vel omnibus nominibus: quorum vna sola res est tantum vt dicit Morienes: Ego veritatem dico vobis, quod nihil aliud duxit modernos in errorem nisi nominum multitudo. Sed omnis sapiens sciat, quod hæc nomina non sunt nisi colores in

X

*Signū perfectæ
solutionis.*

coniunctione apparentes. Et sic nō errabīs in via huius operis, quanuis philosophi dicta & nomina sua multiplicauerunt, tamen non intelligunt nisi rem vnā, & viam vnā operandi, & vicem vnā caloris (vel coloris) ostendi. Et nota, ista diuersitas colorum non apparet in nostro lapide, nisi in coniunctione animæ cum corpore, vt dicit Morienes, Vna tantū vice ignis in eo innotuat diuersos colores. Dixerunt Philosophi, quōd lapis ex corpore, anima, & spiritu est: & verum dicunt. Nam corpus imperfectum dixerunt corpus, fermentum animam, & aquā spiritum: & bene quidem. Nam corpus imperfectum per se est corpus graue & infirmū, ac mortuū: Aqua est spiritus corpus purgans, subtilians, & dealbans. Fermentum est anima quæ corpori imperfecto vitam tribuit, quam prius non habebat, & in meliorem formā perducit. Corpus est Venus & foemina: Spiritus est Mercurius & masculus: Anima est Sol & Luna. Corpus habet liquefieri in primā materiam suam, quæ est mercurius, vt dicit Morienes noster, Mercurius non habetur nisi ex corporibus liquefactis liquefactione non vulgari, sed ea tantū quæ durat donec coniuges vero matrimonio sociantur, & etiam vniuntur: & hoc est vsque ad albedinem. Et nota quōd corpus liquefactum est ex toto, cum in decoctione apparuerit nigredo. Vnde dicit Bomellus, Videntes autem nigredinem illi aquæ imminere, scitote illud corpus iam liquefactum esse, hinc coquite eum in aqua leni igne, vsquequo cū suo vapore compari desiccetur, & fiat res, quæ in ea à suo corpore introducit. Spiritus verò, corpus subtiliatū conuertit ad se & penetrat ideoq; dicitur aqua permanens & aqua vitæ. Vnde dicit Mundus in Turba, Mercurius est aqua permanens, sine qua nihil fit: Vis enim eius est spiritualis, sanguis contritus, vnde cum corpore istum in spiritum vertit, & sibi adinuicem mistū, & in vnum redactum secundum virtutem virtutum corpus incorporat spiritum, spiritus verò corpus in spiritum tinctum, prout sanguis vertit: Nam omne quod spiritū habet, habet & sanguinem: Et sanguis est humor naturalis naturam confortans. Et scito, quanto magis corpus decoquitur, & in suo humore abluatur, tātō magis limpidius apparebit & melius. Sed vt dicit Morienes, Nihil est quod à latone possit suam vmbra auferre nisi azot, quando in eo decoquitur, donec eum coloratum reddat & album, velut oculi piscium: tunc enim expectat suum bonum vt confortetur suo fermento. Nota autem quōd fermentum est anima fixa lapidis, tingens, viuificans, & cōplectens. Vnde dicit Maria, Corpus fixum est de materia Saturni comprehendens digestionē tincturarum, & complens sapientia fediarum, sine quo hoc magisterium nunquam perueniet ad effectum, donec Sol & Luna in vno corpore coniungantur: Nam totum huius artis artificium, vt dicit Euclides, est in Sole & Mercurio: ipsa enim in vnum coniuncta, tincturam habent infinitam. Nam in opere quærit colorem sanguine rubicundiorē. Modicū quippe huius coloris in album infusum, conuertit magnam albi quantitatem in citrinum colorem, sicut experiri potes, si sanguinē proieceris in lac vel in aquā. Igitur, vt dicit Iosephus, Commisce ignem & aquam, & erunt quatuor: deinde fac ista vnum, & peruenisti ad illud quod quæris: tunc enim fiet corpus nō corpus, debile super ignem non debilem, & erit super eo pax. Preparatio autem harum rerum à principio, vsque ad finem est aqua fixa, honorata: nam illa manifestant tincturam in projectione: & ipsa est mediatrix inter contraria, & ipsa eadem est principium, medium & vltimum. Intelligens ipsam, apprehendit sapientiam. Dixerunt etiam quidam Philosophi, Nisi corpore veritatis in non corpora, & incorporea in corpora, regulam veritatis non inuenistis: & verum dicunt. Nam corpus primo fit aqua, & sic corporeum fit incorporeū, id est

id est spiritus: deinde in coniunctione spiritus aqua fit corpus. Ideo dicit Her-
mes, Conuerte naturas, & quod quæris inuenies: & hoc est verum. Nam in
nostro magisterio primò facimus de crasso gracile, id est de corpore aquam:
Postmodum verò facimus de humido siccum, id est de aqua terram; & sic ve-
rè naturas conuertimus, quia facimus de corporali spirituale, & de spirituali
corporale. Et hoc est quod dicit Senior, Est conuersio corporum de statu in
statum, de re in rem, de infinitate ad potentiam, de crassitie ad tenuitatem, de
corpore ad spiritualitatem, sicut conuertitur semen hominis in matrice mu-
lieris conuersione naturali de re in rē, donec formetur homo inde perfectus.
Ex quo fuit radix & principium eius: nec mutatur ab hoc, nec ex sua radice a-
liqua diuisione. Nam ut dicit Aristoteles, Omnis generatio est ex conuenien-
tibus in natura. Et hoc est verum, maxime in generationibus metallicis: Ideo
enim Philosophi dicunt, Ne facias ingredi super eum alienum, neque pulue-
rem, neque aquam, neque vllam rem: quia si intrauerit super eum alienū, cor-
rumpit eum, & destruit eum. Vnde dixit Arabs rex quidam, Aqua non con-
glutinetur nisi cum simili sulfuris sui in hoc quod ex eo est. Deinde facimus il-
lud quod est superius, sicut est illud quod est inferius, id est, ut spiritus fiat cor-
pus, & corpus spiritus, sicut est in principio nostræ operationis, ut in sublima-
tione, quod est inferius, est sicut quod est superius, & totum vertitur in terrā.
Idcirco dicit Hermes, Quod est superius per sublimationem, est inferius per
descensionem, & quod est inferius per constipationem, est sicut quod est su-
perius per ascensionem, ad perpetranda miracula rei vnius: aqua & terra ha-
bent locum inferius: aer & ignis ascendunt superius: aqua & terra concipiunt
& nutriunt: aer & ignis, agunt & coniungunt. Et ista quatuor in nostro lapide
conueniunt, ut dicit Senior, Quod quatuor elementa in lapide nostro purifi-
cata sunt, quia in eo est aqua fixa, & aer quietus, & terra quiescens, & ignis cir-
cundans omnia: & in hac repugnantia in eo conueniunt. Et hæc quatuor natu-
ræ in eo, ex eo, & per eum generatæ sunt. Patet ergo ex præmissis, quod lapis
noster ex quatuor elementis est. Dixerunt ergo Philosophi, Quod lapis no-
ster habet corpus, spiritum, & animam: Et ista tria dicuntur ex vna natura, &
vna re cum vna aqua de vna radice: & certè verum dicunt: Nam totum magi-
sterium nostrum fit cum aqua nostra, & de ea, & ex ea sunt omnia necessaria: *Solutio philosophica.*
Nam ipsa corpora soluit, non solutione vulgari, prout tradunt ignorantes, q̃
conuertantur in aquam nubis, sed solutione verà philosophica, ut conuertan-
tur in aquam, ex qua ab initio fuerunt. Vnde dicit Socrates, Secretum cuiusli-
bet rei & vita, est aqua: ipsa soluit corpus in spiritum, & de mortuo facit viuū.
Ipsa est acetum acerrimum quod omnibus imminet, & omnia superat. Terite
ergo lapidem nostrum aceto acerrimo, incoquite donec inspissetur, citissime
tamen ne acetum conuertatur in fenum & pereat totum. Item, ipsa eadem a-
qua calcinat corpora, & in terram reducit. Ipsa etiam eadem corpora deni-
grat, dealbat, & rubificat: ipsa eadem in cinerem transformat, puluerizat & ea
intrat: iuxta quod dicit Marchos rex, Aqua nostra soluit corpora, congelat,
& denigrat ea: & ipsa abluat omne corpus, & aufert omnem nigredinem, &
tingit omne nigrum: & facit album, & tingit omne album: & facit rubeum, &
viuificat omnia mortua in vitam sempiternam. Ideo magnificatur hæc aqua,
exaltatur, & facta est domina omnium rerum, nec inuenitur res agens suas o-
perationes. Morigenes quoque dicit, quod Azot & ignis latonem abluunt, *Mundificatio.*
mundificant, & obscuritatem eius penitus ab eo eripiunt. Laton autē est cor-
pus immundum, Azot verò est mercurius. Et hæc aqua coniungit corpora di-
uersa modo prædicto præparata tali coniunctione, quod non potest ignis
Laton.
Azot.

*spiritus quid.**Sublimare quid sit.**Ars.**Sublimatio philosophica.*

potentia ea separare. Ipsa facit matrimonium inter corpus & fermentum, & eorum vnum mutat in aliud, & ab ignis combustione defendit. Calcinata namque terra & dealbata ipsa altiora petens loca, fit spiritalis & aerea: Et quod est spirituale & aereum, est incorruptibile & penetratiuum. Vnde dicit Hermes, Aqua aeris inter caelum & terram existens, est vita vniuscuiusque rei: nam ipsa est mediatrix inter ignem & aquam per calorem & humiditatem suam. Vnde ipsa aqua suscipit aerem: nam ipse aer suscipit ignem, quia ipse est vicinus igni per calorem, & propinquus aquae per humiditatem: idcirco facit matrimonium inter uirum & mulierem. Omnis enim spiritus consistit ex subtilitate fumositatis aeris. Nam omne animatum vegetabile attrahit spiritum & vitam ex aere. Ignis igitur aquam aeris viuificat mortuam, facit matrimonium, & a combustione ignis protegit compositum. Ideo dixerunt Philosophi, Conuertere aquam in aerem ut fiat vita: vita tamen cum vita, quia ipsa est vita & spiritus cui ipsa intrauerit. Igitur aqua nostra sublimat corpora non sublimatione vulgari, quam intendunt Idiotae credentes quod sublimare, sit superius ascendere: Vnde accipiunt corpora calcinata & miscent ea cum spiritibus sublimatis, ut sulfure & mercurio cum sale armoniaco coniungunt, & per fortem ignem sublimationem faciunt, ut corpora simul cum spiritibus ascendant, & dicunt tunc quod spiritus & corpora sunt sublimata, & a suis superfluis optime depurata: sed delusi sunt: quia ipsi postea ipsa magis immunda reperiunt, quam prius fuerint. Nam ars est debilior quam natura: Vnde dicit Albertus in libro de Mineralibus, Quoniam duo extranei humores a sulfuris substantia artificio & ingenio naturae purgati sunt, melius ab arte purgari vel depurari non possunt: Nam artificium naturae certius est & sublimius omni arte. Igitur nostrum sublimare non est superius ascendere: sed sublimare Philosophorum est de re parua & humili, seu bassa & corrupta, magnam facere, altam, & puram. Vnde quum dicimus, Ipse sublimatus est in Episcopum, hoc est promotus est in Episcopum, hoc est, promotus est ad dignitatis gradum. Sic dicimus corpora sublimata, id est subtiliata, & in alteram naturam translata: Vnde sublimare idem est quod subtiliare, quod totum facit aqua nostra: Vnde dicit Morienes, Aqua a corpore mortuo in quo non est anima aufer foetorem, & quando dealbauerit animam, & eam sublimauerit, & corpus custodierit, aufer ab eo obscuritatem, & omnem odorem malum. Albides quoque dicit, Accipite res a mineris suis, & sublimare eas ad altiora loca sua, & mittite eas a cacumine montium suorum, & reducite eas ad radices suas. Sublimare igitur est rem grossam subtiliare: Vnde dicit Hermes, Sublima subtile a spisso suauiter & cum magno ingenio. Ascendit enim terra in caelum, iterumque descendit in terram, & recipit vim superioris subtilitatis penetrandi, & inferiorem grauitatis remanendi. Sic ergo intelligite sublimationem philosophorum, quia multi sunt in hoc decepti. Item aqua nostra viuificat corpora & mortificat, deducit ad occasum, & reducit ad ortum. Ipsa colores nigros apparere facit in mortificatione, dum conuertuntur in terram putrefactione: Postmodum apparent multi colores & varij ante dealbationem, quorum omnium finis est albedo stabilis: Ipsa enim est ut granum frumenti cadens in terram, quod si mortuum fuerit, ipsum solum manet. Sic semina omnium terrae nascentium mutantur, & putrefiunt, donec ingreditur super eis corruptio: dein germinant & augmentantur sicut illa, ex quibus radicem habuerint: Sic aqua nostra nutritur, putrefit, & corrumpitur deinde germinat, resurgit, & se ipsam viuificat. Idcirco dicit Calidus, Quando uidi aquam congelare se ipsam, tunc certificatus fui, quod res vera est sicut assignatur. Coquite ergo eam cum corpore suo donec siccetur humiditas eius

ab i.

ab igne, & sit sicca, donec videatur eam collegisse spiritus eius ab ea, & fecisse mansionem in radice elementi sui: hoc autem erit quando mortificaueris, corpus album decoxeris: tunc erit aqua spiritualis, potens naturas conuertere ad alias naturas: tunc autem corpora mortua viuificat & germinabit. Item, Aqua nostra est mater diuersorum colorum mirabilis, quia per ipsam diuersitas colorum apparebit, et hoc erit maxime in mislione aquae corporis praeparati & fermentati: tunc enim infiniti colores apparent tot, quot excogitari possunt, quia tunc spiritus coniungitur cum corpore & anima mediante, nam spiritus est locus animae, & anima a corporibus extracta est aquae tinctura. Vnde Senior, Hæc aqua est tinctura soluta in corpore deportata, sicut portatur tinctura tinctorum super pannum: deinde recedit aqua per desiccationem, & remanet tinctura sua per impressionem: Similiter est de aqua animae in qua portatur tinctura, quam reducant super terram suam albam siccantem, foliatam. Hanc aquam vocat Hermes aurispinarum & florum, & croci, quia tingit terram eorum calcinatam: Vnde etiam dixit, Seminate aurum in terrā foliatam: deinde recedit aqua spiritualis, & in corpore remanet anima, quæ est tinctura Solis: nam ipsa est sicut fumus subtilis, insensibilis, non nisi in effectū apparens: Sed eius actus est manifestatio colorum, & ignis ex igne generatur & nutritur in igne, & est filia ignis, ideo oportet reduci ad ignem, ut non timeat ignem, sicut reducitur puer ad vbera matris suæ.

Colorum apparitio.

Hunc etiam lapidem nostrum aliqui æs album vocauerunt. Vnde Lucas & Eximeus in Turba, Scitote omnes scientiā quærentes, quod nulla sit tinctura nisi ex nostro ære albo. æs enim nostrum, non est æs vulgi. æs vulgi corrumpitur & inficit omne cui imponitur: æs verò Philosophorum perficit & dealbat cui associatur. Ideo dicit Plato, Omne aurum est æs, sed non omne æs est aurum: nam in natura aurum assimilatur æri, ut in grauitate, tactu: sed in natura æris non est aliud quàm est in natura auri, ex corruptione in terra & mansionem in patientia, in igne, & mansionem in mari. Itaque æs nostrum habet corpus, animam & spiritum: & illa tria sunt vnum: Nam spiritus, corpus, & anima, sunt vnum: quia ipsa omnia sunt ex vno & de vno, & cum vno, quod est radix ipsius. Aes igitur philosophorum est Elixir eorum ex spiritu, corpore, & anima completum & perfectum. Sic enim philosophi lapidem diuersis nominibus nominauerunt, ut sapientibus esset manifestus, & insipientibus occultus. Sed quocumque nomine nominetur, superest vnus & idem: & de eodem: Vnde dicit Mercurius hæc carmina:

Aes album.

Corpus, anima, & spiritus unū sunt.

Est lapis occultus, & in imo fonte sepultus,
 Vilis & erectus, fumo uel stercore tectus:
 Vnus habet uiuus lapis omnia nomina diuus,
 Vnde Deo plenus sapiens dixit Morienus
 Non lapis hic lapis est animal quod gignere fas est,
 Et lapis hic auis, & non lapis aut auis hæc est:
 Hic lapis est moles, stirps, & Saturnia proles:
 Iupiter hic lapis est, Mars, Sol, Venus, & lapis hic est.
 Alliger & Luna lucidior omnibus una,
 Nunc argentum, nunc aurum, nunc elementum,
 Nunc aqua, nunc uinum, nunc sanguis, nunc chrysolinum:
 Nunc lac uirgineum, nunc spuma maris, uel acetum,
 Nunc in sentina foetenti stillat urina,
 Nunc quoque gemma salis, almixadir, sal generalis,
 Auripigmentum primum statuunt elementum,
 Nunc mare purgatum cum sulfure purificatum:

*Siccine transponunt quod stultis pandere nolum,
Sicq; figuratur sapiens ne decipiat,
Et quod tractatur stultis ne distribuatur.*

Item, vt dicit Morienes, Lapis noster & confectio ipsius magisterij assimilatur in ordine creationi hominis. Nam primum est coitus, secundum conceptio, tertium pregnatio, quartum ortus, et quintum sequitur nutrimentum. O carissime, hæc verba Morienis intellige, & non errabis in veritate. Aperi ergo oculos tuos, & vide quod sperma philosophorum est aqua viua, terra autem, est corpus imperfectum, quæ terra meritò dicitur mater, quia ipsa est mater omnium elementorum: Ideo quando sperma mercurij coniungitur cū terra corporis imperfecti, tunc coitus appellat: tunc enim terra corporis dissoluitur in aquam spermatis, & fit aqua sine diuisione vna: Vnde dicit Hali, Solutio corporis, & coagulatio sunt duo: sed habent vnā operationem, quia spiritus non coagulatur nisi cum coagulatione spiritus: Et corpus & anima quando coniunguntur, agit vterque in suum consimile: Exemplum cum aqua coniungitur terræ, aqua cum sua humiditate & virtute conatur eam dissoluere: nam facit eam subtiliorem quā prius erat, et reddit eam sibi consimilē, quia aqua est subtilior terra: similiter facit anima in corpore, et eodem modo inspissatur aqua cum terra, et fit consimilis terræ in densitate, quia terra spissior est quā aqua. Ideo inter solutionem corporis et coagulationem spiritus, non est differentia temporis, nec diuersum opus in aliquo, ita quod fiat vnum sine alio, sicut non est inter aquam et terram in sua coniunctione diuersa pars temporis: quod cognoscitur si coniungatur vel separetur vna ab alia in earum operationibus: Sicut nec sperma viri separatur à spermate mulieris in hora sui coitus, sic & earum vnus est terminus, vnum factum, & vna & eadē operatio insimul cernitur super ipsa duo. Ideo Mercurius rerum misturam, coitum vocat & genituram:

Semina miscentur quasi lac, quæ mista videntur. Secundum est conceptio, quum terra in nigrum soluitur puluerem, & incipit aliquantulum de mercurio secum retinere: tunc enim agit masculus in foeminam, id est azot in terram: Ideo dicit Arisleus, Masculi adinuicem non gignunt, nec mulieres concipiunt. Generatio enim est ex maribus & foeminis, & maximè ex inuicem conuenientibus. Maribus nanque ducentibus foeminas, natura gaudet, & fit generatio vera. Natura autem alienæ naturæ ineptæ coniuncta, nullam veritatem spermatis gignit. Coniunge ergo filium tuum Gabricum dilectiorem tibi omnibus filiis tuis cum sua sorore Leya, quæ est puella fulgida, suavis, & tenera: Gabricus est masculus, & Leya foemina, quæ ipsi dat omne quod ex ipsa est, et quauis Gabricus sit carior Leya, tamen non fit generatio sine Leya, Gabricus enim cum Leya concumbens protinus mortuus est: nam Leya ascendit supra Gabricum, & includit eum suo vtero, vt nihil penitus videri potuerit de eo, tantoq; amore amplexata est Gabricum, quod ipsum totū in sui naturā cōcepit, & in diuersas partes diuisit: & hoc est quod dicit Mercurius:

*Quod quasi lac fuerat, conceptio sanguine mutat,
Pallida nigrescunt, rubea diffusa nigrescunt.*

Tertium est prægnatio, quia dealbatur terra: dominante nanque aqua, terra crescit & multiplicatur, & augmentatio nouæ prolis inde generatur: Tunc oportet te terram nigram abluere, et igne calido dealbare: Vnde Hali dicit, Accipe quod ad fundum vasis descendit, et ablue istud cum igne calido, quousque auferatur eius nigredo, et recedat eius spissitudo, et fac ab eo euolare additiones humiditatum, donec deueniat calx nimis alba, in qua non erit macula

Albatio & ablutio idem sunt.

cula: tunc enim terra ad recipiendam animam est habilis & depurata, ideo Mercurius.

Firmans mutatum, prægnatio spondet hiatum:

Quæ bene purgantur, concordî pace ligantur.

Quartum est ortus, quando fermentum coniungitur terre dealbatæ, ita quod unum fiant substantia & colore: tunc enim natus est lapis noster in vitam sempiternam, quia tunc spiritus cum corpore, anima mediante, coniungitur. Hæc namque est compositio quæ, ut dicit Hali, fit cum putrefactione & matrimonio: & matrimonium est subtile cum crasso seu spisso commiscere, & animam cum corpore commiscere. Putrefactio verò est assare, terere, & rigare quousque insimul commisceantur & fiat unum, & non sit in eis diuersitas neque separatio, sicut non est separatio de aqua mista aquæ, tunc conabitur spissum retinere subtile, & conabitur anima pugnare cum igne & ipsum pati: & conabitur spiritus multum alienatus in corporibus fundi cum eis. Ideo Mercurius:

Fermentatio.

Matrimonium.

Putrefactio.

Quartum prægnatum, producit stercore natum:

Natis uita datur, non natis uita negatur.

Quintum est nutrimentum, quia foetus extractus non nisi lacte nutritur & igne, parce & paulatim, dum paruulus est. & quanto magis esurit ossibus confortatis in iuuentutem perducitur: in quam perueniens sibi subsistit & sufficit, & sic oportet te in hac operatione facere, sciens quod absque calore nil unquam generatur: & intensus calor perire facit: & frigidum balneum compositum fugat, temperatum verò & suaue balneum & igne leui corrumpentes humiditates corporis extrahuntur: id eò dicit Mercurius:

Postea nutritur, quod natum lux reperitur,

Ignis a quam superat, fornax alimenta ministrat:

Hinc etiam lapis natus noster appellatur.

Vnde Plato in libro Turbæ dicit, Honorate Regem ab igne venientem, diademate coronatum, & ipsum illuminare quousque ad ætatem peruenierit perfectam, & nolite ipsum comburere, nec fugetis ipsum comburendo nimio igne: quia si ipsum prouocauerit ad iram, aufert à nobis regimen suum: Cuius pater est Sol, mater verò Luna, quam portauit ventus in ventre suo: & nutritrix eius est terra, nutritur autem suo lacte, id est spermate ex quo fuit ab initio: imbibatur ergo sæpe, & sæpius parce & paulatim suo mercurio, quousque bibat quod sibi sufficiat. Tunc autem, ut dixit Hali, erit corpus causa retinendi tincturam: & erit tinctura causa retinendi colorem, & color erit causa demonstrandi tincturam in qua est lumen & vita naturæ. Vnde hæc est via recta, brevis, summa perfectio rei, & conseruatio totius magisterij. O carissime amice singulariter dilecte, per ea quæ dicta sunt facilliter potes intelligere verba obscura, & cognosces omnes in eo conuenire, quod nullum est magisterium nisi illud quod dixi. Iam enim habes corporis solutionem, & ipsius ad primam materiam reductionem. Deinde habes ipsius in terram conuersionem: Præterea terræ nigra dealbationem, & in aerem leuigationem, quia tunc distillando humiditatem quæ in ea inuenitur, fit aereum quod ascendit, & terra remanet calcinata, & tunc est igneæ naturæ: Et habes conuersionem ipsorum adinuicem: & accipit augmentationem tantam, cuius utilitas maior est quam possit percipi aliqua ratione. Amen.

Finis Thesauri philosophiæ.

PRAXIS VNIVERSALIS MAGNI OPERIS, EX
TERTIA DISTINCTIONE LIBRI QVINTARVM
essentiarum Raimundi Lullij.

CORPVVS Solare vel Lunare calcionatum, in oleum cōuersum per mēstruum nostrum: Et scias pondus cuiuslibet: si fuerint menstrui libras tres ponas, de corpore vncias duas, & fac eorum coniugium adinuicem id est mīstionē in vase tibi noto fortissimē clauso ex luto factō ex albumine ovi, papyro & calce viua diligētissimē carminata, pone in balneo aut fimo calidissimo: securior tamen est operatio cum balneo cinerum, ne calor in alio balneo aut fimo recedat: nam ignem actū suū ibi habere necesse est. Qui calor etiam si defuerit, ad malum terminabitur. Ministra ergo ignem lentum quousque per mēstruum dissoluatur, vt fiat mīstio menstrui in oleum, & rursus olei in mēstruum per minimas partes, & transeat materia à dissolutione mīstionis ad alteram potentiam elementorum, & per consequens ad generationem: non ad generationem quæ est post totalem lapidis corruptionem, sed ad accidentalem generationem, quæ largo termino generatio dicitur: quod cognoscas quando alius color incipit generari scilicet niger. Non arbitreris ipsum esse nigrum sicut encaustum, sed sicut in colore mali granati: qui color niger, est finis alterationis, & principium digestionis. Ergo hæc generatio huius coloris non est ex corruptione formæ substantialis ipsius auri & menstrui, quam in instante sequitur generatio formæ substantialis ipsius auri & menstrui, quam in instante sequitur generatio formæ substantialis lapidis philosophorum cum expoliatione terrestre itatis ingressum prohibentis. Isto colore viso intelligas corpus Solare transire per dissolutionem, alterationem, & digestionē in generationē, quia ibi facta est colligantia amoris intra corpus & menstruum, quia corpus conuersum est in menstruum, & menstruum in formam. Deinde continuando digestionem sine intermissione temperatē continuando, tunc corpus cum menstruo ingrediuntur digestionem & generationem: & durat digestio & generatio per tempus mutationum.

DE LAPIDE PHILOSOPHORVM QVIDAM SVMMATIM multa epilogando sic dicit.

RESTAT nunc quatenus breuiter teneatur memorialiter totum magisterium sub sermonis breuitate recapitulatiue: Vnde dicimus, quod tota huius operis nostri intentio in summa nihil aliud est, nisi vt sumatur lapis philosophicus, & cum operis instantia alijs etiam regiminibus completis asiduatur super ipsum opus sublimationis atque distillationis primi gradus, vt per hoc mundetur à corruptionis impuritate: Deinde verò figatur ita quod nihil ascendat: & cum fixus fuerit, solue ex eo quod subtile est, & in ignis temperamento serua, quousque per modum sublimationis, solutionis, atque distillationis eleuetur, & eleuari possit. Cum eleuatum fuerit, in ignis temperamento serua, quousque totum figatur, & in asperitate ignis quiescat: & hic secundus præparationis appellatur gradus: & in hoc quidem præparationis & perfectionis meta consistit. Tertius verò similiter gradus lapidis administretur, quo per totum principium, medium & finem consistunt præparationis complemento: Et est vt fixum lapidem cum manet sublimatus per administrationem ignis volatilem facias, & volatile fixū, donec in ignis temperamento quiescat, ita quod
nil vlt

nil videatur ascendere: Et hic tertius modus est completus. Quarta verò administratio est, vt lapidem dissoluas, & per modū distillationis volatilem facias: et cum ista fuerit tota materia cum igne sibi appropriata donec quiescat sine aliqua separatione. Et cum ista facta fuerit, verissima via inuenta est. Quinta administratio est, vt lapidem congelatum dissoluas, & volatilem facias: & iterum volatile fixum. Sexta administratio similis est quintæ, similiter & septima: & summarie nihil aliud est, quàm, solue, congela.

PRACTICA MAGISTRI ODOMARI ad discipulum.

CO G I S me frater Ludouice contra omnium philosophorum præcepta militare: sed quia tui amore sanctissimo cor meum accenditur, ideo secretum quod hætenus pater filio negat, tibi carissimo fratri fideliter iungo. Recipe Lunæ purissimæ à sulfure suo combustibili purgatæ per modum calcinationis vnciam vnam, & pone in vrinali vitreo cum duplo aceti distillati per modū distillationis aquæ vitæ, quod melius est, & claude os vrinalis ne respiret: postea sepelias in caldario aquæ pleno & straminibus, ita quod aqua ferueat per vnam horam: & dissolutum distilla per filtrum: distillatum desiccat desiccatum, in furno reuerberationis calcina: calcinatum, iteratò cum aceto dissolue per omnia faciendo vt supra, sex vicibus itera: vltimò calcina. Tunc recipe mercurij sublimati vncias duas, & incorpora diu, optimè ducendo cum magna cautela. Postea illud sublima in Aludel plani fundi cum igne fortiori quàm expedit in fusione æris, & totum ascendet. Et hoc iteratò totum contere simul, & sublima donec figatur, fixum dissolue sex vicibus vt primò. Vltimò calcina, & cum nouo mercurio crySTALLINO sublimato iterum eleua, & tantundem illud fixa: hos autem ordines fixationis & volatilitatis quinque vicibus itera, quia vltra quinque vices non poterit bene calcinari, nec eleuari: imò omnia adæquantur in fundo, in fermentatione & maturatione. Tunc vncia vna istius lapidis cadit supra centum. Sed si vncia vna in fimo equi vel in balneo Mariæ dissoluetur, & in cineribus tepidis congeletur, illius vncia cadit super sex millia. Et si secundò dissolutionem & congelationem reiteraueris, cadet pars vna super decem mille millia. Si tunc solueris & congelaueris, ita quod lapis amplius coagulari non valeat in quocunq; paruo igne, imò quod ignis in naturam solarem conuersus, quàm citò ignem vel Solem senserit, pars vna cadet super infinitas.

Si autem vis facere rubeum: Recipe mercurij rubificati, fixi, & in spiritum versi partem: & adde Elixiri albo, & fiet citrinum: & habes opus tuum rubeū. Rubificatur autem mercurius in aqua acuta, quæ fit ex libra vitrioli, & libra salis petrae, & quarta parte libræ cinaprij, & duabus vncijs aluminis iamenī: & postea figitur in prima sublimatione magnæ ignitionis: postea soluitur in aquam sanguine rubicundiolem, & per dies quadraginta pone in fimo, in * calculo siccando. Hæc aqua si calefiat parum, & super centum libras eius projiciatur Elixir albi vna libra, fiet totum Elixir rubeum perfectissimū: & sic in infinitum. Similiter fit ad album, si mercurius albus crySTALLINUS non fixus soluitur &c. Si hic lapis colorem habeat album, facit Lunam: si rubeum, generat Solem: si viridem, probatissimum facit viride aurum: etiam vitrum vel crySTALLUM si superproieceris, inde naturas procurabis secundum suum colorem. Omnem infirmitatem, debito modo sumptus, in hora expellit: & senem in iuuenem gaudiosum conuertit: & simpliciter crines canos eiicit, & pulchram comam inducit.

* In calido cinere.

FVIT in Gallijs homo quidam qui oleum rubeum composuit, in quo oleo postea ponebat laminas tenues Lunæ, quas super lentum ignem dimittebat aliquibus horis, deinde sigillabat vas & faciebat ignem desuper, & tota illa Luna cum materia tota conuertebatur in aurum: sed ex quo fieret oleum nescio. Credibile tamen est medicinam factam ex corpore, spiritibus, & animabus fixis, rubels, & per dissolutionem in oleum redactis.

Nota pro præseruatione à fumis alchímicis venenosis (præter alia adiutoria) vt obtures nares cum bombyce seu bombace madefacto in oleo violarum.

Contra ægitudines genitas ex fumo mercurij vel aliorum spirituum alchímicorum, prodest vti zedoaria, & bacca lauri, & pipere, & allio, & vino.

Albertus in libro suo de Mineralibus inquit, Quod operarij qui metalla fodiunt, quando igniunt ea, obstruunt os & nares duplici vel triplici filitro, ne vapores nimis lædantur in spiritalibus, & noceant valde præcordijs

ARCANVM PHILOSOPHORVM, VT EX SATURNO FACIAS AURVM PERFECTVM.

Recipe libram semis mercurij philosophorum, & uncias duas sulfuris eorundem: amalgama utrosque simul, ita quod de alterutro nil appareat, sed remaneat pulvis niger ex his duobus: quem recipe & pone in phiala stricti oris, & pone super fornaculam seu furnellum olla mediante cum cineribus cribratis, vt scis: & fac quod cineres non ascendant ad materiam, & da in principio ignem leuē per octo dies, ad hoc vt spiritus non ascendant, & si quid ascenderit in illis octo diebus, reduc cum illo quod in fundo vasis remanebit frangendo vas singulis octo diebus post primam materiam factam quæ erit nigra: & sic frangendo vitrum, tere materiam tuam, & repone in alio vitreo vase: & sic facias omni octauo die, donec videas materiam tuam in colore cineris: tum diminue cineres per vnum digitum, ita quod non remaneat de cineribus nisi per duos digitos, & superpone igni, & tandiu permitte donec materia sit rubea. Et quando videris eam rubeam, diminue iterum de cineribus per digitum, & sic per consequens quousque sit albißima vt nix & quod postea reuertatur in colorem rubeum. de qua medicina recipe unciam vnā, & projice super octo Saturni præparati, & fiet Saturnus niger & durus vt ferrum: de quo ita duro & nigro projice unciam vnā super uncias octo Saturni, & fiet rubeus: de quo rubeo projice unciam vnā super octo libras Saturni præparati, & habebis aurum perfectum. Laus Deo.

Ad album. Accipe mercurij sublimati, arsenici sublimati, argenti calcinati, ana: tere & imbebe cum aqua tartari, vt sit totum liquidum, & per alembicum distilla, reddendo qualibet vice aquam facibus, donec amplius non distillet aqua, & remaneat in fundo massa fixa: quam tere & imbebe ac sicca ter vel quater cum aqua salis armoniaci fixi. Postea pone dictā materiam in alia phiala ad dissoluendum in loco humido: & soluāt distilla per filtrum, postea congela: & vtere super æs calcinatum & reductum.

PERFECTA SALIS COMMVNIS PRÆPARATIO AD LAPIDEM PHILOSOPHORVM.

SVME salis communis quartarium vnum siue libras decem, & habes crucibulum tam grande quod totum hunc salem capiat prius à saxis aut extraneis rebus mundatum: Sali in crucibulo posito, superpone ferreum coopercu-

cooperculum, ignis crucibulum admoue ad ignitos carbones circumquaq;
ac suprapone in fabri ferrarij officina, & continue bonum ignem cum mantici-
bus seu flabellis facto, quoad crucibulum bene rubescat & crepitare desinat:
tunc enim sal præparatum erit. Sequere augendo ignem & sufflando cum fla-
bellis ac si argentum fundere velles: tunc sal fundetur siue liquecet in crucibu-
lo non secus ac si argentum esset. hunc ita fustum projice in massam tanquam si
foret argentum, & in vnum frustum sponte densabitur, sed erit tamen frangibi-
le. Nam & si hic sal ex falsa aqua seu marina factum sit, sustinet tamen ignem, &
funditur sicut metallum. Fac ex hoc bonam quantitatem, & hunc tere subtili-
ter non nimis tamen, & habeas vesicas bubulas & ex eo sale trito imple, & col-
lum vesicæ cum funiculo forti liga, atq; in loco quantum potes humidiori ap-
pende, & cum fibula seu acu mediocriter magna in fundo vesicas perfora plu-
ribus in locis singularum, & suppone catinos terreos vitreatos, vt quod effluit
è vesicis colligatur. Potes etiam dictum sal tritum super idoneum marmor
ponere & nocturno in aere dissoluatur. Tantum autem huius aquæ confice vt
libras decem habeas: demum per filtrum eam distilla, deinde rursus per alem-
bicum distilla, & in bocia fundo inuenies massam albam pulchram & crystalli-
nam: & hæc est primus sal id est prima congelatio & præparatio aquæ falsæ, ex
qua fit prædictum sal commune. Hunc verò crystallinū salem dissolue super mar-
moreo lapide, vt superius dictum est, vel in loco humido quantum tibi satis vi-
detur: neque illum in crucibulo fundas, quia tam subtile & penetratiuum est
quod à crucibulo transflueret & amitteretur: igitur cum dissolutus in aquam
erit, eam distilla in alēbico, eamq; serua: & in vasis vitrei seu bocia fundo mas-
sam reperiēs albiſsimam & crystallinā: & hæc est secundus sal crystallinus, nem-
pe secunda congelatio. denuò tere illam massam, & dissolue, vt supra, in loco
humido, & aquam alembico distilla, & aquam serua, & in phialæ seu bocia
fundo massam id est salem crystallinum inuenies, qui tertius est, id est tertia cō-
gelatio. Accipe rursus hunc salem, tere tenuiter, & super lapide ad dissoluen-
dum colloca, & aquam dissolutam distilla per alembicum: aquam exeuntem
serua, & massam in fundo albiſsimā & crystallinam accipe, quæ quartus sal seu
quarta salis congelatio vocatur: atq; hoc modo pluries facere licebit, & subin-
de sal erit crystallinus subtilior & penetrantior: & ita oleum fixum facies & sa-
lem fusibilem sicut cera, & mercurium philosophorum facies, & tandem opta-
tum aurum: & hoc est secretum officij naturæ, & fundamentum omnium me-
tallorum lapidumq; preciosorum & sulfurum, & est occultum naturæ secretū,
& secretissimum philosophorum secretum: nam dulcificat metalla, & redigit
in argentum viuū & in argentum & aurum perfectissimè ad naturæ instar, si be-
ne operari scieris. Et denique istud est verum & vltimum secretum cum quo
fit lapis philosophorum.

Alia salis communis præparatio. Salis communis partem vnā resolue in
quatuor partibus aquæ pluuialis, postea distilla per filtrum: pone deinde ad i-
gnem, & dimitte bullire donec tota aqua desiccetur.

Alius modus. Salis quantum vis solue in aqua calida in mortario terendo
& quod solutum est, effunde & cola in vas ligneum præparatum spissum, & si
quid remanet de sale in mortario, iterum superfunde aliam aquam calidam si-
cut prius terendo ipsum donec habeas totum salem solutum: tunc accipe a-
quam illam & decoque in vase plumbeo vel cupreo stannato vel alio vitreato
donec aqua evanescat, & sal reuertatur ad primam substantiam: Tunc recipe
salem, & pone in ollam nouam in furnum calcinationis, & sicca peroptime ac
serua. Philosophi dicunt sales esse præparatos, cū fluūt super laminā sicut cera,

Quidam Maurus in terra Maurorum acceſſit ad quendam fabrum, & eidem portauit 20. argenteos, vt eos ad ignem in cruſolo mitteret: quibus fuſis, faber ærarius ſuper iſtis proiecit puluerem quem dedit ſibi Maurus: erat autem puluis viridis, ſummi citrinum in igne faciens: argentum conuerſum eſt in aurum, & illud aurum ærarius vendidit aurifici ad præcium auri præcioſiſſimi. Aërarius inde rediens dedit præcium Mauro: ita dem Maurus miſericordiam motus erga ærarium, dixit ei, Hanc conſeccionem pulueris te docebo. Recipe auri calcinati vel puluerizati, æris vſti, croci ferri, ana vnciam vnā ſalis armoniaci, rubificati vncias tres, alibi additur, vitrioli rubificati vncia: ſoluatur ſal armoniaci, & eo ſoluto incera, id eſt cum ſua aqua ſimbe dictos pulueres auri, æris, vitrioli & croci ferri, ſuper porphido aut marmore molendo & terendo per longam contritionē: Poſtquam pulueres biberint totam iſtam aquam ſalis, pone in phiala vitri habente collum longum ſub ſimo equino calido per dies 21. mutando ſimū calidum de quatuor in quatuor diebus. Poſtquam ſolutū bene fuerit & in aquam conuerſum, congela ipſum in aliqua phiala ſuper furnello ſuper cineres calidos: quo congelato, pone partem vnā ſuper decem partes argenti fini præparati & ſeparati. Nota quod ſi aliqua pars remanſerit inſoluta, molias adhuc cum aqua ſalis armoniaci, quouſque ſit totū ſolutum: hoc fac vt non perdas aurum tuum, ſemper reiterando imbibitionē cum aqua ſalis armoniaci. Si autem dictā congelationem reſolueris iterum, & omnia per ordinem vt ſuperius feceris, vna pars tinget viginti: & ſic multoties multiplicare poteris, augebis enim 10. ſingula vice. Illum ærarium vidi in Toletis, qui mihi iſta retulit & cuidam conſanguineo ſuo ſeni: & ærarius ille erat ſenex, & ego & magiſter operati ſumus ſecundum modum prædictum. Aurum ſic debet puluerizari cum odore plumbi, vel cum aqua in qua ſæpius ſit extinctū plumbū. Vel fac aliter: Soluatur plumbū in vaſe quod ſuperius habeat foramen modicum ad quantitatem vnus aurei, & ſuperponatur aureus ita vt recipiat odorem plumbi ex illa parte, deinde verte ad aliam, & cum ſic factum erit aliquoties, aurum poterit conteri. Aes vſtum autem cum ſulfure viuo calci nari debet: & antequam in illis miſceatur, debet abluī cum aqua pura vel aqua & ſale, donec ab eo exeat aqua limpida. Crocum ferri fiat cum aceto ad ignem lentum vt fiat rubrum, ſic verò fit: Limaturram ferri aceto forti imponas & ſit acetum rubeum & clarum, & ponatur ad Solem duobus vel tribus diebus: poſtea effundatur leniter acetum, ac ſeruetur, & aliud acetum limaturæ ſuperponatur ad Solem: & fiat ita donec tota limatura ſoluatur vel redigatur in puluerem tenuiſſimū: & iterum totum acetum deſiccetur ad Solem. Sal armoniacus ſoluatur per frigidū & humidum, vel per calidum & humidū. Recipe ſolutionis eius partes duas, æris vſti partem vnā, croci ferri partem vnā, ſalis armoniaci ad quantitatem omnium: Soluatur ſal armoniacum, & ex eo imbibantur pulueres per longam contritionē, poſtea ponantur in ſimo equino calido ad ſoluendum quindecim diebus: poteſt iſta reſolvere in fouea mutando ſæpe ſimū calidum: deinde coagula ſuper cineres ad lentum ignem. Huius coagulationis ſeu cōgelationis pars vna tingit 10. de Luna præparata. Et ſi ſolueris ſecundo, modo prædicto omnia faciendo, pars vna tingit 20. & ſic augmentare poteſt.

Licet hanc eſſe rei veram deſcriptionem putem, ponam tamen paruulam diuerſitatem quam in alio ſcripto non ita autem dico reperi: vbi ſic ſcribitur:
Aes

ustum extingatur septies in oleo oliuz, uel donec habeat colorē croci. Congelatio sic fit: Ponatur materia dissoluta in amphora (seu phiala) rotunda, firmiter clausa, & locetur in medio uasis ubi sint cineres, & sub hoc uase fiat ignis lentus per diem naturalem, & congelabitur in puluerem uiridem.

Crocus ferri sic fit secundum Albucasin in libro qui dicitur Seruitor. Accipe de limatura ferri quantum uis, & pone super lamina ferrea, & suffla cum folle quousq; calefiat lamina (uel rubefiat) & limaturam pone in mortario ferreo ita calidam & tere bene: & iterum repone in lamina & pone super ignem, & suffla donec calefiat, ut prius, & ita facies decies uel amplius, quia quanto plus feceris, tanto melius. quando ergo uersum fuerit in colorem croci, si adhæret alicui rei color non separabitur.

Rubificatur uitriolum sic. Vitriolum ignitum super tegulam uel in cacia ferrea extingue in aceto distillato decies: & dimisso in quiete per triduum, postea distilletur per filtrum, distillatio uerò coaguletur, coagulatio assetur, & erit rubeum speciale.

Ad rubificandum uitriolum Romanum. Vitriolum uel atramentum pone in ollam non coopertam, & pone in furno calcis uel panis per diem, & fiet nigrū: uerte cum ferro, & repone, & cum erit bene rubeum, extrahe.

Rubificatio alia. Vitriolum dissolue in urina puerorum cocta & despumata, post fac euaporare urinam & calcina in olla clausa in furno reuerberationis per spacium quatuor uel quinque horarū, & erit rubicundissimū, & perpetui coloris.

Aliter. Pulueriza uitriolum & coque in cochleari ferreo super ignem, donec optimè rubificetur.

Flos martis qui intrat in rubificando & fixando sulfur. Accipe limaturam martis quam pone in uase terreo ad spissitudinem digiti, & da sibi ignem tam fortem quam poteris per tres uel quatuor dies lignorum semper & sufficienter in furnello: & quando sit alba, da multo maiorem ignem, & inuenies florem martis rubicundissimum & preciosissimum.

Aqua calcinationis omnium metallorū: etiam mercurij. R. Vitrioli Romani, salis nitri ana partem unā, salis cōmunis partes duas, calcis uiuz partem semis: redigantur in puluerē & distillantur per alembicū. hæc corrodet omne metallū.

Præparatio atramenti uiridis, ex Emanuele. Accipe illud, tere & imbebe cum aceto mali granati & sorbarum, quia augmentant rubedinem, & sicca septē uicibus in uno die in cinere: deinde tere, nam bene teritur, & mitte in furno panis per diem unum, & inuenies rubeum & subtile calcinatum calce rubea: deinde solve in aceto mali granati, uel in aceto de uino rubeo in duplo sui, & pone sub fimo per diem unū: sed antequam soluatur in aceto, prius soluantur in aceto unc. 4. de sale armoniaco: deinde extrahe à fimo & congela: postea iterum solue in aceto & pone sub fimo per alium diem & distilla, & habebis optimum puluerē cui non est par: uel omni die poteris soluere in aquam sine aliqua imbibitione, sed solummodo tere, & pone in uiscere sub fimo per diem unum, & soluitur in aquam per acuitatem salis in eo. Reconde, quia est sublimior omnium, & habet uirtutem retinendi & soluendi.

Rubificatio uitrioli. Puluerizentur, & libram unam in quatuor libris urinz, uel aceti distillati dissoluas: deinde bulliat usq; ad medietatis cōsumptionē, deinde per linguas distilletur, & super ignem euaporetur. (uel in potto nouo sigillato rubificetur) alij in crucibulo sigillato in igne lento rubificant: ut habetur in Alberto.

Y TRAC

TRACTATVS DE MARCHASITA, EX QVA TANDEM cum alijs dicendis fit Elixir ad album uerissimum.



MULTORVM generum & multis in locis reperitur Marchasita uulgo dicta, à Græcis autem Pyrites: est autem ex metalli genere, nam cum plumbo mistum efficit notularum pro typis uirgulas. color montium uel lapidum aut terræ, ubi reperitur, est purpureus ferè. Inuenitur in primis supra ciuitatem Brundusij in Apulia propè sanctum Iohannem de Mígeno, estq; Marchasita argentea nigri coloris. Item in partibus Romandiolæ apud Britonorū inuenitur argentea Marchasita. Item in Corsica prope quoddam castrum quod uocatur Canui in loco qui uocatur Bagnaria, & est albi coloris multum ponderosa, nec funditur nisi cum magna difficultate. Item circa Balnea de Porretta inuenitur aurea Marchasita. Item portatur alia ex Sardinia, ubi foditur uerum argentum in loco qui dicitur Villa de Glexia. Inuenitur item iuxta maritima multis in locis, & præsertim loco dicto Salucna. Inuenitur in Boemia Marchasita alba, ualde fusilis, & propè Bernam in loco ubi foditur stannum, & stridet sub dentibus, & leuiter puluerizatur. Inuenitur magna copia ubi foditur mercurius, & uocatur mater mercurij, estq; talis optima Marchasita albißima, ponderosissima, nec funditur nisi artificialiter. In districtu Vincentiæ in terris illorum de Vinaria, & est glauca, & pōderosa ualde. **I**N nomine igitur altissimi creatoris & Domini nostri Iesu Christi. R. Marchasitæ argenteæ lib. 1. & tere eam subtiliter, & impasta eam cum sale nitro & sapone Gallico, ut sit sicut pasta, & eam repone in crucibulo ac funde ipsam, & cum fusa erit projice eam in aquam inferius scriptam, & hoc iteretur ter, & sic erit optimè separata à putredine terræ.

Aqua uerò in qua debet projici, sic fit. R. Calcis uiuæ lib. 1. salis gēmx drach. 4. aluminis rochæ drach. 4. aluminis zucharini drach. 4. aceti optimi lib. 7. & sit bene calidum, & soluantur alumina & sales & calx in ipso aceto, & per filtrum distilletur, & in ea dicta Marchasita fusa projiciatur.

Modus componendi medicinam talis est. R. de supradicta Marchasita ita præparata lib. sem. & tere eam subtiliter & adde sibi mercurium sublimatum & salem armoniacum sublimatum an. lib. sem. Modus autem præparandi mercurium & salem armoniacū pertinentia huic operi, talis est. R. mercurium sublimatum quantum uis, & sublima ipsum cum sale cōmuni præparato, & erit sicut crySTALLUS: simili modo sublima salem armoniacū, & erunt optima: & sal quod debet poni cum prædictis sublimationibus sic præparatur. R. Sal cōmune quātum uis, & pone in aquam calidam ut bene dissoluatur, & dictam aquam distilla per peciam panni linei uel filtrum, ita quòd sit clarissima, quam congela in uase uitri uel terreo interius uitreato: supradicta terantur in mortariolo lapideo simul & bene simul incorporentur sine aliquo liquore, & pone in ampullam uitri & loca ipsam super furnellum, & da sibi lentè ignem de mane usq; ad tertiam, uel quousq; humiditas sit cōsumpta, postea uigora ignē gradatim, tandiu quòd sal armoniacū & mercurius ascendant ad collū dictæ ampullæ, deinde permitte ita frigidari, & frāge ampullam, & quod est sublimatū cum fæcibus suis iterū misce, & tere, & sublima, & hoc itera septem uicibus, semper miscendo eū suis fæcibus: In septima uerò uice remanebit Marchasita calcinata albi coloris & fusibilis. deinde accipe eam & serua in uase mundo uitri clauso bene.

Deinde R. Salis alkali lib. 10. & tere ipsum, & madesce eū modico aceto, & fæc pallas seu pilas ad grossitudinē ouis gallinæ, & ad solē siccare permitte, tunc pone ad decoquendum in fornace uitrariorum, uel alia simili fornace, & ibi dimitte donec dictæ pilæ sint albißimæ: tūc extrahantur de fornace, & in mortario lapideo cōterantur, deinde habeas paratum acetum calidum ad libitum, & in eo sol-

uatur

uatur sal & distilletur per filtrum mundum, & distillatum in uase uitri uel interius uitreato congeletur, & iterum tere, & in aceto calido ut supra solue & distilla & congela usq; ad quindecim uices, postea proba ipsum super laminā, & si funditur ad candelam, perfectē laborasti: si nō, itera donec leuiter fundatur: tūc pone super marmor in loco rorido ad soluēdum, & cum solutū fuerit, cum ipsa aqua incorpora calcem Marchasitz, & pone in uase uitreo super furnellum ad congelandum cum leui igne, & congelabitur usq; ad triginta dies & citius, tūc lauda Deum qui dedit tibi tale secretum. Et quando uolueris experiri, Recipe Mercurij lib. x. & ablue eum cum aceto & sale, & cum bene lotum fuerit, excutetur cum panno, postea exprime per corium, tūc pone ipsum in cruxolo mundo, & pone intra carbones uiuos, & quando mercurius incipiet fumigare, asperge super ipsum de prędicta medicina unc. i. tunc audies magnum rumorem & crepitationem, tunc suffla leuiter quousq; non plus crepitet, tūc suffla securē & cooperi crucibulum cū carbonibus, & sic permitte per magnū tempus, postea euacua ipsum ubicunq; uolueris, & iuro (inquit autor) per Deum quod habebis Lunam ueram ad omnem examinationem meliorem, quā de minera terrę extrahatur.

Marchasita soluit ferrum cum spargitur super eum, & comburit cuprum & argentum, & confringit aurum, & stringit plumbum alkali, id est stannum.

Aliqui dicunt, quod cum solo oleo lini incerando Marchasita funditur cum forti igne, ualde leuiter.

Nota hunc alium modum, quem in optimo manu scripto libro separatim inueni, sic. De Marchasita aurea & argentea, uel sagimine nitri, quancunq; earum uis tere cōtritione ultima, & linias eam sapone & nitro, & funde eam in crucibulo, & accipias quod egreditur de fusa parum, & efficias fæcem: & si tu fusionē iteraueris, sicut dictū est, secundo & tertio melius erit. Deinde accipe quod purum est ex ea, & est frustum album liquefscens, & est res magis similis argento, excepto quod frangitur sub martello, & tere illud cum sale armoniaco soluto in aceto, imbibendo & siccando, donec totum ebibatur: nam ipsum erit Elixir bonum quod excusat te ab alio cum Dei auxilio. Proijce ergo de ipso super stannū mundatum, quoniā stringit ipsum & indurat, & incidit stridorem & fœtorē eius. Deinde proijce de illo stanno super xs rubeū, albificabit enim ipsum formosa albedine. Coniunge ergo ipsum cum argēto sicut scis, & proficies cum eo ex uno die, sed hoc fac arte. & est ex melioribus quę sunt, & studiū leuioris, & excusaberis per hoc ab alio: occulta ergo ipsum.

Separatio Magnesiz & Marchasitz ex libro perfecti Magisterij Rasis. Accipe de quacūq; earū uolueris quantū uis, & ignias eam in cacia ferrea septies, omni uice extinguēdo eam in aceto fortissimo, & qualibet uice post extinctionem extrahatur ab aceto, & ponatur super porfidum ac fricetur fortiter, & cum aqua dulci abluatur. hoc facto igniatur ter, & omni uice extinguatur in aceto citrino, & est optimē separata. Aliqui dicunt, quod non est necesse sublimare Tuthiā, Magnesiā, uel Marchasitā, dūmodo tamē bene fuerint pręparata. Magnesia uerō & Marchasita sic pręparātur, Tere quousq; fiat puluis minutus: deinde fac bullire in aceto & in aqua tartari per dimidiū diem in quolibet, & postea in modico aceti, deinde cola acetū & laua cū aqua cōmuni, & sicca puluerem & serua: & si hoc modo pręparentur, non est necesse sublimare.

Ne quid huic tractatui de Marchasita desit, hæc sequentia non inutiliter addimus ex mirabili quodam libro excerpta.

Accipe Marchasitz argenteę quantum uis, tere in mortario cupreo: puluerem distēpera cum melle, pone in crucibulo, funde & fac ter: deinde R. unc. i. salis armoniaci, aceti unc. 3. de dicta medicina unc. i. pulueriza super marmor, imbibere pariter quousq; siccetur ad solem, unc. i. huius medicinz cōgelat perfectē

mercurium supra ignem calidum. Item aliter. R. Marchasitz calcinatæ prius in aceto bullitæ per consumptionem aceti unc. 4. arsenici sublimati lib. sem. salis armoniaci quart. 1. calcis corticum ouorum unc. 4. mercurij per se mortificati lib. 1. & sem. misce omnia in phiala uitrea, pone in fimo per mensem, deinde distilla, & aquas distillatas obserua in fimo calido, & postea tere cum aqua albuminis ouorum, & iterum distilla & omnes in simul coniunge, & distilla de uentre in uentrem quousq; amplius non distillent: una pars tingit centum Veneris præparatæ in Lunam.

Marchasitam integrâ ignias, & projice in aceto distillato, & erit puluis albus: deinde facias puluerem Marchasitz desiccare ad ignem uel solem, deinde fac descendere cum baurace quousq; habeas unum granum, & ad 7. unc. Marchasitz, pone drach. 1. de borace & pulueriza & imbibe cum mercurio, & claude in crucibulo cum borace & funde, & erit Luna bona: sed dicitur quod borax petrosa melior est hic.

Ablutio Marchasitz. Marchasita argentea teratur & ponatur in aceto forti & coquatur, donec egrediatur eius obscuritas & nigredo, & renoua acetum quatuor uicibus donec exeat limpidum: ipsa albefcit, & etiam stringit stannum.

Sublimatio Marchasitz, post abluitionem & exiccationem. Pone in alutel & sublima igne lento duobus diebus & nocte una, post infrigidationem uasis aperi cum suauitate, & inuenies similem argento uiuo sublimato extincto: cuius drach. 1. super 40. plumbi mundificati conuertit illud in Lunam. Alibi sic incipit. Sume eam & tere, & in aceto uini infunde, & ad Solem per decem dies dimitte: post hæc cola & sicca, & pone in ollam de alutel, &c.

Purgatur Marchasita per mercurij lauacrum: deinde calcina in uase terreo sigillato ad magnum ignem tribus uel quatuor horis: quo infrigidato, inuenies totum redactum in terram mortuam nitidam, tere ipsam cum calce corporis, mediante borace fit liquabilis elixir, qui conuertit uenerem, iouem, & mercurium in una hora in ueram Lunam, & augmentatur modicum ex eo cum mercurio usq; in infinitum, nec est scienti opus reiterare.

Proba an post lauacionem Marchasitz possit sublimari cum sale armoniaco totiens quousq; figatur, deinde lauari cum aqua uitæ, & inde facere projectionem, aut primo dissolui & iungi cum auro dissoluto, aut Luna dissoluta, & postea conuerti in Elixir.

Marchasitz sublimatio extractu Petri Hispani, articulo secundo. R. Marchasitz quantum tibi uidebitur expedire, & pone eam in uase sic disposito super carbones ardentes, & suffla cum sufflatorio quantum poteris, donec rotum sulfur Marchasitz ascendat superius album sicut nix. Marchasita sic conburitur, melle uncta, in carbonibus mittitur & flabellatur, quandiu colorem rufum faciat. Alij uero in multis carbonibus igneis coquunt, & secundo melle unctam reponunt ad ignem quousq; se fregerit, deinde extrahunt, & lauant sicut cadmiæ.

De Arsenico.

Arsenici optima sublimatio. R. libram unam de ipso bono & electo, in mortario æneo subtilissimè tere: quo remoto & seorsum posito, accipe tantundem æris usti, quod in eodem mortario subtilissimè teres, & ipsum tritum cum Arsenico pones, tunc accipe tantundem salis gemmæ, & eodem modo tere & reponere cum duobus prædictis, ultimo de blacheto quod propriè cerussa dicitur. Et hæc quatuor super tabulam uitream (aut uitreatam) terendo fortissimè commisce: primo ea cum manu uel uirga grosso modo, postea ita fortiter & diligenter super tabulam marmoream coterendo quousq; ad plenum partes singulæ subtiliter sine commistæ. His ita peractis, assabis hoc modo: calefacias primo larem planum de tegulis, uel de terra forti, & cum fuerit calefactus, consperges desuper cineres cribellatos usq; ad spissitudinem duorum uel trium digitorum, & puluerem illorum quatuor

tuor sic mistorum in una pelui uitrea, uel saltem uitreata & bene lata quanto minus poteris conspersum & diligenter sparsum impones: Deinde accipe crapam unam calidam, quæ ad ignem æqualiter ex omni parte fuerit calefacta, & uide ne calor eius notabiliter excedat calorem laris, & pone crapam ipsam super larem calidum peluim, cum prædicto puluere includendo, quanto magis æqualiter poteris ita cautè quòd calorem æqualem ab omni parte habeat, & uas intus positum in parte aliqua non cõtingat, & ita permitte quiescere, donec totum in frigidatũ sit perfectè, & tunc extrahe: & si inueneris puluerem subtilem non congestum neq; cõglobatum, bene est: si autem, iterum super marmor pulueriza & assa, sicut prius toties, quousq; totum per assationem in subtilem puluerẽ conuertatur. Hæ autem assationes optimè fierent in stufa uel fumo calefacto, & dicto modo specialiter ad hoc temperato. Cum ergo per assationem totum in subtilem puluerem fuerit sic conuersum, pones in uase sublimationis substernendo unum bonum lectum de sale asso non crepitante, uel de calce testarum ouorũ, uel alio cõsimili. Vas ergo claude cum luto sapientiæ, quanto æqualius & leuius poteris, ita quòd nullatenus respiret, quod sic fit. Accipe cineres cribellatos, & parũ minus de sale cõmuni, & cum albuminibus ouorum distempera terẽdo subtiliter super marmor, & nõ ponas multũ de albuminibus: quia cũ modico de illis poteris facere multũ lutũ. Caue etiã ne facias multũ molle, sed aliquãtulum durũ, & cum isto luto cõiunges ollã, siue discũ, siue alutel cum suo cooperculo, cautè orificia uasorum ad paruã spissitudinẽ liniẽdo, & ipsa prius orificia cum salina leuiter madidãdo aliquãtulum, ut lutũ eisdẽ adhærere ualeat. eodẽ etiã luto iunctura ipsius ad paruã spissitudinẽ debet deforis illiniri, & sic clauso, & in furno suo posito lentissimũ dabis ignẽ, sicut triũ uel quatuor carbonum, & ipsos accẽsos grossos superpones, & ipsum ignẽ sic tẽperatum cõtinuabis aliquãtulum diu: & cum lutum orificij iuncturæ fuerit desiccatur, linies iterum desuper illũ, & permitte ad illum ignẽ tẽperatissimũ desiccat. Postet etiã fieri bonũ lutum ad hoc de aqua salis cõis soluti in aqua calida, distẽperando cum ipsa aqua cineres cribellatos, sed primũ est melius: Cũ ergo secunda linitio fuerit desiccata, uigora ignẽ paulatim quousq; cooperculũ calefiat in tãtum quòd possis manũ desuper tenere, sed nõ multũ diu. Postq; uerò fuerit sic fortis ignis, caue cum diligẽtia & cautela ut nõ augeat uel minuatur, sed cum manu cõtactũ frequẽti super coopercula pba: nã si manũ super cooperculũ tenere nõ possis, scias quòd arsenicũ cõburitur & destruit etiã in colore & efficiẽt crocẽ primò, deinde rubẽ ppter magnã adustionẽ: & nisi uas remoueat ab igne, uel subtrahat ignis, credo quòd penitus destruetur. Si ergo istud cõtingat anteq; tota humiditas sit egressa, reduc ignẽ ad tẽperamentum subtrahẽdo scilicet paulatim à parte inferiori, & cũ pãno nõ multũ madido refrigerãdo cooperculũ sublimatorij quousq; possis bene tenere & diu manum desuper, & cõtina ignẽ æqualẽ quousq; tota humiditas sit egressa, qd quidẽ experiri põt pro certo uitrũ uel ferrum politũ sup foramẽ cooperculi coaptãdo & sæpe aspiciẽdo si madidũ sit. Sẽper autẽ etiã à principio ignis tene lanã intus p foramẽ, quæ plus ualet ibi nigra, q; alba, mũda tamẽ ualde: huiusmodi enim lana etiã spiritũ retinet ne recedat, & humiditatẽ nõ impedit, quin ascẽdat: cessante autẽ omnino humiditatis ascẽsu, claude foramẽ cooperculi cũ pãno lineo benecõpresso uel retorto. quãcito autẽ uideris quòd aliquid de sublimato lanæ prædictæ adhæreat, uel p foramẽ cooperculi exeat, claude foramen prædicto modo, & aliquãtulum fortifica ignẽ & ualde parũ, sicq; cõtina usq; ad finẽ sublimationis, ignẽ æqualiter quãto magis poteris faciẽdo. Si aut uis quòd sublime quasi in speciẽ crystallinã, habeas duos capellos de filtro non cõpressẽ, uel de aliquo pãno lineo grosso ad mẽsurã & formã coopculi factos alternatim madefactos in aqua frigida pones sup cooperculũ, ita quòd cooperiat totũ excepto foramine summitatis, tunc alternatim teneas illos ibi à principio ascensus usq; ad finẽ, & caue diligẽtius, ne aliquid de aqua p foramẽ alutel ualeat subintrare, & habebis

Y ;

propositū. Ignē autē semper de carbonibus facias, quia de lignis equaliter fieri nō ualeret. Si autē prædicta intētio cōtingeret circa primū ascēsum Arsenici, prædictā madefactionē cooperculi de necessitate fieri oporteret, & ignē quasi inseparabiliter ad æqualitatē & tēperamētū reduci, & ex tūc in illa quātitate cōtinuari usq; ad finē: quod si de sublimatiōe nihil pcessisset in ascēsu antē prædictā intētionē remouēdum est totū uas sublimatiōis de fornace, & imponēdum est in cineribus cribratis, & sepeliēdum est in eis usq; ad iuncturā uasorū, & cooperculum cū prædictis capellis in frigidādum, quousq; sit bene frigidū, postea est aperiēdū, & qd est sublimatū bene album & mundū extra est reponēdum, qd uero croceū uel rubrum est effectū, & qd sine fēcibus de uase extrahi nō potest, accipe & tere iterū cum frigidioribus fēcibus super marmor, & lētissimo igne sublima, & eius sublimationē expecta. Tēpus autē sublimationis & mora, postq; uasa debite clausa fuerint, & locata est octo horarū, scilicet ab aurora æstatis usq; ad uesperas. hoc tamen est principaliter attēdendum, ne anteq; ab ascensu cessauerit ignis, in aliquo minuat uel aliquatenus extinguat, quia nō posset postmodū emēdari. Quādo ergo dubitaueris, utrū cessauerit ab ascēsu, per foramē superius longā lanā immitte, ita ut possit descendere propē fæces, & post morā aliquantulā extrahes, & si quid ei de Arsenico ascēdēte adhæsit, scias quod nōdum cessat ascēsus, si nō adhæsit, nō dubites quod cessauit, & cognosces p certo. Eodē modo poteris experiri, quādo ascēdere incipiet, cū aliquid eius lanæ prædictæ adhæserit. Vasa eius nuncq; aperias quousq; plenē refriguerint, uel per se, uel prædictorū capellorū appositione in casibus supradictis. Arsenicū sublimatū in uase uitreo est seruādū, & cū papyro uel mundo & albo corio cooperiendū, & loco quō sit expositus uetō uel acri humido. Si autē es uisum nō habeatur, limatura grisuel ferri mūdāta, tamē ab omni puluere per sufflationē, uel per lotionē aquæ ab omni rubigine poni potest loco xris uisti. (Rogerius tamē dicit, quod melius ualeat cum calcibus corporum, q̃ cum limaturis. Si autē uis scire, utrum in fēcibus aliquid remāserit de Arsenico, proijce super carbones, & si fumum fecerit, adhuc est ibi aliquid, & c.)

Preparatio salis armo. secundū Rasim. R. de sale arm. crystallino, tere cū tanto spumę maris & sale nitro & ipsum sublima, & sume sublimatū, coque ipsum positū in cānis in aqua: soluet enim, distilla ipsum, aut solue ipsum in uestica, uel in fellis kisti super aquā, & distilla ipsum, & ex eo operare. Alij sublimant cū sale gēma, sed illud sal debet esse optimē siccatum antē ignē, & cum sale armoniaco optimē tritū. Salem armon. fixū soluere est difficile: imbibere ergo ipsum ex aceto & in humo in fimo, soluet enim, distilla ipsum, & caue tibi ne totā assumes aquā, sed tātum quātum posuisti de spiritu quē soluere uoluisti. Puluis dans malleū & dulcedinē Soli & Lunæ, si sint cōbusta & calcinata, facit etiā ferrum fusile, & est lani Lacini. R. Salis armoniaci, salis petre, & boracis ana, tere & cōmisce, & solue in modico uini, & desicca, & de puluere quartum pondus, pone cum tribus cuiuscuncq; calcis uolueris, & reuertetur ad malleum multum bene.

Caput de Sale Alchali.

SAL Alchali, scilicet uitri, est de minera lapidis similis uitri albi omnifundi, & scū eo lapides uertuntur in naturā albi uitri, & est fortior omnibus salibus in suo regimine. Volo dicere quod uitrarij hoc sale utūtur ad fundendum & cōuertendum in uitrum ceteros lapides. Accipe igitur de eo quantū uis, & pone in uase & sicca in furno per diem unum, & tere & ablue cum aceto albo acerrimo duabus uel tribus uicibus, & sicca ad solem: & sic remanebit in eo uirtus acuitatis acetī, & melius subtiliantur partes eius: deinde tere & imbibere cum aqua salis, sic depurantur & subtiliantur omnes superfluitates partium salis: deinde pone in uase sublimationis, & sublimetur tribus uicibus, semper remouēdo fæces, & per duos sacculos. Deinde pone sub fimo tribus diebus, quia per subtilitatem & acuitatem salsedinis salis, & humiditatem fimi melius depurantur, & subtiliātur omnes

omnes partium salis superfluitates in suo regimine: deinde extrahe & cola uicibus tribus, & per unamquamque colationem dimitte per diem unum, ut fæx eius refideat: deinde post tres uices colaturā accipe, & pone in caldario paruo habente tria foramina, uel quatuor in cooperculo optimè stagnato: deinde accipe duas maneries scilicet album & uiride unumquodque per se, & tere, & sic in furno pone ad desiccandum, & solue iterū in duplo sui de aqua dulci, id est, de aqua putei, & pone sub fimo duobus diebus: deinde cola & cōgela, & sic tribus uicibus facies: deinde solue in uiscere, id est, in ampulla, sub fimo pone per diem unum, & sic solue: deinde distilla semel, & proijce fæces, & cōgela, & si non uis ipsum congelare, reconde aquam quam soluisti sub fimo in uiscere, & distilla. Nota ad similitudinem, quòd de Luna fit sal alchali hoc modo. R. Lunam in laminas, & pone in uno crucibulo, & claudere bene uas ne exhalet, & pone in furno reuerberationis, & fac stare in igne 24. diebus in bono igne, postea extrahe & fac puluerem, istum puluerem pone in uase uitreo cum aqua cōmuni, hoc est, cum aqua Mercurij testamentarij Raymundi de Lullio distillata ad alembicū uitreū, & bulliat tantum quòd solum tertia pars remaneat. istam partem distilla per filtrum, ut suprā: postea congela, & ista congelatio est sal alchali, &c.

QVAESTIO AN LAPIS PHILOSOPHICVS VA-
leat contra pestem.

Vtrum lapis philosophorum, si haberetur, ualeret contra morbum pestilentialem.

ET uidetur quòd non: quia si lapis philosophicus talem haberet uirtutē, utique Reges & principes mundi, similiter & prælati ecclesiarum Romanarum, qui uehementer abhorrent morbum illum, & qui diuitijs affluunt, & penes se habent ualentissimos uiros medicos & philosophos naturales, deberent curare confici lapidem illum, & uteretur eo pro se & amicis suis. Oppositū patet per Arnaldū de Villanoua in penultimo sui Rosarij cap. ubi dicit: Sic etiam habet uirtutē efficacem super omnes alias medicorum medicinas omnem sanandi infirmitatē, tam in calidis quam in frigidis ægitudinibus, eo quòd est occulte & subtilis naturæ, conseruat sanitatem, & roborat firmitatē & uirtutem: de sene facit iuuenem, & omnem corporis expellit ægitudinem: uenenum declinat à corde, arterias humectat, contenta in pulmone dissoluit, uulneratum consolidat, sanguinem mundificat, contenta in spiritalibus purgat, & ea munda seruat: & si ægritudo fuerit unius mensis, sanat eam una die: si uerò fuerit ægritudo unius anni, sanat eam duodecim diebus: si uerò morbus fuit antiquus ex longo tempore, sanat eum in uno mense: unde non immeritò hæc medicina super omnes alias medicinas & super mundi diuitias est perquirēda, quia qui habet ipsam, habet incomparabilem thesaurum. Pro huius autem quæstionis decisione, multa sunt inquirenda: & primò, quid causet morbum pestilentialem: an scilicet uenenum, an alia res? Ad quod mihi uidetur esse respondendum, quòd uenenum potest dupliciter capi, strictè, uel largè: strictè capiēdo, nihil est uenenum, nisi quòd applicatum corpori humano aptum natum est ipsum taliter discrasiare seu alterare quòd mors subsequitur. Large uerò capiēdo, potest omne illud uocari uenenum, quod interficit, uel aptum natum est interficere corpus humanum, & sic quicquid inducit, uel aptum natum est inducere mortem, siue sit febris, siue dysenteria, siue hydrops, siue lepra, siue quæcūque alia infirmitas ducēs, uel apta nata ducere ad mortem, potest uocari uenenum. Quo præmissò: sit ista propositio, Venenum, qualitercūque sumatur, siue strictè siue largè, causat interdū morbum pestilentialem: apparet, quia si strictè capiatur, cōtingit quandoque hominē infici per flatū alterius hominis infecti, uel per uestium infectarū odorem, uel per aërem circūstantem corruptū. Si uerò largè capiatur uenenum, cōtingit interdū hominē nedum ab extrinseco, sed etiā ab intrinseco, ut puta febre uel alia infirmitate infici peste, prout sæpe

docuit experientia. Secundò notandum quòd corpus humanū est ex subtilissimis elementis cōpositum, quæ in genere mistorum haberi possunt: quia de suprema impositione, & est cōplexio eius anatica seu æqualis, sub tamē certa latitudine. Exempli gratia: Si imaginemur aquā summē calidam, & decē graduum in caliditate, & summē frigidam esse decē graduum in frigiditate, tunc tepidum erit medium, sub tamē certa latitudine. Quādo uerò aqua excedit in qualitatibus primis latitudinē illius tepidi, non meretur illa aqua ad modū dici tepida, sed uel calida uel frigida, sic est de latitudine cōplexionis humanæ, quando superuenit homini aliquod ipsum discrasians, siue distemperans ultra latitudinē humanę naturæ, siue ad caliditatem, siue ad frigiditatē: hoc est ei uenenū, largē capiēdo uenenum. Secunda propositio respondens ad quæsitū: Lapis philosophicus habet curare tactos morbo pestilentiali si applicetur antequā sanguis patientis totus inficiatur: si uerò expectetur quousq; sanguis totus sit corruptus, minimē. Prima propositio pars apparet ex hoc: quia aurū quod est materia lapidis philosophici, si fuerit dissolutū secunda solutione philosophica, quæ fit per aquam permanentem, licet non fuerint elementa ab eo sequestrata, depurata, & reducta, omne impurum & scoriosum expellet ab eo, prout experientia docet: Quid ergo faceret, si elemēta fuerint sequestrata, depurata, reducta, refixata, incerata, & totus lapis in se multiplicatus: utiq; corpori humano applicitus in principio ægritudinis, antequā totus sanguis inficiatur, omne ab eo noxiū expelleret. Secūda pars propositionis, uidelicet, si expectaretur quousq; tota sanguinis massa corrupta esset, non proficeret, apparet: quia potētia sensitua principaliter consistit in sanguine & in spiritibus à corde causatis: sicq; sanguis totus esset corruptus, non purgaret eum lapis philosophicus: quia non est cōpositus de sanguine humano, sed de purissima auri substantia. Verū quia lapis est anaticæ (seu tēperatæ) cōplexionis, & naturæ eius sunt apertæ & abundantes in gradibus aureitatis integris laboraret expellere omnem sanguinē corruptū, & tūc maneret corpus omnino exhaustum sanguine, & per cōsequens oporteret illum hominē mori, cum non possit homo uiuere absq; sanguine. Nunc autē uidendū est, quid ueritatis contineat dictū illud Arnaldi de Villanoua: Quod lapis philosophicus declinat uenenum à corde, & dico Arnaldū uera dicere. Pro cuius intelligētia notādum est, uenenū duobus expelli modis à corde: uno modo per uia tractus, & sic Theriaca magna, cuius basis sunt carnes Theriorū, trahit ad se uenenū: quia simile naturaliter applaudet suo simili: alio modo per uia pulsus, & ita lapis philosophicus, qui est anaticæ cōplexionis similis in qualitatibus primis humanæ cōplexioni expellet uenenū à corde, eo quòd ipsum uenenū nō est sub latitudine anaticę cōplexionis, sed longē ab ea distās. Lapis enim philosophicus, nihil aliud est, quā aurum in gradibus suis multiplicatū, stante proportionē quę fuit in auro primo, ut scilicet quod fuit unius integri gradus aureitatis, iam est centū & mille graduū. Si igitur aurū unius gradus integri solutū philosophicē expellit omne superfluū sibi obnoxii, sicut docet experientia utiq; aurū centū uel mille graduū integrorum, quod est lapis philosophicus, ubi omnes naturæ sunt apertæ & abundantes propterq; ad cōmunicandum alijs metallis anaticitatē suā, & ad transmūtandū ea subito in uerissimū aurum, expellet omne uenenū à corpore humano. Pro intelligētia uerò cuiuslibet rei sciendū est, quòd auri cōplexio & temperati ad pōdus hominis cōplexio, in nullo differunt, quoad proportionē qualitātū primarū elementorum, sed quo ad crassitiē & subtilitatē elementorū differunt permaximē. Est enim aurū de elementis primæ impositionis naturæ generatū extra nostrum intuitū specie minerali: ubi elementorū effigies primò coniunctionē suscipit, & ubi species lapidea primò se ostēdit in forma. In uisceribus enim terræ terminat primò pyramis generationis mistorū, & ex illis mistis, uidelicet ex maioribus & minoribus mineralibus, fiunt resolutiones debilioris compositionis, ex quibus herbæ generantur, plantę, & arbores, quæ sunt de secunda mistorū impositione, & quæ

& quæ herbæ, plantæ, & arbores, eo quod radices habent in terra, nutriuntur huiusmodi resolutionibus primæ impositionis, sicut foetus in utero nutritur sanguinem menstruoso per umbilicum tracto, qui umbilicus se habet proportionaliter in foetu, sicut radix in plantis & arboribus, & omnia quæ sunt de secunda impositione uegetant: illa uerò quæ sunt de prima impositione, non: sed natura illa solum cõponit. Tertia uerò impositio quæ est quadrupedum & uolucrũ nutritur impositione secunda, & quæ sunt de hac impositione uegetant & sentiunt. Quarta uerò impositio in qua est spiritus uitæ & imago Dei nutritur impositionibus, secunda & tertia, & uegetat, sentit & intelligit, & est de subtilissimis elemētis. Sed nunc oritur dubium, an aurum existens in crassitie sua insolutum, cum sit in qualitatũ primarum cõplexione omnino conforme humane complexioni, expellat uenenum, sicut facit lapis philosophicus: & dico quod nō: quia naturæ non sunt in eo apertæ, sed clausæ: & ideo non emittit uirtutem suam, sicut facit philosophicus lapis, in quo sunt naturæ apertæ ac abundantes ad cõmunicandum alteri de uirtute sua, &c. Huius rei ueritatem docet experientia rerum magistra. Videmus enim in istis florenis iandiu cursum habentibus, quod aurũ permixtum est cupro quod est scoriosum & immundum, & tamen aurum quod in illis est florenis nō depurat scoriã plumbi sibi cõmixti. Similiter (quod dolenter refero) huiusmodi florentiuncti sunt in superficie exteriori cum uiridi æris, & tamen aurũ non depurat illud nec reijcit à se: secus autem est de auro soluto, & maxime si solutũ secunda solutione quæ est philosophica. Prima enim auri solutio, quæ est incineratiua, quodammodo depurat scoriositates mercurij sibi admixtas: sed secunda solutio abijcit omne impurũ sibi admixtum: tertia uerò solutio quæ est iunctura, longè adhuc melius purgat quàm solutio secunda. Et de hac tertia solutione loquutus est Arnaldus de Villanoua quum dicit: Quod lapis philosophicus omnẽ a corpore expellit ægritudinem. Nunc autem restat soluere argumentũ in quæstionis principio factum, uidelicet, Si lapis philosophicus haberet uirtutem curandi morbum per silentialem, utiq; reges & principes & prælati abundantes diuitijs, & qui habent penes se medicos & philosophos naturales, facerent fieri hunc lapidem, & uterentur eo pro se & amicis suis: Dico quod licet reges & prælati habeant penes se medicos & doctos philosophos naturales, paucissimi tamen illorum sunt qui sapiant in hac re: & si qui sapiunt, uitant expensas & labores necessarios pro huiusmodi readipiscenda: uitant etiam temporum protractionẽ. Sunt enim multi laborantes pro habenda hac scientia, & putant eam perficere à principio ad finem usq; in duobus uel tribus annis. Et ego dico, quod in tribus uel quatuor annis, uix aliquis, nisi summè doctus, attinget aquam permanẽtem, quæ est initium lapidis: cum ergo credunt se habere lapidem perfectũ, uix sunt in principio. Vidi enim unum senem Anglicum qui per annos forsan quadraginta, uel amplius laborauerat pro lapide acquirendo, qui nunquam tamen peruenit ad aquam permanentem. audiui enim ab eius ore in fine dierum suorũ hoc uerbum: Nullum aurum, quantuncunq; credatur, esse solutum, sed solummodo incineratũ. Dicebat quippe quod omne aurum quantumlibet solutũ, ipse uellet iterũ facere confluui in uerum aurum, & quia aurũ non est (ut ipse dicebat) solubile, nō potest ab eo extrahi lapis philosophicus. & ideo dixit lapidẽ philosophicũ extrahendum fore à metallis impuris & solubilibus, uidelicet, ex cupro uel stãno. Verũ scio quod indoctè loquebatur, licet tamẽ multi adhuc sint hoc idem putantes, qui in stercoribus laborantes, stercora inueniunt in fine. Nunc autem restat uidere, quid ueritatis cõtineat illud uerbum Arnol̃di Villanouani, cum dicit: Lapis philosophicus facit de sene iuuenem, & omnẽ corporis expellit egritudinẽ: & respondeo, uerbum hoc duo habere membra: primum membrum est, de sene facit iuuenem, & quantum ad illam partem, oratio uidetur esse de sermonis uirtute falsa. Impossibile est enim aliquem senem fieri iuuenem, nihil enim meretur

proprie dici senex uel iuvene, nisi uegetabile. & omne uegetabile habet triplicem naturæ ordinem, augmentum, statum, & declinationem. In augmento meretur dici iuvene, in statu meretur dici perfectum, in declinatione senex. In iuuentute est multum de humido radicali, in statu minus, in senio minimum, & illud minimum haud potest in se reuiuiscere ac fieri multum. Sed potest solummodo uirtutem suam fundere in sibi quasi omnino simile. & hoc potissimè percipitur in homine cum nutrimentum sit adeò transmutatum, ut omnino propinquum sit carni, hoc est, quando ipsum transmutatum est in cambium, quod immediate in carnem transmutatur uel in semen masculinū. si in semen, tunc eo in matricem, ut cōuenit, effuso fit embryo: & ex embryone nouus homo, qui & nutritur uegetabiliter, & fit iuuenis: postea fit adultus, id est uir, deinde fit & senex. Mens autem Arnaldi de Villanoua fuit talis: De sene lapis philosophicus facit iuuenem, id est, abiecto omni scoriofo & impuro, ipse lapis reuocat in puris potentiam ad actum, & emendat humanæ complexionis lapsum, reducendo ipsum uersus temperamentum naturæ suæ. & sic septuagenarius luxuriat, sibiq; uisum est se esse in dispositione omnia faciendi quæ fecit dum esset annorū quinquaginta, uel forsan quadraginta. Quantū uerò ad secundam partem, uidelicet quòd lapis philosophicus omnem expellit ægritudinem: dico hoc esse uerum, nisi forsan chronicis hæreditarijs, cuiusmodi est articularis morbus, à paterno semine relictus, lepra, & huiusmodi passionis, quæ conceptionis tempore in parentum seminibus remanserunt: Nam talium infirmitatum radix difficulter aut forsan nullo modo extirpabilis est. Verum in alijs morbis chronicis uel acutis, quæ ex malo regimine superuenerunt, uel ex cōplexionis lapsu ad unam uel ad aliam differentiam, ipse lapis ratione anacitatis & puritatis suæ nihil permittit scoriositatis & immunditiæ latere iuxta se, quin eorum eiciat & expellat, & in puris actum prouocat suspensum, adeò quòd si lapis philosophicus esset res uegetabilis, transmutaretur utiq; in substantiam humani corporis, & sic homo tali cibo nutritus fieret perpetuus: sicut uidemus quòd corpora metallica ægra & corruptibilia depuratur per lapidem, & transmutantur in uerum aurum quod est incorruptile. Nunc autem, quia lapis philosophicus est de prima impositione mistorum, non potest fieri cibus uegetabilium & sensitiuorū, nisi moriatur ex toto, id est, nisi elementa in eo resoluantur simpliciter, sicut uidemus in hominum cadaueribus elementa simpliciter resolui. Sed tunc diceret forsan aliquis: Amice, nonne in lapidis confectione oportet elementa diuidi, ignem, aërem, aquam & terram, & unumquodq; à scoria sua depurari: quòd si aliquod elementorum maneat in alio elemento, labor erit cassus, prout distinet ponit Rasis in Lumine luminum: resoluta autem ipso lapide sic per elementa, ipse potest utiq; fieri nutrimentum uegetabilibus & sensitiuis. Responsio. Nūquam potest lapis philosophicus sic diuidi per elementa, quin in unoquoq; elementorum maneat cætera elementa: hoc est dicere, in igne maneat aër, aqua & terra, in aëre, aqua terra & ignis, in aqua, terra ignis & aër, in terra, ignis aër & aqua. Quòd si unum illorum elementorum ex toto corrumperetur, nunquam posset lapis reduci, sed omnia manerent inutilia, cassa & uana. Sed forsan dices tu: Quomodo potest hoc fieri, cum immediate dixeris, si quid unius elementum maneat in alio elemento, labor erit cassus: & nunc tudicis in unoquoq; quatuor elementorum manere omnia elementa? Responsio: Elementorū duo sunt aquatica, & duo lapidea: aquatica sunt aqua & aër: lapidea sunt terra & ignis. aquatica depuratur sublimationibus: lapidea uerò calcinationibus. quòd si lapideorū elementorū aliquod remāsit in elementis aquaticis, aut aquaticorū in lapideis, labor erit cassus. Et ratio est, quia lapidea elementa nō possunt mundari nisi per calcinationem, prout metra dicunt: *Est impossibile sulfur sine flamma delere, Calcis adustibile quod præstat fossa minere.* Aquatica uerò mūdantur sublimationibus, prout

prout metrū canit : siuis mundare limphas, surgendo lauabis. Et ideo philo-
phi benedicūt: si quid unius elementī, hoc est, lapidel, maneat in alio elemento
aquatico, uel econtrā, labor erit cassus, quia nec unum nec aliud elementorum
purgari poterit prout decet, & natura requirit. Aliud autē occurrit dubium, cum
prius dictum sit, quod auri complexio & hominis tēperati ad pondus cōplexio
in nullo differant quoad proportionem qualitatum primarum elementorū: cer-
tum quippe est & nulli cedit in dubium, quā aurum sit temperate complexionis
cum sit res homogenia, & in eo sint duplex calidum, ignis scilicet & aēr: du-
plex frigidum, aqua scilicet ac terrā: duplex humidum, aēris & aqua: duplex
siccum, terrā & ignis. Sed in nullo homine uidetur esse sic, eo quod homo ha-
beat corpus heterogenium, cor scilicet calidum & siccum, cerebrum frigidum
& humidum, quā sunt contraria, hepar calidum & humidum, & stomachum
frigidum & siccum, quā iterum sunt contraria. & ista quatuor sic repugnantia,
sunt principalia membra humani corporis, nihil autem aliud est totum, quā
suae partes integrales. Responso, in nullo differunt complexio auri & homi-
nis temperati ad pondus quoad proportionem qualitatum primarum elemen-
torum, prout superius positum est. Et tunc ad argumentum. Licet aurum dici
possit temperate complexionis, ex eo quod in ipso est duplex calidum, duplex
frigidum, duplex humidum, & duplex siccum, non uidetur sic esse de homi-
ne, cuius corpus est heterogenium, & cuius partes integrales principales inui-
cem contrariantur, sicut cor cerebro, & hepar stomacho. Dico quod licet cor di-
catur contrariari in qualitibus primis cerebro, & hepar stomacho, non est ta-
men sic in re: omnia enim membra hominis quantuncūq; dicātur sibi inuicem
contraria, nutriuntur à sanguine in quo est anaticitas (id est æqualitas uel pro-
portio) elementorum, uel quasi. & omnia eius membra simul capta constituunt
hominem complexione anaticum, uel quasi. & sic est etiam de auro, dum ex ipso
conficitur lapis philosophicus. soluto nempe auro diuiduntur ab eo quatuor
elementa, ignis, aēr, aqua, terra, non autem simpliciter, sed secundum quid. Vbi-
cūq; enim est ignis ab alijs elementis diuisus, in illo igne sunt aēr, aqua, & ter-
ra, ut superius dictum est, uerū ignis prædominatur, & ita de aēre, aqua, &
terra censendum est. Sic etiam est imaginandum de membris principalibus ho-
minis: licet enim in corde prædominetur ignis, tamen in ipso corde sunt in actu
omnia alia tria elementa, & ita de cerebro, licet in eo prædominetur aqua, ta-
men ibi sunt aēr, ignis, & terra in actu, & sic consequenter de hepate & stoma-
cho dicendum est.

VETVS EPISTOLA DOCTISS. DE METAL- lorum materia, & artis imitatione.

EGo tibi aperire conabor optatum, quod ad ueterum uisum est mentem ac-
cessisse: nam uulgares (& merito) illud Aristotelis in libro Meteor. de sul-
fure & mercurio, quod sunt omnium materia metallorum, non plenē intelligen-
tes, in sua opinione mentiti sunt. Non enim credas ex solo sulfure metallum pos-
se generari: quia putant compositionem hanc ex sulfure & mercurio, tanquā ex
duobus diuersis componi, ex uno tanquam ex materia, ex alio tanquam ex for-
ma, quod non est sic: nec tu nec alij sic intelligentes, intellexerūt Philosophum
ibi enim expressē innuit, hanc ambo locum obtinere materię: quia non est intel-
ligendum quod mercurius & sulfur specificē distent à se primitiuis & specificis
distantijs: nam sulfur in compositione prius est simplex sulfur, & hanc est prima
materia: postea uerò putrefactum, conuertitur in aērem attritum ex materia co-
tiditatis, uel loci, uel influentię: & hanc conuersionem appellauit Philosophus
mercurium, qui est dispositus ad omnem speciem assumendam, cui iungitur, &

hæc proprietas dignoscitur ab illo sydere & planeta qui talis est proprietatis: ita quod denominatio hæc potest esse similitudinaria, & effectiua: quia à similitudine assimilationis proprietatum, uel effectiua ab effectu ipsius, ut puta præfaturæ influentiz. Qui quidem mercurius secundum maiorem uel minorem decorationem à caliditate materiz, uel loci, uel influentiz, uel ex spissitudine, uel raritate materiz, uel grossitie, uel mundicie, generatur & conuertitur in diuersas metallorum species. Et quod hoc sit uerum naturaliter, probatur: ut puta quod mercurius per se non intret specificè distincta à fulfure compositione. Nam uidemus in mineris apparere sulfur, non autem mercurium: qui quidem mercurius habet distinctas per se mineras ab aliorum mineris metallorum, quod accidit ex loci leprositare, ut puta superflua caliditate & humiditate: quæ quidem caliditas & humiditas non constringit materiam sulfuris in mercuriū alterari, sed constrictionem impedit. de qua quidem compositione superius est artificialis processus, sicut est naturalis. Operationes Alchimiz sine uirtutis mineralis auxilio perfici non possunt. quoniam enim generans metalla est uirtus mineralis, sed ut patet per primam eius parabolam, quod intendentes imitari naturam in faciendis metallis, necessarium habent operari per uirtutem mineralem habentem formam cælestis agentis, sine qua, materialia principia non acquirunt formam. non enim exit forma metalli à principiis materialibus, quæ sunt sulfur & argentum uiuum, sine educatione uirtutis mineralis in actum formæ, & propter hoc ars quantuncumq; disponens & depurans materiam, nunquam inducet uerā formam sine uirtute minerali, quæ sicut in aquis per loca mineralia fluentibus defertur, & in arenis ex uaporibus proportionatis, metalla generat, ut patet per secundam huius, sic magis inest toti generato per ipsam, & per unumquodq; ipsorum, ut ex materia disposita fieri possit ipsorum generatio, si materiz mundæ susceptibili, quæ menstruum est metallorum paterno commistum semine, artis beneficio infundatur, tunc enim simile generabit sibi simile secundū speciem & formam, & extra hoc, est error artis: nisi forte medela fiat debilitatibus metallorum per alia. non tamen sit essentialis in metallis transmutatio, nisi reducantur ad materiam primam, & hæc cōmisceantur secundum formam quæ sitam. intelligentibus, dicta sufficiant.

Ad pleniorum operum naturæ ac artis intelligentiam clarius & amplioribus rationibus capescendam, consulo, amice lector, ut uideas librum x. Cardani de Varietate rerum cap. 1. & 2. quæ huc non attuli, cum quod quæq; apud fontem suum uidere expediat, tum quia quæ hîc posita sunt ex se etiam sufficiant, & perfecta sint.

PRACTICA CARAVANTIS HISPANI.

Recipe sulfuris uini & salis nitrî ana, tere omnia seorsim, postea misce pulueres & pone in bociâ uitrea bene lutata, & ad ignem lentum appone per horas duas, postea ignem auge, donec fumus cesset: post fumum ueniet flamma extra collum bociz & ascēdet per ulnas seu brachia duo uel tria, & cessata flamma remanebit sulfur in fundo quasi albus & fixus: tunc extrahe, ac recipe dictum sulfur fixum, & tantundem salis armoniaci, & tere omnia & bene in puluerem redige ac cōmisce, deinde omnia pone ad sublimandum dando primitus ignem lentum, deinde fortiolem, donec ascendat per horas quatuor: sublimatū extrahe, & omnia, nempe tam sublimatum quàm fæces simul incorpora, & iterum sublima ut primò, usq; ad sex uices, & sulfur remanebit in fundo uasis, quod accipe & tere ac super marmor aut uitrum in loco humido pone, & conuertetur in oleum: de quo pone duas uel tres guttas super uno ducato in crucibulo liquefacto, & fiet oleum, quod pone super marmor, & congelabitur: de quo pone partem unam supra quinquaginta mercurij purgati, & fiet sol optimus.

LAPIDIS PHILOSOPHICI NOMENCLATURA

a Gulielmo Gratarolo collecta.

Arum, Sol, æs Philosophorum, corpus magnesiæ, corpus syncerum, mūdum, fermentum, Elixir, masculus, argentum viuum fixum, sulfur incombustibile, sulfur rubeum fixum, rubinus filius, kibric vir, vitriolum viride, almagra, laton, terra rubea & c. Aqua quæ distillatur ab eis nominatur a Philosophis cauda Draconis, anima, ventus, aer, vita, domum illuminans, lux meridiana, lac virginis, sal ammoniacus, sal anetron, ventus ventris, fumus albus, aqua sulfuris rubea, oliua, gallus, tartarum, aqua crocea, æs vstum, compositio alba, aqua foetida, mortui immunditia, sanguis, argentum viuum, cucurbita cū alembico suo, vas Philosophorum, homo altus, homo galeatus, venter hominis in medio, sed in fine pes dicitur, pes vel pedes, vel in quo, vel in quibus pedibus calcinatur terra nostra, assatur, congelatur, distillatur, & subtiliatur: vmbra Solis, corpus mortuum, corona vincens, nubes, cortices maris, magnesiā nigra, Draco qui comedit caudam suam, sæx ventris, terra inuenta in stercore, putredine, vel stercore equino vel igne leui, sulfur & Mercurius, duo numero & vnum essentia, nomen in nomine, lapis, corpus, spiritus & anima.

Vocatur terra, aer, ignis, omnia, quia in se continet quatuor elementa.

Vocatur animal, vel homo, quia habet animam, corpus & spiritum: & tamen non putauerunt Philosophi rem animatam, sed lapidem.

Vocatur aqua sulfuris, aqua mūdi, sputum Lunæ, Solis vmbra, antrum, seb, elephas, succus albus, oculi piscium, beya, sulfur viuum, aqua acuta, lac, acetū animatum, lacrima, aqua coniungens, vrina, vnguentum solutum, pater mirabilis, pater mineralium, arbor fructifera, fons viuus, seruus fugitiuus, centrum terræ, venenum, acetum acerrimum, gumma alba, aqua perennis, mulier & foemina, res villis precij, azot, menstruum, laton, ile, natura, azoc, aqua, materia prima, principium mundi.

Et nota quod arg. viu. Mercurius, azot, Luna plena, lapis noster, æs nostrū, aqua nostra, Mars, argentum, stannum, albedo, Iupiter, minium, albus, hypostasis alba, album plumbum vel rubeum, idem significant secundum diuersa tempora & gradus operationis.

Et nota quod Lauare Philosophorum, est totam animā in corpus reducere vnde non intelligas eos loqui de alba lauatione vulgari, quæ conuenit fieri cū aceto & consimilibus.

Item nota, quod quando apparet nigredo, tunc dicitur desponsatio mariti & foeminae, & esse matrimonium inter eos, & tunc acquisiuit spiritum, qui est delator virtutum animæ per corpus, & corpus recepit actionem animæ & spiritus, & fit aquila, & medium naturarum. Et nota, quod terra alba, sulfur album, fumus albus, auripigmentum, magnesiā, & echel, idem significant.

Lapis item vocatur chaos, draco, serpens, bufo, leo viridis, quinta essentia, lapis noster, Lunaria, chimolea, vilissimum, nigrum nigrius nigro, lac virginis, humidum radicale, humidum vnctuosum, liquor seminalis, sal armoniacus, sulfur nostrum, naphtha, anima, basiliscus, vipera, secundina, sanguis, sperma metallicum, capilli, rebis, vrina, aqua venenosa, aqua sapiētum, aqua mineralis, saposapientum, acetum Philosophorū, arg. viu. nostrum, primordialis materia, antimonium, menstruum foetens, plumbū Philosophorū, Sol, Mercurius, aurum nostrū, Luna, germen, numus noster, duenec, sal, alumen de Hispania, atramentū, ros celestis gratiæ, spiritus foetens, borax, Mercurius corporalis, vinū, aqua sicca, aqua metallina, ouum, senex, aqua permanens, auis Hermetis, minor mun-

Z

duſ, cambar, aqua vitæ, auripigmentum, corpus, cinaprium, & alijs ſere infinitis nominibus ad placitum.

Secretum ſecretorum, ex lapis Philoſophorum.

Si felicitari deſideras, vt benediſtionē Philoſophorū obtineas, viuſ Deus in æternū, viuſ hæc veritas tecum. Vnū eſt in mundo obiectum omniū, quod propriē dicitur Philoſophorum: in teſtudine manet, album & rubeū in ſe continet: vnum maſculus, aliud foemina nuncupatur, animale, vegetabile & minerale: nullum reperitur tale: actiuā vim habet & paſſiuam, ſubſtantiā mortuam & viuam ſecum habet, ſpiritus & animam, quā vocant ignari rem viliſſimam: quatuor continet elemēta in ſuo gremio contenta: vbi eſt, reperitur: ab omnibus cōmuniter habetur: paruo redimitur precio: libra habetur pro vno ſolido. Aſcendit per ſe, nigreſcit, deſcendit & albeſcit, creſcit & decreſcit, res eſt, quæ terra producit, & de cælo deſcendit, palleſcit & rubeſcit: naſcitur, moritur, reſurgit, poſtea in æternum viuſ: per plures vias tendit ad finē, ſed propria decoctio eſt ſupra ignē: eſt lenta, modeſta, fortis, augmētatur quovſq; ſecurus qui eſcendo rubificetur. Hic eſt iuxta votū lapis dictus Philoſophorū. Lege & perlege quæuis, & clarius nunquam inuenies: & ſi adhuc fueris ingenio tardus tunc nunquam huius artis eris gnarus. Deo laus.

Hermes inquit, Draco nō moritur niſi cum fratre & ſore ſuis, nō per vnū, ſed per ambo ſimul: hæc nota: tria capita, & vnum corpus, & vna natura, & minerales & c. intelligentibus ſatis dictum ſit.

Draco non moritur nec firmatur niſi cum Sole & Luna, & non per alios, vt dicit Hortulanus: per montes in corporibus, in plano in Mercurio, & in mari. Et iſta aqua creata ex concurſu iſtorum duorum Philoſophorum dicitur aqua permanens.

Noſtrum ſublimare, eſt corpora arcana cum aqua aurea coquere, diſſoluere & liquefacere, & ea ſic ſublimare. Et noſtrū calcinare, eſt per quatuor dies putrefacere & digerere, & non alio modo peragere: quare multi ſunt decepti in ſublimationibus.

Scias quod æs quod eſt Philoſophorum aurū, eſt aurum eorū: dixit autem Senior, Aurum noſtrum nō eſt aurum vulgi: & hoc eſt verum.

Quæſiuiſti autem de viriditate, putans quod æs eſſet corpus leproſum propter illam viriditatē quam habet. Vnde tibi dico, quod totum illud quod eſt perfectum in aere, eſt illa ſola viriditas quæ in ipſo eſt: quia illa viriditas per noſtrum magiſterium vertitur citō in aurū noſtrum: & de hoc experti ſumus. Et ſi vis probare, regulā tibi damns: Accipe ergo æs vſum, & perfecte rubificatū & tere & imbibe ipſum cū duenec ſeptē vicibus quantū bibere poterit, ſemper aſſando & reducendo, poſtea fac ipſum deſcendere: deſcendet autē purum aurum, eiꝯq; viride fiet rubeū ſicut grana clara. Et ſcias quod tāta rubedo deſcēdet cum ipſo, quod tinget argentū in aliqua quantitate veriſſimo auri colore: & totū hoc nos probauimus, quia operatur operationes magnas. Nullo tamē modo poteris lapidē præparare abſq; duenec viridi & liquido, quod videtur in mineris noſtris naſci. O benediſta viriditas quæ generas cunctas res. Vnde noſcas quod nullū vegetabile atq; fructus nullus apparet germinādo, quin ſit ibi viridis color: Similiter ſcias q̄ huius rei generatio viridis eſt: quare Philoſophi germen ipſum appellauerūt, & ſimiliter aquā eā appellauerunt ſuæ purificationis ſeu putrefactionis, & veritatē dixerūt, quia cū ſua aqua purificatur, & à ſua nigredine abluſitur, & albū reddit ipſum, poſtea rubeū. Vnde ſcias quod nulla ſit tinctura vera niſi ex ære noſtro. Coque ergo ipſum cū ſua anima, tere, coque, reitera, donec ſpiritus cōiungatur cum ſuo corpore, & vnū fiat, & habe bis intentum.

Sapientia

Sapientes autem multa nomina imposuerunt: sed tu considera illam solam re^quam argento viuo & corporibus adheret, & habebis scientiam veram. Sed ut non erres, scias quid sit adherere corporibus. Aliqui dixerunt, quod arg. viuum vulgi adheret corporibus, quod est falsum: putant enim se intelligere capitulum Geberi de argento viuo, ubi dicit, Cum in rebus ceteris exquirentes non inuenimus inuentione nostra rem aliam magis, quam argentum viuum corporum naturis amari. Hoc autem totum intelligendum est de argento viuo Philosophico: ipsum enim solum adheret in corporibus: & nullam aliam rem inuenire potuerunt Philosophi antiqui, nec moderni aliam inuenient rem quae corporibus adhereat, nisi argentum viuum Philosophicum: Quia arg. viuum vulgare non adheret in corporibus, imò corpora adherent ipsi argento viuo: & hoc est certum per experientiam: quia si coniungitur arg. viuum vulgi cum aliquo corpore, argentum viuum manet in natura propria, aut recedit, & non vertit corpus in suam naturam, & ideo non adheret corporibus: & propter hoc multi sunt decepti in operando in illo argento viuo: Quia lapis noster, scilicet argentum viuum occidentale, quod prae tulit se auro & vincit illud, & illud quod occidit viuificat. Scias quod arg. viuum coagulatum est pater mirabilium omnium huius magisterij nostri, & est spiritus & corpus: Et hoc est quod Geber dixit, Consideratio verae rei quae perficit, est consideratio electorum purae substantiae arg. viui. Sed ex quibus maxime argenti viui substantia elici possit, queri posset: Et nos respondentes dicimus, quod in his in quibus est, ex illis elici possit. Ergo fili considera & vide vnde sit illa substantia, & istam accipe & non aliam, si venire desideras ad verum intellectum. Dico tibi in charitate Christi, quod nullo modo inuenire potuerimus, nec Philosophi similiter inuenire potuerunt aliquam rem perseverantem in igne, nisi solam vinctuositatem illam perfectam, non cremabilem: & illa quando est preparata ut oportet omnia corpora quae tangit ducit ad verissimum Solare complementum, & super omnia corpora Lunam.

Nota particulariter, quod Mercurius noster sublimatus conterri debet cum sale ammoniaco preparato: quo trito, sublimari in vitris & in vase terreo: quae sublimatio tunc in aquam solvatur in spacio. 14. dierum in loco humido super lapide inclinato. Ista aqua soluit Solem vel Lunam finatam in aquam puram & claram, & vocatur aqua Mercurialis ante impositionem Solis vel Lunae. Impositis autem Sole & Luna, & intus solutis, aqua perennis dicitur & vocatur. Impone igitur limaturam Solis vel Lunae in aqua Mercurialem, & erit una aqua: qua habita, est in ovo Philosophorum coagula: quae coagulatio fit in spacio. 16. hebdomadarum: & sic erit tinctura super Mercurium crudum & vulgi tepesfactum: una pars super. 100. quo viso, regratiare Deo.

Modus tingendi sic est: Cape Mercurium vulgi & crudum, & pone in tegula & calefac: quo facto, projice unam partem dictae tincturae super 100. partes arg. viui, & erit bonum aurum vel arg. secundum quod tinctura est preparata: & in projiciendo erit stridor & clamor satis magnus, & arg. viuum diuidetur in multas partes in modum granorum lauri, in quibus cutis nigra continetur, quae est sulfur corruptum, quod deponitur immediate super testam.

Quomodo quinta Essentia extrahatur ex rebus mineralibus, & primo de auro. In Dei nomine, Amen.

REcipe auri purissimi limaturam, & ad ignem pone cum bona quantitate Mercurij, ita ut non euaporet, & moue miscendo cum Mercurio: & post modicum temporis totum Solem inuenies amalgamatum. Tunc tere cum duplo sui salis communis, & ad ignem pone ut Mercurius recedat. Vel recipe

solis laminas & fac vt dictū est: & hoc idem potest fieri de Luna terendo eius limaturam super lapidem cum Mercurio sublimato & bona quantitate vitrioli Romani, & claude cum bono luto inter duas testas bene iunctas & pone inter carbones quasi per vnum diem vel medium vel minus, & ipsum inuenies reductū in calcem: postea emunda sicut scis. Tunc recipe acetum distillatum vel vinum antiquum, quod in vase vitreo loca, & sit liquor in altitudine quatuor digitorum, & intus proijce calcem solis contritam, & pone ad fortissimum Solem, & videbis adinuicem eleuari quasi liquorem olei desuper natātem in modum pelliculæ: collige illud cum coleari vel cum penna infundēdo in cyatho vitreo in quo sit aqua: & sic pluribus vicibus in die collige, donec nihil de liquore plus ascendat. Postea ad ignem facias euaporari aquam ex cyatho, & remanebit tibi quinta essentia solis. Et multi Philosophorum vocauerunt illam quintam essentiam oleum incombustibile, quod posuerūt Philosophi pro maximo secreto. quod si hanc quintam essentiam affixeris in celo nostro, poterit sine omni falsitate perditam naturæ virtutem reparare, iuuentutem reducere, & vitam nostram prolōgare vsq; ad vltimum vitæ nobis à Deo constitutum. Et nunc tibi veraciter aperui illud quod est in re secreta & in maximis rebus quas nunc docebo reseruare. Et habet oleum istud siue quinta essentia dulcedinem maximam ad mitigandum dolores vulnerum, & ad sanandum vulnera & vlcera, & mala multa, & infirmitates multas plusquam credi potest.

Ad extrahendam quintam Essentiam ex argento, plumbo, & stanno.

Quanuis quinta essentia ex argento extrahi possit sicut ex auro, tamen aliter te docebo: Et est vt habeas acetū optimum distillatū, intra quod infunde nobilem terram calcinatam, aut salem ammoniacum in amphora vitrea, quam in instanti claudas, quia virtus exhalaret ex arg. immisso infra amphoram istam, induc eum in calcem quam supra te facere docui si audisti, quæ sigilla cum luto sapientiæ: & in fimo calido pone octo vel decem diebus vt putrefiat: postea pone in distillatorio & ascendet acetum primò, deinde, quod mirabile est, ascendet quinta essentia argenti in modum arg. viui: quod talis & tantæ virtutis existit in operibus, vt nemini liceat reuelare.

Ad extrahendam quintam Essentiam ex antimonio.

Deus cæli ipse testis est quod nunc tantum secretum reuelabo, quod reuelatū expressè nunquam fuit vel patefactum: Et hoc est arcanum secretorum omnium extrahere Quintam essentiam ab antimonio. Cum hoc facere volueris, antimonium pulueriza vt sit sine tactu: Tunc tollatur acetum nobilissimum, in quo pone puluerem antimonij donec coloretur in rubeum: quo facto auferatur acetum, & nouum acetum superponatur: Et sic fac donec acetum non coloretur amplius. Tunc coletur acetum, colatum pone in distillatorio in balneo, & ascendet acetum primò, deinde videbis miraculum stupendum, quoniam per rostrum alembici videbis quasi mille venulas liquorum benedictæ minerę per guttas rubeas, sicut esset sanguis: quem benedictum liquorem recollige ad partem in amphora vitrea. Aristot. dicit quod illud est plumbum suum in libro de Secretis secretorum, licet non nominet naturam eius: reuolue libros secretorum omnium Philosophorum, & quæras plumbum Philosophorum, nec inuenies quid illud sit, nec artem veram vt quam præter arg. viuum possit minera aliqua in colore rubeo sublimari. Sed hoc ad rem medicam potius spectat, & à Ioanne de Rupescissa ponitur.

F I N I S.

IOANNIS AVRELII AVGVRELLI CHRY-

SOPOEIA AD LEONEM X. PONTIFICEM MAXIMUM.



Vriferam parvis animi pro viri-
bus artem
Quæsitam nobis, & longo tem-
pore partam,
Vt rerum inuolucris tantarum
euoluere moles

Se potuit, claro perhibentes carmine nuper
Lusimus, & Musis hæc cōmendauimus almis
Quod nulli ex omni numero fecere priores.
Cumq; operi autorē, cuius sub nomine tutū
Pergeret, optarem, foret & res præside digna
Ipsa ex se magno, variaq; hinc mente tenerer,
Cui meritō cūcta hæc, & non ingrata dicarē,
Interea nobis tute uelut æthere ab alto
Missus ades mundi fessis succurrere rebus,
Qui belli scelerumq; faces, incendia tanta
Extinguas, placidamq; pijs sperare quietem
Des populis, solidamq; per aurea secula pacē.
Quiue etiam, si parua licet cōponere magnis,
Ad sanctos hæc nostra pedes ars aurea tēdat.
Vt quo te fidei sacræ nunc cœtus honore
Prosequitur cunctus, hoc te ueneretur, & omni
Ipsa tuum pro me cultu sic numen adoret.
Hanc igitur, si non immensa negocia prorsus
Impediunt, permitte, precor, se prodere tātū,
Quo tibi, detractō ueluti uelamine uirgo
Nobilis ingenuo vultum perfusa rubore,
Occultum incipiat semel ostentare decorem.
Hæc etenim prima quanquam se frōte legēti
Non adeo ostendat, paulū tamen ipsa reclusis
Detecta arcanis, mira & gratissima pandit.
Quam si forte legens interdū nomina diuūm
Offendes, quos uana olim coluisse uetustas
Dicitur, extemplo haud renuas, sacra optima
Exerces, uerāq; fidē, cultūq; tuēris. (quanq;
Illa etenim tanquā priscis consueta vocari
Vatibus, enixē quos tunc imitabar, adiui
Supplex, & paribus curis in vota uocaui.
Materies etiam solitum conquirere Solis
Et Lunæ auxilium, necnon Vulcania uelle
Arma uidebatur, quorum implorare fauorem
Fas erat, & mihi iam per te licuisse, sit id nunc
Concessum, & uenia dignum peccasse fatenti.
Mox tñ hinc aliud quælitū ad carmina numē,
Et precibus solum cunctis quandoq; uocatū
Fortē aderit, præsens fuerit si gratia cælo
Tāta mihi, magnū multo seu carmine Mosen,
Seu quē flagranti uocetū super æthera curru
Mirati uidere patres, oculisq; sequuti
Aëra per purum, cæli discindier oras,
Astrorumq; globos intro aspexere micantis,
Seu qui voce palām porrectoq; indice prodit
Venisse auxilio iam tuum mortalibus agnum
Ipse canā, Vatem quamprimū matris in aluo
Exultantē, & adhuc puerū ad deserta ferētē
Antra pedes, pari mox & Iordanis ad undam

Dignatum caput illius contingere lympha,
Qui proprio antiquā nobis sic sanguine labē
Abluit, ut scelerū maculas absterferit omnis.
Nomine cuius itē tibi quodā & morib. aucto
Defuit haud unquam fauor, ac cœlestis abūdē
Gratia, qua tantū meritis conscendere culmē
Posses, & iustas mundi regere vnus habenās,
Magnānimos æquās propria virtute Leones,
Pontificum decus egregiū iam sæpe repertos
Esse, nec Italię sub iniquo tempore, & usquā
Christicolis villo prorsū in discrimine deesse.
Hæc sed erunt mihi cū dicendi facta potestas
Iam fuerit, dabiturq; loqui, quæ iusseris ipse
Sanctē pater, cuius nobis stant omnia nutu.
Interea certis hominum vis vlla ne possit
Indicijs aurum facere, & mutare metalla
Percipias primū. dehinc quæ secreta laboret
Ars id perficere, & naturam æquare potenti
Ingenio, inspicias. Demum quis rite sequatur
Hinc modus assiduis doctisq; laboribus artē
Peruideas, & quo tandem experientia ducat.
Omnia quæ gnaro passim tibi certa patebunt,
Si quo hæc iter se nexu, quōue ordine cōstāt:
Ipse acie, qua cuncta soles discernere, mentis
Inspectans, paruum nō dedignabere munus,
Quod tibi nō parua offerri super arte laboro.

IOANNIS AVRELII

AVGVRELLI CHRYSOPOEIAE

LIBER PRIMVS.



Vmāna experiens naturæq; æ-
mula virtus
Aurum num uerē faceret, quæ
fideret arte,
Quisue modus foret, est ani-
mus quærentibus ultro

Dicere, quāq; palām uestigia nulla priorum
Apparēt, proferre pedē. uos numina gressum
Dirigite, est hominum quib. experiētia curæ.
Tuq; adeo in primis, auro cui plurima tellus
Spargitur, & uasto uenas sub corpore cōdit
Siderei succo plenas meliore metalli,
Phœbe ades. & tecū accelerās nō passib. equis
Alma soror, grauis argento cui sæpe fatiscit
Orbis item, summaq; ostentat brachia terra
Candoris grato ætherei fucata colore.
Tu quoq; nec cœptis Cylleni audacib. usquā
Defueris, tibi nam puro de fonte perennis
Riuulus argentum, uulgo quod uiuere dicūt,
Sufficit, & tantis præstat primordia rebus.
Deniq; tu pater ignipotēs, quē feruida flāmīs
Antra iuuant, tentisq; expressæ folliib. auræ

Z 3

Fornacesq; incudesq; & liquefacta caminis
 Massa æris ducti auriq; electriq; recocti
 Inuictum exercent semper, tu maxime præsis
 Artifici Vatiq; simul tua facta canenti.
 Nil sine te solers ars incohat, eia age sanctum
 Coniugis ut tecum pergat descendere nume
 Effice, quâ penes est generadi plena potestas.
 Hæc mihi ne cursu naturæ auertat, & usquam
 Declinê, ostêdet quot cõstent cuncta, qbusq;
 Principijs, quæue hinc ineûda est semita, qtus
 Sit modus, ut certâ capiant humorq; calorq;
 Temperiem, cuius suauis perfusa uigore
 Omnia, perpetuo fœtus in secla propagant.
 Tu molli è gremio surgens uxoris amata
 Arte pari prorsus genitalem imitaberis igne.
 Per te sublimi pendent in uase metalla,
 Per te eadem triti specie sub pulueris imo
 Fundo hæret, eadê per te calefacta liquecunt.
 Tu mihi, tu lentum solus pater alme calorem
 Intendes, & cum tempus dabit, ipse remittes.
 Tu princeps operis tanti, tu carminis esto
 Principium, feruens dulcis mihi spiritus oris
 Extet, catq; uirum per te Vulcane per ora.
 Nec tu non faueas tantis æquissima uotis
 Prisci perpetuum seclî decus Heroine, (phæ
 Quâ circû exultant laudata ad flumina Nym-
 Minciades, Phœbiq; chorus comitatur eutê,
 Aut fouet Andino recubâtê in gramine Mâtò
 Læta trium nodo neptem complexa sororû,
 Sic mihi iâ gradib. crescent incepta secundis
 Nec rerum series illis, aut copia deerit,
 Et sua scribendis accedet gratia rebus.
 Immenso primum cæli quodcunq; sub orbe:
 Seu simplex fertur corpus, seu corpore cõstat
 Multiplici, tendit sobolem proferre, diuq;
 Quaq; potest, augere genus, speciemq; tueri.
 Nanq; ubi materîe sparsus cõprehêderit ignis
 Victor agit flammis, donec cõuertat in igne.
 Inficit humectatq; liquor, nec deficit usquam,
 Quin in se quicquid tetigit, ni maior ibidem
 Vis obster, uertat, tenuesq; effûdat in undas.
 Sic aër, sic terra sibi conferre laborat
 Vndiq; sic longo cûcta in se tẽpore transfert.
 At quæ compositis cõstat, quæcunq; feruntur
 Viuere, de proprijs uel semina stirpib. edunt,
 Vt fœcunda Ceres, ut germen fertile Bacchi,
 Vel sibi consimiles natos animantia gignunt,
 Vt bellator equus, bos vt bene rûctus aratro,
 Vtq; hominû proles mira & cælestis origo.
 Hæc inter uariant, quæ nec primordia rerum
 Extant, quæq; frui uitali sorte negantur,
 Vt media quæcunq; sedent tellure metalla,
 Quiq; latent miro grati fulgore lapilli,
 Nullo nãq; genus sobolemue augere putatur
 Semine, sed cunctos æui torpere per annos.
 Verum hæc ipsa etiam secreto uiuere quiuis
 Sentiat, & uitæ diuino munere fungi,
 Hæc & oriri eadem si contemplabitur, & si
 Augeri ex sese penitusq; increfcere cernet,
 Vt mox è uarijs patefactis nosse licebit.

Quòd si nò sobolê educunt, nò cætera uertut
 In semet, causa est, quòd multa spiritus illic
 Materie abstrusus, uitam qui porrigit omnê,
 Explicat ægrè ex se uires, ni uiuida promat
 Has hominum uirtus densa sub mole latetis.
 Hoc etenim quicquid diffunditur undiq; cæli
 Aëraq; & terras & lati marmoris æquor
 Intus agi referunt anima, qua uiuere mundi
 Cûcta putât, ipsumq; hac mûdû ducere uitâ.
 Ast animæ quoniâ nil nò est corporis expers,
 Mûdus at, & mûdi partes quoq; corpe cõstât,
 Spiritus hæc inter medius sit, quæ neq; corp⁹,
 Aut animam dicas, sed eum, qui solus utroq;
 Participas in idê simul hæc extrema reducat.
 Hic igitur maria, ac terras, atq; aëra, & ignem
 Viuereq; augeriq; atq; in se cuncta referre
 Semper auet, semper stirpes, animâtia semper
 Gignere, perpetuamq; sequi per secula prolê.
 Deniq; sic etiam fuluo detentus in auro
 Ipse manû cupit artificis, qui uincula soluat,
 Et qui se propria reddat uirtute potentem.
 Quòd si quis properans hûc artis uirib. unquâ
 Explicet, atq; diu tepido post incoquat igni,
 Continuo aspicias, uisum mirabile, uitam
 Auro impertiri longo cum seminis usu,
 Nec deerit, quin ex auro sibi procreet aurum.
 Quod cû ita cõstiterit, durate & credite dictis
 Intenti artifices, & res sperate secundas.
 Iam patet his, ut nò tantû sub montib. aurum
 Natura efficiat, sed ut id quoq; prodeat arte
 Quoq; modo id fieri possit, quâdoq; docebo.
 Interea, ne quid nobis quærentibus obster,
 Quo minus his adhibere fidê sit forte necesse,
 Quæ contra soleant dici, nunc omnia soluâ.
 Mox eadem ualidis grata experientia signis
 Impetet, & grauium sententia prisca uirorum
 Delebit, referens quæ iam uidere parentes
 Ipsi oculis, manibusq; simul tetigere beati.
 Atq; hinc incipiês cûcta hæc ex ordine pãdâ.
 Nil mirandû æquè, q si quod longa peregit
 Annorum series genitâli semine cõceptum,
 Audeat illud idem momento protinus horâ
 Ars facere, ac proprio naturam uincere cursu,
 Quem tenuit tanto in spatio per grãdia terræ
 Viscera, summa eadem seruâs uestigia ab ima
 Sede, per anfractus tantos, ac cæca per antra.
 Nec minus his mirum si quis primordia possit
 Scire, quib. constet puri genus omne metalli.
 Atq; ea componens, aurum dum cõficit arte,
 Mensura exæquet, necnon & pondere libret,
 Metitur quibus hæc natura, & pöderat unis.
 Quid loc⁹? an quisquâ poterit fornace calorê
 Aequare? exiguis qui circûducta caminis
 Nunc loca terrarum perfertur, nunc petit altâ
 Tellurem, mox & supraq; infraq; refertur
 Vnus, & inserto distendis cuncta tepore.
 Quis potis est unquâ tâta omniparêtis apiscî
 Munera naturæ? quæ uis mortalibus unquâ
 Tanta fuit? non ipsi etiam, qui numina cælo
 Deijcere in terras conati, uellere ab imis

Iam

Iam portare suis montes radicibus altos,
 Inuitæ auderent sacra in penetralia terræ
 Tendere, scrutariq; piæ secreta parentis.
 Adde, quod in varias mutari corpora formas
 Natura haud patitur: neq; n. velocis equi bos
 Induerit speciem piger, aut Parnassia laurus
 In se Chaoniam poterit conuertere quercum.
 Nec magis æs puro se commutauerit auro,
 Quàm si quodq; etiâ queat à quocūq; creari.
 Hæc sunt quæ cælo missam diuinitus artem
 Conâtur frustra indicij tenuare pusillis. (crû.
 At neq; scire opus est (quâq; hæc sit noscere pul
 Quæ quib. extiterint gignedis vltima rebus
 Principia, aut quali fuerint ea lance recepta
 In numerû & pòdus: neq; enī si farrea tractes
 Semina, constituant quæ far primordia græs,
 Quæ ue ea cōueniant mēsuræ & pòdere farri.
 Farra sed ipsa putri mandabis cōdita terræ, &
 Virtutem latitantem intus seseq; mouentem
 Irritans tantum, naturæ cætera linques.
 Nec lōginqua adeò spatiosi temporis ætas
 Cōuenit huic operi, uires qđ promit ab auro,
 Ac non principijs è primis conficit aurum.
 Quid si nobilius quoddā, qđ præstet & ipsi
 Auro, contendant proprio molimine summi
 Perficere artifices: aptè cui nomen Elixir
 Experti fecere Arabes, ueriq; dedere
 Indiciū: id quoniā in meli⁹ quodcūq; metallū
 Ducit, & infectum mira depurat ab arte.
 Sic neq; spectandus nobis locus ille, calorq;
 Quo calet inclusum semen genitale metalli,
 Quiq; diu fertur specubus tellure sub alta,
 Alit alio prorsum ducendi tramite gressus
 Naturæ pariter secessus inter & artis,
 Qua simul ad metā prospectans vtraq; ducit.
 Deniq; nec speciem verti tunc arte putaris,
 Aere, vel argento duci si videris aurum,
 Sed priuū hoc priuo fieri ex ære atq; argento
 Aurum credideris, veluti si farris in agro
 Infelix loliū & steriles nascantur auenæ.
 Aut si fortè boum videas per viscera toto
 Stridere apes vtero & ruptis efferuere costis.
 Aut vt plura sinu molli simul oua puellæ
 Ritè fouent, mult⁹ tenero sub pectore bōbyx
 Palpirat, & lecta nutritus fronde virentis
 Dehinc mori, tenuis texto se velleris orbe
 Implicat, ac tandem pedibus munitus & alis
 Papilio de verme pedes volitansq; recedit.
 Quid si cuncta etiam sint vni subdita formæ,
 Quæ specie vulgò perhibent differre metalla?
 E quibus extiterit quodcūq; impurius, atq;
 Sordibus infectū terrestribus, exuet omnem
 Arte luem citius, purumq; nitescet in aurum.
 Atq; ideo haud scire opus est, qđ. abdita terris,
 Et quibus è causis sunt, & quot sorte metalla,
 Qua variè primo fuerint distincta sub ortu.
 Sed quis in arcanos terræ descendat hiatus?
 Quisue referre pedē possit loca tetra remen-
 Veridicoue queat fari quæ viderit ore? (sus
 Vos Musæ, quas nosse decēs & dicere par est

Omnia, vos diuæ nulli memorata priorum
 Dicite, sic vobis ipse aurea vasa sacerdos
 Prima feram, æternū sic aurea carmina durēt.
 Lynceus, vt fama est, visu prælatus acuto
 Omnibus, è summo Siculi qui culmine mōtis
 Pœnorū in portus oculo contendere posset,
 Et numerare etiam versantis littore puppes.
 Hic simul oppositas moles, simul edita saxa
 Inserta montes acie penetrabat ad imos,
 Altaq; secretæ spectabat viscera terræ,
 Aëra per purum veluti, vitreæque per vndas
 Aut liquida quondā crytallo missa videmus
 Spectra, quibus rerū nobis respondet imago.
 O quoties patrij residens sub rupe Pachyni
 Trinacriamq; omnē suprā specularus & infrā
 Aetnei causas ignis motusq; videbat.
 Qui simulac tanta vi se procul omnia sensit
 Cernere, non vltrā cunctandi certus, & altè
 Prouidus, externas animū conuertit ad oras.
 Ergo ratem certa plenus spe magna videndi
 Conscendit, pelagiq; deos in vota salutat.
 Sicanio verū portu vix soluerat, ecce
 Cum fera tempestas cæliq; marisq; legentem
 Graiorum ob portus, Epyri vertit ad vrbes.
 Hanc Arethusa illi Nymphas hortata marinas
 Immisit, Nymphisq; etiam adnitentibus ipsis
 Et totum ex imo palsim miscentibus æquor,
 Nanq; illas metus in thalamis ne fortè videri
 Aequoreis possent inuaserat æquus, & omnis
 Tum chorus obscura septum caligine cælum
 Texerat, ac noctem nautis obduxerat atram.
 Hinc ille aerij properans it proxima Pindi
 Culmina spectatū, nec longū tēpus, & omnis
 Interi⁹ Rhodopes, Hemi, Tōmariq; cauernas
 Fontibus irrigui centū procul inde videbat,
 Oraq; cernebat terræ penetralia centum.
 Quin Pindo exoriēs aderat Achelous ab ipsis
 Sedib. ante oculos & ab imo viscere lynceo,
 Altera qui longo retinet taurina recessu
 Cornua, seq; altè exporgēs immēsa per antra
 Occulit Herculeæ metuentem verbera clauē.
 Ille etiam lento præcella Ceraunia passus
 Circuit, & visu simul interiora petiuit
 Omnia, mox Graiæ varijs in montibus ora
 Consedit, penitusq; cauis rimatus inhæsit
 Obtutu specubus, mirādaq; plurima primus
 Vidit, & hæc eadē nobis memoranda reliquit:
 Quæ dum alijs ad nos olim delata vicissim
 Prodimus, ante oēs hæc intrò prorsus ab illis
 Spectari cupimus, quib. alto in pectore Pallas
 Insidet, atq; illic scitu pulcherrima versat.
 Principiò locus & sedes decreta metallis
 Gignedis, terræ est inū atq; immobile viscus
 Marmoreæ in morē pateræ sub montib. altis
 Excisum, velutiq; cauo sub fornice clausum,
 Quo Solis radij penetrant, crebriq; feruntur
 Siderei innumeris etiam fulgoribus ignes,
 Collectumq; coquunt humorē, ac iugib. inde
 Saxa per & rimas loca cuncta vaporib. explēt.
 At vbi continuum passus vapor ille calorem

Confedit, nec iam secreta per antra volutus
 Amplius, imensos post tandē induruit annos;
 Hæret in expletis venis informe metallum.
 Nāq; liquor partes terræ dispersus in omnis,
 Et tenuis mixtus tenui, lentoq; calore
 Cōpositus, quondā fugiēs & pinguis & unctus
 Exijt ē vasti fundo crateris ab imo,
 Sulphura ubi argēto feruēt immista perenni,
 Argento fluere insigni, uitamq; per æuum
 Ducere, queis primis gignūtur multa duobus.
 Hoc matris, patris illud enī uim cōtinet, huius
 Suscipere, illius pars est præbere calorem.
 Hinc fului speciei auri pulcherrima fulget:
 Hinc nitet argenti candor, rubet ærea uena,
 Ferrea nigrescit sub apertū, plumbea pallet:
 Albicat at stanni facies imitata colorem
 Argenti, pondusq; ferens, ni strideret, æquū.
 In primis igitur cupidis mortalibus aurum
 Queritur ingentis inter uariosq; labores,
 Perq; laborantis manifesta pericula uitæ.
 Nāq; ferunt Indos, regio qua uergit in Arctō,
 Tendere furatū cumulos, quos eggerit auri
 Formicarū ingens manus: at nō legniter illas
 Exire, ac contra stare, & fugientia passim
 Vnguibus & rostris lacerare, & figere terga,
 Aufugiat quamuis celeri gens illa camelo.
 Nec minus aut scrobib. curæ, uastisue ruinis
 Hesperij impendūt, si quādo ē mōtibus aurū
 Eruerint: neq; enim nūc quæ ramēta ferantur
 Fulua Tago, expediā, sed quæ maioribus illi
 Substineant subiecta laboribus, atq; periclis
 Innumeris, & quæ uincāt opera ipsa gigantū.
 Nam steriles magno primū conamine mōtes
 Excindūt, penitusq; petūt, qua nulla dabatur
 Semita, per cuneos accensis uiscera lychnis.
 Atq; imas nulla phœbi sub luce cauernas
 Noctes atq; dies penetrant, omniq; recessū
 Explorant aditus, hūmerisq; excissa uicissim
 Exportant, traduntq; alijs lōgo ordine primi
 Per tenebras, donec lucem qui percipit unus
 Eggerat extrema pondus ceruice receptum.
 At illos prædura silex si fortē moretur,
 Qualis iam Pæno rupes sese obtulit hosti,
 Dum ferus aerias in nos transcenderet alpes,
 Hæc igni excoquitur tunc, & mollitur aceto:
 Voluitur at picea circum caligine fumus,
 Et miseris latitans compresso spiritus ore
 Obstruitur, uitāq; operæ sub falce relinquūt:
 Atq; ideo cēdunt ingenti pondere ferri,
 Et uacuos summæ referant telluris hiatus,
 Qua uapor inclusus cuneis exhalet apertis.
 Nec mora, nec reges, qñ multo fornice mōtē
 Substineant totū, cum iam maiore peracta
 Parte operis, cēdunt extremæ formicis arcus:
 Et rima signa præbent, quam peruigil vnus
 Aerio montis residens in culmine sentit.
 Hic iētū, aut clara reuocari voce repente
 Cum famulis iubet artifices, ac deuolat ipse
 Protinus, ingenti strepitu longoq; fragore
 Mōs cadit; humana nequeat qui mēte referri

Conceptus, quantūq; obtusas occupet aures.
 Aut incredibili quam cōpleat omnia statu.
 Illi naturæ gaudent spectare ruinam
 Victores, neq; adhuc illinc educitur aurum:
 Nec sciuerē etiam tum, cum fodere, uel ante
 Esse, sed una illos ad tanta pericula duxit
 Spes inuicta omnis per calus, perq; labores.
 Sed qd in his tantū morer? aut q mira supsunt
 Præteream? nihilo cū sint his fortē minora.
 Est deinceps aliud felsis studiumq; labosq;:
 Quo tantam expurgent immisso fonte ruinā,
 Iamq; igitur summo præcelsi ē vertice mōtis,
 Qui reliquos longē superet, centesimus etsi
 Separet hūc lapis, huc immissa canalib. ampla
 Flumina deducunt tanto currentia tractu
 Desertas inter valles, perq; inuia saxa,
 Rupibus excissis, trabibusq; inserta cauatīs.
 Ergo omnis vario concursu protinus vnda
 In mare colligitur vastū, quo deinde recluso
 Erumpit tanta ui torrens, omnia secum
 Vt trahat, ac latū terræ prouoluat in æquor.
 Excipitur tendens varijs hic deniq; folsis,
 Quas illi passimq; cauāt, sternūtq; gradatim.
 Est Vlex asperq; frutex rorisq; marini
 Persimilis, retinet crebris qui stirpibus aurū,
 Propterea includūt tabulis latera oīa, & ipsīs
 Altē suspensis ita, per prærupta canali
 In pelagus tendūt vda ē tellure lacunę:
 Quod superest, ramis innectitur vlcis aurū.
 Nec labor ille etiā tenuis, cū flumina tentant,
 Et grauib. dites cribris agitantur harenæ,
 Aut operosum æquē quicq; quis pferat? vt cū
 Effolsis altē puteis quæcunq; latenti
 Eruerint penitus fundo, tundūtq; lauantq;,
 Vruntq;, in tenuemq; molunt diducta farinā.
 Hi quoq; iam fuerant Italis quandoq; labores
 Flumina per, puteosue etiā, montisue ruinas,
 Itala dum patuit prisca exercita tellus.
 Cui, pōst pia lege interdicta pepercit
 Auri sacra fames: neq; enim exhaurire metalla
 Italix, parca & prudens est passa vetustas.
 Nec foret hac etiam regio fecundior ulla,
 Quæue magis fluere venis nūc iugiter auri,
 Ipsa diu cum tot fuerit nō hausta per annos,
 Si non mortales inter discordia, si non
 Mars eat hos inter vexans immania corda:
 Sed contra ditare orbem si regibus vna
 Cura sit, & populis ditato fungier orbe,
 Pacis opus, qua cūcta vigēt inuēta pēr artes
 Ingenuis aptas animis quas inter haberi
 Non imo dignata loco fortasse putanda est.
 Ipsa hæc, quæ grauidē scrutatur viscera terræ,
 Diues vbi pateat latebris avaritia cæcis.
 Hac etenim reliquis preciosius arte metallum
 Eruitur, meritoq; id cunctis nomine præstat.
 Seu color inspicitur gratus, quo sidera fulgēt,
 Seu lentus facilisq; tenor, quo cedit in omnis
 Partes, seu pondus rerum superabile nulli
 Penditur, aut vni quoniam nil deperit auro
 Igne, velut solum consumit nulla vetustas,

Ac

Ac neq; rubigo, aut ærugo conficit vlla,
 Cuncta adeo firmis illic compagibus hærent,
 Sulfur vbi ardoris posita pinguedine causam
 Perdidit, & fluidi, quo nõ velut antè, vaporet.
 Ac longo interea decoctum tempore pura
 Mundicie, & clara perfusum lucet nitefcit.
 Atq; ita temperiem summã radicibus humor,
 Et calor exæquant illi, pariterq; colorem
 Perspicuumq; ferunt. argento nec minus ipsi
 Viuo etiam terræ partes miscentur in omneis
 Prorsus aquæ partes nullo discrimine iunctæ.
 Hinc calor argenti, necnon & sulfuris una
 Perspicua inter se denset corpuscula paruo
 Multa loco, simul vnde color pôdusq; resultat
 Et longo constans illorum tempore nexus.
 His è principijs poteris dignoscere certo
 Ordine, quo distent inter se quæq; metalla.
 Sulfura si fuerint lutulenta, argentaq; uiua,
 Principio, inficiet pariter quodcunq; sub ipsis
 Gignetur, magis atq; magis, quo nõ calor equus
 Coccoquet, aut iusto quo iã maiorũ, minorũ
 Durant perstans multos coctura per annos.
 Hinc variz rerũ formæ, quæ nomine quodã,
 Quod sint sæpe simul, Graio dixere metalla.
 Singula seu propriam speciẽ sortita feruntur,
 Et diuersa alijs adeo distinctaq; perstent.
 Seu cunctis vnum natura semen inhæret,
 Et genere hæc vno sese specieq; tuentur,
 Nec distant alio nisi quod felicitas illud
 Exijt, hoc miserè secum sordentia traxit
 Principia, atq; eadẽ cõstans non exuit vnquã,
 Vtraq; cum menti sedeat sententia summis
 Patronis, neq; adhuc litem dissoluere iudex
 Quiuerit incassum conatus, proxima veris
 Intuitus neq; adhuc, tãtũ hinc natura recessit,
 Abdidit & grauium sese in penetralia rerũ.
 Hactenus obiectis tantæ rationibus arti
 Responsum, læto nunc experientia vultu
 Prodeat erroris expers, & nescia falli.
 Hæc quoq; seruitũ phibet venisse Prometheo
 Post famulas, quas ille polo deduxerat artes,
 Atq; diu illum opera famulãtis nauiter vsum:
 Verũ vbi cõsensuit, tantũ prudentibus illam
 Ipse viris, fertur moriens liquisse volentem.
 Hos itaq; hæc certo docuit facilitq; periclo
 Nonnulla inter se immutari ex arte metalla,
 Nec tãtũ hæc, verũ fieri quãdoq; per artẽ
 Verè aurum, argẽtumũ alijs exẽptile rebus.
 Est lapis effossus Syriæ pictoribus, auri
 Pigmentũ vero quod & ipsi nomine dicunt.
 Frangitur attritus specularis more lapilli,
 In summa ostentans auri tellure colorem.
 Hunc tu purgatũ doctè prius extoque multo
 Igne, per anfractus longos, qui ducitur vsq;
 Quo redeat flammis in se volentibus idem.
 Igne olim hoc Caij solertia principis aurum
 Fecerat, Obrizon sapiens cui Græcia nomen
 Præbuit è rerum inserta virtute receptam,
 Sæpius multo quoniã purgatum redditur igni,
 Seu nulla quoniã maculatum forde renidet,

Nec pigmetũ auri fuit amplius ipse, sed aurũ,
 Qui lapis antè auri tantũ simulauerat aurũ:
 At ne fortè nimis videamur prisca referre,
 Carmine perpetuo nobis propiora canamus.
 Increfcũt hærentq; cadis simul vndiq; cruste,
 Alba quibus longo senuerunt tempore vina,
 Has me⁹ Euganeæ gẽtis Schola tũ decus imo
 Accipit erasas fundo, costisq; vetusti
 Vasis, & includit purgato fictilis ollæ
 In medio, atq; luto testam circumliniit omne,
 Obturatq; illi rimas, atq; obstruit ora,
 Hanc deinde ardenti iubet in fornace diurno
 Nocturnoq; calore coqui, qua vitrea feruet
 Massa datura olim varias liquefacta figuras.
 Verũ vbi iam satis est ea visa caloribus visa,
 Perpetuis, illam demit frangitq; repente,
 Moris vt est, spectatq; simul nũ ptinus albet,
 Et teritur veteris iam sex decocta Lyzi.
 Interea sed enim, cunctis mirabile visu
 Scintillæ, conspersa polo velut aurea signa
 Innumere argenti miro in candore videntur.
 Sed quid in alterius visis moror? inq; relatis,
 Atq; aliena premes nunc per vestigia tendo?
 Vidi ego qui tennes argenti ritè tabellas
 Spargeret & lateris contriti puluere, & vnã
 Huic virides aëris squamas niueasq; perusti
 Contundi micas salis iniungiq; iuberet,
 Puluereosq; alijs grumos è rebus aceruans,
 Quas vetat & ratio, necnon ars ipsa referri,
 Hæc ne sordentis vulgi vilescat in vsus,
 Illa vt non vlli quæ sunt celanda reuelet.
 Mox ita compositis angusta in pyxide lamnis
 Subijcere inclusas arcto sub fornice flammæ,
 Quales crediderim torrere ad tartara fontes,
 Aut vbi sulfureis diros pmit Ætna sub antris.
 At postquã ardenti fuerat hæc cuncta camino
 Tosta dies noctesq; nouẽ, tũ demere massam
 Feruentẽ, deq; ignis adhuc feruore rubentem
 Abluere argenti roranti aspergine lymphæ,
 Quam simul in partis lima diduxerat acri
 Exiguas, phialæ secreta in parte locabat
 Artificis mirè ingenium, nam desuper vndam
 Fundebat, quæ mox argento excerneret aurũ.
 Tum viridem sensim in laticem liquore videri
 Argenti vis illa prius compacta, sed imum
 Vas auri seiuncta grauis ramenta petebant,
 Tãtus aquæ vigor est, tãta illo in puluere uirtus
 Nec fortè apparet alibi concordia rerum
 Clarius, vt nesciat quæ vix iungenda uidetur,
 Si quis particulas commisti pulueris omnes
 Computet, & varios illarum existimet vsus,
 Quæ tamẽ hoc vnũ cõcordi ex arte tulerunt,
 Nec minus, vt rebus proprias discordia vires
 Auferat, vt molli tenuari dura liquore
 Viderit, atq; breuis consumi protinus horæ
 Momẽto, & tennes effundi prorsus in vndas.
 Lympharum verò species haud trahitur vna,
 Nanq; aliæ quæcunq; hominũ tellure metalla
 Erutaq; & durata manu si rangere crebris
 Contingat guttis, eadem mirabile visu,

Aut minuūt in frustra, aut in tenuē ocyus undā
 Dispergūt, liquidoq; docēt assuescere fluctu.
 Sed tamē unū adeo uis hęc non inficit aurū,
 Nā pstat simul icolume, & simul omnib⁹ illinc
 Sordibus ablutum contestim purius exit.
 Est etiā Lymphę illius, si credere dignum est,
 Mira qdē, & nobis nō immemorādā potestas,
 Quę quodcūq; semel purū & sine labe metallū
 Contigit, argenti tremula sub imagine viui
 Cogit in alterius speciem, formamq; resolui.
 Quid quę de veteri guttatim stillat laccho?
 Deinde simo incoquitur putri, lentoq; calore,
 Donec in ætherei splendoris uersa colorem
 Accipit ē summo cælestum corpore nomen,
 Hac quoq; dura ferūt certo mollescere ductu
 Corpora, quę Phœbi uel quę dignata Dianę
 Nomine, mortales rebus præponere cunctis
 Instituire, quibus precij mensura pateret.
 Nec tñ, hęc quanuis ita sint, immune putabis
 Esse aurum, certo quin ex humore fatiscat.
 Acris aquę hoc etiam dirę violentia rodit,
 Et terit, & liquidas tenuatim vertit in vndas.
 Verū hęc exiguam lucem tibi recta sequēti
 Prætulert, veri qua cernere culmina possis,
 Quo te discutiens tenebras industria ducit.
 Sunt alię ex alijs quærendę fontibus vndę,
 Iam quibus ex sese, nulla vi, leniter aurum
 Humescat, nullo alterius veniente liquoris
 Auxilio, exterius propria soluat in vnda.
 Hoc agite, hinc uobis summā pquire laudē
 Diuini artifices, hęc nanq; potentia cælo
 Cælestis descendit aquę, qua cuncta tuentur
 Robore se proprio, nec non producere foetus
 Ipsa sibi similes, & in æuum extēdere possunt
 Progeniē, multos fragilem durare per annos.
 Nonne uidēs quanto secum natura tenore
 Cōsonet: utq; modū generādī cōprobet unū
 Semper, & vnus vi nitens feminis, vni
 Seruiat una operi: quod & unū nacta q̄scat.
 Nec Bacchi si tentet opus, Cerealia miscet
 Semina, nec, Cereris, si frumentaria quærat,
 Pinguia Cecropiæ, tractat plantaria diuæ.
 Ordea cui cordi, demum ferit ordea, ne tu
 Nunc aliunde pares auri primordia, in auro
 Semina sunt auri, quanuis abstrusa recedant
 Longius, & multo nobis quærenda labore.
 Nec maris immēsi reputes, aut nubis aquosę,
 Vel liquidi fontis similē: quā quærere lymphā
 Instituis, neq; enim, qd' tu obseruare memeto
 Inficit illa, liquat aliquid, cum spargitur, aut id
 Humectat, propius cui venerit, arida nanq;
 Pulueris hęc extra in speciē se prodit, at imis
 Vuida contusi liquet in penetralibus auri.
 His olim veteres intenti gnauius vndis
 In portum rexere ratem felicibus auris,
 Ignarosq; uizē medijs in fluctibus inter
 Obstātejs scopulos frustra liquere natanteis.
 Hinc multa expertū, nec non & multa docētē
 Insula diuino Balearis munere misit

Alma uirum, cuius miro velamine testus
 Ipse liquor, quo cūcta madēt, iā credere mul-
 Impulit, vt Bacchi cādēs & lipid⁹ humor (tos
 Principia ablueret secretę protinus artis.
 At non ille quidem sentit, quę dicere prima
 Est facie visus, neq; tunc stillantia vina
 Miscebat, cum iam præstanti lentus in vrbe
 Insufram terens residens feliciter annos
 Fecit inexhaustum pondus præditiis auri.
 Ac socijs, quos ipse sibi coniunxerat, æquus
 Diuisit tenuem diuini pulueris offam:
 Cuius in imēsum quota pars traduceret aurū
 Iampridem quęcūq; forent infecta metalla.
 Hinc quoq; cult⁹ Arabs vitreo de fōte liquorē
 Desertas inter valles, præruptaq; purum
 Saxa sup ducit, nemorūq; occultat in vmbra,
 Altorū, densis pascim quę vepribus horrent,
 Ast alias tamen hic uenas ostentat apertē,
 Vber vbi emanat semper, nec inutilis humor,
 Et te dum varijs immensa per auia rebus
 Detinet intentum, felices præterit vndas,
 Quas manibus quondā puris haurire solebat
 Ipse, nec admiscens aliud, longumq; diuq;
 Compositas parua leuiter fornace coquebat,
 Vnde opera arcane naturę occulta reclusit
 Sæpius, & grates dijs immortalibus egit.
 Sic alij, quos experiendo maxima rerum
 Visere iam decuit summo quæsitā labore,
 Angustum per iter recto de tramite nunquā,
 Quā prius ingressi declinauere, nec antē
 Desinere optarunt, licuit quā tangere lætis
 Tandem exoptatū longo post tēpore finem.
 Hoc opus, hanc primū tantā mortalibus artē
 Interpres rerū ostendit sanctissimus Hermes,
 Nec latuit tantō duxit quos munere dignos,
 Edoctos sed iam docuit, penitusq; remotos
 Rebus ab his, tanq̄ non dignos, terruit omnis
 Ne peterēt, quę nō vnquā cōtingere possent,
 Iamq; p̄bos tādē accēdēs, vt quærere vellent
 Quę sciret, veroq; ipse deprehenderat vsu,
 Admonuit paucis contentum pergere doctū
 Artificem, tanquā naturę ritē sequentem
 Certa solo pressis stabili vestigia signis.
 Quinetiam humano docuit de corpore pelli
 Hac omnes ualida morbos faciliq; medela,
 Seruariq; diu nitido cum flore iuuentam
 Et seniū placidos produci grande per annos,
 Nec sanctā violare fidem, nec fallere quenquā
 Ille potens sacri patitur medicaminis vñs.
 Hoc sed qui poterit dijs adspirantibus vñs,
 Et præstare etiam quoties defecerit, illa
 Plurima contemnens, & seruantissimus æqui
 Hinc erit, & frugi, curasq; eludet inanes,
 Et dites supra gradiens, ditissimus omnia,
 Pauperiem simulabit ouīs, ac sūp benignus
 Proderit, & miseris latitans fucaret egenis,
 Innocuusq; alijs sibimet gaudebit adesse,
 Et facilem ducet momenta per omnia vitam.

IOAN

IOANNIS AVRELII

AVGVRELLI CHRYSOPOEIAE

LIBER SECVNDVS.

Actenus auriferam secretæ Palla-
dis artemInuentam humana quondam uir-
tute coëgit

Credere nunc ratio, nunc experientia suasit.
 Iamq; ea quid possit, quo prudēs tēdere p̄gat,
 Hic canere sc̄ipiā, dextro modo numine Phœ
 Difficiles adeo factū, dictūq; per artes (bi
 Ingrediar, uerbis addens & rebus honorem.
 Tuq; ades o cultū Musis & Apolline pectus
 Ante alios olim cunctos diuine Poëta,
 Quo duce secretum per iter procedere tantū
 Ipse quēā, ut propius Pimplei culmina cernēs
 Alta iugī, ne quo intērea per deuia ducar.
 Illuc nanq; animus certa spe ductus anhelat,
 Et fidit gradibus crescentis scandere famē,
 Nulla æui quam longa queat delere uetustas.
 In primis niueo sparsus candore lapillus
 Quæritur, aut longo contritus tēpore puluis
 E niueo in liquidum uersus candore ruborē.
 Illius infecto tenuis pars mista metallo
 Inserit argenti subito, mirabile, pondus
 Et speciem, uel si argento sit proxima uiuo:
 Dedocet hoc fungi liquenti immobile uita.
 At rubor ipso etiam puluis preciosior auro
 Quodcunq; ex illis primum calefeceris igni,
 Vertet in immēsum pōdus tibi protinus auri.
 Atq; ideo artifici maius nihil esse putato,
 Quā quib. ē primis opus id cōponere possit:
 Noscere, quæ uē prius capiat circūq; labore.
 Mox ut naturæ se tum præbere ministrum
 Sentiat, exemptum latebris cum nobile semē
 Proferet in lucem solers, iterumq; tenebris
 Reddet, & occulta seruatum pyxide claudet.
 Cūq; alimēta putri sēsīm dabit humida massē,
 Agricola ut quondam telluri semine iacto
 Spargit rore leui tantū sitientia culta.
 Nec minus intērea tepidū cū suggeret ignē,
 Et genitalem intus uim ui subeunte fouebit:
 Ut calor interius solet exteriore iuuari,
 Ac stomacho prætēta manus præstare uigorē
 Ut ualet, utq; ægri uires releuare caducas
 Apposita exterius possunt fomēta medentū.
 Nec uarias specie res admiscebit, & uni
 Quodcūq; obstiterit iunctū, procul inde mo-
 Otardas adeo mentes, assuetaq; falli (uebit.
 Artificum uario rerum per inania ductu
 Pectora, cū duris quid mollia uina metallis?
 Apta epulis, atq; apta bibi suauissima uina.
 Quid leuis humano missus de corpe sanguis?
 Quid lapsi ē rosea flauī ceruicē capilli?
 Oua quid? & lectæ summīs in montib. herbæ
 Conueniunt imis fosso sub montibus auro?
 Hic tamē expressam prælis torquentib. uiam

Accipit, & phialæ postrema in parte reponit:
 Cuius in extremo rostrum connectitur ore.
 Hanc super ignitos cineres candēte camino:
 Aut super undosum laticem feruentis Aeni
 Collocat, at tenuis fertur uapor intus, & herēs
 Alta petit, leuiusq; liquens it fusus in undas:
 Ardentemq; uocant Lymphā uitæq; liquorē:
 Vitrea quem raris effundit fistula guttis.
 Hic ergo ut multis uicibus stillauerit, unā
 Collectus uarios tandem seruat in usus,
 Præcipuē uerō, modico lentescat ut igne,
 Siue fimo incoctus nulla non arte tepenti.
 Fingitur oblongo uitreum uas ductile collo:
 Bina unde, exiles uelut ansæ, brachia pēdent
 Cōcaua, quæ uentrē uasis flectuntur ad imū.
 Hic igitur liquor inclusus cū summa per ora
 Fertur, continuo bina inclinat in aures,
 Ingreditur, repetitq; iterū, quas liquerat imo
 Fundo feruentis lymphas, iterumq; refertur
 Ad supera, atq; leuis nusquam uē getus candē
 Itq; reditq; uiam toties, & mobilis idem
 Ipse in se sua per uestigia confluit humor,
 Donec paulatim niueam densetur in offam.
 Tenuibus hæc tandē lamnis cōponitur auri,
 Et coquitur lento forsā, longoq; calore. (sto
 Verū hocne, anne alio quouis ea deniq; pa-
 Cōmiscēt (nāq; hoc haud est exquirere nostrū)
 Incassum cuncta exercent, frustra q; laborant.
 Nā specie diuersa simul dum iungere curant,
 Altera ut impediant primo mox altera motu,
 Efficiunt, ullo ne possint tempore quicquam
 Edere, quod per se natura constet & unum.
 Nanq; ita principio statuas cūcta esse sub una
 Re, quib. hic opus est, nihil ut quæsiueris extra,
 Præcipuē humorem, qui sese iugis abundē
 Sufficit, atq; intus seruat, dum prodeat illud,
 Quod cupis, & gigni tanto conamine cētas.
 Quinetiā duplicē scito uim intrinsecus esse,
 Et quæ semper agat, & quæ patiat, ut una
 Fœmina, masq; agitēt, ueluti cū pullus in ouo
 Crescit agētē quidē hoc, atq; hoc patiētē uicif
 Exterius tantū miti atq; fouente calore (sim,
 Adiutus, neq; tu quid conuenientius ultum
 Exēplo hoc credas, neq; qd' me iudice semp
 Aerius inspectes, atq; ad quod cūcta reducas.
 Ast alius puro uarias de sanguine partes
 Elicit, atq; adeo ductas elementa uocare
 Instituit, tanquam possint ea fortē uideri
 Simplicia, aut tāgi manibus, secreta uel usquā
 Esse, uel includi quoquā, quin protin' omne
 Vas penetrēt, duro quāuis Adamāte peractū
 Id fuerit, simplex neq; enim cōsistere corpus
 Parte potest orbis uasti uiolenter in ulla,
 Sed propria tantū gaudēs in sede quiescit.
 Sic sæpe ex alijs rebus, sic sæpe seorsum
 Quatuor ē tonsis ponunt elementa capillis.
 At non sic natura potēs hæc segregat unquā,
 Sed miscet potius simul, & confundit eodem
 Frigida commutans calidis, humentia siccis,
 Atq; ita corrumpit solidum, neq; diuidit ulla

In parteis, seruans genitalem feminis illi
 Vim, qua corrupto corp⁹ de corpore gignat:
 Nanq; ex quo q⁹ genitū est, id putruit ante.
 Quid qui conatur quæsitæ longius herbæ
 Inualido aufugiens argentum sistere succo?
 Idq; gelat, duratq; simul, sed figere nulla
 Arte potest, ictu quo molli ducere possit.
 At non quod solidum faciat, uel ductile, tantū
 Querendū est, sed quod uideatur posse priorē
 Auferre, atq; illi defecto inducere formam
 Mox aliam, & puri speciem donare metalli.
 Sulphura quid memorē lōgo deteria labore?
 Nitraq; purgatosq; sales, tostasq; Lyæi
 Longæui feces, uel quæ aramenta calenti
 Accensa effundunt guttas è uase rubentis.
 Hinc soluūt, iteratq; uices, ac sæpe resolvunt:
 Deinde lauāt, iterūq; terūt, mox figere tētāt:
 In calcem uertunt etiam, missoq; uapore
 In sublime ferunt tenuati corporis auram.
 Compositos uaria uideas hinc lege caminos
 Innumeros, totidemq; luto lita uitrea uasa.
 Quæq; sibi uertit Faber argentarius usu,
 Sordidiusq; aliz quicquid fabrilibus artes
 Exercent curis, nostri arripuere, suisq;
 Infani asciuere laboribus: atq; ita semper
 Sulphur olent, semper faciem fuligine tincti
 Horrendas atra simulant ab imagine laruas.
 Nec miseram magis affirmes ueraciter ullam
 Artē aliam, q̄ quæ externis Alchymia uerbis
 Dicitur, obscurisq; tegens ambagibus errat
 Auiæ per, miserosq; trahit, piniqua sequentes
 Actandē eiectos in cæca Barathra relinquit.
 Ut uideas quandoq; bonum sua prædia ciuē
 Vendētem, patriasq; domos, mercesq; repo-
 Fornaces inter uersari, ac folliibus aurā (stas,
 Captare, in tenuemq; nefas, cōuertere fumū
 Rem, dubias dum quærit opes insanus, auritā.
 Difficilem interea coniunx m̄testissima uitā
 Protrahit, illachrymant nati, sit sordidus ipse
 E lauto, ludusq; patens & fabula uulgi.
 Quare agite exēptā tenebris hāc cernite lucē
 Mortales, cæcisq; uijs auertite gressum,
 Ac prohibete nefas tantū, & depellite uirus,
 Infectum quo uulgus iners se posse per artem
 Diuinam miscere manus putat, abdita rerum
 Quæ ualet & causas adeo spectare latentis,
 Hanc nō impuris manibus fraudator auaru
 Attingat, decoctor item, quisquis uē fabrilis
 Arte ualet, mollis uē etiam, cui perditæ cordi
 Ocia, mercator uē uagus, uel deditus urbi
 Ciuis, & incumbens telluri aruisq; colendis:
 Et q̄ multa animo præsertim & magna mine-
 Velsi q̄ similes hæc uulgo quærere sucti (tur,
 Fraude mala tātū, uel habēdi prorsus amore.
 At sapiens, superos in primis qui colat, & qui
 Noscēdis penit⁹ causis modō gaudeat, huc se
 Conferat, hanc totis sectetur uiribus artem.
 Huic comes herēbit grauis exploratio rerum
 Intima naturæ passim uestigia seruans,
 Tū mora sollicitos cursus remorata sequetur:
 Et uisura olim stabilis patientia finem,

Mox labor, ingenuosq; mouēs industria gressū
 Haud aberit, uitreumq; foret uas scilicet unū,
 Vnum opus, atq; unā secū rem deniq; ducet.
 Ille igitur tanto comitatu septus omnib;
 Longū iter, & lento peruadens omnia passū
 Continuē miris oculos mentemq; repertis
 Pascet, & assiduum fallent spectata laborem:
 Donec in arcana tectos tellure recludet
 Thesauros ignotum argenti pondus & auri.
 Eloquar: an uulgo prorsus non credita uersa
 Expediam primus? nec erat cum talia cœpi
 Iam fari, mens ista mihi, sed compulit ordo
 Integer, ut dictis etiam maiora reuelem.
 Ille ergo ulterius procedens, ultima rerum
 Secreta inueniet, queis se natura peractis
 Oblectat, gemmasq; pari confinget ab arte,
 Ac nisi dicendis superessent multa metallis,
 Gemmarum forsā causas, sedesq; referrem
 Sepositas, quibus in specubus natura beatis
 Ludit, & in nulla magis hac mirabilis usquam
 Parte ualet summas uariando promere uires.
 Perspicuæ ut tell⁹ lymphæ cōmixta minutim
 Pura ferat gemmas, ut cæli motus, & ardor,
 Sidereusq; situs certam præscripserit illis
 Sedem gignēdis canerem, nec gēmeus unde
 Irradiet fulgor, uariet color unde, tacerem.
 Duricies etiam unde illis inuicta, nec igni
 Cedēs, nec ferro, unde nitēs distinctaq; miris
 Interdum maculis facies, iam qualis Achatem
 Æacidæ ornat Mafis & Apolline felix.
 Vos natura parens, nulla cui motus ab arte
 Prouenit, o Diuæ parua concludere gemma
 Spōte nouem uoluit proprijs insignibus oēs
 Ornatas, mediumq; simul considerare Phœbū
 Deposito mitem cornu Citharæq; canentem:
 His ut testatum signis mortalibus esset,
 Quo numero & quali semp præstatis honore.
 Felicem tanto dignatum munere Pyrrhum,
 Et fortunatos licuit quibus ista uidere.
 Indomiti hinc uirtus Adamātis multa referri
 Debuerat, Solis ut quondam Regibus esset
 Cognitus, utq; uno tantū quæsitus in auro,
 Utq; actus ferro durisq; incudibus ictum
 Respuat, atq; etiam ferrum dissaltet utrinq;
 Dissiliantq; ipsis incudes ictibus actæ.
 Ut prædura adeo uis hæc corrupta recenti
 Sanguine, calfactoq; hirci rumpatur, & ictu
 Crebro librantis grauius per inania ferri.
 Ut lapis accessu Magnes Adamātis oberrans
 Ferrum declinet, uel inhærens abdicet idem,
 Irritaq; ut tandem faciat concepta uenena,
 Et pellat de mente metus Adamātina uirtus,
 Omnia quæ quondā fassa est uidisse Vetustas
 Credula, nanq; horū fortē experiētia Priscis
 Certior arripit quæ non ostendere sese
 Quirit adhuc nobis, seu nō gen⁹ illud in auro
 Congenitum pateat, seu sic, ut pleraq; falso
 Nunc alia, hoc etiam non uero nomine dicāt
 Artifices, ideoq; ipsa re prorsus aberrent,
 Quo neq; quæ Veteres sup his scripsere fatē-
 Esse, sed in dubiū reuocari tradita posse (tur
 Ipsa

Ipsa hæc contendunt manifestis omnia signis.
 Nec uirides etiam fas hinc transire Smaragdos
 Indictos, neq; enim color est iucundior ullus,
 Quàm quo se tellus horis genitalibus anni
 Vestit, & ostentat uultu meliore uirentem.
 At mage nil uiret his, nihil est qd cõpleat quẽ
 Cõtuitu his oculos, satiet minus, ipsaq; multo
 Obscurata acies intentu protinus ipso
 Aspectu uiridis claret recreata Smaragdi.
 Fulgurat ut picto uiola Carbunculus igne
 Mox etiam canerem, uariuq; ut fulget laspis.
 Concolor & fuluo radiat Topatios auro.
 Innumeratq; alias specie, uel nomine tantum
 Diuersas cõpto memorare carmine gẽmas.
 Verũ hæc iam satis est leuiter tetigisse uagatẽ,
 Atq; alijs mōstrasse uia, qua tendere pergant,
 Si quos fortẽ iuuat naturæ occulta subisse,
 Hæc eademq; palam dulci fecisse Camœna.
 Nunc age materiã, tantæ quam prætstitit arti
 Natura, expediã, ne quis perferre labores
 Incassum studeat tantos, sed grandia uitet
 Detrimẽta, quibus uesani sæpe tenentur
 Artifices, longe primis dum rebus aberrant,
 Quas capere, ac solas illos seruare decebat.
 Est lucus summo secreti in uertice montis,
 Fons ubi decurrit nitidis argenteus undis,
 Et specus exefum tendens aperitur in antrũ.
 Intus habet præstans diuino numine Virgo,
 Ruricolæ Glauram prisco quã nomine dicũt.
 Huc densos inter uepres angustus & asper
 Accliuusq; ægrẽ perducit callis euntem.
 Vestibulũ ante ipsum speluncæ læuis & equa
 Planicies, nõ ampla tamen, horrentib. umbris
 Cingitur, ac fluuij ripis, & margine Tophi,
 Obducta uiridi musco spissisq; Corymbis,
 Ingreditur uerò si quis feliciter, omnem
 Continuò labem humanam, mirabile dictu,
 Exuit, ac pondus subito mortale relinquit,
 Et purus penitusq; leuis fit spiritus illi,
 Quiq; aditus lustret cunctos, agilisq; feratur
 Per cuneos, quib. in medijs sedet aurea Nym-
 Aure? & circũ thalam?: supraq; renidet, (pha,
 Quin auri tabulæ pedibus calcantur euntũ,
 Atq; ipsa ex auro splendet conflata supellex.
 Taruisijs: ne qua titubes in montibus antrum
 Hoc pete, qui rebus tantis primordia quæris,
 Quodq; illic uisum fuerit preciosius, inde
 Erue, nec sumptus nimio, nec parce labori.
 Nõ tamen aut uiuũ sulphur, tremulumũc re-
 Argẽtũ, uel quæ undatĩ delata uapore (pones
 Exit ab his primum putrisq; infectaq; uena.
 Sed purũ atq; omni purgatũ forde metallum
 Accipies, cuius secreta in parte recessit
 Spiritus, & crassa pressus sub mole latenter
 Viẽtitat, ac solui uinclis, & carcere cæco
 Emitti expectat tenues effusus in auras.
 Quæq; erat innato subsidens pondere moles,
 Iam leuis assensu superas contendat in oras,
 Duraq; mollescat naturam imitata per artem
 Eximiam, retro quæ per consueta reuerti

Imperat, ut longo sese tẽpore recludat
 Inclusum semen, uegetantis more, nec intus
 Ardua constantis metuat iam uincula massæ.
 Quod tibi ne mirum ualeat quandoq; uideri,
 Pullulat interdum proprij uirtute uigoris
 Auri perpetuum germen, ferturq; sub auras,
 Non secus ac summa fruticis tellure cacumen
 Exit, & inde sua ui sese extollit, ut Istri
 Accola felicitis sæpe illud stirpibus hærens
 Capreoli in mōrẽ nati circundare truncos,
 Implicitumq; etiam saxi inuenit obesis.
 Utq; agiles serpunt edera, lateq; pererrant
 Amplexæ lateres circum, pariesq; fatiscit
 Dirutus, ingressis rimas radicibus, atq;
 Frõdibus, ac prætergressis latera obuia ramis:
 Sic Topho inseritur trescentis uiuidus auri
 Surculus, atq; intus partis explorat inanes,
 Egrediturq; illinc, & se diffundit in auras,
 Aut uariẽ illius summas complectitur oras,
 Quasq; tenet solidẽ cõspersas purus inaurat,
 Hinc duo præcipuẽ, quæ uerset cura probati
 Artificis, statuo. quid primum feligat, & quo
 Selectum pacto moderetur, & aptius edat,
 Quo possit modico solui lentoq; calore.
 Vtrũq; innumeris prisca inuoluẽre tenebris,
 Barbaraq; occultis rebus coniungere uerba
 Haud dubij, centũ statuerunt nomina, quorũ
 Quodcunq; incertã signaret remq;, modũq;
 Multaq; quæ lepidi quondã finxere Poëtæ,
 Quæq; sacrorum olim ueri uox nunciã Vatũ
 Protulit, his etiam uice sunt interpretis usi,
 Singulaq; exposuere, atq; inferuere libellis
 Ipsa suis patefacta, uelut cælantia pridem
 Artis opus tantæ, cum porrò uana Poëtæ
 Figmenta illecebris uacuas captantia mentes
 Commenti, multo fuerint diuersa loquuti.
 Qui uerò incõprehẽsum & inenarrabile mu-
 Diuinæ humanas aduẽtũ prolis ad oras (nus
 Præfati, haudquaquã parua hæc sēsere sub ingēs
 Os illud tam magna sonans mysteria Vates.
 Hæc tamen, haud nullis nostri suadẽtib. ausi,
 Vel quòd eos ea uana fides tenuisse putandũ
 Vel sua quòd uarijs iuuat cælasse figuris. (est,
 Quin etiam huic uni, quo se mollire metalla
 Inuenere modo, cunctarum nomina rerum
 Imposuere, quòd hæc cunctis uis insita rebus
 Hæreat, incipiatq; omnes, & compleat una.
 Cuncta adeò cunctis occultauere, neq; illi
 Nequicquã interdũ seriẽ abruptere loquẽdo
 Perperem, & excursus interposuere uacantis.
 Ergo altẽ uestigia animis, & rite repertam
 Materiam rebus tantis per deuia sume.
 Nam nõ una tibi regio dabit, aut locus unus.
 Montibus at multæ spaciãtur Oreades altis,
 Antra quibus cura est seruare, ingẽtiaq; intus
 Munera, iam quorũ uenientes sæpe remittũt
 Participes, manibus puris & pectore si qui
 Accessere illuc, dices ubi pectine uberno
 Aurea perpetuo depectunt uellera Nymphæ,
 Quæ prima heroũ pubes rate sancta petiuit,

Aa

Nec timuit tantos per fluctus quærere sumis
 Tū ducib. ditē sub Iafone & Hercule Colchō.
 Alter inauratam noto de uertice pellem,
 Principiū uelut ostendit, quod sumere possis.
 Alter onus quantū subeas, quantumq; laborē
 Impēdas crassam circa molem, & rude pōdus,
 Edocuit: neq; enim quā debes sumere, magnū
 Inuenisse adeō est, habile sed reddere massam.
 Hoc opus, hic labor est, hīc exercentur inanes
 Artificum curæ, uarijs hīc deniq; nugis
 Sese ipsos, aliosq; simul frustrantur inertes.
 Et nunc urentis latices, Bacchiue liquorem,
 Nūc olidas miscent lymphās, quæ mēstua &
 Appellāt, ueluti sint, ut quæ dulcia cōplēt (ipsi
 Pignora perfectis materna mensibus aluo.
 Deinde coquunt lento spaciosi tēporis igne
 Assiduē instantes frustra, longiq; laboris
 Præmia decepti tardē uentura morantur,
 Nam uarias rebus formas adhibere ferendis
 Nō puduit, quæ sic naturę monstra repugnāt,
 Hoc opere in toto præsertim, quod nihil æquē
 Postulat, ac quod sit simplex, farragine nulla
 Rerum alia expletū, quā quæ tellure sub alta
 Continuo puri suffitu sulphuris, atq;
 Comparis attactu uiui constantur in aurum.
 Præparat alit aliter alius, fortasse nec unus
 Est modus, una modo res ipsa & pura reduci
 Iam liquido uideatur, & in se sola relinqui.
 Ars hīc, sed propius Naturā imitata, laboret,
 Illic ipsa suum constans Natura tenorem,
 Artificis sed mota manu directaq; seruet.
 Nanq; ubi compactū ualida soluetur ab arte,
 Expositumq; extra uenienti ui dabit ultro
 Sese opus, & certa fœcundum prole patebit,
 Quod superest: ipsum secreta in sede locabis,
 Perpetuoq; calore, & longo tempore fotum
 Exercebis, & huic sensim sua pabula reddes.
 Nec graue decreti spatiū tibi temporis esto,
 Quicquid id est, certo nā prodit tēpore quic-
 Exoritur, donec perfectū circuat orbem, (qd
 Quo se uitalis profert in luminis auras.
 Ac ueluti informis paulatim matris in aluo
 Fœtus inaufescit, paruus dū fingitur infans,
 Sic locus exceptus dextrē, cui semina mades
 Aurea, continuē producens illa fouebit,
 Donec inoptatos adolescent edita fructus.
 Tumq; ministrabis paruū crescentib. ignem
 Principio, humentemq; & corrūpentib. aptū,
 Temperiemq; illis, Mariæ quæ balnea dictāt,
 Inter & humorem statues interq; calorem.
 Quodq; simū falsō appellant, & balnea, tantū
 Tu mitem ac proprium gignēdis usq; teporē
 Sufficies æquus, neq; enim qui deficit, aut qui
 Excedit calor, & medium seruare nequit: Sed
 Alternat uariatq; uices, hic profuit unquam
 Natis, aut certo nascendis tempore rebus.
 Materiā quoq; nec multam concludere parua
 Pyxide curandū est, modico nanq; ipsa calore
 Haud poterit resoluta suas expromere uires.
 Id quoq; non opus est, nā cū semel ipse beati

Pulueris extiteris compos, nō amplius optes
 Aut multū, aut ipsum rursus cōponere, nanq;
 Augebis quoties ulli tibi uenerit usu.
 Illud nec parui facies, quod clara beatus
 Signa dabit puluis tibi, eū manifestus haberi
 Cœperit, & uarios ostendet rite colores.
 Sed ruber in primis quauis optabitur, albū
 Nō tamē excipies, qn & magni quoq; pēdas,
 Atq; atrū, nanq; hic operis tibi mōstrat apertē
 Principium magni, secretaq; hostia pandit
 Prima uiz, ignarū frustra qua uulgus anhelat,
 Et uaga multiuij callis diuertit in ora.
 Ille iter inceptū quondā, propiusq; peractū
 Iam mediū, ostēdit, nec iā procul esse ruboris
 Indicium, gaudet cū uis humana propinquū
 Affore opus, quo non maius perfecit ulla
 Ars ullis adiuta opibus, licet ipsa potenti
 Nil non ingenio peragat, quæ sidera cæli
 Suspicit, atq; obit signorū inspectat & ortus,
 Cōscenditq; polum gradib. subnixa superbis,
 Ac maris & terræ tractus metitur, & ipsas
 Innumeras prorsus numero cōprehendit are-
 Cælestis etiam concentus uoce referri (nas.
 Edocet humana, fidibusq; imitata canoris
 Aetherei septem tentat discrimina cantus.
 Arte etiam inuentæ Leges & ciuica lura,
 Arte urbes constant claræ, sanctiq; senatus,
 Arte regunt reges populos, exercitus arte
 Ducitur, atq; etiā præstans Dux imperat arte.
 Ars & corporibus fessis diuina ministrat
 Adiumenta, quibus reparāt languentia uires.
 Fertilis & terræ cultus non abnuuit artem,
 Cum dura ac sterilis tellus mansuescit arādo,
 Et secreta prius crescunt uineta sub vlmis.
 Hæc igitur, quæ nos inter uersantur ubiq;
 Tractat, & illa etiā contemplans audet adire,
 Quæ procul à nobis tanto sunt edita tractu.
 Quin bene si reputes, arti penē omnia certæ
 Attribuit genus humanū, nec dicere quicquā,
 Aut facere illius recta sine lege requirit.
 Salue hominū præses simul & gratissima cura
 Ars grauium, seu te sancta de Pallade natam,
 Seu famulam potius dicā sub Pallade primā,
 Nanq; ferunt illam propriū seruasse pudorē
 Semper, eā quāuis adamarit Lemnius heros,
 Ex quo disiecit patris caput ipse securi,
 Prodiit unde ferox patrio dea prædita sensu.
 Salue magna parens iterum, fœcunda uiro-
 Atq; operum, tibi tot sacris ē uatibus unus,
 Quos æquo ad tantos gressu procedere riuos
 Par erat, Aonijs ausim conspergere lymphis
 Tantarum causas rerum caligine tetra
 Obductas, atrasq; illis detergere sordes
 Et liquida ablutas aspergine ferre nitentis
 Ante oculos. ergo cum tu deprehenderis arte
 Eximia seriem tantam, & manifesta colorum
 Signa, procul longi speres promissa laboris
 Præmia, nanq; tibi diuino munere puluis
 Præstō erit auripotens, parua qui quodq; me.
 Parte sui purū subito cōuertet in aurū. (callū
 Ac

Ac veluti modicus, si fortè coagula desint,
 Caeus extemplo lympa resolutus & igni
 Adstringit plena liquidi mulctaria lactis:
 Cogit & alterius lac in se uertere formam.
 Sic argenta facer puluis liquentia sistet,
 Sidereaq; auri specie donabit, ut omni
 Praestet, & nullo prorsus superentur ab auro.
 Ipse etiam augetur puluis, ne fortè labores,
 Ne uè iteres opus expletū semel, addere sumā
 Vim licet, ut minimus tuū puluis deniq; uiui
 Immensam argenti ualeat couertere molem.
 Seu leuis & nulla demum non parte solutus
 Spiritus ingreditur longa in penetralia densi
 Corporis, & toto penitus se uiscere miscet.
 Seu potius longo cōcoctus tempore puluis,
 Cōpressusq; diu, multumq; & saepe reductus
 In sese, proprium cogit densetq; uigorem.
 Utq; Croci exiguus pura flos (parus in unda
 Immodicum grato diffundit odore colorem,
 Plurima sic agitans cōtracto in puluere uirtus
 Obuia percurrit liquidi loca cuncta Metallī.
 Seu nulla hīc ratio est hominū dephēsa sagaci
 Ingenio, quare uis paruo in semine tanta est.
 Herculei neq; enim lapidis si fortè requiras
 Inuenies causam, qua ferrea uincula necat,
 Et trahat abiuncti pondus per inania ferri.
 Nec min⁹ unde regat nautas, & uergat ad Ar-
 Spectātes parua clausū sub pyxide sidus. (etō
 Multa tetigit sacro iuolucro Natura, neq; ullis
 Fas est scire quidē mortalibus omnia, multa
 Admirare modo, nec non uenerare, neq; illa
 Inquires, quæ sunt arcanis proxima, nanq;
 In manib; quæ sunt hæc nos uix scire putādū,
 Est procul à nobis adeo præsentia ueri.
 Ne tamen haud speres artem perdiscere posse
 Difficilem, atq; alijs grauiore, percipe iā nunc
 Quæ dicam, & posthac alta tibi mēte referua.
 Quæ sciri poterunt, ea primū sola putabis
 Cognoscēda tibi, dehinc ordine cetera disces.
 In primis etenim rerum cognoscere Causas
 Ne dubita, nam saepe ferunt quærentibus illæ
 Sese ultro faciles, si quem uia recta reducat
 Continuis ad se gradibus, nec sistere detur
 Ante illi, quā se thalamo concludere possit
 Quo se maiestas ueri ueneranda receptat.
 Illic quæ fuerint fingendis prima Metallīs
 Semina uisuntur, quæ uè his coctura serendis
 Diuersas adeo coniunxerit ultima formas.
 Nec minus apparet ratio qua posse Metalla
 Ipsa uices præbere suas, alienaq; ferre
 Imperia, aspicitur, nec non & gignere, si qua
 Ars iuuat, atq; manū Naturæ porrigat almę.
 Quin etiā ut sensim madeāt, & mollia perstēt,
 Magnū opus, & quo nō credas operosius ullū
 Esse aliud, nec quo magis ars se maxima iactet
 Præterea haud aberit longē, quin cetera de te
 Percipias ipso, nam uinclo iuncta tenentur
 Cūcta uno, hincq; mod⁹ lēti deprehēditur ig-
 Et loc⁹, atq; decēs lapidis mēsurā futuri, (nis,
 Et color optato uariē sub puluere fufus,

Quoq; modo augendus, deerit forsitan ante
 Conditus, & multo durarit tempore puluis.
 Omnia quæ læto passim tibi certa patebunt,
 Si rerum seriem longo seruaueris usu.
 Et quandoq; probus non dedignabere forsan
 His equidē dignas meritis perfoluere grates,
 Qui procul ignari linquens ludibria uulgi
 Nunc iter ingrederis nobis ducētibus arctum
 Vique adeo, ut paucos capiat, paucosq; remit-
 Incolumes, crebris laceros qn ueprib; oēs (tat
 Id referat, nisi quos alta sub rupe relinquit
 Errantes cæcis in flexibus, unde nec ipsi
 Se unquā, mortalīs uè man⁹ miserata referret.
 Sed tu ne dubites sinuosa errare per antra,
 Cæca reges filo uestigia, quod tibi nuper
 Ostendi, ut tutus ferres tutusq; referres
 Ipse pedem, quod si finem assequerēre beatus
 Optatum, Diuis ageretur gratia primum,
 Deinde mihi merito: tibi qui præsenti- illis
 Consului, uerū si non contingere metam
 Fortè darent superi, cœptum sed sistere cursū
 Esset opus, casu quo saepe humana laborat
 Conditio, at saltē falsi mendacia uulgi
 Exagitans, alios errantes cernere possis.
 Illud sepe etiam in primis, iterumq; monebo,
 Ne, si rara tibi contingat gratia cælo:
 Nanq; aliunde sibi nemo sperauerit, ulli
 Hanc uix insinues caro fido uè sodali.
 Nedum alijs referes, ea nec te noscere iactes,
 Quæ scieris, uerū secreto in pectore seruans
 Tecū habita, & tecū tātū ipsa arcana reuolue,
 Nā suspecta probis ars ipsa inuisaq; multis
 Inuisos etiam cultores efficit artis,
 Mendaces adeo multi quacunq; uagantur,
 Multaq; polliciti uanē, quæ multa nec ipsi
 Resciuerē, neq; est illis ea noscere promptū,
 Qui recta, quæ nos ducit uia, prorsus aberrāt.
 Multos quin etiam insignes, & cetera doctos
 Vidi cuncta equidē tractare, & pēdere magni,
 Quæcunq; ignarū probat ac ignobile Vulgus.
 Quid? qui deridēt oīs, quæ maxima turba est,
 Artifices, tanquam nihil hos interfit & illos,
 Atq; uno pariter pendunt examine cunctos.
 Sunt qui saepe petant, quæ nā sit causa quod
 Aut unquā tantos inter, qui talia curant, (usq;
 Apparet nemo, qui re miracula tanta
 Cōprobet, idcirco nullā, quā dicimus, artem
 Esse, sed ingentis nugas, & inania mentis
 Insanæ commenta sibi manifesta uideri.
 Sed quis tam fragili munitus robore pectus
 Nō queat hæc ulli nūquam referanda tacere?
 Nam quē non prohibet rerū prudentia fari,
 Quæ sibi cōtinuō, fuerint cū dicta, nocebunt?
 Tutus ab insidijs qua se uirtute tueri
 Posset, qui præ se ferret, se condere paruo
 Diuitias loculo ingentes, quib; undiq; regum
 Et regna assurgunt, & opes, opulentaq; cedūt
 Omnia, tanquā illis sint unis quæq; minora.
 Thesauros igitur tantos componere si quis
 Iam potuit, mirē sub amica silentia seruat,

Quod quoq; tu facies, neq; te desistere coeptis
 Id moueat, nullos opibus quòd talib. auctos
 Videris, aut uulgo sese ostētare beatos. (dent
 Nec quoq; te grauiā hęc, atq; importuna retar
 Tēpora, quę nunquā miseri sperauim⁹ ante,
 Hostis ut heu mites iuaderet has quoq; terras
 Barbarus, & longo seruata tempore pacem
 Perderet usque adeo, nedū turbaret iniquus.
 Nunc licet inuasas urbes, direptaq; passim
 Oppida, nūc turpes prędas, raptusq; nefādos
 Audire, & miseris iniecta incendia uillis.
 Naruissā unde suam tristis flet Musa Bononi.
 Turpatos etiam cultus, uiolataq; fœdo
 Milite templa deūm, scelerateq; insuper uisita,
 Et confusa simul diuina humanaq; tantum
 Bella nefas, scelerūq; parens discordia nectit.
 Pectora quinetiam diro commota pauore,
 Et conculsa hominum paucis sic ante diebus
 Cernere erat, ueluti dirarum agitata flagellis,
 Ut sibi quisq; nouas trepidaret quęrere sedes,
 Collectisq; opibus proprijs oneratus abiret,
 Atq; solum linquēs patrium se ferret ad urbē
 Reginam, magna quę cingitur amphitrite,
 Tanquam illo sub tuta forent tunc oīa cælo,
 Quo sese quondam fugiens electa recepit
 Gēs Itali, ut paruis scopulis fertiaret & unda
 Se modica, immensus totā cū exureret ignis
 Ita liam, accensus sęua penē undiq; ab omni
 Barbarie, & multos duraret sotos in annos.
 Quare age, quę magis hęc fortunę subdita
 Quę bōa mēdaci mortales noīe laetāt, (cernis
 Illius aduersum uiolentos fulminis ictus
 Pręsidio hoc stabili temet munire labora,
 Ut si fortē metus pauidos inuaderet unquam
 Nos iterū horrēd⁹, quē Rex hominūq; deūq;
 Iniustos potius conuertat iustus in hostes,
 Ipse tibi atq; tuis & amicis cōmodus adsis.
 Nanq; ubi diuinum secrete munus habebis,
 Diuitibus cunctis opulentior ipse sub ala,
 Aptius, aut loculo quouis, nulloq; labore
 Quo te cunq; pedes, quocunq; in tēpore tecū
 Omnia securę gestabis commoda uitę.
 At si pax iterum nos exoptata reuifet,
 Quā prope iam, siquid ueri mens augurat, esse
 Credimus, & nobis missum diuinitus iri,
 Quo potiore queas tranquillę munera pacis
 Exercere modo: quā quo seu seria tractes,
 Seu tibi sint cordi lusus, & honesta uoluptas,
 Vtraq; tum frugi possis tum iustos obire.
 Nā neq; auariciet, neq; honorū infana cupido
 Nec qui perturbant reliqui mortalia corda
 Affectus, uarieq; mouent, & inaniter angunt:
 Illecebris poterunt ullis te uincere, tanto
 Pręsidio, ac placidę mentis munimine tutū.
 Sed neq; bellorum diri motus, neq; pacis
 Alma quies tantū moueant te quęrere causas
 Rerū adeo obscuras, nec opes, nec cōmoda, q̄
 Perpetuò quocūq; uoles tā multa sequuntur. (te
 Verū id pręcipue moueat, quod munere di-
 Hoc ipse euadas tāto, quo maxima possis (gn⁹

Intimaq; ingentum penitus primordia rerū
 Noscere, quas faciliē haud unquā Natura crea
 Ni quis eā exteris iā nota adiuuerit arte. (rit,
 Quę qui scire queat, felix queat haud min⁹ idē
 Esse, nec optandū quicquā fortasse relinquet
 Pręterea, quod nō inuentis talibus ipse
 Posthabeat, lætusq; uelit fecisse minoris.
 Mens etenim arcanis solum contēta reclusis
 Gaudet pars nostri melior, nec plura requirit
 Cum sese in ueri secessus intulit altos.

IOANNIS AVRELII

AVGVRELLI CHRYSOPOEIAE

LIBER TERTIVS.



Rotinus optatos opulenti pul-
 ueris ortus
 Exequar, hanc etiam solertes
 fumite partem
 Artifices, animoq; diu uersato

uolenti.

Maxima iam uobis grauium miracula rerum,
 Ingenteisq; ausus, artisq; ex ordine summę
 Ignes, & spaciā, & numeros, & pondera dicā.
 In magnis labor est, nec non par gloria, siquē
 Respiciunt placido pręsentes lumine Diui,
 Insegturq; ardens uelut inde accēsa uolūtas,
 Ne uos difficilis rerum experientia turbet,
 Ne u me dicendi nouitas ingrata retardet.
 Tu quoq; , si quid adhuc tibi, quę pręlusim⁹,
 Tentarūt pectus, uotis persepē uocata (almū
 Nympha mihi, dudum sacri custodia fontis
 Extremam tantorum operum ne deferere curā
 Hanc nostram oramus. Nec, si quę maximus
 Ille tuus cecinit Vates ornantia supra (olim
 Tellurem cōplexa foues, cōtemnere prorsus
 Inducas animum, quę nos imitamur, & ipsi.
 Illius impressis quę nunc uestigia signis
 Ponimus internę scrutati uiscera terrę,
 Ne uelut ex alto penitus despecta refutes.
 Quin uideas siqua pariles ea figere forte
 Conamur paruo uadentes grandia passu,
 Sic eat æternum puris tibi leniter undis
 Mincius, & tenera prętexat arundine ripas.

Principio spōtis proprię, semptus ab omni
 Sit cura, & uitam tranquilla per ocia ducat
 Secretus, latitansq; etiam, cui talia curę.
 Illi sit non ampla quidē, sed commoda multis
 Tractādis dom⁹, & uulgo quę abiūcta recedat
 Quāq; locis habeat secreta cubicula certis:
 Quo nullis aditus pateat: ni forsitan ipse
 Iusserit huc famulos non nil inferre minister,
 Qui neq; qd gestent norint, nec cuius in usū.
 Hic breuis ætliua spaciātem porticus aura,
 Et modica exceptū brumali tēpore seruent
 Atria, contineantq; domi, nec paruulus absit
 Hortus, ubi uacuum toto se exerceat anno,

Et

Et uelut huic tantum studiose deditus instet,
 Semina nunc olerum properanti seligat ungue:
 Nunc eadem excultæ telluri condita mædet.
 Mox animū, atq; oculis pascat florentib. her.
 Huc etiā iterdū dulcis admittat amicos, (bis
 Dissimuletq; domi quid agat, gratoq; sodales
 Detineat lusu captos, suauiq; lepore.
 Interea non ille tamen cessare calorem
 Occultum sinat, Aurigerum si fortè locarit
 Semen, ubi proprios æui iā compleat orbes.
 Aut si id continuoq; igni, multoq; labore
 Abstrusum in venis auri perquirere tentet.
 Atq; ideo haud ab re fuerit, quæsisse fidelem
 Muneris egregij socium, longiq; laboris,
 Interiori domus se qui tum parte recondat,
 Inque uicē partitus onus curanda ministret.
 Est etiam non illa quidem postrēma beati
 Artificis ratio, qua se commendet, & ipsum
 Dijs op⁹ æternis, neq; enim sine numine diuū
 Hęc ueniūt, neq; ad hęc ulli adspirare licebit,
 Qui non ritè deos studuit sibi adesse precādo.
 Ipse ego, qui tantum hęc tenui nunc carmine
 Pādere, ter Musis feci pia uota, precesq; (tēto
 Intendi manibus supplex, & pectore puro,
 Vnde mihi insolitum cælo adspirare fauorē,
 Paulatimq; nouas in carmina surgere uires
 Sentio perq; altos colleis, atq; auiæ ferri
 Per nemora incertus uideor, ducor sed auētī
 Mente tamē, quo fata ferūt, ut prim⁹ amœno
 Ex Helicone sacra referā mihi fronde coronā,
 Primus & Aonijs intextam floribus Aram,
 Quæ mihi cum fuerit teneris erecta sub annis
 Et Phæbo, Phæbiq; choro, Genioq; potenti,
 Stat maris Adriaci secreto in littore ducta (dis,
 Ad culmen, placidis qua fertur Ariminus un-
 Aut rapitur torrens uastū uiolentus in æquor,
 Inclyta dū subter pontis monumenta uetusti
 Præterit, & dulcis undas permiscet amaris.
 Propterea inceptas artis, operumq; labores
 Prosequar indictos prius, & fumantia circum
 Tecta ferar Diuūm, tenues qui follibus auras
 Captant, & liquido distendunt ære caminos,
 Et iam Cyclopum fremitus audire uidemur
 Cominus ingentes, cælumq; incudibus actū
 Murrurat, & lōgo Chalybū stridore liquētū
 Insolitisq; mihi resonat mugitibus Aetna.
 Seu quis sementē faciendi quæritat Auri,
 Seu prius Argenti rectè primordia poscit,
 Nosse gradus primū uarios ne spreuerit ignis.
 Sūt plures etenim, per quos pcedat, oportet.
 Sed duo præcipuē, Naturæ est æmulus alter
 Tranquillæ, altè alter uiolentæ conuenit arti.
 Nititur hic operum immensa ui trudere semē
 E solido innexum miris campagibus Auro,
 Cū prius, ut tibi mox referabo, solueris aurū,
 Reddiderisq; humens, nec non & putre, suba-
 Ut facili id ualido demū patiaſ ab igne (ctūq;
 Exhaletq; tumens, atq; in sublime feratur.
 Exemptum fouet ille, nec excedentis adurit
 Tum uirtute caloris opus, frigere nec ante

Permittit, quàm se mirè componat, & ante,
 Quàm sese propria perfectū sponte reponat.
 Hic mihi composita dedatur mente Minister,
 Magna etenim referā primū, tū plurima fādo
 Cōmod⁹ expediā, quæ prisca & barbara turba
 Subtrahit, quæ uē ipsam etiā celasse uolentem
 Crediderim, aut uerbis nescisse potentius uti.
 Hęc ideo lingua nunc illustrare Latinorum
 Ausus, quin etiā numeros his addere conor,
 Grata magis doctas ueniāt ut missa per aures.
 In primis auri lamnas, ramentaue puri
 Accipiens, crebris contundes ictibus, atq;
 Pulueris in morem triti, aut fluuiialis arenæ
 Diminues, longumq; teres, quo deniq; putri
 Humore ex sese interius resoluta liqueſcant.
 Proderit huc etiam largos infundere rores
 Seminis interdum proprii, ne fortè alienum,
 Ut docui supra, quicquam miscere labores.
 Ni quèd multa queat cōnectere, forsitā addas
 Quod uē etiā sparsum rebus cōmuniter insit:
 Nam simili gaudere suo simile omne putato,
 Atq; etiam exterius simili quodcunq; iuuari,
 Præsertim cum naturam natura requirat,
 Atq; amplexa parem cōtraria cuncta recuset.
 Sic quoq; nō digitis, aut pleetro pulsa, moue-
 Fortè fidis, tanquā fidib. tūc affonnet ictis (tur
 Ipsa, quibus fuerit concordī consona uoce,
 In cunctis adeò rerum cōcordia pollet. (par,
 Quare id ne pigeat, quodcūq; est, quærere cō-
 Aut ubicunq; latet, seu montib. abditur imis,
 Vel maris eruitur scopulis, aut fontib. hæret
 In medijs, alto uel se producit olympo,
 Seu quacunq; patet, seu parte absconditur oī.
 Quicquid id est, toto uē orbis se corpe miscet,
 Cuius præualida tam compacta resoluas.
 Ergo ubi iam humescant, angustī uasis in alto
 Fundo compones ipsa hęc non ordine nullo,
 Nanq; p æqua tibi maneāt dispāsa necesse est,
 Ut calor ex æquo penetrās per cuncta feratur
 Vnus, & ex omni compellat parte uaporem.
 Nūc, quibus exceptū rebus cōponere possis,
 Instituam: Vas illud, ubi perferre calores
 Immenſos opus est aurum sic ritè peractum,
 Est genus indomitæ mirum telluris, Hiberus
 Quā fossor uitreas Italūm trāsmittit ad artes.
 Hac etenim argilla fictis uitrarius ollis
 Vitra liquat feruens, eademq; liquentia totas
 Noctes atq; dies longo depurat in igne.
 Hanc igitur primū creta compone tenaci,
 Qua figulus currente rota surgentia profert
 Vascula, & his pergit gratas inducere formas.
 Est etiam Euganeis tellus in collibus atra.
 Sulphurei ad fontes Aponi quā semita ducit.
 Nec minus effossis puteis quandoq; subalba
 Eruitur, marmor referens perſæpe uetustum.
 Quas ut tu cunctas unā coniungere cures,
 Est opus, atq; adeò manib⁹ miscere subinde,
 Vnam quo pariter possis inducere massam.
 Inde scyphi speciem oblongi simulantia finge
 Pocula, quæ etiam parua circundare zona

Os summū studeas, illis aptentur ut altē
 Vitrea uasa super tennes captura uapores.
 Nec minor illa quidē fuerit tibi cura Camini,
 Quo ualidū accendas ignem, multumq; diuq;
 Accensum summa foueas industrius arte.
 Hunc igitur duplici munitum pariete firma,
 Compositoq; aptē limo duc omnia circum.
 Nec mihi displiceat uinclis præcinctus & ære,
 Et silice intectus dura, quæ tegmine ferri
 Fortior, hoc melius tanti uim perferat ignis.
 Hæc quoq; cōtinuo multoq; foramine cōple,
 Vascula quo possis illic tam multa locare,
 Quam multa est operi satis, & q̃ multa labori.
 His ita cōpositis, cum primū accēderis ignē,
 Aestuat is clausa rapidus fornace, feritq;
 Vas recta inferius, totumq; ignescere cogit.
 At proprio quodā species madefacta liquore
 Aurea, quis credat: tamen hæc uidere periti,
 Soluitur, & spondæ paulatim uasis adhæret,
 Mox petere hinc sensim uiri cōuexa uidetur,
 Duraq; quæ quondā fuerat, & densa, grauiſq;
 Mollis habet, uolitatq; leuis, & rara fatiscit.
 Quin niueo candore etiam fucata renidet
 Principiō, mox cæruleo pallore repente,
 Et uiola leuiter tincto persunditur omnis,
 Quæ prius astrorum cæliq; imitata colorem
 Fulserat, atq; Auri fulua perstabat in aura.
 Non tamen indicium faciēt hæc una, sed ipsum
 Illius interea licet obseruare saporem,
 Hæserit os circum uix perceptus amaror.
 Indicio est etiam sonus hinc obtusus, & aure
 Deprehēdi haud facilis, necnō odor haud gra
 Sulph. extēplo paulū spirauerit atri. (uis, & si
 Quid, qd' & interdū liquidā se fundere in un-
 Ipsa uidetur itē, quæ sursum repserit ossa, (dā
 Vsq̃ue adeo non grande semel mutarier Aurū
 Visū est, & superas ferri graue pōdus in auras,
 Hic liquor est, qui si certo sit tempore lectus,
 Bina ministeria ex sese præstabit abundē,
 Alterū, ut hinc aurū propriū quādoq; liquore
 Seminis infundas, ipsum cū soluere primum
 Cœperis, & prima simul id contriueris arte.
 Alterū erit, quod cū hic doctē imiscebitur hæ-
 Forsitā aduectas Indo de littore Baccas, (mor
 Cum senio obductæ non nil pallere uidetur,
 Restituet quondā proprio candore nitentis.
 Aut ex arte nouas etiam, si fortē capido
 Id facere incessit unquam tibi, fingere posse
 Perspicuo inuenies illo puroq; liquore.
 Qd' si quādo sequēs rerū pulcherrima, quod-
 Egregiū meditari op̃, & cōponere uelles, (dā
 Pulchrū æque haud q̃cūq; nec tā mirabile pos-
 Deligere, humanā qd' tūc imitere p̃ artē, (sis
 Has adeo circum ludit Natura creandas,
 Seu cū se summo pādūt in marmore Conchæ,
 Ut genitalis eas anni stimulauerit hora,
 Implenturq; leui cōceptu roris hiantes,
 Et grauidæ certo mox edunt tēpore foetus,
 Aetheriūq; illis sit candens Vnio partus.
 Siue animaduertas, cur non se rosceidus unā

Induat in speciem simili conceptus ab ortu,
 Nanq; ubi ros purus cupidus influxerit illis,
 Conspicitur toto diffusus corpore candor.
 Turbidus at fortum prorsus sordescere cogit.
 Quem rursus uideas cælo pallere minante.
 Quippe illo cōstāt, cæliq; his maior inest uis,
 Quam maris, hinc uariāt, & p̃ lurore uicissim
 Nubilis est illis color, aut pro luce serenus,
 Dum fouet alba senis Tithoni Aurora cubile.
 Hinc etenim pasci tunc illas cernimus, & cum
 Se tempestiue saturant, grandescere foetus.
 Comprimitur uerō, si fulgurat, ipsa repente
 Concha pauēs, restatq; minor ieiuna timēdo.
 Verū si intonuit, pariter compressa pauenſq;
 Inflatā uento speciem, & sine corpore gignit.
 Atq; hi concharū uerē perhibentur abortus,
 Nam cute multiplici sani constare feruntur,
 Et penitus solido compleri corpore partus,
 Atq; ita, quo callum reputes id corporis esse,
 Quod sale permulto soleant purgare periti.
 Id mirum est, cælo tantum gaudere sereno,
 Sole rubere illas, cādorē & perdere, & ipsum
 Custodire ideo merfas pelago altius, atq;
 Se radij ualeant usquam contingere Phœbi.
 Flauescunt tamen, & rugas traxere senectæ,
 Nec constat uigor ille, nisi durante iuuenta,
 Quem petimus, sic his etiā longa officit ætas.
 Hæret & interdū duris uetus Vnio conchis,
 Quē neq; ab his ualeas nisi forti auellere lima,
 Quāquā oīs pariter pprio sit iēquore mollis,
 Exemptus uerō dureſcat protinus idem.
 At si fortē manum capientis præuidet ipsa
 Concha, statim cōpressa operit seseq; suasq;
 Intus opes, se gnara peti uiolenter ob illas,
 Atq; ita præueniens acie proſcindit acuta
 Sæpe manū, & pœnas decepto sumit ab ho-
 Deniq; quod solers sumi prudētia Vatis (ste.
 Esse apibus circa regem miratur, id ipsum
 Obseruare ferunt Conchas, ut grandior uo
 Imperet, atq; alias passum præca. lida ducat:
 Quæ si fortē capi, nam hæc urinantibus una
 Cura est, contingat, palantes protinus omnes
 Includi reliquas facile est tam retibus, atq;
 Incolumi quo maior erat fiducia rege,
 Hoc illis capto subit inconstantia maior, (est.
 Vsq̃ue adeo in cūctis duetorē amittere magnū
 Præcipua his uerō dos est, æquissimus orbis,
 Cādor itē æthereus, tū limpido undiq; leuor,
 Et magno pariter iustū sub corpore pondus.
 Sed satis hæc, nequa uidear cōtendere sumis
 Ipse uiris, meritō sibi qui peperere uirentem
 Semper, & in nullo languētem tēpore laudē,
 Nec mihi certandi ueniat tam uana cupido.
 Tu modō, cū dabitur, collectū ritē liquorem,
 Nam non sæpe fluit, tantos seruabis in usus.
 Nanq; illo sparsus pallens prius Vnio candet,
 Quin nouus efficitur, si post cōponere cures
 Cætera, quæ cura nihilo maiore parantur,
 Ut referūt, qui hæc egere & scribere docētes.
 Possem multa tibi quærentum inuēta referre
 Artificum,

Artificū, qui dām res has scrutantur, & errant
 Nunc huc nunc illuc, alienaq; sæpe secuti,
 Quā peterēt, miranda aliās, nec cognita pridē
 Inuenere, quib. fruitur nunc vita repertis.
 Ut qui vitra adeo varias imitantia gemmas
 Effecere prius, necnon qui Nitra Salesq;
 Iniungere simul lymphis & Alumina primi,
 Seiungiq; alijs Aurum docuere metallis.
 Vel qui tot nobis etiam ostendere colores,
 Purpureū viridemq;, aut quo caelestia tecta
 Interpicta micant, & crebris ignibus ardent.
 Seu quem floriferi tranquillo tempore Veris
 Leta maris summas spargit Galathea p vndas.
 Quem facere eximia si qua cupis arte colorē:
 Nanq; illum nobis etiam natura ministrat
 Inuentum scabris in rupibus, hic tibi nulla
 Proueniet de parte magis, quacunq; vel arte,
 Cærule qui placidi referat Neptunia ponti,
 Quam qui prætenus flauo detergitur auro,
 Hunc adeo ex sese profert & detegit vltro
 Aurea Cyaneo conspirans aura colori,
 Cum floret miræ in morem rubiginis aurum
 Suspendum supra os ollæ candentis aceti,
 Marmoreoq; etiam cōpletæ puluere primū,
 Deinde simo in putri, iugue humore repostē.
 His ergo atq; alijs, quos enumerare colores
 Longū esset, cūcta in tabulis simulata reponūt
 Pictōres, quæcunq; procul propiūsue videri
 Contigit, ut Prisci mira expressere, neq; vlli
 Non eadem mirē nunc & pinxere Minores,
 Quos meus ingenio cūctos imitatus & arte
 Iulius, effingit quicquid natura sub ipsis
 Exposuit diuersa oculis, seu surgere montes
 Aerios, imasq; simul subsidere valles,
 Collibusatq; etiā introrsum protēdere hiatus
 Aspicias, vacuisq; ipso se findere rimis.
 Seu petere exiguo cōprehēfos margine cures
 Prospectu latē campos, & florida rura,
 Fluminaq; immensas inter currentia terras,
 Et maria, atq; lacus, viridiq; in gramine fōtis,
 Quo Nymphæ, Satyrīq;, & monticolæ Syluani
 Conueniunt, cæloq; illic & sole fruuntur
 Quisq; suo, varijs intenti lusibus omnes.
 Multaq; præterea, quib. artes haud pudet vti
 Ceu proprijs reliquas, si qua imiscere metallis
 Pergit ritē manus, ut cū spirantia quondam
 Aera Myrhō, vel nūc eadē cū excudere Crisp⁹
 Certat fingendi præstans & fundere iuxta,
 Multaq; construere, & multa admiscere, suūq;
 Sufficere his ignē doctus. Nec inaniter illum
 Crediderim arcanā meditatū plura per artē,
 Qui genus id nuper tormenti ex ære peractū
 Horrendū miseris edit mortalibus, altos
 Quo murorū apices lōgē quatit, & graue pōd⁹
 Machina terribili iaculatur in aëra bombo,
 Quo tellus tremit assultans, atq; oppida circū
 Icta procul diro strepitu, ceu fulminis, horrēt.
 Quales attonita stupidi percepimus aure
 Littore nūc Veneto, Patauī dū magn⁹ ad urbē
 Rex sedet, & latos diuerso milite campos

Occupat, at cōtrā Venetis se exercit⁹ intrā
 Continet, & varijs arcet terroribus hostem.
 Sed quid in hæc fando diuersi venim⁹? an qd
 Nos & agit, q nūc vertit fer⁹ omnia Mauors?
 Pierides cōtrā contendite: nam neq; vobis
 Vnquā aberūt, ausint q talia: sed neq; munus
 Ingratū est qd cūq; paro: nāq; hoc mihi tantū
 Iulsiſtis, quod & ipse lubēs præstare laboro,
 Aequ⁹ in his quāuis labor est, & gloria dispar.
 Nunc age continuus calor, & secretior ignis,
 Quo fouet ac reficit sese vis seminis intus,
 Edetur, tempusq; sacri geniale Hymenæi,
 Perpetuisq; almi succensa cubilia tedis
 Coniugis, & veri Veneris dicentur Amores.
 Ergo niuem cū tu vitro deraſeris auri,
 Hanc Hyali paruo rursus in vase repones,
 Cuius item modicū feruenti os obſtrue vitro.
 Tum tibi seu lapide excisum formare caminū
 Siue luto fictum, studeas, cui subdita lampas
 Ardeat assiduum producens vsq; teporem,
 Quem super impositus dēs cinis aurea seruet
 Semina, quæ fundo phialæ claudatur in imo,
 Et vitreo dum vase diu conclusa coquantur,
 Ostendant prima varios in fronte colores:
 Nāq; ipsum quoniā præ cūctis quærimus atrū
 Post quater vndenos soles cū noctibus actos,
 Vnde color tota candens educitur arte,
 Ex atro ad candentē alios extare necesse est,
 Quos spectes medios inter contra: ia sensim
 Apparere tibi: nanq; hoc natura requirit,
 Quo sibi cōueniat concors, atq; vndiq; tota,
 Nec nisi decursis spacijs extrema tenebris:
 Omni nanq; dabunt tibi tot se parte vidēdos,
 Quot trahit aduerso solis splendore colores
 Iris, vbi terris cælo incuruata recumbit.
 Aut quot sæpe leui motu variata videmus
 Colla referre auium, quas Iuno iungere curru
 Ante alias omnes volucres dignata, superbis
 Centū Argi voluit prætexere lumina pennis.
 Ast vbi se fulco perfuderit ipsa colore
 Massa, putes proprium te sufficisse teporem,
 Quo femella marem suauī cōplexa foueret
 In gremio: ast illi sensim instillaret amorem
 Focis amans, dulciq; simul langueret vterq;
 Connubio, & ditem proferret deniq; partum.
 Hinc ea paulatim pullam deponere vestem
 Incipit, & sese pallenti obducere palla,
 Inq; dies minus atq; minus pallere, neq; vllō
 Cessare interea momento temporis vnquam
 Sæpius innumero conspersa colore vicissim,
 Quin albere iterum maturēt fœdere tanti
 Coniugij iuncto, quo iam resoluta latenter
 Putruit, & vires quo nunc recreata resumit.
 Hic igitur ne qua tepidum summoueris ignē,
 Et genitalem intus vim vi subeunte foueto,
 Ales ut assidue tepidis super incubat ouis,
 Nascendisq; adhibet pullis intenta vigorem.
 Quem tu continuē morem seruare memēto,
 Hanc ut, dum Phœbi circū se verterit orbis,
 Plurimus exacto cōprehēdat rēpore candor.

Hæc tibi tangenda est duranti deniq; meta,
 Hic equus est soluendus, & hic iam terminat &
 Quo cursu tenuisse diu lætere laborū (quor,
 Tantorū, & longum patienter multa tulisse,
 Ac iam tempus adest, quo felix præmia sumas
 Debita, quæ tanto demū sudore pararis.
 Accipies igitur viui de more subactum
 Argenti pondus, triquetroq; in vase repones,
 Quo calefacta solent immissa metalla liquere,
 Cūq; tibi in medio vas ipsum aptaueris igni,
 Cœperit & misso sursum feruescere fumo,
 Pulueris exigua perfecti proijce partem
 Desuper, & tantis succendas foliis ignem.
 Nanq; id cōtinuū, quod tu mirere, liquecet
 Argenti in specie, quam fufam deinde canali
 Angusto in gracilem videas durescere virgā.
 Nō tñ hīc prorsus sistendū est, eia age longum
 Ingresso tibi restat iter, quo pergere cura
 Strenuus, & quondā felicem perfice cursum.
 Nec mihi det vitio quisquā, si cōdita claustra
 Naturæ referare nimis, vel inutile forsan
 Humano quicquam generi proferre videbor,
 Cum, veluti cunctos auro ditescere vellem,
 Ipsum qua fieri possit ratione docere
 Tentabo, abstrusum quod sic natura sub imis
 Mōtib. occuluit, quo gens humana p omneis
 Id peteret patiens atq; exantlata labores,
 Quoue vno precijq; modū summāq; teneret
 Morales, illoq; foret mutatio rerum
 Aequior, & varias inter cōmercia gentis
 Apta magis. Quod si certa produxerit arte
 In lucē id quisquā, vulgoq; vt pergat in vsum,
 Fecerit, atq; ideo preciosum vt vile putetur,
 Cōtinuū exciderint reliquæ tā segniter artes,
 Quantū hæc extulerit caput indefessa, neq; ip
 Fortè pater curis acuet mortalia corda (se
 Amplius, inde graui passus torpere veterno
 Omnia, vel poti⁹ sceleratū mox genus omnē
 Iusserit humani speciem mutare decoris,
 Ipsum autem, vt varijs agitauerit antè periclis
 Autorem sceleris tanti, aut detrudet ad orcū
 Fulmine, vel celsa religatū in rupe perennes
 Aeternū pœnas coget dare: nam qd Olympo
 Ossa superpositus, necnon & Pelion Ossæ
 Cœumq; Iapetumq; magis seuumq; Typhœa
 Finxerit horrēdi Iouis ira, & fulmine dignos?
 Aut magis æthereis subductus sedibus ignis
 Caucaſea meritū volucrisq; & rupe Promethea
 Quā, q hac imprudēs aurū inuulgauerit arte,
 Dignus erit pœna simul vt multetur vtraq;?
 Cauerat hac princeps re forsan Claudius vna,
 Flexibile vt fieret mirando examine vitrum,
 Detraheret ne qd precia olim imposita metal.
 Vidit idē inferior lōgo pōst tēpore Cēsār (lis.
 Ipse etiam fortasse, artis cum perdere tantæ
 Artifices voluit, iussitq; exurere librum
 Multorū aggestū cumulū, dum fortè peragrat
 Milite cōposito Aegypti ditissima regna,
 Et timet imperio Romano prouidus arte
 Ex illa, & multis opibus tunc inde paratis.

Quin frustra Phaun⁹ Pico satus, & Iouis alm⁹
 Ipse nepos, merita ferretur laude, quod olim
 Prim⁹ ad Hesperios specubus de pmpserit al.
 Argenti latē venas, primusq; per ipsum (tis
 Aurum aditus tantos tellure recluserit ima,
 Horum conditio si qua vilesceret arte.
 Verū id non agimus: nō omnib. oīa nanq;
 Scribimus, hac tota vulgus sed parte perosi
 Ludimus, & pcul hinc certū est arcere pfanū,
 Et terrere etiam scriptis, ne attingere sensu
 Speret, quæ paucis canim⁹ prudētibus, & quæ
 Non tanq; artifices, sed vt olim cætera, tanquā
 Scrutantes opus id naturæ, dicimus, & quæ
 Vix illis pateant magno percepta labore,
 Qui moniti nobis digniq; ad tanta vocantur.
 Præsertim cum ritè volunt indicta relinqui
 Nōnulla, aut dici scel⁹ est ea quippe nefandū,
 Ni penitus cæcis ambagibus inuoluantur.
 Ac nōnulla etiam (quod parcè nos tamē vltro
 Fecimus) interdum sparguntur falsa: neq; illic
 Omnia præcipuè credas tibi vera referri,
 Ars vbi secretos duci tentatur in vsus,
 Atq; vbi quo pacto sese experientia promat,
 Prodimus addicti perplexæ legibus artis.
 Quin vbi naturæ vires aperimus, & artem
 Illius affeclam decernimus, atq; vbi primū
 Esse hanc, mox quæ ea sit, ostēdimus, oīa passī
 Vera tibi porro occurrēt magis, & magis inde
 Omnia percipies, quæ sunt ducēda sub vsum,
 Quā illinc, artis vbi nobis modus ipse doceri
 Est visus, nostroq; parens fieri documento.
 Nec fuit hæc sandi tantū sententia, quantum
 Hīc mihi nescio quis furor incidit, vnde fauētī
 Numine non trito ductarer calle sub alta
 Culmina Pieridum, lētosq; inuifere colles,
 Et fontes haurire sacros, & carpere frondes
 Sperarem, doctæ iam præmia frōtis honesta,
 Atq; adamata mihi, & multos quæſita p ānos.
 Hæc nam sollicitas inhihent solatia curas,
 Hic amor, hæc vacuā tenet oblectatio mentē,
 Gratiaq; , atq; vna hæc aīm cōplexa voluptas
 Explet, & hinc totū percurrūt gaudia pectus
 Gaudia Castalidum dono concessa sororum.
 Ergo hinc digrediens edico, ne quis ab igne
 Amoueat, qd rexit opus, ne fortè remittat
 Conceptum durante diu virtute calorem:
 Sed contrā intendat potius, quo pferat ipsum
 Tacta manus tamē artificis, ne qñ mouentem
 Vim sese excedat calor, at tam iugis & equus
 Perduret, quā læta illum natura sequatur.
 Ergo, quin pergas, tūc te mora nulla retardet,
 Desieris cum iam vltius proferre nitorem
 Sperati & demū iam tum candoris adepti:
 Sed tamē vt properes obstet patiētia semper
 Fida comes, quæ te pariter ne lōga moretur
 Ipsa dies, faciat. neq; enim tibi tēpore parta
 Tanta breui speres, quæ si cōquirere possis,
 Nulla aquē qrenda alia, aut optāda relinquas.
 Hic itaq; vltius postquā processerit ignis,
 Nō vnus color, aut facies spectanda, sed antè,
 Quam

Quam tibi purpureus se pferat ipse videndū,
 Paulatim croceo perfusus candor amictu,
 Et variē immutans, totū durabit in annum,
 Cum ruber ostendi mox cœperit, atq; sub altā
 Perspicuus florere cutim, violæq; rubenti
 Assimilis, iuxtaq; nitens Tyrio hyacintho.
 Haud tamē hīc etiam sistas, sed protinus vltra
 Perge, nec à recta, qua te via ducit, aberres.
 Tum tibi ne in mentē veniat, nec suadeat vllō,
 Vt quicq; immutes ignē, ni fortē parumper
 Intendas, quē ferre tamen vel tangere possis,
 Cum libet, illæsus, quē sit tibi meta, modusq;,
 Quo nihil hoc toto seruandū tēpore credas
 Esse magis: nāq; hoc naturā imitabere tantū.
 Cætera, si pecces aliqd, vel fortē relinquas,
 Corrigere, aut rursus cōponere, nil phibet, si
 Rectē animaduersa hæc pridē, & q̄lita fuerūt.
 At si desistas, quo vis intermoriatur
 Ignea, continuo quē fortū fomite pascit,
 Nil agis, & subito cum primū desinet ignis,
 Cuncta ruent, quæ non vlla reparaueris arte
 Amplius, ac frustra tentes fulcire ruinam.
 Verū si contrā studeas augere calorem
 Impatiens, pigeatq; moræ te, protinus illud
 Amittes, longo quod dudū tempore quæras.
 Propterea assisistens operi bombycina lychnis
 Nunc ipse imponas filo contorta trilici,
 Nunc oleo demissa leues, eademq; retorto
 Profer acu, aut putres cōtūdas forcipe fūgos.
 Contemplator item, cum se mutauerit aer,
 Sumpserit & vires iam tempestatibus æquas,
 Si media, vt par est, torrenti æstate calefcet,
 Et tuus hic etiam nolens augebitur ignis.
 At si frigefcet gelidis Aquilonibus aer,
 Et tuus hic etiam nolens sedabitur ignis.
 Tu verō, si frigus erit, mox addere primis
 Fila tribus sapiens accingere, quæ tibi speres
 Esse satis, sed si æstatis supereminet æstus,
 Occurras, demasq; celer quæ adiūxeris antē.
 Aut latera extēplo attenua nimis ampla cami
 Et graciles illi spōdas aptare labora. (ni,
 Aut contrā, tenuis paries vbi fortē maligna
 Ex sese admittet vel rimis frigora, limo
 Tum latera hæc eadē crasso duc omnia circū,
 Quāq; potes iussum cōserues arte teporem.
 Nec pudeat cribro cineres agitare, neq; ipsos
 Ampullam circum tenues aptare tepentem
 Interea, quando videas inolescere fortum
 Scilicet, & densum magis affectare ruborem,
 Tertia quo tandem veniat feliciter æstas,
 Quæ tibi præteritos demat perfecta labores.
 Nam simulac plenū color effert purpureus se,
 Cunctandū nihil est, quin puluis valse beatus
 Dematur, variosq; tibi seruetur in vsus,
 Cætera siue velis auro mutare metalla,
 Seu libet affectis etiam mortalibus esse
 Auxilio, & tristes illis depellere morbos.
 Haud tñ exactē quisquā sic cōputet annos,
 Vt nil diminuat numero huic, nil insup addat.
 Nam seu materies habilis quandoq; reperta

Acceleret cursus, eadē non apta retardet,
 Seu calor intēsus paulo min⁹ aut magis equā
 Mensurā exuperet, variet tēpū sue, locū sue:
 Hinc tibi, si spectes, ratioq;, & causa patebit,
 In longum tanti spaciū quæ duxerit ortus,
 Fecerit aut breuius: neq; enī quē septim⁹ edit
 Mēsis, erit fallax hoīm partus. Nec & hūc, quē
 Protulit vndecimus, non verū dicere possis,
 Quāq; hæc in superos soleāt & in astra referri.
 Sunt qui deinde tamē non paruis ignibus illū
 Noctes atq; dies septē in fornace perustum
 Detineant, donec magis hic densetur, vt aiūt,
 Quod tñ haud omni sapiēs ex parte probarit.
 Nā facere haud quicq; simile huic natura vide-
 Cœperit at si quē, seruat mox vna tenorē (tur:
 Semper, & incepto quæ sint diuersa refutat.
 Hæc tibi quo totū peragāt, quē circūagis orbē
 Rectius, integri, moneo, ne spreueris anni
 Obseruare tuis in rebus tempora passim.
 Ac, si me quicquam studeas audire, sub ipsum
 Ver adeo incipies, quo totus parturit orbis,
 Et quo se cunctis aperit natura creandis,
 Cuius ad arcanum componas cuncta tenorē
 Me duce, quod monui semper, ne calle relicto
 Illius, à recta quoquam discedere tentes.
 Vere igitur tum vitra tibi conflare iubeto,
 Vere etiā formare luto atq; aptare caminos,
 Cū desēuit hyems, ac dum nō impedit æstas,
 Vt quāuis validos pertractes cominus ignes.
 Forsitan hīc numeros quæras, & pōdera rerū,
 Quas tibi cōstituas, opus id q̄ perficis, antē.
 Verū si reputes, tria sunt primordia tantū:
 Dehinc duo, dehinc etiā, rectē si videris, vnū
 Tantū erit, & solo triplex cōstabit in auro.
 Quin ipsa hæc vno cōprehēdas pōdere cūcta:
 Nam nihilo distant inter se iuncta, suūq;
 Quodq; sibi alterno permutat pōdere pōdus.
 Quæ tamen exactē prorsus sic omnia tractes,
 Vt neq; tam tenui numero subducere cures,
 Ac neq; tā modica perpēdere lance minutim
 Hi, quibus argento mirē secernitur aurum,
 Instrumēta quib. maneat, quæ tēpla vocātur.
 Nam tēpli faciē præstant circumdata vitro,
 Et pedis vnus modulo constructa decenti,
 Quo nusquā tenui penetret vi spiritus, atq;
 Hic erecta bilanx præceps immotaq; peritet.
 Atq; ideo argenti massæ, quæ cōtinet aurum
 Infusum, drachmā capiunt, quā rursus acuto
 Incidunt ferro, mediamq; illius in acris
 Diffundunt latices partē, mox illa virentis
 Particulas auri linqvit resoluta per vndas,
 Hæc propria nigre ad fundū gravitate ferūtur,
 Quas illi excipiunt, & parua lance receptas,
 Exiguo quocūq; leues sint pōdere, pendunt.
 Subductisq; iplis, dū qd' sub parte repertū est
 Tunc aurū, artificis miro solertia ductū
 Cōputat, in toto reperit quæ summa resultet.
 At quanquā numeris, opus est, vtare minutis
 Vsq; eadeo, vel pōderibus, satis attamē vna
 Tantū electa tibi fuerit tribus vncia primis

Ex illis, quam tu, vt docui, sic ritè gubernes:
 Aut si fortè duas sumis, nil amplius addas.
 Nam te, quod superest, etià nonnulla docebo,
 Quæ tibi cum fuerint alta sub mente reposita,
 Noris, cur modica contentus parte labores.
 Hic ego non fictis, quæ sunt tractanda, figuris
 Eloquar, & longis obducta ambagibus edam,
 Quæ quondam artifices ipsi celasse fatentur
 Consultò, tanquam veteris mandata Sibyllæ.
 Extremo huic igitur prudens ne cede labori:
 Nā brevis atq; artis infimæ est, sed diuitis v-
 Ergo vel in primis fuluo cōfunde metallo (sus.
 Confecti paulū medicaminis, idq; beati
 Pulveris actutum præ se vim ferre videbis.
 Vel gravidū puro semen cum rursus ab auro
 Haud facili & multa extrusum collegeris arte,
 Qui modus ex illis, quæ pridē exegimus, extat
 Expressus satis, & fari non omnia par est:
 Huic tu purpurei partē mox pulveris æquam
 Immisce, atq; illis lentum succende calorem,
 Ac geminos illas etiam simul excoque mēses,
 Quo seriem spacio cunctam prodire colorū
 Peruideas, qualem ternos miratus in annos
 Videris, atq; breui sumas, quæ maxima longo
 Tempore iam tota quæstisti sedulus arte,
 Idq; iterū atq; iterū facias, quotiesq; peractū
 Id fuerit, toties vires illius, & ipsum
 Pulverē exauctes cumulū: nanq; ocyus ipse
 Crescit, & hinc aliam sumit, retinetq; priorē
 Virtutē crescentē etiam: nec credere vanū est,
 Illam adeo interdū priscis autoribus auctam,
 Ipsi ut tenui proiecta parte per vndas
 Aequoris, argentū si viuum tum foret æquor,
 Omne vel immensū verti mare possit in aurū,
 Neptunusq; supra diuos ditissimus omnes
 Tum fieri, & strato lulum Nereides auro
 Ire super, puro siccantes sole capillos
 Cæruleæ, quo non alius color aptius auro
 Hæret, & æthereo cū plenē conuenit aurū.
 Hæc super aurifera non inuidus arte canebā,
 Dū ferus Ausoniæ populos agit vndiq; motus
 Atq; rapit refides & longa pace quietos
 Arma p, innumerasq; immani vulnere cædes,
 Horrendū in facinus, quo mistū ignobile vul-
 Principib; rerū qb. est pmissa potestas, (gus
 Præcipitat, stupidisq; necē mortalibus atram
 Ingerit, atq; ipsa grauiore morte labores.
 Illo Augurellum me tempore tutus habebat
 Adriacus bacchante sinus per cuncta furore
 Barbarico, magnæ vel cū primoribus Urbis
 Versantē, aut studijs Musarū multa vacantē,
 Carmina qui fidib; iam pridē aptare canoris,
 Tū doctos salibus Sermones spargere puris
 Tentavi, & demū iam rectos ausus lambos
 Edere nūc lusi somno velut excitæ arcto, (uāt.
 Qua data porta inter geminas, quæ somnia ser
 Cornea nec nobis paruit, nec prorsus eburna
 Emissus cecini falsis insomnia verbis.

Chrysopæia Finis.

IO. AVRELII AV-
 GVRELLI AD PETRVM LI-
 pomani Hieronymi F. Venetum P. Ge-
 ronticon Liber primus.



Vnt cordi Musæ nobis, sunt car-
 mina curæ,
 Cætera, quæ vacuā tenuissent
 gaudia mentem,
 Omnia nūc semota, refert hæc
 vna voluptas

Quicquid dulce olim sensu percepim; omni.
 His ergo hanc grati secretam ponimus aram,
 Hic Hederæ & Lauri, necnō & amœna vireta
 Apricos inter colles, hic Myrtea sylua,
 Et Veneri sacer est lucus, nec grata Lyæo
 Mitis abest pendet quæ spissis vva racemis.
 In primis sternenda mihi est auro area multo,
 Tū cœptæ è solido surgēt Adamante colūnæ,
 Queis altè supra impositū consistere tectum
 Instituam gemmis ornatū grandibus, atq;
 Aeternis densi victū compagibus æris,
 Iam quibus inter se nexis non vlla vetustas
 Offuerit, quanq; validis conatibus obster.
 Stabunt in medio diuæ, templumq; tenebūt.
 His ego dehinc cœtu vatū comitatus honesto
 Dona ferā, non quæ vulgò cōsueuimus illis
 Offerre: at rerū prorsus rarissima quæq;
 Nobilium, quales tantum seponere summi
 Electas omni è numero potuere poetæ.
 Tuq; ades ô gētis Lipomanæ digna propago,
 Et rara iuuenis virtute ac moribus aucte
 Eximij, summa quæ cæli sede profecta
 Eueniunt, rectaq; solent sub mente reponi,
 Tum mihi te vacuū da nunc, & pectore puro.
 His ego te sacris adhiberi, & fungier opto,
 Quæ tibi nunc vni nobis cōmissa parantur.
 Ergo humeris primū vestē hanc candentib; al
 Induere, & mecū tātis accingere reb; (bam
 Adsisitensq; mihi puris è fontibus hauri
 Diuinum laticem, ac manib; cape lilia plenis,
 Collectosq; vnā vario de cespite flores.
 His demum latè, dum verba precantia fundo
 Ipse hæc Musarū dudum Phœbiq; sacerdos,
 Sparge solū, & suauī cōpleto cuncta vapore.
 Phœbe, nouē circū quæ numina sancta sororū
 Semper habent, diuisq; illic Pæana canendo
 Aeternā interdū spargunt mortalibus auram.
 Vnde vicens sumit dias in carmina vires
 Spiritus, & summo deducit ab æthere vatem,
 Illius huic haustum fas sit sperare precanti,
 Qui tibi toto animo primis famulatur ab ānis.
 Is tibi candentem taurū niueamq; Iuuenecam
 Constituet Musis sacrū, viridemq; quotannis
 Appendet templi medio sub culmine Laurū.
 Atq; ignē hunc vobis, quo seruēs ara renidet,
 Et dabit, & longa lucentem ætate fouebit.

Vos

Vos rata iam nutu facietis cuncta benigno.
Hæc præcor: at tu etiâ supplex in vota pcesq;
O iuuenis, quem mox superi ad maiora refer-
Insinua temet diuinis, omnia quâdo (uant,
Ritè tibi sunt acta: deus nâq; omine certo
Annuit, & liquidis fulsere altaria flammis.

AD LEONEM X

PONT. MAX. ASCEN.

sus primus ad Deum.

Am multa mecum cohor, &
voluo diu
Promissa si qua parte perfol-
ui queant,
Quæ sancte quondam fecerâ
pater tibi,

Vbi occupatas detinebam paruulo
Aures libello forsitan ineptus tuas,
Arcana quanuis ederem illic Dedalæ
Naturæ, & artis præpotentis munera.
An non ineptè facere sum visus quidem?
Cum mira apud te illa fore tum considerem
Vecors, videri cui potest mirum nihil,
Humanitatis cum supragressus modum
Humana pariter cuncta parui feceris
Statim, nec humile, imûmue cogitaueris
Quicquam, supremæ sedis vt adisti gradus,
Diuûmq; inisti tantus in terris vicem.
Sed hæc fuere. Nunc quod instat, pergimus
Tuo fauenti concitati numine
Ordire, & ea, quæ pollicebar, reddere,
Vt quimus, vtq; spiritus cælo potens
Afflat pusillis. Tu serena videris
Hæc mente suppliciter precamur, qua soles
Quæ offeruntur cunq; tibi, neq; abnuas
Impendere mihi paululum interdum moræ,
Hæc donec intus intuens, inspexeris
An fortè rectâ tendimus per arduum,
Quod nunc inimus hos ad ascensus, iter.
Non esse, secum dixit insanus, deum
Excorsq; & impos mentis, experts consili,
Rationis, ac pietatis omnis indigens.
At esse sapiens mente primûm concipit,
Dehinc voce clamans splendida palâm facit
Non esse tantûm, sed potente dextera
Eum tenere, regereq; & nutu suo
Quæ cuncta fecit, temperare, & omnibus
Adesse vbiq; & imperare singulis.
Verûm haud leue est videre quos scandat
gradus:

Hæc quisquis animo versat, & tendit supra
Id, quo potest nunquam vlla vis mortalium
Conata ferri, ni superna cælitus
Spirarit aura, ac illius nisi fauor
Præsto sit, ipsa cuius hæc perquirimus
Dicenda, nullo non furore perciti.
Pauor tremorq;, cui comes reuerentia,

Qua non sit alia maior, hinc & hinc premunt,
Nosq; admonent sic paruulos, pòdus graue
Et impar humeris haud subire. Verûm amor
Potens inaccessa olim facere peruia,
Cum spes fidesq; prodeunt illi obuiam,
Hortatur, atq; penè cogit ingredi
Orationis intimæ latens iter.
Quid ergo agam tu mi impèra deus meus,
Rex vnus omnium, ac herus solus mihi.
Iubésne domine? forsitan quidem iubes:
Nam nō video vt aliunde spirari hæc queant.
Experiar igitur, tu, præcor, cœptis faue,
Volensq; & adsis, & iubens præsis mihi,
Si nostra non superbit hæc precatio.
Testantur opera te tua, enarrant poli
Tuam per orbem indefinenter gloriam.
Est nam quis adeò, cum superna suspicit,
Vecors rudisq;? qui statim non cogitet,
Ac voluat ipse sæpius secum stupens,
Quæ, quantaq; uideat, quibus vel orbibus
Ferantur illa, aut quas vicissitudines
Seruent ratorum consecuta temporum
Semper tenorem, legis haud casu datæ
Iussu, sed vna æquante prouidentia
Cuncta hæc benigno distributa munere.
Quis rursus orbis cæteras partes videns,
Interq; versans, desinat mirarier
Terræ patentem subiacentis ambitum?
Fusumq; supra continenter aera,
Terræq; circum margines fusum mare?
Et quicquid hæc exornat, atq; in his simul
Vitam peragit, vt omne stirpium genus
Quæcunq; se tollunt humo, & quæ vestiunt
Telluris almis æmulam gemmis cutim?
Vt multiformis ac vagans animantium
Proles per amplos sparsa tractus vndiq;
Terræ marisq; crescit, & semper sua
Vi fertur vna, qua potest, & qua prius
Natura proprios impetus illi dedit.
Adde his liquentis lucidosq; fontium
Fluxus, & altis amnium cursus vadis
Ripas amœnas inter, inter collium
Aprica, & herbis suauibus virentia
Camporum. At imas montibus subsidere
Valles, & altos erigi conuallibus
Montes ab imis, limpidos sterni lacus
Subter virentum rupium cacumina
Quis non, serena mente qui sit præditus,
Miratur? Aut cui non quoq; est miraculo
Immensa marium littorumq; vastitas,
Et insularum varius ac gratus situs?
Quicquidq; tandem reddit & seruat decens
Ornatus orbis omnium pulcherrimus?
Quid? si quis ipse se intus, ac extra æstimet,
Et alterum se tum esse mundum sentiat,
Opusq; summi opificis ac munus sciat,
Deumq; propè, id est illius ad imaginem
Et similitudinem editum se noquerit,
Diuinitatis qui capax, sapientiæ
Ac mentis æquè particeps sit, dotibus

Et extet animi ac corporis tantis valens,
 Pro dignitate ut sedeat, ut stet, ut ambulet,
 Oris venustas agilitasq; totius
 Vultus vt illi gratior cunctis fiet,
 Vis inquit animi tanta, tanta celeritas
 Mentis, vigorq; tantus, & solertia,
 Qua penè cuncta suggerente discutit.
 Hæc si quis, inquam, serius secum putet,
 Emitteret illam forsitan vocem simul
 Cum vate summo gentibus palam canens:
 Quam magnifica sunt opera rex regum tua,
 Sapientia in tua creasti singula.
 Quin illud etiam sentiet verum legi,
 Diuina quæ sunt, cum videri non queant:
 Hæc posse in his considerata conspici,
 Quæ fecit ille. Nam relictus vnicus
 Nobis ad illa est hic gradus, magno datus
 Scandendus olim Mosis, vt antè cerneret
 Quæ facta, non qui fecerat, sed cum illa, quæ
 Fecisset opifex summus ac pater omnium
 Immensus, incomprehensibilis, vnus potens
 Efficere, quæ fecit, eademq; perdere,
 Vt vult: ea, inquam, cum potenter omnia
 Voluisset animo prouidus vates suo,
 Ex his adiuit omnium rerum vltimam
 Et ipse causam primus, vt homini datum est,
 Dum vita superest: hic enim faciem dei
 Dum quærit audius inspicere, vocem audijt
 Dicentis, Haud faciem videre quiueris
 Meam, sed hoc te sub causæ rupis loco
 Sistam, manuq; protegā, dum transeam.
 At inde cum post auferam petra manum,
 Videre posteriora tunc mea poteris.
 Haud ergo quisquā, quæ assequi sensu nequit,
 Diuina quid sint quæritans, intrinsecus
 Rimetur ipsa, vasculo ne clauferit
 Immensa maria, ut indicatum constitit,
 Dum quærit illa maximus rerum quidem
 Scrutator olim. Propter alti littora
 Maris vndifona tendebat inquirens grauis
 Sensus, & amplum Trinitatis ambitum
 Aurelius, in his totus, ac solis vacans,
 Quæ cogitabat, fortè nec tunc exitum,
 Habebat vnde inueniret anxius,
 Cum dulcis illi visus est infantulus
 Paruam tenella sustinens concham manu,
 Vastiq; lympa marmoris complens scrobē,
 Quam pronus ipse fecerat sibi prius
 Solis digitulis paruulisq; nixibus.
 Quod ille cernens, Ecquid, inquit, cogitas
 Puelle tantos æquoris fluctus cauo
 Telluris isthoc tantulo concludere?
 Cui puer, Et ipse quid facere leuis putas?
 Qui te illius, qui cuncta solus continet,
 Vilo nec ipse continetur, expetis
 Fieri capacem, dixit, atq; protinus
 Nubes per altas prodiens, euauit.
 Est vnus ergo congruus nobis modus
 Intelligendi, parte qua quimus, deum,
 Per illa, quæ iam facta sunt: nam sensibus

Et ipsa capimus: mente deinde sensuum
 Sequace, tantorum creatorem vnicum
 Sentimus intus, credimus, complectimur,
 Amamus, illi charitatis vinculo
 Tenemur adstricti, illiusq; deniq;
 Aeterna meritis consequi confidimus.
 Adscensus hic est, quo crearat primitus
 Nos magnos orbis vniuersi conditor.
 Vt vita præsit sensui, mentem ante eant
 Sensata, visis cognitisq; exordia.
 Nam cum virentibus arborum terram comis
 Ornasset, atq; floridis herbis solum
 Strauisset, atq; vt vberes fructus darent,
 Mandasset, his est vita tum primis data.
 At cum vel vndas, aeræue, vel aridam
 Animantibus compleisset, illa sensibus
 Et appetitus aucta vi mox reddidit.
 Cum verò solers vltimò & mirum genus
 Fecisset hominum, mente quamprimū valens
 Effecit illud, non eis quoquam tamen
 Vsu remotis, quæ dedisset cæteris.
 Quod eius etiam iussa declarant statim,
 Deum, inquiunt, ex corde toto diligas.
 Quòd inde vita, fonte ceu, nobis fluat.
 Anima ex quoq; tua tota, id est sensibus
 Cunctis, & appetitu, vt ipsa est initium
 Animalia vnde dicta sint: ex deniq;
 Tota tua etiam mente, qua sola omnibus
 Præstamus his, ubiq; quæ terras colunt.
 Hinc ergo per quæ viuimus, per quæ vndiq;
 Sentimus, & per quæ creauit omnia
 Summusq; & vnus vniuersi conditor:
 Hunc acie mentis esse apertè cernimus.
 At estne fortè consequenter altera
 Tui sequendi & assequendi semita
 Clemens, misericors, omnibus præsens deus?
 Hanc ipse nobis cognitam reddas, & hac,
 Si qua est, precamur supplices, nos ducito.
 Est nanq; quippe, & omnium potissima.
 Aduersus excors ierat humanum genus
 Mandata quondam, ac inquinarat omnia
 Vnum futura secula commissum scelus.
 Illoq; cuncti sempiternis luctibus
 Pœnisq; eramus destinati crimine,
 Cum nos tuentem maximū è cælo patrem
 Immensa mouit charitatis copia.
 Natumq; nostra pro salute vt mitteret,
 Effecit, illi tanta tum benignitas
 Fuit, misericors tanta tum clementia.
 Versatus ergo est ille nobiscum diu
 Hic inter homines, inter ignaros deus
 Homoq; , summi patris vt testis foret,
 Foretq; nobis veritas, & semita,
 Qua tenderemus ad supernam patriam.
 Testes at ipsi effemur excellentium,
 Quas ille res hîc egerat, nosq; omnibus
 Illas per orbem panderemus singuli.
 Hic sanctitate puriter vitæ diu
 Actæ, serendis ille in vulgum vocibus,
 Quæcunq; frugem comparant nobis bonâ,
 Doctrina

Doctrina at alius atq; scriptis, mystica
 Quæ sensa magnis eruunt sacrarijs.
 Et qui volentes sanguinem ac vitam pij
 Fudere cruciatus per omnes antea
 Ducti, labores inter ac angustias.
 Et quisquis alto pectore hunc tandem gerit,
 Amoris arcto colligatum vinculo.
 Ipsumq; præter expetens vnum, nihil,
 Testatur eius mira, quæ fecit patris
 Suoq; semper prædicanda nomine.
 Quorumq; prorsus infcius rerum prius
 Quid ipse dicam? quid secundū prosequar?
 Sic magna cuncta sunt, & excedentia
 Humanitatis singulos captus simul.
 An cum relictis infcijs parentibus
 Iam natus annos nobilis duodecim
 Inter peritos sedit in templo puer
 Eos, quod esset omnibus mirum, petens
 Et audiens? an quæ deinde nuptijs
 Miranda fecit, vina permutans aquis?
 Vel cum precanti regulo dixit, Tuus,
 I, natus etiam viuit, ac illa quidem
 Iam morbus hora sospitem reliquerat.
 Quid hæc ad illa, quæ sequuntur, dixerim?
 Hæc mira quanuis sint & ipsa maximè.
 Surgit vocatus illic ægrotans senex,
 Ferensq; sanus lectulum perambulat.
 At cæcus is, qui viderat nunquam, videt.
 Ex quinque panibus, & duobus piscibus
 Iesum sequutus redditur vulgus satur.
 Puella saxis verberanda publicis
 Detenta summo liberatur iudice,
 Peccaret illa ne tamen quid amplius.
 Iam penè putridus excitatur mortuus,
 Et inter homines, vt prius, versans sedet,
 It, loquitur, audit, esurit, sitit, palam
 Quæcunq; viuens fecerat, rursus facit.
 Verum quid infans ipse nunc ausim loqui?
 Quæ nec piorum maximus cœtus virum
 Explere pleno cunctis ore quiuerit.
 Hæc finis ergo: nanq; peccator miser
 Quonam per illa pergerem loquens modo?
 Quæ mortis atq; passionis vltima
 Tux fuerunt impiæ mysteria,
 Nostrum redemptor omniū promptissime.
 Quænam pauenti suppetent voces mihi?
 Quibus feratur concitus terris tremor,
 Lunæq; lumen abditum, solem datas
 Circum tenebras, conditos suis patres
 Surrexerunt monumentis, & in sanctam vndiq;
 Venisse ciuitatem, & illic pluribus
 Apparuisse post secutam gloriam
 Tuam, subacta morte. Sed quis omnium
 Oculis potius hic lachrymas dabit meis?
 Vt flere possim traditam duram tibi
 Necem ab nefandis impijs mortalibus,
 Quorum salutis veneras huc gratia.
 Dabit quis, inquam, lachrymas mihi, quibus
 Tuos ad imos procidens pedes fleam,
 Tuos solutis lachrymis lauem pedes,

Exosculer flens, abluamq; vulnera,
 Inflicta sancto tam nefandè corpori?
 Te præter vllus non dabit, nullus mihi
 Ostendet, vnde verus emanat liquor
 Vitæ, nisi tu. Nullus, vt fleam miser,
 Docebit, atq; nullus, vt læter, dabit,
 Te præter. Vt commissæ nunc fleam mea,
 Da pater, vt orem, vt seruiam soli tibi,
 Complectar vt te, cætera vt nihil putem.
 Concede mentem iussa seruandi tua,
 Et ex iniquis exeundi semitam
 Ostende, qua te sedulus solum sequar
 Emancipatus vnico tantum tibi.
 Vt memet abnegem ipse, quam tollam crucē
 Ostende mi nunc, postmodū vt læter, dabis,
 Voles vt ipse: nam voluntas maximè
 Tua hîc, & vsq; fiet, & per omnia
 Semper, neq; vlli placeat id, quod displicet
 Tibi, neq; vnquam. Tu salus solus mea,
 Seruabis ergo, cum vias ostenderis
 Salutis ipse, cum mihi præsens dabis,
 Vt nocte tecum promptus, vt tecum die
 Sim semper, vtq; supplicem volens tibi,
 Ne quo remittam temporis puncto tuum
 Nomen, quod extat omniū nomen supra,
 Ardente Iesu charitate prosequi.

QVADRAGESIMA.



Rgo animi interea semper pende
 bis? & vnde

Incipias semel, ignoras, cōponere
 mentem?

Ne tibi continuis tot fluctuet anxia curis.
 Semp idē pgressus iter, nunq; hæc bona lōge
 Seposita, & nobis adeo distantia cernes?
 Quid differs? quid te varijs ambagibus istis
 Implicitū inuoluas magis, & magis ingeris vl-
 Nō breuia attēdis vitę momēta caducę? (trō?
 Nō qđ & hîc oēs peregrē pducimur? & qđ
 Mox aliō nobis properandū? vbi sistere tandē
 Aeternū sit opus, penitusq; recedere nulli,
 Atq; bonos illic factorum præmia rectē
 Accipere: at fontes vitiorū pendere pœnas:
 Sed non quas vulgō referūt perferre sub imis
 Manibus, æternos ignes, aut frigora dira,
 Sint eadē & maiora etiā tormenta licebit:
 Verū qđ multo horrendū magis igne, vel ōni
 Iactura est grauius, nullas visendus in horas
 Ille opifex rerum, visu quo sancta fruuntur
 Pectora, quæ terris valido se tollere nixu
 Iam potuere suo, superumq; recondere cœtu.
 Forsitan heu dubitas operū tibi conscius vllā
 Spem fore, qua fretus valeas hæc tāta mereri.
 Ne dubita: nam nulla cupit rex damna suorū,
 Quos quodā è nihilo, qđ erat boni ipse piusq;
 Fecerat assimiles cūctos sibi, deinde qđ atrā
 Ingressos nebulā, recta, quā ostenderat illis,
 Errare aspexit, duræ ludibria mortis
 Pertulit omnipotēs, vt eisdē splendida vitæ

B b

Lumina præferret, quibus haud errare liceret
 Amplius, ac certo possent infistere calle. (plex
 Quare age ad huc iunctis manib. cōcedere sup-
 Audeto: nam te venientē expectat, vt amplo
 In gremio accipiat. Perge, & cōmissa fateri
 Incipias, & te iam deliquisse dolentem
 Pœniteat, quacunq; etiam ratione modoq;
 Expurges, promptusq; luas p crimine pœnā,
 Atq; imo expressas penitus de pectore voces
 Effundas illi, cuius tibi gratia plenē
 Mox aderit, teq; amplectetur, & vndiq; cælo
 Gaudia erūt, quib. haud vsquā maiora supsunt:
 Illic nanq; magis gratari contigit vni
 Conuerso à vitij superū ad cælestia regna,
 Quā si cōplures, quorū sanctissima vita
 In terris fuerit, sup̄era ad conuexa ferantur.

P A S C H A.



Aec est illa dies, rerū quam con-
 didit auctor.

Ite omnes mecum linguis ani-
 misq; fauete.

Læti omnes mecum laudes &
 læta canendo

Carmina, sic regi cælorum reddite grates.
 Tuq; pater sancte in primis, cui plurima semp
 Religio, & veræ fidei obseruantia cordi,
 Perge diem lætus solenni ducere pompa
 Muneris immenso plenam cælestis honore,
 Utq; soles, regali ornatu & pectore puro (tu
 Prosequere, & cūcto demū hāc cōplectere cul
 Christicolas inter proceres, mediusq; fideli
 Concilio, ac lecto præcellus in ordine patrū.
 Sat lachrymis, tristiq; datū pro tēpore luctu,
 Quāq; p scelere haud satis est, & crimine no
 Sed tū hāc iugi desleuim⁹ ore, precēsq; (stro.
 Addidimus, clemēs quas exaudisse redēptor
 Creditur, & fœsis hominū iam parcere rebus.
 Hunc etiā vt miseris quondā violarit iniqua
 Turba modis, tuleritq; pius ludibria mille
 Sēsimus, hāc eadē soliti memorare quotānis.
 Vidimus & cunctis, sibi quos elegerat ipse,
 Discipulis ægrē fugientibus, vndiq; sœua
 Latronū rabie septum, durisq; reuinctum
 Nexibus, & fœdē ad proceres p cōpita raptū.
 Hic illum vt vulgus vesanum riserit, vtq;
 Conspuerit, flagrisq; afflixerit, vtq; profano
 Vexarit ritu diuinum corpus, abundē
 Hauserim⁹ ē sanctis scriptoribus, omnia largo
 Interea sietu complentes, & graue mentis
 Affectū toto promentes corde dolorem.
 Deniq; sublatū cruce vidimus omnipotentē
 Cunctarū auctorem rerum perferre dolores,
 Et duos mortis cruciatus, quos neq; quisquā
 Pertulit in terris vnq; neq; sensit, & heu heu
 Ne nos æternū moreremur, concidit ille
 Indutus mortalem hominē, qui cūcta crearat
 Aeternus, semperq; manēs, semperq; futurus
 Idē, & qui nutu mouet, & quēcunq; ministrat.

Hæc ita præteritis fuerint celebrata diebus,
 Et ritu seruante, pio permitta dolore.
 Ast hodie à lachrymis hilari perfundere mentē
 Lætitia est opus, & vultu præferre sereno
 Gaudia, quæ nullis cedant, cū maximus ipse,
 Qui se deludi passus mortalibus ægris
 Occiderat cæde infanda, nūc morte subacta,
 Conditione hominū superata, postibus orci
 Perfractis, victor supera ad conuexa redire
 Vt voluit, subito se contulit, & deus, atq;
 Verus homo, sed non adeo mortalis, vt antē,
 Amplius: at contrā diuino totus inhærens
 Quā mortalis erat, se nobis ipse videndum
 Præbuit, in dubio ne quid superesset, & illa
 Luce resurgentem, qua se prædixerat, omnes
 Nossemus, pariterq; necis vitæq; potentem.
 Quid nos? an non cum Dño surgemus & ipsi?
 Surgamus: Primū à vitij hic transitus esto
 Ad summos apices, virtutē & religionem,
 Mox ad cælestes superos, patriamq; supernā,
 Non aliā ob causam supera de sede profectus
 Hic adiit genus humanum, q̄ ducere secum
 Vt posset nos hinc alacres, atq; ire volenteis.

AD TRYPHONEM GABRIE-
lem, P. Venetum.

Vò sinitis socij me per deserta va-
 gantem

Hæc loca nunc ferri? quæ iam tē-
 nebrosa sub antra

Consertos inter vepres, atq; aspera saxa
 Ducunt, & vario perplexum errore viarum
 Exercēt, semperq; premunt, atq; vsq; fatigant.
 Nec vestrū quisquā tāto in discrimine dextrā
 Porrigit, atq; vagum fallaci in tramite sistit,
 Aut docet ire viā præsens, & in equa reducit.
 At qui olim multi, vel tu reuocare solebas
 In primis me chare Tryphō, si fortē parumper
 Deuius à recta iam declinare videbar.
 Orsus erā, vt parue poterant in carmina vires,
 Aetheri secreta procul vestigia cantus
 Pone sequi, afflato quos olim protulit ore
 Ad citharā vates, quem non imitabile carmē,
 Atq; hominū supra captū, cecinisse fatentur
 Voce palamcuncti, qui sacra ad limina tendēt
 Veri secreto commoti numine Phœbi.
 Atq; ita suspiciens, humilisq; & pron⁹ adorā
 Tentabam si qua ille mihi se fortē fauori
 Præberet precibus crebris oneratus, & vnā
 Affectu hoc nostro motus, ppriæ ne benigno
 Assensu potius, & solo munere mentis.
 Tandē hac spe tantū perstans, tū totus in illis,
 Quæ quondā is cecinisset, erā, nec cætera pot
 Linquebā interea legis præcepta vetustē (rō
 Quin legerē grauiū auctorū, versabar & inter
 Quæ mihi grata forēt, atq; apta sensib. annis.
 At nunc nescio qua tenui dulcēdine captus,
 Aetatis præter solitum iuuenilia ludo.
 Acquid permittes hæc me per inania duci?

Quæ

Quæ mihi, quæ studijs nõ conueniētia nostris
 Offendunt etiam purgatas protinus aures.
 Cur me ad cōcentus cessas adhibere priores?
 Quos mihi nõnulla solitus iam laude pbare
 Subdideras celeres currenti sapius ictus.
 Cur nõ hortari? cur nõ, velut antè, monere
 Instituis? vel, nãq; potes, me hæc ad pia cogis.
 Munera? quæ tibi sūt meritò gratissima semp.
 Vel quia Musarū tibi iam non vltima seruit,
 Optatus quoties illarum ad culmina tendis.
 Vel quòd nostra piæ miro conamine mentis
 Sacra tenes, eademq; pari veneraris honore.
 Immò age, nã poseo poterit qđ vtrūq; decere,
 Tentemus, si quid fortè aspirauerit ardens
 Ille canor nobis, qui non diuinitus vnquam
 Nil prorsus est modulatus: at æthera semp a-
 Intuitus regū regē rex ipse canebat, (pertū
 Atq; vni laudes, vniq; ferebat honorem,
 Tu prior, ipse sequar, sic me nã rursus amice
 Ad nõ missa quidē, sed ad intermissa vocabia.
 Try. Quæ desolatos cōperunt gaudia patres,
 Dispersos pauor horribilis quos egerat antè,
 Cum quem defunctū flierant, exisse sepulchro
 Videntur miro perculsi corda stupore.
 Aur. Quæ p̄sternatas cōperūt gaudia matres,
 Vt pauidis hilari se vultu nuntius vltro
 Obtulit æthereo cæli de culmine missus,
 Tristia qui placidis mulceret pectora dictis.
 T. Qui tū custodū est cōiectus in agmina terror,
 Cū tremor inuasit terras, subitoq; reuulsū est,
 Quod tumulo herbat firmo p̄ tegmine, saxū.
 A. Quo strepitu fugēre mali sub tartara Ma-
 Cū se prauētos senserūt lumine tanto. (nes,
 Nec posse vltius minimo sub tegmine cōdi.
 T. Atvertēre boni sensus oculosq; repente
 In dominū, inq; ipsum rerū patrēq; deūmq;
 Inq; expectatū iam longo tēpore Chrysom.
 A. Quin alacres vedēre omnes in liminā lucis
 Aeterni prætenta ducis vexilla sequuti:
 Sontibus at meritis miseris liquēre tenebras.
 Sed tu desine plura: bonis nã certa parantur
 Præmia visuris sedes quandoq; beatas.
 Illi cum primū in terris liquere caductum
 Et mortale ipsi pondus, vis nulla laborum
 Nulla dolorum illos agitat, non vlla timoris,
 Non fraudis, nõ vlla doli. quin dira voluptas
 Innumero errorū semper comitata tumultu,
 Et quæ mortales vexant, & inaniter angunt,
 Cætera non vllis illic admota propinquant.
 At secura quies, nullisq; exercita curis
 Vita manet, prorsūq; bonis nõ indiga nostris.
 Vivunt contenti solo per secula visu.
 Omnia, nec requies illis datur vlla videndi,
 Atq; est his ea summa quies: hac nanq; beati
 Perpetuūq; illic ævo & sine fine fruuntur.
 T. Sic tua cælestis fauor hic incepta secūdet,
 Quò mihi tu tantū carmen cecinisse videris,
 Aureli studia hæc atq; hos ne defere cār. (sti
 A. Imò hæc, q̄ mihi nūc modulādo multa dedi-

Adiumenta Tryphō, ne tu fuge tradere rursus
 Cum repetā: nam sic nostris afflabis honorē;
 Quale man⁹ addūt ebori decus, & tibi multa
 In nostrū quondam superabit gratia carmen.

AD ANTONIVM VONI-
 cam, Taruisinum.



Vò me, quò Silides rapitis per
 flumina Nymphæ?
 Nec fluitantis equi teneo iam
 lora, nec ipse
 Consilij compos valeo discer-
 nere, qua me

Parte regam, sic hinc terrent maiora fluenta,
 Hinc obitat cœnosa palus & lenta tenaxq;,
 Et qua quadrupedis possit vix vngula velli.
 Hæc ego, vectoris dum vi ducebar in amnem:
 Sed timor õnis erat tamē, vt ne gurgite in altò
 Mergeret, atq; expes ferrer quacūq; sub iudas.
 Nã neq; erat ipse vlla mihi, neq; certa fidelis
 Auxilij ratio, ingenti sed plena pauore
 Omnia, & expositis passim manifesta periculis.
 Ac neq; quem Graij quondā finxere poetæ,
 Quòue lyrā plectrūq; tenens est vectus Ariò,
 Auxilio poterat mihi tū se ostēdere Delphin.
 Nare nec exiguis contento in flumine ripis
 Immanis qui me sublato gutture Cetus
 Deglutiret, vti vatem iam mirus Ionam
 Cepit hianti ore, ac vasto sub ventre recōdit.
 Ille dei haud parēs monitis, qui iusserat vrbē
 Hunc petere extēplò Niniue, madataq; ferre
 Horrenda, in Tharsos cū declinaret, vt ipsū
 Tanquā fortè deum, cernit q̄ cuncta, lateret,
 Nātem conscendit pauidus, seseq; sub imum
 Ipse gubernaculū recipit, pauitansq; recōdit.
 Interea magno misceri murmure Pontus
 Incipit, exhorrent nautæ, timet ipse magister,
 Et nunc cum socijs supplex in vota precatur,
 Nunc tempestatis subitę perquirere causam
 Conatur, sortesq; iacit, simul orat Ionam,
 Quæ fors ipsa super perfederat, vt sibi & vnā
 Omnibus ex æquo bene consulat. Ille salubre
 Consilium dare ait, si se cuncti agmine facto
 In mare præcipitem iaciant: nanq; vnus esse
 Nomine cūcta suo quæ nūc incōmoda ferrēt,
 Qui non iussa dei subito perfecerit amens.
 Illi ergo, vt trepidis sese seruare potestas
 Offeritur, rapiunt sublimē, atq; æquor in altū
 Projiciunt puppe ex alta, quæ protin⁹ amplo
 Ore ingēs mōstrū vorat, atq; in viscera cōdit.
 Quid faceret? quo p̄ latebras, & cæca per exta
 Se ferat? auxilio cuius nitatur, vt inde
 Exeat? aut cæli procul illinc lumina cernat?
 Qđ superest prorsus sapiēs mox expedit vnū
 Orando supplex veniam petit: at deus vltro
 Imperat, ille leui siccaq; exponitur alga
 Illæsus, quanquā ipse truci detentus in aluo
 Iam triduum terna pariter cū nocte fuisset.

Ergo iterum populorū urbem rerūq; potentē
Iussus adit, profertq; palam minitantiā verba.
Illi continuo pavitant, ac iussa faciunt,
Et scelera his ritē deus expurgata remittit.
Pārcere subiectis novū pater, & pius idem
Humano quondam gentis scelus pepercit:
Immeritamq; luit nostrō pro crimine pōnā.
Mortē adiit, ternosq; dies iacuisse sepulchro
Substituit, totaq; super mox gente salutē.
Attulit, atq; viam supera ad conuexa reclusit.
Huic etiam quocunq; loco, quo tēpore cunq;
Magna vel, aut iam parua velis, sunt oīa curā.
Nam quis me potuit tantis arcerē periculis?
Caelestis ni tum fauor affaret, & deus ipse?
Tū mecū Antoni, p̄ceat, hāc Vonica videte,
Atq; eadem prudente diu cū mente voluta,
Nam dum ipse angustis agitabar talibus, ecce
Assistunt iuuenes duo protinus, inq; fluentes.
Prosiluit alter quans, ripa se continet alter
Sedulus, ille feri dextra capit, & tenet aurem,
Ac mihi, Ne metuas, inquit, procedit, & vnā
It mitis, prius asper equus, ripēq; propinquat.
Vnde manū exponit placidus, q; restitit antē,
Meq; ambo in columē sicca tellure reponunt.
Deinde alacres abeunt, illis dū reddere conor
Ac superis meritis imo de pectore grates,
Hos ego non vlla memini regione videre.
Sed mihi tum primū visi, nec contigit vltā
Vidisse hos alias, quorum si fortē requiris
Scire habitum, viridi florebat vterq; iuuenta.
Sed mihi q; medijs præsens hārebat in yndis,
Altior, vt qui equitē me tunc æquaret cundo,
Et laeis ingens humeris incederet Heros.
Quem verō attentū ripā de margine dixi
Expectare, manūq; vltro prēbere rogantē,
Hic agilis dexterq; & agendis omnibus aptus
Rebus erat, vultūq; omne præstabat honorē.
Quid geminos olim Pollucē & Castorā iactet
Prisca ætas, multis præsentes sæpe fuisse
Auxilio? non hos etiam mihi fingere diuos
De facie atq; omni prorsus virtute liceret?
Verū hāc nō adeo nos cōmentemur amice,
Sed nostris persæpe deum succurrere rebus,
Qui pius afflictis hominū miseretur & ægris,
Et malē pro meritis nobis benefacta repēdit.

AD BARTHOLOMAEVM

Agolantum, Tarusinum.



E quoq; ad has epulas inuitat-
temus amice,
Nouerimus nī te multis Ago-
lante teneri.
Quē tibi iā gustanda prius sunt
nempe necesse,
Quam te isthuc cōferre velis ad prādia nostra.

Sic fortasse monēt faciendū, vt prāuia quēdā,
Quæ gustū exacuāt, & quæ sint grata vorem?
Deinde assiltamus mensæ cunctando salubri.
Cœpisti propius rerum discernere causas,
Ac quo vis humana potest se ferre, laboras
Tendere, & hoc animi studio te explere beati.
Si quid in humanis tū est quod nomine tanto
Digneris: nā quæ linguis sunt tradita vtrifq;
Iam pridem tibi nota, manēt te grandia tantū
Cætera, quæ versas, quib; & iam sedulus vnā
Ipse diu incumbis, satur vt quandoq; reuersus
Expletusq; illis, veluti conuiua sagacis
Ingenij videas, epularū an forsā odorem
Gustaris tantū immunis expersq; saporis.
Sunt ea nimirum reliquis præstantia cunctis,
Quæ cupiunt, quærentq; etiā mortalia corda.
Verū & ad hęc, & in his semp sub luce mali-
Tēdimus, & varijs sic circūfusa tenebris (gnā
Incidimus, simile vt veri quandoq; repertum
Dicere, vix possis casu, ratione quod optas
Quæsisse, & propria tentas indagine mentis.
Quam satius sapiens Sophiā deducere calo-
In terras dictus, qui contēplanda relinquens,
Quæ reliqua assuerant totis perquirere auctes
Viribus, edocuit spectari proxima nobis,
Virtutem amplecti, vitia inspectarier, omnem
Deniq; perpetua vitam componere lege.
Sed quid is, aut vlli, quanq; meliora sequuti
Sint alijs, poterunt nostris cōferre? quid ipsi
Rebus inanis enim rerū contenderet vmbra?
Vnā hāc, quā seqmur, Sapiētia & vnica virtus,
Huius nunc studio addicti vacuiq; tenemur.
Hanc tu etiā cū tēpuserit (licet id quoq; semp
Exeret, & haud sero nunq; incipiamus) vt illa
Quæ tam nunc apud sectarios, cœperis, inquis,
Ad plenū amplectere quidē & sectabere solā.
Impetū fortasse & vt huc Cassellius, altē
Constendat tecū comes: equalē ipse meū iā
Nunc orare Bononiū adopto, vt dulcia tandē
Quæ canit, ad superū cōuertat carmina lau-
Et grāuis huc tā diuertat semita vatis. (des,
Nam Vonica meus iam pridē Antonius alutē
Assiduis legem manibus versare putauit
Esse viri, qui multa alias iam legerit, & qui
Viderit expleta hāc falsis & inanibus esse,
Quāta est nostra quidē, ne q; se iactet, in vltis
Cognitio magnis? animo cum nempe capaci
Nemo adeo est, qui se, nedū cælestia, capret.
Nec fas fortē ea scire, nisi cum libera prorsus
Corporeis vinclis & cæco carcere mens est.
Ast eadem nos velle licet, simul ipsa frequēt
Susplicere affectu, totaq; requirere mente.
Hinc amor ille potēs, q; iam, simulatq; reliquit
In terris socias feruentos spemq; fidemq;
Toto auro electos demū comitatur Olympo.

AD PETRUM LIPOMANVM
in obitu Clarae sororis.



Moena, Petre, quæ vides vagus
loca
Putato vana te videre somnia,
Nec esse quippe, sed videri, &
vndiq;

Per altum inane lubricumq; prospici.
Aues canoræ, & arborum leues comæ,
Et acre murmur insonansq; frondium,
Eas mouente leniter Fauonio,
Canes per æqua feruidi, fugax lepus,
Puella flore vinciens nouo caput,
Amore lætus ac vagans leui puer,
Et omne, quod videris hic alacriter
Videri, prorsus umbra sunt perennium
Inanis, ac valentium esse perpete
In omne tempus. Ast opes, agri, domus,
Et ipsa vana sunt quoq; haud habentia
Sui quid integrum, suæ quid potens,
Et vsq; firmum, & vsq; consonum sibi.
Nihilq; forma, robur, ac decor, valent,
Honorq; ferre, quo diu queat fore
Vbiq; quicquid editum sub æthere
Vides, caduca cuncta sunt, fluentia
Et vsq; præter id, quod alma munere
Dedit deorum & expetenda gratia
Tibi, mihiq;, cæterisq;, quibus datum est
Valere mente: mens enim modò viget
Futura semper, ac humi simul graue
Reliquit ipsa pondus, ad sacras poli
Statim perennis & leuis volat domos.
Vbi fruuntur aurea pij vice
Vigoris omnis, ac salutis intimæ,
Vigor nec alter est, salus nec altera,
Bonum nec alterum, nec vlla cæteris
Beatitatis aut quietis actio
Inest, mouente sed sub orbe fluctuant
Vbiq; cuncta. firmior parum tamen
Id est hic vnus, ima qui colens, supra
Caput tuetur, idq; promptus exerit,
Grauisq; donec hic moratur, explicat
Leuisq; & altus alitis pennas modo,
Cælumq; mente, ceu solutus corpore,
Petit. Sed hæc est vita perfecti nimis
Viri beata, qua frui pauci queunt,
Quamq; ille (si qua id sustinet dici) tuus
Colendus in primis sacerdos maxime
Affectat, atq; spontè spretis omnibus,
Quæ mundus vltro viribus cunctis petit,
Vnam secutus, prorsus hanc complectitur.
Et nunc in altis montibus latens procul
A patria, amicis atq; charis omnibus
Vni vnus hærens, qua potest, vni studet
Placere, cui se dedicauit vnice.
Nunc vrbe degens percitos fontes metu
Solatur, audit, excitat, terret, monet,
Hortatur, atq; promouet miris modis
Vitijs relictis ad decens, ad fas, ad id,

Quod iure miseris conuenit mortalibus.
Mox expeditos ad pios cultus trahit
Ipsos volentes, atq; ad alta dirigit
Spectanda, quæ mens sic onusta corporis
Torpore vix hallucinando suspicit.
Hæc ille. Sed nos, qui secundis sedibus
Debemur olim forsitan, vel tertijs,
Parère sanctis legibus compellimur,
Seruare mores, abstinerere fraudibus,
Vacare cupiditate, inani gloria,
Iraq;: cunctis deniq; actionibus
Prodesse multis, & nocere nemini:
Sese tueri, ne labemur, ne vagos
Variosq; cursus incidamus noxios,
Quos nostra nobis semper huc infirmitas
Apportat, aut quos ille nobis ingerit
Humanitatis persecutor impius.
Horum ipse conscius opifex rerum deus
Multos acerba morte quondam subtulit,
Multosq; rursus forsitan (quæ est illius
Immensa & infinita prouidentia)
Extinguet antè, quàm iuuenta illuxerit
Illis serena, ne mala his contagio
Contaminati prorsus orbis ingruat,
Labemq; moris improbi secum trahant.
Lugent parentes inde chara pignora
Abrepta varijs & dolendis casibus.
Suos amores coniuges viros, suas
Viri vicissim coniuges tenellulas
Fletuq;, lachrymisq;, ac pijs vlulatibus
Diesq; noctesq; expetunt, quærunt, vocant
Frustra miselli. Tu sororem læpius
Adhuc requiris, ante quæ diem cadens
Desideria sui reliquit plurima
Tibi, parenti, coniugi, cunctis suis,
Virtute, forma, moribus sanctissimis,
Quales decebant nobili exortam domo.
Sunt hæc dolenda, sunt pijs affectibus
Hæc prosequenda: non enim duro sumus
Nec sentiente procreati robore,
Natura at extat insirus nobis dolor,
Dolerè fas est omnium cunctis vicem
Charissimorum, ac perpeti luctum diu,
Quoad doloris iusta vis refederit.
Est finis, vbi te in sinum receperis,
Ac cogitaris, esse iam receptui
Tandem canendum, nostra ne si commodis
Eius feramus antè, videamur parum
Sentire quid nos deceat, & sanctissimæ
Exire iustos charitatis terminos.
Hanc vos videre, hanc alloqui, hac viua frui
Velletis omnes, coniugi prolem dare
Hanc, charam, opibus vti suis, honoribus
Fungi paratis vtriusq; splendida
Virtute. Sunt humana quippe hæc omnia,
Et expetenda, & omnium gratissima.
Sed est, quòd illa fortè ad hæc fari queat,
Voluisse sese hæc, & cupisse consequi,
Dum vita staret, donec in terris diu
Quærendo, quod nò assequi quisquæ potest,

Ipse elaboraret, neque hæc magni tamen
 Nunc adeo facere vel probare, ut anxie
 Terra marique, sedulo domi, foris,
 Ut sit, petantur omnibus periculis,
 Ac digna tanto sint honore denique,
 Errore mentis quantus his vanæ datur:
 Quæ si parentur, non minus molestiæ
 Profecto, quam iucunditatis afferant.
 Secumque multo sic melius actum putat,
 Quam si iuventam protulisset longius.
 Vidisset, inquit, multa quæ mortalibus
 Acerba casus, vel voluntas attulit
 Maligna sæpe, vel potestas acrior,
 Quam ferre possit æqua virtus vilius
 Vnquam vicissim, sic laboribus
 Connexus alter alteri superuenit
 Semper, nec vlla concitis semel quies
 Datur laborum vel malorum fluctibus.
 Pluraque alia quoque, maxime verò omnium
 Priuata, publica, vniuersaque incommoda,
 Iniqua patriæ quæ tulerunt tempora,
 Sensisset. At nunc cælitum vacans choris,
 Interque diuas ambulans felicius,
 Quibus beata perfruatur gaudijs
 Vix suspicari possumus, ne dicere
 Id audeamus his minutis versibus,
 Hoc præter vñ, quod venusto nomine
 Iam Clara, nunc residus it clarum polo.

AD M. HIERONYMVM
Vidam, P. Cremonensem.



*E*sse ferunt collem Phœbo Musisque
 dicatum,
 Quo cuncti pariter certant con-
 tendere vates,

Atque sacræ appropierant illuc haurire liquoræ,
 Perpetuamque virere putant in vertice laurum,
 Unde queant caput optata vincere corona.
 Cernere propterea est nonnullos motus ad ima
 Radicem se ferre, & sub radice moranteis
 Conterere hic æui partem melioris, ut alta
 Qui spectare procul cõtenti culmina, si quid
 Diuini laticis valeant contingere summo
 Tantum ore, aut ramis felicibus arboris almæ
 Sorte aliqua frondis villas legisse cadentes.
 Sunt etiã, ut referunt, & qui reptare laborant
 Ad mediæ septum magno conamine rupis,
 Intra quod pauci sic admittuntur, ut vnus
 Hisce locis, alter ue queat satis esse videri.
 Quid qui infrà positos ausus continere, sese
 Tollit, & in summo scandentem vertice sistit?
 Atque inter lauros, atque ipsa ad limina fontis
 Constituit Musis aram Phœboque sacerdos,
 Affaturque illic diuos auditque videturque
 Felix? o mihi si saltem in conualle propinqua
 Versari detur, quid fortunatius optem?
 Atque id nunc operã do, quo me demere vulgo
 Assuescam, mediterque procul diuina tueri.
 Nanque vltra proferre pedem tardante senecta

Haud ausim, satis est quoniã, si non pede claudo
 Inferimur lutulenta atque in salebrosa viarum,
 Qua multi è priscis etiam venere volentes.
 Tu verò, cui Seriadès se ostendere Nymphæ
 Dignatæ quacunque duces comitesque dedere,
 Perge, iuuetque iugi iam peruenisse sub alta
 Culmina, dum vires, ac dum præstante iuuenta
 Vida potes quæcunque & adire, & ferre laborè.
 Nãque illic quodcunque agitas, animoque reuoluis,
 Præstò erit, & tibi se manifesto in lumine pan-
 Ni penitus vanæ modò me lufere puellæ (det,
 Pierides, miris è nexibus extricantes,
 Cum tibi eas docta fingentes serica vidi
 Fila manu, pperare, atque interneectere, queis se
 Implicet, atque voluēs pergat circũdare bobyx.
 Quin oriturum etiam vatem cõmittere alendũ
 Formandumque tibi vidi illas omine certo,
 Cũ ter te attonitum duxere altaria circum,
 Atque eadem ternis etiam cinxere choreis,
 Actutumque tribus fulserunt omnia flammis.
 Præterea ludos belli simulachra cientes
 Edocuere modo quo gratè dicere posses.
 Tũm veros Martis strepitus & signa tubasque
 Audire, atque videre, interque horrentia ferri
 Agmina concessere, ac pleno ferre per orbem
 Aequato quondam certamine prælia cantu.
 Quare age ppetuũ primaque ab origine carnẽ
 Audacter, quod mente diu iam concipis, ede.
 Ut scelus infandũ gens ausa est impia quondã
 Cunctarũ aduersus rerũ patremque deumque,
 Optima quem toties adeo mandata docentẽ
 Audierant auidi, videre & mira frequenter
 Ac passim peragentẽ, & non mortalia quoquã
 Præstantẽ, at prorsus præ se diuina ferentem.
 Nanque palam hauserunt oculis atque auribus ipsi,
 Ut primũ in terris vagitus protulit infans
 Maximus, esse deum, qui nos inuiseret alto
 Demissus cælo, cũ supra vilia tecta,
 Sub quibus in paruis iacuit præsepibus ille,
 Videre insolitum radijs fulgentibus astrum.
 Cælestesque etiam supra sensere canentes,
 Et flexis illum genibus venerantia bruta,
 Ac reges pariter diuerso ex orbe sequutos
 Sideris exorti cursus, & dona ferentes.
 Cætera quid memorem tota sanctissima vita
 Acta illi, confessã deũ & testantia solum?
 Hæc te nãque manet, hæc te tua submonet ipsa
 Relligio, cultusque dei, & præstantia vitæ
 Ordiri, atque super fauet his tibi cõscius æther,
 Aeternumque parat ventura in secula nomen.
 Ipse autem, si quid me fors ea gratia tangit,
 Exiguam tantorũ operum vel sumere partem
 Conabor totis ornandam viribus, aut si
 Inualidi nequeant humeri iam pondera ferre
 In pròptos saltè affectus, & debita mētis (bo
 Munera descēdēs, lachrymis mox cuncta reple
 Quo mihi cunq; dabūt sese per carmina vires,
 Ad fixas clauis plantas, ad pectus apertum,
 Ad caput impressis cõfossulum sentibus almæ

Geronticon primi Finis.

EVCCOSA CARMINA QVAE
dam Arnaldo attributa, ex Italico in
Latinum uersa.



Oluite corpora in aquam omnibus dico
 Vos qui queritis facere Solem
 ac Lunam

Ex duabus aquis capietis unā
 Quam magis uultis, & quod dico facite:
 Bibendam date uestro illi inimico,
 Sine ullo prorsus cibo solam dico:
 Mortuum inuenietis in nigrum uersum
 Intus in uentre Leonis antiqui.
 Post illi facite suum sepulchrum
 Eo modo ut totus liquefiat
 Et pulpæ, & ossa, & omnes suæ iuncturæ:
 Sic lapidem habebitis: post istud fiat
 Ex aqua terra quæ sit munda & pura,
 Ex terra rursus aqua, ex aqua terra:
 Sic ad multiplicandum fiet lapis.
 Thesaurus est is bene seruandus.
 Nam qui benè hos capit meos uersus,
 Erit Dominus eius cui cæteri famulantur.

Alia eiusdem argumenti.

Soluere qui nescit, uel subtiliare metallum,
 Corpus non tangat, Mercuriumq; sinat.
 Nam corpus nequit spiritum retinere uolantē
 Si non alterutrum facere benè noris.
 Fac igitur strictim sese amplectatur uterq;
 Id facit aqua uiuens nec nō sal dissolutiuum.
 Tere benè ac coquas lentē,
 Ita ut illud priueretur
 Ea matrice quæ illum occultat.
 Tunc clarè uidebis obscuram fugere noctem
 Et solem totum lucidum pulchrumq; reuerti
 Multis cum floribus ornatum formaq; recta.
 Hic lapis est: illud tandē quod scripta maiorum
 Malleo percutier super incude posse fatentur.

Vetusta quedam carmina.

Ad bonam pastam utere aqua atq; farina,
 Nec non fermento, modo simili, lapide nostro
 Hæc tria reperies physiorum dicta referre.
 Est in Mercurio secretum, in reliquo nullo:
 Mortificat sese saybat & uiuificat se.
 Nam metallorum cunctorum cum sit origo,
 Ex quibus constant, & resoluentur in illum.
 Finis, principium, hic constat & est mediator.
 Extrahit, inducit, animam suo corpore figit,
 Putrescit, leuit, tribuit bonum tibi pondus
 Efficitur tale cui permiscetur ipse:
 Qualia Mercurio seminabis, talia metes:
 Quib; dū immoritur, ex se fructū dare fertur:
 Solis & Lunæ sunt sulphur Mercuriusq;.
 Opera naturæ, causæ, per tempora coctæ:
 Horum non solum, sed cunctorum aliorum.
 Eadem principia cum nos habeamus ut ipsa,
 Cur non tunc opera faciemus sic uelut illa?
 Emula naturæ ars semper dicitur esse:
 Nam sequitur alijs prælijs artem fugitiui

In quantum potest, licet ipsa plus ea possit.
 Natura iungit sua facta in se quoq; creat.
 Nam cum fermento, naturæ quod caret illo
 Ars curtat facta, sine quo non perficit ipsa:
 Nam sine fermento nihil pinsare memento:
 Hæc cum seruore consuevit & ars breuiare.
 Omnis in interitum ab imis trahitur ægrè.
 Qui seraturas seratas uult referare,
 Caudæ caput iungat, sic tu poteris reperire.
 Quid sit fermentum tibi do tale documentū,
 Est panis similis pani, sic uitaq; uitæ.
 Extat fermentum per consimile specierum:
 Nam generat simile semper unus sibi quisq;
 Ex semine proprio fit puluis, ab Vpupa nullus:
 Sic similis similē generat, leporē quoq; lepus:
 Qualia quis seminat, hæc semper talia metet.
 Quod lapis est scimus: quis sit si scire uelimus
 Extra nos imus nisi donet summus & imus.
 Hic lapis à spiritu simul & à corpore nasci
 Nec non ab anima nominatur, sic benè iuncta
 Ac fermentata dicuntur hæc tria mista:
 Arsenicū fore dic animam, sed spiritus extat
 Argentum uiuum, calx corpus dicitur esse:
 Spiritus ac anima fermentant corpora munda,
 Tingens & mergens calx figit & est Elyxir
 Quod saybat figit, qd' corpa plurima tingit:
 Extat arsenicum nostrū de corpore tractum:
 Extat hæc mediū quod nunq; in corpore fuit,
 Perficit hæc dicta nullius agens in Alchymia:
 Hac utaris aqua fructus producitur à qua
 Albat, purificat, separat, iungit elementa:
 Par & Mercurio nunc Laton se decorabit
 Quod Sole causat nec non Sole mediante
 Firmare debes spiritus in corpore omne:
 Corpus dissolui bene dum id sollicitauit:
 Et est uita rei cuiusq; mundi; caput.
 Ut separat Iouem stare quo nunq; stabilitur
 Cum soluens sit Azot imbibitur & auro
 Nouies uel inde, ita totum uidebitur Azot:
 Et uolatile fit cum spiritu quo adimetur.
 Rectè figatur ut non separetur ab illo:
 Vertitur in animā corpus totū, & uice uersa.
 Et fit Elyxir mutans azaybat omne:
 In liquido saybat opus omne figere debet
 Intus & exterius utrisq; uel modis utor
 Imbibet tibi ipsum quia meritò Sol soluēdo.
 Si non sufficiant memorata renouabo.
 Exterior ignis non excipit interiorem
 Alio calore superueniens qualicunq;
 Sed si firmatur scorix totum similitur.
 Hoc cum fermento fermentum fortificatur.
 Argentum uolitans est ignis corpora urens,
 Morrificans, fixans, stringens regimine solo:
 Quo plus miscetur tanto plus attenuatur:
 Azot associatio, lapidis contritio frequens
 Perficit & uiuit, ars solum uasq; requirit:
 Est ignis graduū, non huius, ratio tota.
 Nūc caput est ignis humidus interiūsq; diuersus
 Est tepidus ignis, bulliēs quasi, & bulliens est:
 Quartus est seruēs, sed quintus igneus extrat.

Ignem præterea tribuere si scias igni
 Mercurium cum mercurio, tibi sufficiunt hæc:
 Sed cautus si sis in primis cum sociabis
 Partem cum parte, tunc signa hæc bene tene:
 Primò pinguescit, nigrescit plus, & aquescit,
 Quartò congelat, tunc iam est certificatus
 Processus debite, sic coruus uult uariare.
 Est ideo census ignis humidusq; diuersus:
 Mercurius penetrat, corp⁹ figit, anima tingit:
 Fermētū in Alchymia semē agēs estq; paternū.
 Sed patiens erit Saybath semē estq; maternū.
 Imbibitur quotiēs cinere id totiēsq; curatur
 Et humidatur quousq; color uariatur:
 Nam emēdatur gaudet auro nisi solo. (tingit,
 Putrescit, soluit aqua mercurij, densat, quoq;
 Extrahit hinc florem, fluxat, uexat separata:
 Ponderat & leuigat, mortificat atq; uitā dat:
 Ingressumq; facit miscens suprema profundo.
 Est in mercurio quicquid quæerunt sapientes:
 Nā sub umbra sua uiget hæc substantia quinta.

Carmina Arturi Philosophi.

Calcino, sublimo, cero, figo, coagulo, soluo,
 Corporaq; spiritus, aquis, in cinere, fumo:
 Alluo, mortifico, sublimo, fixoq; latronem,
 Capitello, zacey, ludello, luminis aqua,
 Cui fratrem adijcio ut candidius exeat opus
 Et lunę fermentū eius abdo misturā magnatē

Carmina Pythagoræ.

Arsenicum fore dic animā, sed spiritus extat
 Argentum uiuum, calx corpus dicitur esse.
 Spiritus est tingens, animā submergere dicas:
 Tingens & mergens calx figit & extat elyxir:
 Spiritus exclusus perit hæc & mare duce
 A Phœbo captus elementi suscipit esse.
 Mercurium figit, qui corpora plurima tingit.

Dictum Hermetis.

Sales calcinant, alumina clarificant,
 Spiritus tingunt, metalla fixant.

Carmina Gebero adscripta.

Est fons illimis cuius latet anguis in imis,
 Euolat inprimis nisi clausis undiq; rimis:
 Ex prima uena pars roris surgit amœna,
 Ipsa post sæua prodeunt suscepta uenena:
 Post hyemis flantes fortes creuere Gigantes:
 Hos supra stantes flatu pereunt Elephantēs:
 Hunc bene contritæ genuit tibi aqua uitæ:
 Nam benè mundatū proprio sudore renatum
 Redditur ablatum nigrū prius obtenebratū.
 Assequere uotum si per se sit benè lotum,
 Et sumat potum quod scādit ad æthera totū:
 Hæc petra diuina fit alba, sed inde citrina,
 Cum fuerit ima nostra deducta carina.
 Hos uersus si quis aliquem perpédere inquit,
 Si benè scruteris omnia, diues eris.

Distinctio.

Consurgit nullus unquā sine semine fructus
 In quo dū moritur semen, fructū dare fertur.

Ordo conficiendi lapidis.

Diffipa ré captā per rem prius hanc satis aptā

Leniter extractam, sic massā cōtere factam:
 Hæc non festinas, sed temporis ordine fiat.
 Albumen urinæ disponit membra ruinæ.

Aliud.

(crē inuoluas,

Si fixū soluas, faciasq; uolare, solutū, ac uola.
 Hæc tria si iungas facient te uincere tutum.

Pro arte transmutatoria ad Lunam.

Cogitur exire spiritus de corpore Iouis
 Albus, per ignē: quē modo collige tali: (igne,
 Libram de loue crucibulo crudā tibi ponas in
 Flando continuē quod corpus saltet in igne.
 Tunc habeas rotam ferri quam sine tenebis,
 Aptam crucibulo quam sæpe ponas in igne
 Quo propius Ioui poteris, sed tangere noli:
 Teneas hoc spatio quo possis dicere, credo.
 Adhæret rotæ spiritus, quem præbeas aquæ,
 Abluit hoc ipsum, tunc iterum collige tantū:
 Hoc totiē facies quantum de spiritu gliscat.
 Aqua diffusa, spiritus in fundo manebit
 Quem simili parte Mercurio iungere debes:
 Soluas in aquam ipsam quoq; stilles ab istis
 Sal petræ, uitriolo, sal armo simili parte:
 Paruum per ignem tunc aqua euaporabit:
 Manens est fixum: pars una tingit ad album
 Decem de cupro partes igne liquefacto
 In hoc proiectum, mūdāt, figit quoq; rectum:
 Hoc dat argentum cimenti probamine uerū.
 Hoc opus est breue, uerum, utile, quoq; leue:
 Sic met ut feci breuiter sub carmine scripsi.
 Nec mihi tu credas nisi met probaueris ipse.
 Tunc ores pro me, nā talia scripsi ego pro te.

Alia carmina antiqua, sed obscura.

Soluere, purgare, purgatum dissilq; pare,
 Difunditūq; mare, surgendo mundificare,
 Calcem siccare, siccatum calciq; nare,
 Sternere, rigare, calcem sic albificare:
 Humida siccare, siccata siccē leuare:
 Sæpius ista dare, calcem sic purificare,
 Coquendo gnauē, post album rubificare:
 Sulphur zimare, zimam primò præparare:
 Sæpius alterare, fixum non fixo leuare:
 Sic rem fixare, doceas in igne domare.
 Hinc res alterare, si fixa sit animare,
 Vultq; maturare, totum mox inq; cerare,
 Sic res æquare, debes complexionare,
 Res & emendare, dum tingis tinctā probare:
 Excellens gnare studio sic pacificare,
 Omnia patrare, sapienter purificare:
 Versibus his, nota, conscribitur ars tua tota

Alia.

Tu qui gliscis donum Dei,
 Contemplare huius rei

Fontem peramabilem.

Lunam, Solem, transmutare
 Tibi mando uoce clara

Lympham in stillabilem.

Hæc est prima radix rara
 Nobis data multum cara,
 Hermetis comprobamine.

Marcelli

Marcelli Palingenij Stellati carmina.

Phœbus loquitur.

Audite, atq; animis mea dicta recôdite uestris
Hûc iuuenē archadiū, infidū, nimiūq; fugacē,
Prêdite, & immerfū stygijs occidite lymphis.
Post Hyales gremio impositū Deus excipiat,
Lemnia terra colit, sublatūq; ī cruce figat (quē
Tūc sepelite utero ī calido, & dissoluite putrē:
Cuius stillantes artus, de corpore nostro
Spiritus egrediēs penetrabit, & ordine miro,
Paulatim extinctum nigris reuocabit ab um-
Aurata īdurū chlamyde, argētōq; nitētē, (bris
Proijcite hūc demū ī prunas, renouabit alter
Vt phœnix, & quæ tanget, perfectā relinquet
Corpora, naturæ leges & fœdera uincens:
Mutabit species; paupertatēq; fugabit.
Phœbus ab his tacuit; dictis Cyllenius ales
Annuit, atq; eadem præsens Diana probauit.
Mox abiere omnes, cæli ad conuexa uolâtes.
Tunc mentis diuinæ homines oracula cæca
Voluentes animo ancipiti, uix tempore lōgo
Expertī multa, & non paruis sumptibus: illam
Inuenere artem, quam nō ars dignior ulla est.
Pingendi lapidē æthereū: quē scire, pphanis
Haudquāq; licet, & frustra plebs improba quē
Quem qui habet, ille potest ubi uult habitare.
Nec fortunæ, iram metuit, nec brachia furum.
Sed paucos tanto dignantur munere diui.

*Carmen de floribus seu coloribus ad scriben-
dum, pingendum, &c.*

Flores in uarios qui uult mutare colores
Causa scribendi quos libri pagina poscit,
Est opus ut segetes in summo manē percerret
Et tunc diuersos flores ortusq; recentes
Inueniet, properetq; sibi decerpere eosdem:
Cumq; domi fuerit caueat, ne ponat in unum
Illos, sed faciat quod talis quis sibi quærit:
Dum super æqualem petra contriueris istos
Florēs, in coctum pariter tu contere gypsum:
Sic tibi siccatos poteris seruare colores.
Ex quibus in uiridem si uis mutare, recentem
Calcem commisce cum floribus: inde uidebis
Quod tibi mādaui, ueluti prius ipse probaui.

Modus pingendi Vasa ex Vitra.

O vos artifices qui sculpere uultis honestē
Vitrum, nūc pandā vobis velut ipse probaui.
Vermes quēsiui pingues quos uertit aratrum
Et terra, atq; simul me quærere iussit acetum
Vtilis ars: istis rebus calidum atq; cruorem
Ex hirco ingenti quem solito tempore paruo
Ex hedera forti pauī tecto religatum:
Sanguine cū calido post hæc uermes & acetū
Infudi, ac totam phialam clarē renitentem
Vnxi, quo factō tentauī sculpere uitrum
Cum duro lapide Smerilli nomine dicto.

Ad Vasa fictilia depingenda.

De vitro si quis depingere uascula quærit,
Vitru Romanū bene marmore conterat, & cū
Vt puluis fuerit, clara pinguedine gummi

Fontis aquas mista, figulorum uascula pingat,
Siccaq; fornaci mandes: sit terra probata
Quæ ualeat flammis obstare, nitentia tandem
Regibus apta satis ex furno uascula tollet.
Eligat ipse duas rufo de marmore petras
Inter quas uitrum Romanū cōteret, & cum
Vt puluis terræ fuerit pariter resolutum,
Hoc faciat liquidū clara pinguedine gummi:
Post hoc depingat peculas quas finxit honestē
Figulus ē terra: siccatas ponat easdem
Fornaci: caueatq; simul quod terra probata
Has teneat quo sic ualeant obstare calori:
Illasq; faciet plena uirtute nitentes.

*De Vitro uiridi quomodo fieri debeat, ad uasa
fictilia depingenda.*

His rebus Vitri patet effectus preciosi:
Igni cōbustū sulphur, assum quære cuprū,
Atq; teras horū splendens cū puluere uitrum
Hoc cures solo liquidū ter reddere gummo:
Attamē inde litam post ignibus iniice testam:
Assumet uiridem quoniam pictura colorem
Exterior testæ, cum cœperit ipsa rubere.

De Vitro albo ad fictilia uasa depingenda.

Album picturis uitrum sic attenuabis:
Cādens permistū cū sulphure contere uitru:
His simul attritis, postq; fuerint quasi puluis,
Exterius spissam depinges undiq; testam:
Iniice post ipsam fornacis ab igne coquendā:
Cū simul ipsa rubet, sibi cum pictura coheret
Extrahē, sic ea pinges hinc uascula quædam
Ars uelut in primo notat insinuatā libello.

De Vitro nigro ad ea uasa depingenda

Sic etiam nigrum pingendi transfer in usum:
Qui terra capitur cum gummo contere lazur
Vt sit perspicuum, frangēs in marmore uitru
Ipsi miscebis: rursumq; terendo parabis:
Hæc quoq; cœruleā sumet cōmissio formā
Quæ tamen in nigrū conuerteret singula uitru.

De Vitro ualde uirente.

Sic etiam nimium tu uirens effice uitrum:
Accipies assī subtilia fragmina cupri,
Quæ tamen eiusdem post cū rubigine misces:
Rursus & admisto splendenti contere uitro:
Protinus hinc pictā fornacibus iniice testam
Postquā lucetē dabit ipsi flamma colorē,
Accipe: nā pulchrā capiet hinc frigida formā:
Nam dum sit uitrum nimis feruere, coloris
Hinc aufert propriā flammæ uiolentia formā.

De Pictura Eboris

Pingere si quis ebur uult, sic procedere debet.
Sculpturas eboris auri pecula decorabis:
Quo tamen ipsa tibi res ordine cōgruat, audi:
Quære tibi piscem qui dicitur Hula liquentē
Vesicā serua decoctam fluminis undā:
Inde locum pecula quem uis cōponere signa.

Gemmarum sectio, &c.

Præduros lapides si ferro rumpere tentes:
Qui cupit egregios lapides irrumpere ferro,

Quos dilexerunt Reges nimium super aurum
 Urbis Romanæ qui celsas iam tenuere
 Arces, ingeniū quod ego sub mēte profunda
 Inueni, capiant, quoniā nimis est preciosum:
 Vrinam mihi quæsiui pariterq; cruorem
 Ex hirco magno, modicoq; tempore pasto
 Heba: quo facto, calefacto sanguine gemmas
 Incidi, ueluti monstrauit Plinius auctor.
 Artes q; scripsit quas plebs Romana probat;
 Atq; simul lapidum uirtutes scripsit honeste,
 Quorum qui nescit uires, plus diligit illos,
 Primus ait uersus quot habet sentētia sensus.

Cryſtalli sectio.

Cryſtallus tali durus ualeat arte secari
 Opportuna tibi quæratuſ lamina plumbi,
 Huic etiam bini clauī iungantur utrinq;,
 Qui solito mediū conſument undiq; plumbū:
 Nam plumbo ſoli tribuetur cura ſecandi:
 Ipſi cuſtodes laminæ ſint exteriores,
 Vt ſibi dent rectum recto cōſumere curſum:
 Sed nec duritiem poteris prærumpere tantā
 Mollitiæ plumbi, niſi quædam iunxeris illi
 Tāquā puluereas fornacis fragmine mittas
 Quæ tenere poſſit laminæ connectere plūbi.
 Equū rursus habēt lateris fragmenta uigore
 Concidis adiancta paulatim fluminis unda:
 Sed uim Cryſtalli cruor antea tēperet hirci:
 Sanguis enim facilē ferro facit hic adamantē.

Gemma ut niteſcant.

Si uis ſplendentem gemmis inferre nitorem,
 Partē quære tibi tantūmodo marmoris æqui,
 Gēma ſuperpoſita petræ ſed flumine pauco:
 Sed ne lædatur, tractu leuiore limetur,
 Quanto dureſcit, tanto magis ipſa nitebit.

Gemmarum ſculptura.

Sic gemmis durum ſculpendis effice ferrum:
 Quiſquis uult ſolito lapides irrumperre ferro,
 Hos habeat ritus, ut acumen temperet eius
 Tēpore quo ſolito magis utitur hirci amore.
 Solus adeps huius ſit ad iſtos aptior, uſus,

Huius enim candens ſiquis pinguedine ferrū
 Extinguit, ſubito dureſcit acumine firmo.

Carbunculi conſectio.

Si repetam dicta ſupra tribus atq; quaternis
 Eſt renouata modis omnia clarificat:
 Plus ſi ſuſcipiat Tale crudum mundificatum,
 Pſimmythiumq; æquis iungito pōderibus,
 Mercurio ſuper adiecto ſub ea paritate
 His mixto donec deficiat penitus,
 Terſeptena ſalis purgati uel cribellati
 Pars admixta roborat iſtud opus:
 Hæc miſtura parit preciosum deniq; quoddā
 Præcellens Viſſur pondere uel pretio
 Ampulla uitrea forti ſpiſſaq; receptus
 Hic puluis tepidis ignibus expoſitus,
 Illita ſicca luto ſemel ac bis inde fit olla,
 Sic ampulla rogos accipiat tepidos,
 Donec multiplicis fumos excocta caloris
 Exhalans nullos undiq; proijciat.
 Frigida facta: luto careat quod habebitur inre
 Excellens Viſſur carbo uelut rutilans:
 Cryſtalli puluis tenuiſſimus additus ipſi
 Per magis atq; magis rem facit eximiam.
 Filius unius perimatur uafe diei: *Ouum.*
 Sanguis ut ipſius deſſuat hinc niueus:
 Oſſibus excluſis eius croceoq; colore
 Fiat ut hinc globus maſſaq; ſanguinea,
 Quæ ſiccata coquas aqua (puto) pſimmyſi.
 Purgataq; diu rem faciatq; nouam: (cata,
 Nā carbunculus atq; balalius hinc preciosus
 Exit, & artificem ditat in orbe ſuum.
 Sic res uilis habet preciū latitat quod in ipſa,
 Et quod deſpicitur carius efficitur.
 Si miſtura ſit unicolor quaſi flāma coruſcans
 Fiet maſſa nimis lucida ſitq; globus:
 Lunificis & aquis excocta repentibus, exit
 Vnio reſplendens, res precioſa ſatis.
 Sicq; quod in mūdo precioſius eſt & habetur
 Viliſſimum datur philoſophi ſtudio, &c.

F I N I S.

REGIMINA ARTIS.

Diuinæ huius artis modi regiminis sunt quatuor principales: Soluere, abluere, reducere, & figere.

Soluere est grossum subtiliare: fit diuidendo, corrumpendo, & in primâ materiâ reducendo.

Abluere, obscurum reddere lucidum: fit distillando, inhumando, & calcinando.

Reducere, humidum conuertere in siccum: fit incerando, impinguando, sublimando.

Figere, est uolatinum supra corpus suum sistere ut permaneat cum corpore suo: fit autem desponsando, resoluendo, & congelando. Per primum mutatur natura interius, per secundum,

exterius, per tertium, superius, per quartum, inferius, &c. Qui autem horum &

aliorum modorum pleniorē exquirat notitiā, uideat præci-

pue finem libri Collectaneorum Iani Laciniij

Minoritæ non ociosi.

BASILEAE PER HENRICVM PETRI

& Petrum Pernam, Anno salutis humanæ

M. D. LXI.

22-11
J. J. G. H. C.

(3000 Uvis.)

(3000 Uvis.)

(3000 Units.)

